2 5

UAN
IDAD AUTÓNOMA DE NUEV
CCIÓN GENERAL DE BIBLIOTEC

BX1758
.A5
1782
v.3
c.1

132585

E#2-6#45
1080046095

EDITIO

A IO. DOMINICO

BENEDICTI XIV ET CLEMENTIS XIV

ET IN SEX TOMOS DISTRIBUTA

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# THEOLOGIA
## MORALIS UNIVERSA
## R. P. GABRIELIS ANTOINE

*A REVERENDO PATRE*

## *PHILIPPO DE CARBONEANO*

PRIDEM NOTIS, ET APPENDICIBUS AD USUM MISSIONARIORUM POTISSIME AD SACROS CHRISTIANORUM RITUS, ET ECCLESIÆ ORIENTALIS DISCIPLINAM SPECTANTIBUS AMPLIFICATA,

*Dein novis acceſſionibus ex geminis ſcholarum & Eccleſiæ Doctoribus* S. THOMA AQUINATE & S. BONAVENTURA CARD. *depromptis ad* PAROCHOS, CONFESSARIOS, *præſertim vero ad* STUDIOSAM JUVENTUTEM *informandam aucta, & illuſtrata*

## *A R. P. BONAVENT. STAIDEL M. C.*

ACCEDUNT

TRIA OPUSCULA EX AUREO MELCHIORIS CANI DE LOCIS THEOLOGICIS LIBRO DESUMPTA, ET DISCEPTATIO PROOEMIALIS DE LEGE DIVINA.

## EDITIO X. ABSOLUTISSIMA
## A JO. DOMINICO MANSI

ARCHIEPISCOPO LUCENSI

MEDULLITUS INSPECTA, PERMULTIS ALIIS ADDITIONIBUS EX OPERIBUS

BENEDICTI XIV. ET CLEMENTIS XIII. & XIV.

*Litteris apoſtolicis excerptis locupletata, correcta, nonnullis figuris æneis in fronte quorumdam Tractatuum ornata,*

ET IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

*TOMI TERTII PARS PRIMA.*

VENETIIS MDCCLXXXII.
APUD ANTONIUM ZATTA.
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UNIVERSIDAD AUTONOM[illegible] NUEVO LEON
25/1/83 MICROFILMADO R-25
46169

BX1758 .A5 1782

# NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. F. Filippo Roſa Lanzi*, Inquiſitor Generale del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Theologia Moralis univerſa a R. P. Paulo Gabriele Antoine primum concinnata &c.*, non v'eſſer coſ' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 4. Novembre 1768.

( ANGELO CONTARINI PROC. RIFORM.
( ALVISE VALLARESSO RIFORM.
( FRANCESCO MOROSINI 2. CAV. PROC. RIFORM.

Regiſtrato in Libro a carte 364. al Num. 2601.

*Davidde Marcheſini Segretario.*

Regiſtrato al Magiſtrato della Beſtemmia in libro a carte 5.

*Andrea Grattarol Segretario.*

---

# NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

COncediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* di poter riſtampare il Libro intitolato: *Theologia Moralis Univerſa P. Gabrielis Antoine &c.*, *a P. Dominico Manſi Archiepiſc. Lucenſi Medullitus inſpecta* &c., oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 27. Ottobre 1774.

( ANDREA QUERINI RIFORM.
( GIROLAMO GRIMANI RIFORM.
( SEBASTIAN FOSCARINI CAV. RIFORM.

Regiſtrato in Libro a Carte 171. al Num. 142.

*Davidde Marcheſini Segretario.*

FONDO BIBLIOTECA PUBLICA DEL ESTADO DE NUEVO LEON
132585
MICROFILMADO



# INDEX.

## TOMI TERTII PARS PRIMA.

### TRACTATUS
De Sacramentis in genere.

CAP. I. *DE natura Sacramentorum Novæ Legis.* Pag. 1
CAP. II. *De Miniſtro Sacramentorum.* 3
CAP. III. *De diſpoſitione neceſſaria in recipiente Sacramentum.* 10

### TRACTATUS
De Baptiſmo.

*QUæſtiones variæ de Baptiſmo.* 13
*Caſus de Baptiſmo in Epiſtola Benedicti XIV. ad Archiep. Tarſenſem propoſiti, ſolutique.* ibid.
§. I. *De infantibus in extremo vitæ periculo conſtitutis.* 21
§. II. *De infantibus expoſitis.* ibid.
§. III. *Declarationes circa caſus præmiſſos.* 22
§. IV. *De Patre Hebræo, qui ſe Religionem Catholicam amplecti velle prædicet, ac ſe filioſque baptizandos offerat; poſtea vero ſui ſe conſilii pœniteat, abnuatque filium baptizari.* 23
§. V. *De Infidelibus, qui baptiſmum recipiunt ob bonum aliquod temporale.* ibid.
§. VI. *Non eſſe conferendum Baptiſmum, ubi adſit periculum perverſionis.* ibid.
§. VII. *In caſibus illicitis collatum Baptiſmum validum eſſe.* 24

APPENDIX.

*De Orientalis Eccleſiæ in Baptiſmo conferendo diſciplina.* 25
§. I. *De materia Baptiſmi.* ibid.
§. II. *De Forma.* 26
§. III. *De Baptiſmatis Miniſtro, atque ſubjecto.* 28
§. IV. *De cæremoniis ad Baptiſma pertinentibus.* 29

### TRACTATUS
De Confirmatione.

*SYnopſis doctrinæ de Confirmatione.* 31

APPENDIX.

*De Orientalis Eccleſiæ circa Confirmationem diſciplina.* 32
§. I. *De Materia.* 33
§. II. *De Forma.* 34
§. III. *De Miniſtro.* 37
§. IV. *De Confirmationis ſubjecto.* 40

### TRACTATUS
De Euchariſtia.

CAP. I. *DE Materia, & Forma Euchariſtiæ.* 41
CAP. II. *De præcepto Euchariſtiæ, ejus effectu, diſpoſitione.* 45
CAP. III. *De Miſſæ Sacrificio.* 52

APPENDIX.

*De Orientalis Eccleſiæ circa Euchariſtiam diſciplina.* 59
§. I. *De Materia.* ibid.
§. II. *De Forma.* 65
§. III. *De Euchariſtia, ejuſque Miniſtro, & ſubjecto.* 73
§. IV. *De Sacra Liturgia, ſive Miſſa.* 76

### TRACTATUS
De Pœnitentiæ Sacramento.

CAP. I. *DE materia Sacramenti Pœnitentiæ.* 79
ART. I. *De Contritione.* 80
*Summa diſputationis de Contritione, & Attritione.* 81
ART. II. *De Confeſſione.* 86
ART. III. *De Satisfactione.* 97

AP-

APPENDIX.

*Referuntur præcipui Canones Pœnitentiales ſecundum ordinem Decalogi, ex variis Conciliis, & libris pœnitentiariis collecti in Inſtructione S. Caroli.* 101
*Circa I. II. Præceptum.* ibid.
*Circa III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. Præceptum.* 102
CAP. II. *De forma Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu Abſolutione.* 104
CAP. III. *De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.* 105
ART. I. *De poteſtate requiſita in Miniſtro Pœnitentiæ.* ibid.
ART. II. *De caſibus reſervatis.* 110
ART. III. *De Obligationibus Confeſſarii.* 113
CAP. IV. *De Sigillo Confeſſionis.* 125

APPENDIX.

*De Sollicitatione.* 130
Conſtitutio Benedictus Epiſcopus. ibid.
*Declaratio ſuper Coſtitutione &c.* 136
*Decretum contra ſollicitantes, & Sacrificio Miſſæ &c.* 137

APPENDIX.

*De Indulgentiis.* 138
*Decretum de Indulgentiis a Sac. Cong. editum auctoritate SS. D. N.* CLEMENTIS XIII. 139

APPENDIX.

*De Orientalis Eccleſiæ circa Pœnitentiam diſciplina.* 140
§. I. *De iis, quæ ad materiam ſpectant.* 141
§. II. *De Forma.* 143
§. III. *De miniſtro Pœnitentiæ.* 144

TRACTATUS

De Extrema Unctione.

*Quæſtiones aliquæ de Extrema Unctione.* 148 & ſeq.

APPENDIX.

*De Orientalis Eccleſiæ circa Extremam Unctionem diſciplina.* 153
§. I. *De Materia.* ibid.
§. II. *De Forma.* 154
§. III. *De Miniſtro.* ibid.
§. IV. *De Extremæ Unctionis ſubjecto.* 155

TRACTATUS

De Ordine.

*Quæſtiones variæ de Ordine.* 157

APPENDIX.

*De univerſæ Orientalis Eccleſiæ circa Ordinem diſciplina.* 159
§. I. *De numero Ordinum, quos Orientales admittunt.* ibid.
§. II. *De materia, & forma.* 162
§. III. *De Ordinandorum ætate, de aliis quæ ad rite ſuſcipiendos Ordines deſiderantur, deque obligatione Ordinibus adnexa.* 164
§. IV. *De Miniſtro.* 167






# TRACTATUS
## DE SACRAMENTIS IN GENERE.

### CAPUT PRIMUM.

*De natura Sacramentorum Novæ Legis.*

Quæſt. I. *Quid, & quotuplex eſt Sacramentum?*

*Reſp.* Sacramentum generice ſumptum, eſt ſignum ſenſibile gratiæ ſanctificantis permanenter a Deo inſtitutum. Sacramentum vero novæ Legis eſt ſignum ſenſibile, permanenter a Chriſto inſtitutum ad ſignificandam & producendam gratiam ſanctificantem ex opere operato: unde in eo maxime differt a Sacramentis antiquæ Legis, quod hæc non cauſſarent gratiam ex opere opere operato, ſed tantum illam ſignificarent nobis dandam per Paſſionem Chriſti, ut docet Concil. Florentinum.

Sacramenta novæ Legis ſunt ſeptem, non plura nec pauciora, videlicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. *Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 1.*

Quæſt. II. *Quibuſnam Sacramenta eſſentialiter perficiuntur?*

*Reſp. Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia; quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.* Conc. Florent. in decreto de Sacram. & conſtat etiam ex Traditione, & perpetua praxi Eccleſiæ.

Porro materia Sacramenti dicitur id quod in Sacramento minus perfecte ſignificat ejus effectum: unde debet determinari per aliud ad eum perfecte ſignificandum. Duplex eſt materia, nempe remota, & proxima. Materia remota eſt res, quæ adhibetur, ut aqua in Baptiſmo. Proxima eſt uſus ſeu applicatio talis rei, ut ablutio. Forma vero eſt aliquid ſenſibile, quod clarius effectum Sacramenti indicat & determinat, ac perficit ſignificationem materiæ obſcuram, nec ſatis determinatam. Verba autem ſtricte ſumpta, ſeu vocalia, ſunt forma eſſentialis in omnibus Sacramentis, ſaltem præter Matrimonium, quod juxta communem ſententiam poteſt perfici ſine benedictione Sacerdotis, ſed ſola ſcriptura, vel nutu exprimente mutuum conſenſum, quæ ſunt verba virtualia, in quantum ſunt expreſſiva conſenſus, & ſufficiunt in contractibus; quia, cum hoc Sacramentum conſiſtat adæquate in contractu matrimoniali, quem Chriſtus evexit ad eſſe Sacramenti, nihil ad ejus valorem requiritur, niſi quod ad legitimum contractum neceſſarium eſt. Unde in decreto citato dicitur Matrimonium effici mutuo contrahentium conſenſu *regulariter* per verba de præſenti expreſſo. Aliud eſt de ſex aliis: ut conſtat ex Traditione, & praxi Eccleſiæ.

Quæſt. III. *Qualis unio inter materiam, & formam requiritur ad valorem Sacramenti?*

*Reſp.* Requiritur utriuſque coexiſtentia, ſeu ſimultas moralis, quæ ſecundum ſignificationem verborum formæ, & qualitatem actionis, per quam Sacramentum fit, ſufficiat tum ad veritatem formæ; tum ut verba cenſeantur cadere ſuper talem materiam, & cum illa unum totale ſignum conſtituere. Sic in Baptiſmo requiritur talis conjunctio, ut dum mini-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

APPENDIX.

*Referuntur præcipui Canones Pœnitentiales ſecundum ordinem Decalogi, ex variis Conciliis, & libris pœnitentiariis collecti in Inſtructione S. Caroli.* 101
*Circa I. II. Præceptum.* ibid.
*Circa III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. Præceptum.* 102
CAP. II. *De forma Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu Abſolutione.* 104
CAP. III. *De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.* 105
ART. I. *De poteſtate requiſita in Miniſtro Pœnitentiæ.* ibid.
ART. II. *De caſibus reſervatis.* 110
ART. III. *De Obligationibus Confeſſarii.* 113
CAP. IV. *De Sigillo Confeſſionis.* 125

APPENDIX.

*De Sollicitatione.* 130
Conſtitutio Benedictus Epiſcopus. ibid.
*Declaratio ſuper Coſtitutione &c.* 136
*Decretum contra ſollicitantes, & Sacrificio Miſſæ &c.* 137

APPENDIX.

*De Indulgentiis.* 138
*Decretum de Indulgentiis a Sac. Cong. editum auctoritate SS. D. N.* CLEMENTIS XIII. 139

APPENDIX.

*De Orientalis Eccleſiæ circa Pœnitentiam diſciplina.* 140
§. I. *De iis, quæ ad materiam ſpectant.* 141
§. II. *De Forma.* 143
§. III. *De miniſtro Pœnitentiæ.* 144

TRACTATUS

De Extrema Unctione.

QUæſtiones aliquæ de Extrema Unctione. 148 & ſeq.

APPENDIX.

*De Orientalis Eccleſiæ circa Extremam Unctionem diſciplina.* 153
§. I. *De Materia.* ibid.
§. II. *De Forma.* 154
§. III. *De Miniſtro.* ibid.
§. IV. *De Extremæ Unctionis ſubjecto.* 155

TRACTATUS

De Ordine.

QUæſtiones variæ de Ordine. 157

APPENDIX.

*De univerſæ Orientalis Eccleſiæ circa Ordinem diſciplina.* 159
§. I. *De numero Ordinum, quos Orientales admittunt.* ibid.
§. II. *De materia, & forma.* 162
§. III. *De Ordinandorum ætate, de aliis quæ ad rite ſuſcipiendos Ordines deſiderantur, deque obligatione Ordinibus adnexa.* 164
§. IV. *De Miniſtro.* 167

TRA-




# TRACTATUS
## DE SACRAMENTIS IN GENERE.

### CAPUT PRIMUM.

*De natura Sacramentorum Novæ Legis.*

Quæſt. I. QUid, & quotuplex eſt Sacramentum?

*Reſp.* Sacramentum generice ſumptum, eſt ſignum ſenſibile gratiæ ſanctificantis permanenter a Deo inſtitutum. Sacramentum vero novæ Legis eſt ſignum ſenſibile, permanenter a Chriſto inſtitutum ad ſignificandam & producendam gratiam ſanctificantem ex opere operato: unde in eo maxime differt a Sacramentis antiquæ Legis, quod hæc non cauſſarent gratiam ex opere opere operato, ſed tantum illam ſignificarent nobis dandam per Paſſionem Chriſti, ut docet Concil. Florentinum.

Sacramenta novæ Legis ſunt ſeptem, non plura nec pauciora, videlicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. *Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 1.*

Quæſt. II. *Quibuſnam Sacramenta eſſentialiter perficiuntur?*

*Reſp. Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia; quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.* Conc. Florent. in decreto de Sacram. & conſtat etiam ex Traditione, & perpetua praxi Eccleſiæ.

Porro materia Sacramenti dicitur id quod in Sacramento minus perfecte ſignificat ejus effectum: unde debet determinari per aliud ad eum perfecte ſignificandum. Duplex eſt materia, nempe remota, & proxima. Materia remota eſt res, quæ adhibetur, ut aqua in Baptiſmo. Proxima eſt uſus ſeu applicatio talis rei, ut ablutio. Forma vero eſt aliquid ſenſibile, quod clarius effectum Sacramenti indicat & determinat, ac perficit ſignificationem materiæ obſcuram, nec ſatis determinatam. Verba autem ſtricte ſumpta, ſeu vocalia, ſunt forma eſſentialis in omnibus Sacramentis, ſaltem præter Matrimonium, quod juxta communem ſententiam poteſt perfici ſine benedictione Sacerdotis, ſed ſola ſcriptura, vel nutu exprimente mutuum conſenſum, quæ ſunt verba virtualia, in quantum ſunt expreſſiva conſenſus, & ſufficiunt in contractibus; quia, cum hoc Sacramentum conſiſtat adæquate in contractu matrimoniali, quem Chriſtus evexit ad eſſe Sacramenti, nihil ad ejus valorem requiritur, niſi quod ad legitimum contractum neceſſarium eſt. Unde in decreto citato dicitur Matrimonium effici mutuo contrahentium conſenſu *regulariter* per verba de præſenti expreſſo. Aliud eſt de ſex aliis: ut conſtat ex Traditione, & praxi Eccleſiæ.

Quæſt. III. *Qualis unio inter materiam, & formam requiritur ad valorem Sacramenti?*

*Reſp.* Requiritur utriuſque coexiſtentia, ſeu ſimultas moralis, quæ ſecundum ſignificationem verborum formæ, & qualitatem actionis, per quam Sacramentum fit, ſufficiat tum ad veritatem formæ; tum ut verba cenſeantur cadere ſuper talem materiam, & cum illa unum totale ſignum conſtituere. Sic in Baptiſmo requiritur talis conjunctio, ut dum mini-

miniſter verba profert, cenſeatur moraliter etiam lavare. Hæc autem unio moralis ſufficit, quia Sacramentum eſt compoſitum quoddam morale, conficiendum ab hominibus, ideoque more humano; & major non eſt ſæpe poſſibilis moraliter: unde ſi exigeretur Sacramenta ſæpe irrita forent.

Porro hæc unio diverſa eſt pro diverſitate Sacramentorum: nam requiritur major in Baptiſmo, ob formam exprimentem ablutionem actualem, & major in confectione Euchariſtiæ, cum forma ſit demonſtrativa Corporis Chriſti ſub accidentibus panis & vini, quorum ſubſtantiam deſtruit.

Sacramentum vero Pœnitentiæ non exigit tam ſtrictam unionem, quia inſtitutum eſt per modum judicii, in quo ſententia non ſemper ſtatim ſequitur cauſſæ examen. In Matrimonio unius conſenſus poteſt alterius conſenſum tamdiu ſequi, quamdiu hic moraliter perſeverare cenſetur, ſicut in aliis contractibus, quia fundatur in natura contractus. Tamen quoad praxim materia & forma, quantum fieri poteſt, ſimul ſunt conjungendæ.

Quæſt. IV. *Quænam mutatio materiæ, vel formæ irritat Sacramentum?*

*Reſp.* Quævis mutatio ſubſtantialis in materia vel forma invalidat Sacramentum; quia tollit materiam, vel formam, quam Chriſtus inſtituit. Accidentalis vero non irritat, quia cum tali mutatione manent materia & forma, quales Chriſtus inſtituit. Sed circa hoc obſervanda ſunt ſequentia.

1. Mutatio materiæ eſt ſubſtantialis, quando materia, nomine & re, ſecundum communem æſtimationem & uſum, differt ab ea, quam Chriſtus inſtituit, & Eccleſia uſurpat, ita ut in ordine ad uſus humanos, & prout ſub tali nomine uſurpatur, ſit notabilis varietas: ut ſi in Baptiſmo adhibeatur vinum loco aquæ. Mutatio eſt accidentalis, quando materia eſt eadem, re & nomine, cum ea, quam Chriſtus inſtituit; ſed non adhibetur eodem modo, quo Eccleſia adhibet, ut ſi in Baptiſmo adhibeatur ſine neceſſitate aqua cœnoſa, vel non benedicta.

2. Mutatio formæ eſt ſubſtantialis, quando vel non adhibentur verba vocalia, ubi eſſentialiter requiruntur, ut reipſa requiruntur in omnibus, excepto Matrimonio; vel ſi verba vocalia ſic mutantur, ut non maneat ſenſus a Chriſto inſtitutus, ac determinatus tamquam neceſſarius. Quævis vero formæ mutatio, qua non deſtruitur ſenſus a Chriſto inſtitutus, eſt accidentalis.

Quænam autem materia, vel quæ verba requirantur ad eſſentiam Sacramenti, cognoſcimus ex uſu & doctrina Eccleſiæ, quæ cum ſit *columna ac firmamentum veritatis*, non poteſt errare in iis, quæ ad fidem, bonos mores, ad Sacramenta, & generalem diſciplinam, ac Dei cultum pertinent.

3. Senſus verborum in æquivocatione ab intentione proferentis pendet. Hinc hæc forma, *Ego te baptizo in nomine parentis &c.* habet bonum ſenſum, ſi proferens per to *parentis*, patrem intelligat, malum ſi matrem. Sed extra æquivocationem ſenſus verborum non pendet ab intentione proferentis. Hinc valebat baptiſmus Arianorum quamvis circa formam male ſentirent, quia illam recte pronuntiabant. E contra ille non baptizaret valide, qui uteretur verbis nihil ſignificantibus, vel aliquid aliud, etſi per illa intenderet verum ſenſum, quia in actione publica, qualis eſt Baptiſmus, verba ſignificant ſecundum communem & uſitatam acceptionem.

4. Mutatio verborum ſex modis fieri poteſt, nimirum per additionem, vel detractionem alicujus vocis, poſitionem unius vocis loco alterius, corruptionem alicujus vocis, detrahendo, vel mutando aliquam ſyllabam, tranſpoſitionem, & interruptionem, pronuntiando ſcilicet unam partem formæ, ac deinde quieſcendo per aliquod tempus, vel loquendo aliquid aliud, & demum perficiendo formæ prolationem: Quoties igitur aliquo ex modis illis ita mutantur verba, ut pereat ſenſus a Chriſto intentus, mutatur ſubſtantialiter vera forma: ſecus, ſi hic ſenſus maneat. Hinc verba corrupte pronuntiata ex imperitia, balbutie, linguæ præcipitantia, aliove ſimili vitio, non tollunt ſenſum ſubſtantialem, ſi adhuc ſic proferantur, ut omnibus ſpectatis eumdem ſenſum animis audientium ingenerent, quem recte prolata; ſecus, ſi fiat contrarium. Sic hæc corruptio verborum ex ſola ignorantia linguæ prolatorum, *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta*, non deſtruit verum ſenſum: unde Zacharias Papa, cap. 86. de conſecr. diſt. 4. declaravit, Baptiſmum ſic collatum ſine animo introducendi errorem, valuiſſe; alioqui enim cenſeretur non intendiſſe facere id quod facit vera Eccleſia. Quiſque tamen tenetur diligentiam magnam adhibere, ut formam Sacramentorum recte, integre, & diſtincte pronunciet, tum ob reverentiam Sacramento debitam, tum etiam ob periculum corruptionis.

5. Interruptio deſtruit verum ſenſum, ideoque ſubſtantiam formæ, quoties tollit unitatem moralem formæ, ut ſi quis dicat: *Ego te baptizo*, nec niſi recitato uno Pſalmo proſequatur, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; ſecus, ſi non tollat. Hinc verborum interruptio, quæ tam brevis eſt, ut morali judicio verba adhuc faciant unam orationem, non adimit ſenſum formæ, ut ſi baptizans, poſtquam dixit, *Ego te baptizo*, tuſſiat, vel aliis dicat, *ſilete*, ac deinde, addat, *in nomine Patris &c.* Qualis autem & quanta interruptio tollat unitatem moralem orationis, hoc debet exiſtimari ſecundum judicium prudens, ex circumſtantiis, modo, ac duratione interruptionis: nam res moralis, qualis eſt iſta, ex prudenti æſtimatione pendet. Illicita tamen eſt quævis interruptio facta ſine neceſſitate, cum ſit contra uſum Eccleſiæ, & reverentiam Sacramento debitam.

Quæſt. V. *Quale eſt peccatum mutare materiam vel formam?*

*Reſp.* 1. Mutare alterutram ſubſtantialiter, eſt peccatum mortale, 1. Contra religionem; nam eſt gravis irreverentia in Chriſtum auctorem Sacramentorum, agendo contra ejus inſtitutionem in re gravi, eamque pervertendo, nec ponendo omnia, quæ voluit poni ad gratiam efficiendam; eſtque ipſo facto irriſio quædam rei maxime ſacræ. 2. Contra caritatem, voluntarie privando proximum gravi bono ſpirituali. 3. Contra juſtitiam: nam hoc ipſo quod quis miniſtrare vult, tacite promittit, & ſe obligat ad adminiſtrandum, ſicuti res exigit, & in utilitatem ſuſcipientis.

*Reſp.* 2. Eſt etiam mortale, alterutram mutare accidentaliter, ſi mutatio ſit notabilis & abſque neceſſitate, ex Concil. Trid. ſeſſ. 7. cap. 13. Quia fieret contra præceptum Eccleſiæ, & uſum ejus vim legis



legis habentem, in re gravi ad religionem pertinente. Unde Miſſale Romanum *de defect.* ait, eum graviſſime peccaturum, qui aliquid formæ Euchariſtiæ adderet, quod tamen ſignificationem non mutaret. Immo quamvis mutatio ſit in ſe levis, ſi fiat ex contemptu, vel ex animo inducendi uſum contrarium ritui Eccleſiæ, aut ex ſimili intentione ſchiſmatica; nam tunc contemnitur Eccleſia, & Spiritus Sanctus, quo regitur, & cujus inſtinctu res illas inſtituit. Item ſi fiat cum ſcandalo, aut periculo errandi circa ſubſtantialia. Ita paſſim Doctores, qui addunt, mutationem accidentalem, his ſecluſis, poſſe eſſe venialem ob levitatem materiæ.

Quæſt. VI. *An liceat aliquando uti materia aut forma dubia, vel probabili tantum in Sacramentis?*

*Reſp.* 1. Extra neceſſitatem proximi tenemur ſemper ſub mortali in iis, quæ pertinent ad efficaciam, vel valorem ſacramenti, ſequi in praxi ſententiam tutiorem probabilem, relicta oppoſita etiam probabiliore. Ita Suarez, & alii. Quia alioquin exponeretur ſine neceſſitate Sacramentum periculo nullitatis: nam valor & efficacia Sacramenti pendet a ſola inſtitutione Chriſti, & nullatenus ab opinione hominum quantumvis probabili, quæ immutare & ſupplere non poteſt id quod Chriſtus voluit eſſe neceſſarium ad valorem & effectum Sacramenti. Nec ignorantia invincibilis, licet excuſet a culpa, poteſt defectum rei ad valorem actus requiſitæ ſupplere. Ergo ſi opinio, etſi probabilior, falſa ſit, ut poteſt eſſe, & ni reipſa ponantur & adſint omnia, quæ Chriſtus inſtituit ac exigit, Sacramentum erit invalidum & ſine effectu.

Quare qui utitur materia, vel forma non certa, quando poteſt certam adhibere, peccat mortaliter. 1. Contra religionem, ſine neceſſitate exponendo Sacramentum periculo nullitatis, & inefficaciæ: quod gravis eſt irreverentia in Chriſtum ejus auctorem, ejus nomine exercendo actionem eo modo, quo probabile eſt, non poſſe habere effectum, nec rationem Sacramentalem, ideoque eſſe inanem. Eſtque per ſe quidam contemptus, ſeu irriſio rerum divinarum. 2. Contra caritatem: nam ſine juſta cauſſa exponit proximum jacturæ maximi boni, quod percipitur ex Sacramento valido, cum poſſit illi talem fructum certo conferre. 3. Contra juſtitiam, præſertim ſi ſit Paſtor: nam proximus habet jus, ut Sacramentum ſibi modo, quantum fieri poteſt, certo & infallibili adminiſtretur, eo ipſo quod ſe ad illud ſuſcipiendum ſubmittit; & Sacerdos hoc ipſo, quod miniſtrare vult, ſe obligat tacite ad dandum quod petitur, Sacramentum ſcilicet certo validum; alioquin alius quæreretur.

Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis, ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, vel periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.*

*Reſp.* 2. Tenetur ſub mortali ſuſcipiens ſequi in praxi ſententiam tutiorem probabilem, relicta oppoſita, etſi vere probabili, in iis quæ ex parte ipſius requiruntur ad valorem, vel effectum Sacramenti. Quia alias exponeret Sacramentum periculo nullitatis, vel inefficaciæ, ob rationem allatam, quod eſt grave ſacrilegium; nam ſicut reddere Sacramentum nullum, aut illud effectu ſuo privare, eſt gravis irreverentia in Chriſtum, cum Sacramentum ſit moraliter actio Chriſti; ita & ſe exponere periculo id faciendi, & utrumque eodem præcepto religionis prohibetur.

*Reſp.* 3. Tenemur in neceſſitate extrema proximi illi adminiſtrare Sacramentum cum materia, vel diſpoſitione probabili tantum, vel etiam dubia, dum certa haberi non poteſt. Nam lex caritatis præcipit, ut in extrema neceſſitate proximi illi opitulemur meliori modo, quo poſſumus: ſed medium probabile, vel dubium melius eſt nullo. Nec tunc fit irreverentia Chriſto, vel Sacramento; quia cum Chriſtus illud inſtituerit pro hominum ſalute, vult ut magis provideamus ſecuritati ſalutis proximi, quam Sacramenti, dum utriuſque periculum vitari nequit. Quare in tali neceſſitate vult, ut ſuccurramus proximo, etiam cum periculo nullitatis Sacramenti, adhibendo tamen probabiliorem tutioremque materiam, quæ adhiberi poteſt; & vero lex caritatis prævalet religioni.

Porro hoc locum habet dumtaxat in Sacramentis, quæ ſunt de neceſſitate medii, nempe Baptiſmo & Pœnitentia. Quia non licet Sacramentum ullum exponere periculo nullitatis, niſi cum alioqui homo exponeretur damnationis æternæ periculo. Hinc nunquam licet adhibere materiam dubiam in Euchariſtia, Ordine &c.

Quæſt. VII. *An licet ſupra eamdem materiam repetere formam?*

*Reſp.* Non licet, niſi ſit dubium rationabile de validitate formæ jam prolatæ, vel de ejus prolatione. Quia tunc fruſtra adhiberetur altera formæ prolatio cum irreverentia Sacramenti. Quod ſi tale dubium adſit, debet forma iterari ſub conditione, ne Sacramentum maneat irritum, cum illius irreverentia, ac damno proximi. Dubium autem imprudens, quale ſolet eſſe in ſcrupuloſis, non ſufficit, ſed contemnendum eſt. Mortale quippe eſt ex ſe, formam Sacramenti ſine neceſſitate ſuper eadem materia repetere; quia hæc ſecunda forma eſt inutilis, nec ſine virtuali & interpretativa irriſione ſic fruſtra proferri poteſt.

## CAPUT II.

### *De Miniſtro Sacramentorum.*

HOc nomine intelligitur idoneus effector Sacramenti. Conſtat, ſolos homines ratione utentes eſſe miniſtros Sacramentorum ordinarios: nam eos ſolos Chriſtus ad hoc munus deſignavit. Non omnes tamen homines poſſunt eſſe omnium miniſtri; nam laici non poſſunt valide efficere niſi Baptiſmum & Matrimonium, ut conſtat ea perpetua Traditione & praxi Eccleſiæ.

Quæſt. I. *An requiritur intentio faciendi Sacramentum?*

*Nota.* Conſentiunt omnes Catholici, 1. Non requiri intentionem explicitam conferendi gratiam: quia Sacramentum agit ut cauſſa neceſſaria; quæ indiget ſola applicatione, non autem ut applicans cogitet de effectu. Et alioqui nullus eſſet Baptiſmus collatus ab hæretico, negante gratiam per illum conferri.

2. Non ſufficere intentionem ponendi ritum ex-

ternum Sacramenti quomodocumque etiam jocoſe & irriſorie: nam hic error Lutheri a Leone X. & a Conc. Trid. damnatus eſt.

3. Certum eſſe teneri miniſtrum ſub mortali habere internam volitionem vere faciendi Sacramentum, ſeu id quod facit Eccleſia, vel id quod inſtituit Chriſtus, ſaltem confuſam & implicitam: quia illicitum eſt in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore. Sed ſententia afferens, talem intentionem requiri ad valorem, eſt tutior, immo ſola tuta, & ſaltem probabilior; aut tam probabilis quam negans, quæ non eſt tuta; nam cum poſſit eſſe falſa, eam ſequens committit ſe periculo faciendi Sacramentum nullum.

4. Ad valorem Sacramenti non (*) requiri intentionem faciendi, quod facit Eccleſia Romana, quamvis ſola ſit vera Eccleſia Chriſti: ſed ſufficere intentionem faciendi, quod facit vera Eccleſia, quæcumque illa ſit, immo faciendi quod facit Eccleſia aliqua particularis, v.g. Lutherana, modo putetur vera, quamvis reipſa ſit falſa. Quia tunc eſt intentio implicita ac virtualis faciendi, quod facit vera Eccleſia; neque error ſpeculativus circa veram Eccleſiam, ut nec circa efficaciam & effectum, aut inſtitutionem Sacramenti, impedit hujus valorem ex parte miniſtri: nam hæreticus vere baptizat, & tamen non credit, Eccleſiam Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

*Reſp.* Ad valorem Sacramenti requiritur intentio vere & ſerio faciendi Sacramentum, ſaltem implicita & generalis, qua miniſter intendat facere id quod Eccleſia moraliter facit per ritum externum, vel quod Chriſtus inſtituit; nec ſufficit intentio ponendi exterius dumtaxat ritum externum, ut aliqui dicunt.

*Prob.* 1. Ex Concilio Florentino, in decreto pro Armenis, ubi dicitur: *Hæc omnia Sacramenta* (Novæ legis) *tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia. Quorum ſi aliquod deſit, non perficitur Sacramentum.* Ergo ex Conc. ad efficiendum Sacramentum requiritur intentio faciendi quod facit Eccleſia, materiam ſcilicet & formam adhibendo per ſuos miniſtros. Sed id quod Eccleſia facit, materiam & formam adhibendo per ſuos miniſtros, eſt Sacramentum. Ergo ex Concilio ad efficiendum Sacramentum requiritur intentio illius faciendi. Quod etiam patet ex §. ſequenti, ubi dicit, quemlibet etiam paganum & hæreticum valide baptizare, *dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia*, immediate ſcilicet. Quibus verbis præter voluntatem ponendi ritum externum requirit etiam intentionem faciendi, quod facit Eccleſia; & hæc duo inter ſe diſtinguit. Ergo intendere facere quod facit Eccleſia, non eſt præciſe velle ponere ritum externum; ſed eſt velle illum ponere, ut religioſum & Sacramentalem, ſeu ut ſignum inſtitutum ad ſignificandam & efficiendam gratiam.

*Prob.* 2. Conc. Trid. ſeſſ. 7. cap. 11. *Si quis dixerit in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, anathema ſit.* Sed Eccleſia per ſuos miniſtros facit Sacramentum, & non tantum ponit ritum externum. Ergo requiritur intentio faciendi Sacramentum, ſeu actionem Sacramentalem.

Item Conc. Trid. per intentionem faciendi quod facit Eccleſia, intelligit, quod facit Eccleſia immediate nomine & auctoritate Chriſti: ideoque intelligit quod facit Eccleſia per poteſtatem miniſterialem acceptam a Chriſto. Sed Eccleſia per poteſtatem miniſterialem acceptam a Chriſto facit ſignificationem & efficaciam Sacramentalem, ſicut per potentiam naturalem facit ritum externum. Ergo cum Trid. Conc. definit, requiri intentionem faciendi quod facit Eccleſia, intelligit requiri intentionem faciendi ſignificationem & efficaciam Sacramentalem, ſeu ritum externum ut Sacramentum; intentionem, inquam, ſaltem generalem & confuſam.

Præterea Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 6. declarat, pœnitentem non eſſe vere & coram Deo abſolutum, *ſi Sacerdoti animus ſerio agendi, & vere abſolvendi deſit.* Ergo ad validam abſolutionem, præter intentionem ſerio ponendi ritum externum, ſeu proferendi verba abſolutionis, requirit intentionem vere abſolvendi; nam hæc duo manifeſte diſtinguit. Intentio autem vere abſolvendi eſt intentio vere conferendi Sacramentum Pœnitentiæ. At eadem eſt ratio de omnibus aliis Sacramentis. Ergo in omnibus Sacramentis requiritur intentio faciendi Sacramentum. Quare Suarez tom. 3. in 3. p. S. Thom. q. 64. diſp. 13. ſect. 2. ſic ait: *Exiſtimo contrariam ſententiam non poſſe jam* (poſt definitionem Trid. Concil.) *tuto defendi, nec ſine errore.*

*Prob.* 3. Auctoritate Summi Pontificis Alexandri VII. qui damnavit hanc propoſitionem: *Valet Baptiſmus collatus a miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit: Non intendo facere, quod facit Eccleſia.* Ergo ſine nullitate Sacramenti non poteſt excludi intentio interna faciendi, quod facit Eccleſia, quamvis ponatur omnis ritus externus. At ſi ad valorem Sacramenti, præter poſitionem omnis ritus externi, non requiritur intentio interna faciendi quod facit Eccleſia, hæc intentio poteſt poſitive excludi ſine nullitate Sacramenti; nam excluſio ejus, quod non requiritur ad valorem Sacramenti, non poteſt illud irritare: cum valeat Sacramentum ſine poſitione & cum excluſione eorum, quæ ad ejus valorem non requiruntur. Ergo ad valorem Sacramenti Baptiſmi, ideoque aliorum omnium, præter poſitionem omnis ritus externi, requiritur intentio faciendi quod facit Eccleſia. Atqui per intentionem faciendi quod facit Eccleſia, intelligitur intentio interna faciendi Sacramentum: nam non intelligitur intentio ponendi ritum externum, cum in propoſitione damnata jam ſupponatur hæc intentio; ſiquidem agitur de miniſtro, *qui omnem ritum externum, formamque Baptiſmi obſervat*, libere, ſcilicet, & voluntarie, proindeque habet voluntatem obſervandi omnem ritum externum.

*Prob.* 4. Ratione. Quia Chriſtus Sacramentorum miniſtros inſtituit, non ut meros nuncios deferentes voluntatem Domini, ſed ut veros miniſtros, qui libere utantur poteſtate miniſteriali ſibi data. *Sic*

nos

(*) *Abſolute requiri ad valide efficiendum.*



*nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*, ait Paulus, 1. Corint. 4. Atqui miniſter non utitur libere poteſtate miniſteriali, niſi velit ea uti, & non vult ea uti, niſi cum vult per illam producere effectum ſibi proprium, nempe Sacramentum, quod eſt ſane effectus proprius poteſtatis miniſterialis circa Sacramenta: ſicut nemo vult uti poteſtate naturali, niſi cum vult per illam producere effectum ipſi proprium. Ergo.

Præterea confectio Sacramenti eſt actio moralis Sacramentalis: nam Chriſtus ſic inſtituit Sacramenta, ut procedant ex poteſtate data miniſtris tamquam actiones eorum morales, ita ut dicantur vere remittere peccata, abſolvere, conſecrare &c. ut Jo. c. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Et Luc. c. 22. *Hoc facite in meam commemorationem &c.* At actio moralis Sacramentalis debet eſſe intenta ut talis. Ergo.

✠ Vid. cit. opus de Synodo Diœceſana lib. VII. c. 4. in quo perſpicue exponitur diſcrimen, quod verſatur inter Novatorum hæreſim, ac orthodoxas opiniones, atque concluditur, probatam ab Auct. noſtro opinionem probabiliorem eſſe illa, quam cum Catherino plures Theologi tuentur, ſequentibus verbis. *Verum, utut hæc res coram Deo ſe habeat, nulla uſque adhuc de ea emanavit expreſſa Apoſtolicæ Sedis definitio. Quamvis igitur communior ſit ſententia exigens in Miniſtro intentionem, vel actualem, vel virtualem faciendi, non ſolum ritum externum, ſed id quod Chriſtus inſtituit, ſeu quod facit Eccleſia, & hæc veluti tutior ſit omnino ſervanda in praxi, non eſt tamen Epiſcopi, priorem opinionem reprobare, atque ad hanc poſteriorem etiam theorice tuendam ſuos Diœceſanos adigere: cauſſas quippe majores, difficilioreſque quæſtiones, Fidem, aut diſciplinam ſpectantes, ad Apoſtolicam Sedem deferendas, ſtatuit perpetua Eccleſiæ conſuetudo ab Innocentio III. in cap. Majores de Baptiſmo confirmata. Quare, ſi conſtet, quempiam, aut Baptiſmum contuliſſe, aut aliud Sacramentum ex iis, quæ iterari nequeunt administraſſe omni adhibito externo ritu, ſed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi, quod facit Eccleſia, urgente quidem neceſſitate, erit Sacramentum iterum ſub conditione perficiendum; ſi autem res moram patiatur, Sedis Apoſtolicæ oraculum erit exquirendum, quemadmodum ad Severum Scholaſticum Conſtantinopolitanum faciendum ſcripſit Ferrandus Eccleſiæ Carthaginienſis Diaconus in difficili quæſtione, qua tunc Eccleſia fatigabatur, doctis, indoctiſque in varias partes ſciſſis, inquiens:* Interroga, vir prudentiſſime, ſi quid veritatis cupis audire, principaliter Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem, cujus ſana doctrina conſtat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis (*to. 4. Biblioth. PP. pag. 309.*) *quod ſemel monitum volumus, ut regula ſit, etiam pro aliis controverſiis, quas mox commemorabimus.* ✠

Quæſt. II. *Qualis debet eſſe intentio Miniſtri?*

*Nota.* Intentio eſt actus voluntatis deliberatus, quo quis aliquid intendit ſeu vult aſſequi. Sive eſt volitio alicujus finis. Hic per intentionem intelligitur volitio faciendi Sacramentum, ex quocumque motivo procedat. Dividitur, 1. In explicitam, ſeu expreſſam, qua aliquid in ſe diſtincte cognitum volumus; & in implicitam, ſeu confuſam, qua aliquid ſolum confuſe cognitum volumus, volendo ſcilicet aliquid ſub quo, vel in quo continetur. 2. In actualem, virtualem, habitualem, & interpretativam.

Intentio actualis eſt ea, qua quis dum conficit Sacramentum, actu cogitat de Sacramento faciendo, & ſimul vult illud conficere.

Intentio virtualis eſt voluntas formalis faciendi Sacramentum præterita, vi cujus fit Sacramentum mediante una, vel multiplici actione ad illud ordinata, manante a tali intentione, licet tunc mens de Sacramento non cogitet. Dicitur virtualis, quia ex virtute illius licet præteritæ fit Sacramentum. Talis eſt intentio in Sacerdote, qui ex voluntate actuali conſecrandi induit ſe veſtibus Sacris, Miſſam inchoat, ſed paullo poſt diſtrahitur, proſequitur tamen Miſſam, & conſecrat cum diſtractione.

Intentio mere habitualis eſt intentio mere præterita, non retractata, quæ jam neque in ſe, neque in ſua virtute, vel aliquo effectu a ſe relicto exiſtit. Vel juxta aliquos eſt habitus ex pluribus confectionibus Sacramentorum acquiſitus, tribuens voluntati facilitatem & propenſionem ad ſimiles actus in poſterum exercendos; ſive eſt inclinatio ac facilitas orta ex tali habitu.

Interpretativa eſt illa, quæ nec eſt, nec fuit, ſed eſſet, ſi ejus objectum proponeretur voluntati: unde eſt tantum diſpoſitio voluntatis ad intentionem eliciendam, ſi ei proponeretur.

*Reſp.* 1. Ad valorem Sacramenti non requiritur expreſſa & diſtincta intentio faciendi Sacramentum, ſed ſufficit confuſa & implicita, qua quis intendat facere id quod facit Eccleſia Chriſti, aut quod Chriſtus inſtituit, aut quod vidit per parochum fieri, aut quod Chriſtiani faciunt. Conſtat praxi Eccleſiæ, quæ non rebaptizat eos, qui baptizati fuere ab imperitis & rudibus, aut paganis cum debita materia ac forma, licet illi non noverint diſtincte, quid ſit Baptiſmus, aut Sacramentum. Præterea tunc eſt intentio faciendi, quod facit Eccleſia, quam ſolam requirunt Conc. Florent. & Trid.

*Reſp.* 2. Ad valorem Sacramenti non ſufficit intentio mere habitualis. Quia 1. Talis intentio non influit in actionem Sacramentalem, neque hæc vi illius ponitur: ac proinde talis intentio ſe habet ad effectionem Sacramenti perinde ac ſi non eſſet. At requiritur intentio libera in ſe, quæ ſit principium actionis Sacramentalis, & qua poteſtas miniſterialis ad uſum applicetur: nam ſecundum inſtitutionem Chriſti ad Sacramenti effectionem requiritur, ut actio Sacramentalis ſit actio humana, & humano modo exerceatur poteſtas miniſterialis. Et vero alioqui Sacramentum confici poſſet ab amente, dormiente, vel ebrio.

*Reſp.* 3. Neque etiam ſufficit interpretativa. Quia hæc non eſt proprie intentio, ſed ſolum intentionis præſumptio: non eſt intentio, quæ ſit, ſed quæ eſſet, ſi res proponeretur. At intentio, quæ non eſt, nihil efficit, nec poteſt eſſe principium actionis moralis, ac humanæ, quale eſt Sacramentum.

*Reſp.* 4. Quamvis miniſter curare debeat, ut ſemper habeat intentionem actualem ob reverentiam debitam Sacramento; tamen illa non eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti, ſed ad eum ſufficit intentio virtualis.

*Prob.* 1. Ex ſenſu & praxi Eccleſiæ, quæ ut vera approbat Sacramenta ſic collata. 2. Si intentio

actua-

actualis requireretur, Sacramenta ſæpiſſime forent irrita propter inſtabilitatem imaginationis, & frequentes animi evagationes, & quidem plerumque naturaliter inevitabiles. At non eſt credibile, Chriſtum ſic inſtituiſſe Sacramenta, ut ſæpiſſime exponeretur nullitati, & ad illa exegiſſe id quod ſæpe non eſt in poteſtate hominis. 3. Intentio virtualis ſufficit ad faciendum valide actum moralem & humanum, ut patet in contractibus, aliiſque ſimilibus.

Quæſt. III. *An ad valorem Sacramenti requiratur intentio directa, abſoluta & determinata?*

*Nota*. Intentio directa eſt ea, qua aliquid immediate & ſecundum ſe volumus. Talis eſt intentio illius, qui vult præciſe baptizare. Indirecta eſt, qua volumus aliquid non in ſe, & ſecundum ſe immediate, ſed in ejus cauſa, vel in alio cum eo connexo, vel ex quo ſequi prævidetur. Talis eſt intentio illius, qui prævidens, ſe in ebrietate baptizaturum, vult ſe inebriare. Abſoluta eſt ea, qua aliquid abſolute & independenter ab ulla conditione volumus. Conditionata eſt qua aliquid volumus tantum ſub aliqua conditione, & dependenter ab illa.

*Reſp.* 1. Requiritur intentio directa. Quia actio Sacramentalis debet eſſe actio moralis ac libera in ſe, & debet humano modo poni: non ponitur autem humano modo, niſi ponatur vi intentionis liberæ & directæ. Hinc non valet Baptiſmus collatus ab ebrio, vel dormiente, quamvis antea præviderit conferendum in tali ſtatu.

*Reſp.* 2. Intentio faciendi Sacramentum ſub conditione non ſufficit, niſi conditio poſita ſit, priuſquam forma applicetur materiæ, ita ut jam tranſierit in abſolutam, vel illi æquivaleat. Quia ſola intentio abſoluta eſt efficax pro præſenti; voluntas enim conditionata, quamdiu talis eſt, ſuſpenſa manet, & nihil efficit. Unde ſi dum materiæ forma applicatur, intentio miniſtri non ſit abſoluta, aut æquivaleat abſolutæ, poſita jam conditione, non efficit Sacramentum. Neque etiam poſtea efficiet; quia poſtea non erit amplius forma Sacramenti, neque materia: non poteſt autem fieri Sacramentum, niſi utraque adſit.

2 Hinc conditio de præſenti, vel præterito appoſita intentioni, irritat Sacramentum, ſi non ſit impleta, quia deſtruit intentionem: nam voluntas ſub conditione, non poſita conditione, nulla eſt, cum non ſit niſi dependenter ab illa. Non irritat, ſi conditio jam ſit poſita: nam tunc voluntas ſit abſoluta, ſive æquivalet abſolutæ, cum vere extet, nec ſuſpenſa maneat. Conditio vero de futuro ſemper irritat Sacramentum, quia ſuſpendit præſentem intentionem, facitque ut miniſter non habeat abſolute hic & nunc voluntatem faciendi Sacramentum; unde hic & nunc non facit. Sed nec poſtea faciet, cum implebitur conditio; quia tunc deerunt materia & forma. Neque enim miniſter poteſt uſque ad futurum eventum ſuſpendere ſignificationem materiæ & formæ, nec proinde efficaciam Sacramenti, cum utraque a ſola Chriſti inſtitutione pendeat. Excipe Matrimonium, quod valet ſub conditione de futuro, cum ipſa ponetur, ſicut alii contractus; quia eſt verus contractus ad naturam Sacramenti a Chriſto evectus.

*Nota*. Non licet, niſi in neceſſitate, conferre Sacramentum ſub quavis conditione etiam de præſenti & præterito, etſi poſita: quia hoc eſt contra uſum Eccleſiæ, & contra reverentiam Sacramento debitam: nam eſt quædam negatio. At licet in dubio prudenti de valore Baptiſmi, ex ca. 2. *de Bapt.*

3 Valet tamen Sacramentum, excepto Matrimonio, ſi error ſit ſolum ſpeculativus circa perſonam; v. g. ſi abſolvas Petrum putans eſſe Paulum, quia ordinarie eſt & ſemper eſſe debet intentio conferendi Sacramentum perſonæ præſenti: quam proinde intentionem ſervare quiſque cenſetur, niſi eam expreſſe excludat. Et ſic tunc practice miniſter intentionem applicat determinate ei, qui præſens adeſt. Si vero intendas præciſe abſolvere Paulum excludendo alias perſonas, abſolutio non valet, quia circa aliam perſonam non exercetur poteſtas miniſterialis: cum ejus exercitium pendeat ab intentione miniſtri, qui illam non exercet, niſi circa perſonam, circa quam vult illam exercere.

Excipe Matrimonium, quia ejus valori obſtat error circa perſonam, eo quod obſtet valori contractus, in quo Sacramentum fundatur.

Quæſt. IV. *An valeat Sacramentum, quando miniſter habet duas intentiones contrarias, quarum una repugnat ejus valori?*

*Reſp.* Validum eſt, ſi debita intentio prævaleat intentioni, quæ repugnat valori Sacramenti: quia tunc ſola intentio prævalens eſt efficax, & altera eſt inefficax ac mera diſplicentia. Secus, ſi intentio contraria prævaleat, ob eamdem rationem. Quod ſi utraque ſit æqualis, miniſter nihil efficit: quia æqualiter vult facere & non facere Sacramentum; ideoque non vult efficaciter illud facere. Porro illa intentio prævalet alteri, quæ eſt magis abſoluta, & aliam expelleret, ſi rem intentam impediret.

Quæſt. V. *An ad valorem Sacramenti requiritur fides & ſanctitas in miniſtro?*

*Reſp.* Neg. Fide conſtat, 1. Ex Traditione, & conſuetudine perpetua Eccleſiæ, præſertim Romanæ a tempore Apoſtolorum, quæ neminem unquam rite ab hæretico, adeoque fide & ſanctitate deſtituto, baptizatum rebaptizavit. Hancque praxim ab Apoſtolis manaſſe conſtat: cum neque alicujus Romani Pontificis decreto, neque generalis alicujus Concilii canone inſtituta aliquando fuerit, ſed ab initio viguerit in tota Eccleſia. 2. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 4. de Baptiſmo. 3. Quia virtus Sacramenti eſt, & agit ex meritis ſolius Chriſti, qui per miniſtrum tamquam inſtrumentum illud conficit; & poteſtas conficiendi Sacramenta eſt gratia gratis data, quæ compoſſibilis eſt cum peccato. 4. Alioqui cum fides, vel probitas ſæpe in multis deſit, ſæpe Sacramenta exponerentur nullitati cum ingenti animarum damno: & ſic Chriſtus parum Eccleſiæ ſuæ providiſſet.

Hinc error miniſtri circa ſenſum formæ, non expreſſus in forma, verbi gratia, quod Filius non ſit æqualis Patri, non impedit valorem Baptiſmi ab Ariano collati. Quia non mutatur formæ ſignificatio, quæ non ex privato cujuſque arbitrio, ſed ex communi uſu in Eccleſia recepto petitur. Præterea ex Conc. Florent. tria ſolum requiruntur ad valorem Sacramenti ex parte miniſtri, nimirum ut adhibeat materiam & formam debitas; & habeat intentionem faciendi, quod Chriſtus inſtituit, vel Eccleſia facit.

Quæſt. VI. *An miniſter tenetur eſſe in ſtatu gratiæ, dum Sacramentum conficit vel miniſtrat?*

*Nota*. Aliud eſt conficere, aliud adminiſtrare Euchariſtiam. Sed in aliis Sacramentis ipſa confectio eſt ſimul miniſtratio.

Reſp.



*Reſp.* 1. Qui Sacramentum in peccato mortali conficit vel miniſtrat, tamquam miniſter ad id conſecratus, vel ſpecialiter ab Eccleſia deputatus, per ſe loquendo, peccat mortaliter. *Ita omnes*. Quia 1. Ex tit. 1. diſpenſator Dei debet eſſe ſine crimine. 2. Ex Patribus. Pro omnibus ſufficiat S. Auguſtinus, lib. 2. contra Parmen. cap. 10. *Omnia Sacramenta, cum abſint indigne tractantibus, proſunt tamen per eos digne ſumentibus.* 3. Ex cap. ult. 15. q. 8. ubi Nicolaus I. ait: *Mali bona adminiſtrando, ſe tantummodo lædunt.* Et ex cap. ult. de cohab. cleric. ubi Gregorius IX. declarat, *conſtare, quemlibet pro mortali peccato, quoad ſeipſum eſſe ſuſpenſum.* 4. Ex Rituali Romano *impure & indigne Sacramenta miniſtrantes in æternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius (quod abſit) ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi prius corde pœniteat. Sed ſi habeat copiam confeſſarii, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.* 5. Quia talis gravem irreverentiam irrogat Chriſto, cujus ut miniſtri principalis perſonam gerit; & ſancta indigne tractat in re gravi: ergo grave ſacrilegium admittit. Item per ſe graviſſima eſt indecentia, ac irreverentia, actionem ſanctiſſimam quæ eſt moraliter actio Chriſti, & collativa gratiæ ſanctificantis, qua homo conſors naturæ divinæ & filius Dei adoptivus efficitur: exercere in immunditia peccati, & inimicitia Dei. Adde quod ſacerdos ſit publicus Eccleſiæ miniſter a Chriſto inſtitutus, & gratia ordinationis donatus, ut Sacramenta fidelibus digne miniſtret: ergo ratione ſtatus & ordinis ſui, ideoque ex proprio officio tenetur digne miniſtrare.

Idem dicunt Vaſq. Delugo, & alii contra multos de Miniſtro non conſecrato; v. gr. laico baptizante in neceſſitate. Tum quia textus allati, & Patres generatim omnes miniſtrantes comprehendunt, nec diſtinguunt inter ordinatum, & non ordinatum, ſolemniter & non ſolemniter miniſtrantem: tum quia eſt gravis irreverentia in Chriſtum, quod hoſtis ejus & mancipium diaboli agat in nomine & perſona Chriſti, ejuſque merita applicet: tum quia jure naturali & divino ſancta ſancte a quolibet tractanda ſunt, & quidem ſub gravi in re gravi. Sacramentum autem, quod laicus in neceſſitate miniſtrat, eſt res eximie ſancta & ſpeciali modo conſecrata, & ad gratiam ſanctificantem efficiendam inſtituta, eſtque moraliter actio Chriſti, ut miniſtri principalis. Ergo tractari debet ſpecialiter ſancte. At non tractat ſancte, ſed indigne ac irreverenter, qui illud miniſtrat in peccato mortali.

Hinc confeſſor, quamvis confeſſiones continenter audiat, tot peccata mortalia admittit, quot homines abſolvit; nam tot Sacramenta numero diſtincta miniſtrat, & abſolutio ſingulorum eſt actio externa per ſe ſufficienter conſummata. Multi tamen cenſent, talem tunc unicum mortale admittere, ſed eo gravius, quo plures abſolvit.

Dixi, *per ſe loquendo*: Quia miniſter per accidens excuſari poteſt a mortali ob repentinam & inopinatam neceſſitatem ita urgentem, ut non relinquat ſpatium eliciendæ contritionis, ut ſi ſit periculum, ne quis moriatur ſine baptiſmo, vel ſine abſolutione, dum ſacerdos occuparetur in eliciendo actu contritionis.

*Reſp.* 2. Sacerdos vel Diaconus diſtribuens Corpus Chriſti in peccato mortali (Vid. N. 80) peccat mortaliter. *Ita communiter*. Prob. 1. Ex textibus ſupra citatis. 2. Hæc diſpenſatio eſt ſacrum & graviſſimum miniſterium, ad quod ſancte adminiſtrandum miniſter eſt ſpecialiter conſecratus, & ſpecialem gratiam accipit. 3. Talis gravem irreverentiam admittit in Chriſtum, ſanctiſſimum ejus Corpus diſpenſando, & merita communicando in ſtatu, in quo ſcit ſe eſſe Chriſti hoſtem & diaboli mancipium. *Igitur mundamini qui fertis vaſa Domini*, Iſa. 52. immo ipſum Dominum.

Hinc talis tot mortalia committit, quot hominibus etiam continuate Euchariſtiam diſtribuit; quia tot ſunt objecta totalia, & tot ſunt indignæ diſtributiones completæ & numero diſtinctæ. Multi tamen docent, hunc unius mortalis peccati reum eſſe, ſed eo gravioris, quo pluribus Euchariſtiam diſtribuit. Item triplicis malitiæ mortalis in confeſſione aperiendæ reus eſt ſacerdos, qui in mortali celebrat, & ſeipſum communicat; ſcilicet indignæ confectionis, malæ miniſtrationis, & indignæ ſuſceptionis, non minus quam ſi alteri indigne miniſtraret, & ab altero indigne ſuſciperet, ut notat Suarez.

Quæſt. VII. *An Diaconus & Subdiaconus peccant mortaliter, dum in peccato mortali propria ordinis miniſteria obeunt, v. g. canendo ſollemniter Evangelium, vel Epiſtolam?*

*Reſp.* Affirmant, Sylveſter, Cajetanus, Toletus, & alii. *Probant* 1. Ex c. ult. *de temp. ordin.*, ubi Gregor. IX. ait, Sacerdotes & alios clericos criminoſos occultos, *ſi non pœnituerint, monendos eſſe, & ſub interminatione divini judicii obteſtandos, ut in teſtimonium ſuæ damnationis in ſuſceptis etiam ordinibus non miniſtrent.* 2. Ex S. Thom. in 4. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 5. ibi: *Lex* (naturalis) *præcipit, ut homo juſte ea, quæ ſunt juſta, exequatur; & ideo quicumque homo, quod ſibi competit, ex ordine, facit indigne, quod juſtum eſt, injuſte exequitur, contra præceptum legis* (naturalis) *facit, & per hoc mortaliter peccat. Quicumque autem peccato mortali aliquod ſacrum officium pertractat, non eſt dubium, quin illud indigne faciat: unde patet quod mortaliter peccat.* 3. Quia eorum miniſterium proxime accedit ad SS. Euchariſtiam conficiendam, & ad illud ſpecialiter deputati ac conſecrati ſunt. Alii tamen plures docent eſſe dumtaxat veniale, quia cenſent, materiam non eſſe adeo gravem, ut ſit grave ſacrilegium, cum illa miniſteria nec ſanctitatem ex opere operato conferant, nec ſint moraliter actiones Chriſti, nec ejus nomine fiant. Irreverentia autem eſt major vel minor pro majore, vel minore ſanctitate actionis ſacræ, quæ exercetur in peccato. Ad c. cit. reſpondent, Gregorium nihil in ſpecie determinaſſe, quam grave peccatum ſit, ſingulos ordines exercere in mortali, ideoque ex materia ſubjecta æſtimandum id eſſe, & velle ſolum, quod ſit peccatum grave ex genere ſuo; vel loqui non de ſingulis functionibus, ſed de exercitio ſuorum ordinum toto & integro, quod totum ſine mortali eſſe non poterat, quia juxta antiquos canones, qui nunc etiam aliquando obſervantur, miniſtri altaris communicabant in Miſſa ſollemni de manu celebrantis.

Suarez vero docet, quod ſi quis haberet animum hos ordines ſæpe exercendi in malo ſtatu, aut hanc haberet conſuetudinem, non eſſet excuſandus a mortali.

tali. Quia illud propoſitum, vel conſuetudo videretur oriri ex quodam contemptu formali vel virtuali, & quia illud objectum ita ſumptum videtur ſatis grave.

*Sed quid de exercente in malo ſtatu functiones minorum ordinum, Acolythi, Lectoris, Oſtiarii, &c.?*

*Reſp.* Ex communi ſententia, non peccat mortaliter. Quia illæ functiones ſunt remotæ a proprio actu ſacrificandi, & cenſentur officia imperfecta reſpectu ſacri miniſterii, & nunc ſæpiſſime a laicis exercentur. Peccat tamen venialiter, dum in ſollemni ac publico ritu eas exercet, quia proprie eſt actus ordinis, ad quem eſt conſecratus.

Quæſt. VIII. *An peccat mortaliter miniſter conficiendo in peccato mortali Sacramentalia?*

*Reſp.* Epiſcopus peccat mortaliter conficiendo in tali ſtatu chriſma & oleum infirmorum. Quia iſtæ conſecrationes ſeu benedictiones fiunt a miniſtro ad id conſecrato, & ſunt gravis momenti: nam per illas fit materia Confirmationis & Extremæ Unctionis, in quibus gratia confertur partialiter intuitu materiæ ſic conſacratæ, cum chriſma & oleum non ſint materia Sacramenti, niſi ut benedicta ſeu conſecrata. Item illis actionibus ſe Chriſti miniſtrum exhibet, ejuſque perſonam immediate ſuſtinet, ideoque gravem injuriam infert Chriſto, illas actiones exercendo in ſtatu peccati: nam ejus dignitatem ac ſanctitatem graviter lædit. Conficiendo vero in mortali reliqua Sacramentalia, qualia ſunt conſecratio templi, benedictio Abbatis, veſtium ſacerdotalium, aquæ luſtralis, cinerum &c. peccat ſaltem venialiter, quia eſt aliqua indecentia ac irreverentia, ſi abſque ſanctitate obeat illa munia, quæ ordinem ſacrum ſpecialiter requirunt. Non eſt tamen juxta multos mortale, quia hæ actiones non conferunt immediate & ex opere operato ſanctitatem animæ, nec ſunt moraliter actiones Chriſti, ſicut Sacramenta.

Quæſt. IX. *An teneatur miniſter ritus accidentales in Eccleſia uſitatos in Sacramentis diligenter ſervare?*

*Reſp.* Affirm. *Prob.* 1. Ex Conc. Trid ſeſſ. 7. can. 14. *Si quis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſollemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Eccleſiarum paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.* 2. Ob Eccleſiæ præceptum, & conſuetudinem vim legis habentem: nam Eccleſia præſcribens modum adminiſtrandi Sacramenta, illum ſervari jubet: alias nihil eſſet firmum & ſtabile in cultu divino. Et hæc obligatio ex genere ſuo gravis eſt, utpote de re ad virtutem religionis pertinente: nam illi ritus ſunt actiones religioſæ ad decentem Sacramentorum adminiſtrationem, ad devotionem excitandam, ad ſacram ſignificationem ab Eccleſia inſtitutæ. Unde ſi ſine neceſſitate urgente aliquid omittitur, eſt mortale in re gravi, & veniale in levi. Eſt tamen ſemper mortale, vel minimam cæremoniam omittere ex contemptu, judicando illam eſſe vel inanem, vel ineptam, aut aliquid ſimile, quia gravis ſit injuria Eccleſiæ, & Spiritui Sancto, a quo regitur.

Quæſt. X. *An grave ſacrilegium committit, qui tentat conficere Sacramentum, cujus conficiendi poteſtate caret?*

*Reſp.* Affirm. Quia 1. Gravem irreverentiam Chriſto infert volendo gerere ejus perſonam, & ejus nomine aliquid valde ſacrum agere, cum non ſit ab eo deputatus. 2. Facto ſuo falſam doctrinam profitetur. 3. Proximum in re gravi decipit.

Quæſt. XI. *An licet aliquando ſimulare Sacramentum?*

*Reſp.* 1. Nunquam licet ſub mortali ſimulare adminiſtrationem Sacramenti. *Prob.* 1. Ex c. 7. de *celebrat. Miſſ.* ubi dicitur gravius peccare, qui ſimulat celebrationem Miſſæ, quam ſi in ſtatu peccati celebraret, quamvis peccaret. 2. Quia Innocent. XI. damnavit hanc propoſitionem: *Urgens metus gravis eſt juſta cauſa Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.* 3. Gravis eſt irreverentia in Chriſtum, ita abuti verbis ac rebus ſacris ab eo inſtitutis ad verum Sacramentum, & reipſa eſt illudere Chriſto, cujus perſonam ſimulator ſe agere exterius fingit. 4. Eſt reale mendacium in re graviſſima; exercite enim & ſuo facto talis dicit, ſe nomine & perſona Chriſti, v. g. abſolvere, baptizare, cum ſciat hoc non fieri.

*Reſp.* 2. Item ſemper eſt mortale ſimulare ſuſceptionem Sacramenti. Quia defectus intentionis veræ illud ſuſcipiendi impedit effectum cujuſvis Sacramenti, etiam Euchariſtiæ, immo valorem ſex aliorum (*), quæ conſiſtunt in actione tranſeunte: nam ad horum valorem & Euchariſtiæ effectum requiritur in adulto ſuſcipiente vera intentio ſaltem habitualis ſuſcipiendi. At eſt grave ſacrilegium reddere irritum, vel inutile Sacramentum; eſt enim gravis irreverentia in Chriſtum ejus auctorem.

Hinc ad vitandum quodvis malum, non licet ſub mortali ſcienter miniſtrare etiam conſentienti, vel recipere hoſtiam non conſecratam pro conſecrata. Quia per ſe malum eſt, ſcienter proponere alteri puram creaturam adorandam cultu divino, & ponere per ſe cauſſam idololatriæ etiam materialis. Tunc autem hoſtia non conſecrata exponeretur adorationi tum adſtantium, qui committent idololatriam materialem; tum illius qui cum externa reverentia illam hoſtiam ſuſcipiet, ſicque ſcienter admittet idololatriam externam; quod eſt intrinſece malum, ſicuti eſt adolere thus coram idolo, quamvis interius tantum intendas te paſcere ejus odore, quia nempe tunc exhibetur illi cultus externus.

Quæſt. XII. *An licet conferre Sacramentum indigno, ſeu non rite diſpoſito ad ejus effectum?*

*Reſp.* Qui tali ſcienter, vel imprudenter confert, per ſe loquendo, peccat mortaliter. Quia 1. Quilibet diſpenſator tenetur fideliter & prudenter diſpenſare juxta voluntatem domini ſui, ex 1. Cor. 4. *Hinc jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.* Ergo peccat graviter, qui in re gravi diſpenſat infideliter, & contra voluntatem domini ſui: at miniſtrans Sacramentum indigno, aliquid graviſſimum diſpenſat infideliter, & contra voluntatem Chriſti id vetantis, Matth. 7. *Nolite dare Sanctum canibus.* 2. Sacramentum indigne, irreve-

ren-

(*) *Nempe ſolius Euchariſtiæ valor excipitur.*



renter & contra ejus exigentiam tractat, qui ſcienter illud miniſtrat indigno, niſi in caſu ſpeciali infra excipiendo, in quo Chriſtus voluit dari. Sacramenta enim exigunt non defraudari ſuo effectu, ideoque non ſuſcipi ab iis, qui non poſſunt conſequi gratiam. 3. Talis miniſter cooperatur receptioni ſacrilegæ ſuſcipientis: nam nulla poteſt eſſe major cooperatio ad recipiendum, quam ipſa datio voluntaria & ſine obligatione facta. Unde & agit contra obligationem proprii officii in re gravi, & juvat alium ad peccandum. Quod etiam verum eſt de miniſtro non conſecrato, ut laico baptizante, quamvis miniſter conſecratus majorem obligationem habeat. Nam qui diſpenſat, eo ipſo tenetur fideliter ac prudenter diſpenſare; & alias cooperatur peccato alterius.

Hinc 1. Tenetur miniſter providere, ut ſuſcipiens habeat diſpoſitiones ad Sacramentum licite & utiliter ſuſcipiendum. Neque ſufficit quod non ſcias eſſe indignum; ſed debes poſſe prudenter ſaltem præſumere, quod ſit dignus: alioqui non es prudens & fidelis diſpenſator, & committeres te periculo miniſtrandi indigno, & privandi Sacramentum ejus effectu ſaltem primario, nempe gratia ſanctificante. In illa autem diligentia & cautione adhibenda attendi debet natura cujuſque Sacramenti, praxis Eccleſiæ, commune judicium proborum ac prudentum. Sic in Sacramento Pœnitentiæ requiritur accuratior notitia diſpoſitionis; quia confeſſor eſt judex in cauſſa Dei, qui debet examinare conſcientiam pœnitentis, & ejus dignitatem, vel indignitatem, ut poſſit debite ferre ſententiam; & quia diſpoſitio pœnitentis requiritur ad valorem Sacramenti. Item Sacramenta, quæ ſtatum conſtituunt pluribus obligationibus obnoxium, ut Baptiſmus, Ordo, Matrimonium; exigunt majorem probationem diſpoſitionis.

Hinc 2. Non licet dare Euchariſtiam neque peccatori publico ſive occulte, ſive publice petenti, niſi ſufficientia dederit veræ converſionis ſigna, & ſcandalum publicum ſuſtulerit: nam ſine nova ejus infamia poteſt conſuli reverentiæ Sacramenti. Neque peccatori occulto, ſed petenti occulte, vel ſolum coram iis, qui ejus indignitatem norunt, cum poſſit ſine ſcandalo & ejus infamia, denegari, ex Rituali Rom. Idque juxta varios, etiam ſi ejus indignitas ex ſola confeſſione nota ſit, modo nullus alius adſit; quia tunc nulla fit revelatio confeſſionis, nec ullum ei infertur gravamen, ſicut ſi denegares enſem ei, a quo ſcis ex confeſſione eſſe te perimendum. Sed multi id negant, quia tunc eſſet quædam virtualis exprobratio & commemoratio peccati, quod jure divino graviter eſt illicitum.

Dixi, *per ſe loquendo*. Nam peccatori occulto publice petenti, Euchariſtia dari debet ex praxi Eccleſiæ & Chriſti, qui Judæ eam dedit. Nam Chriſtus vult, ut in tali caſu detur, ne infametur proximus, & quia alioqui ſequerentur gravia ſcandala, & incommoda ac perturbationes. Unde tunc miniſter non cooperatur moraliter peccato alterius, quia diſpenſat ex obligatione; nec exterior receptio Sacramenti, ad quam cooperatur miniſtrans, eſt per ſe mala, ſed ſolum habet adjunctam malitiam per accidens, ex prava diſpoſitione ſuſcipientis, & poſſet eſſe bona, ſi recipiens vellet.

Porro crimen cenſetur publicum, quando quis de eo juridice convictus eſt; vel cum admiſſum eſt in loco publico, ita ut nulla tergiverſatione celari poſſit; vel cum ejus fama ex ſufficientibus indiciis orta jam pervenit ad multos, brevi ad alios perventura.

Quæſt. XIII. *An licet petere, vel recipere Sacramentum ab indigno miniſtro?*

*Nota.* Miniſter indignus alius eſt toleratus, qui licet peccator ſit, tamen neque nominatim per ſententiam declaratus eſt excommunicatus vel ſuſpenſus, neque eſt notorius clerici percuſſor. Alius non toleratus, qui ſcilicet nominatim denuntiatus eſt excommunicatus, aut ſuſpenſus, vel eſt notorius clerici percuſſor.

*Reſp.* 1. Non licet petere, aut accipere Sacramentum a miniſtro non tolerato, præter Baptiſmum, & juxta multos, Pœnitentiam in articulo mortis. Quia 1. Eccleſia prohibet communicationem cum non tolerato, præſertim in ſacris. 2. Non licet petere ab alio id quod ipſe ſine peccato præſtare nequit; nam hoc eſſet eum inducere ad peccatum. At miniſter non toleratus, non poteſt ſine peccato Sacramenta miniſtrare, ſaltem extra neceſſitatem proximi, cum id ei graviter Eccleſia vetet. Neque etiam licet ab alio accipere id quod non poteſt ſine peccato dare: nam alias cooperaris ejus peccato; quænam enim major poteſt eſſe cooperatio dationi illicitæ, quam acceptio, ſine qua datio executione caret?

Excepi Baptiſmum in articulo mortis, quia miniſter non toleratus poteſt tunc illum licite miniſtrare in defectu aliorum, ſi nempe conteratur, & faciat quod in ſe eſt, ut a cenſuris abſolvatur; & ſic tunc poteſt ab eo licite per ſe accipi, ut docet S. Auguſt. lib. 6. de Bapt. c. 5.

*Reſp.* 2. Jure divino naturali non licet petere, nec accipere Sacramentum a miniſtro malo tolerato, quem moraliter conſtat peccaturum miniſtrando, ſi adſit alius probus. Quia 1. Ex lege caritatis in Deum & proximum, quiſque tenetur impedire peccatum proximi, quantum poteſt, ſaltem ſine gravi ſuo incommodo, ſeu damno. Ergo niſi adſit aliqua neceſſitas, tenetur non recipere Sacramentum ab eo qui peccaturus eſt conferendo. 2. Petens, vel accipiens Sacramentum a malo miniſtro in tali caſu, dat ei ſine juſta cauſſa occaſionem peccandi, & moraliter cooperatur ejus peccato, cum hoc facile impedire poſſet. Et quamvis ille paratus eſſet miniſtrare, tamen hic & nunc non peccaret, ſeu hanc malam voluntatem non exequeretur, nec hoc numero ſacrilegium admitteret, te non petente, vel non accipiente.

*Reſp.* 3. Per ſe loquendo licet petere & accipere Sacramentum a miniſtro tolerato, ſi alius probus deſit, & adſit juſta & gravis cauſſa, ſeu aliqua neceſſitas, ut ſi inſtet præceptum confitendi, aut ſumendi Euchariſtiam quindena Paſchali; ſi quis ſit in ſtatu peccati mortalis, nec poſſit, aut ſaltem ſine gravi incommodo, adiri alius miniſter. *Prob.* 1. Ex can. ult. 25. qu. 8. & cap. *Veſtram* de cohab. cler. 2. Ex conſtit. Martini V. *Ad evitandum*, in Concilio Conſtantienſi edita, ibi: *Indulgemus quod nemo deinde a communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcumque divinis vel extra, prætextu cujuſcumque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, a jure, vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abſtinere, vel aliquem vitare.* 3. Quia res honeſta



lici-

licite peti & accipi poteſt ab eo, qui poteſt hic & nunc eam digne præſtare, licet prævideatur peccaturus, modo adſit juſta cauſſa non impediendi ejus peccatum, ut patet in petente mutuum ab uſurario ob neceſſitatem. Miniſter autem toleratus requiſitus poteſt conteri, & obtinere abſolutionem a cenſura. Qui ſi faciat quod in ſe eſt, ut eam obtineat, nec tamen obtinere poſſit; tunc juxta multos non peccabit, ſi requiſitus & contritus miniſtret Sacramentum habenti jus illud petendi, quia tunc tenetur illud adminiſtrare; vel ex juſtitia, ſi ſit paſtor; vel ex caritate, ſi petens ſit in neceſſitate ſaltem gravi. Si vero male miniſtret, id ejus malitiæ, non petitioni imputandum eſt; nec caritas obligat ad impediendum cum gravi ſuo damno peccatum proximi, quod ipſemet poteſt facile vitare.

Dixi, *per ſe loquendo*: Nam extra caſum extremæ, aut ſaltem graviſſimæ neceſſitatis non licet petere nec accipere Sacramentum a miniſtro tolerato, aperte errorem aliquem ab Eccleſia damnatum profitente, vel judicio Eccleſiæ in materia fidei renitente. Nam alicqui crearetur ſcandalum ac periculum perverſionis fidelium, & conciliaretur auctoritas errori.

## CAPUT III.

### *De diſpoſitione neceſſaria in recipiente Sacramentum.*

Quæſt. I. *Quenam diſpoſitio requiritur in ſubjecto ad valorem Sacramenti?*

*Nota* 1. Subjectum Sacramenti eſt is, qui illud recipit, & eſt capax ejus effectus recipiendi. Agitur hic de ſolis adultis; nam in infantibus & perpetuo amentibus nihil requiritur, ut patet ex perpetua Traditione, & praxi Eccleſiæ, ſecundum quam baptizantur infantes. Et vero ſi neceſſarius eſſet aliquis actus propriæ voluntatis, non poſſent ſalvari.

*Nota* 2. Certum eſt, Baptiſmum ſuſceptum requiri ad valorem aliorum Sacramentorum: *tum quia eſt fundamentum & janua reliquorum*, cap. 2. *de cognat. ſpirit. in* 6. & ex Conc. Florentino; *Vitæ ſpiritualis janua eſt, per ipſum membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ*. Tum quia Concilium Nicænum I. cap. 19. ſtatuit, ut clerici invalide baptizati rebaptizentur, & iterum ordinentur. Idem habetur c. 1. *de Presb. non bapt.*

*Reſp.* 1. In adulto recipiente Sacramentum ad ejus valorem neceſſe eſt, ut non habeat voluntatem contrariam ejus receptioni, excepta Eucharistia, quæ conſiſtit in re permanente, & ſubſiſtit extra uſum. Conſtat, tum ex ſenſu & praxi Eccleſiæ; tum ex cap. *Majores de Bapt.* ubi Innocentius III. ait: *Ille vero qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti*. Immo requiritur poſitiva aliqua (Vid. N. 174. 175.) voluntas recipiendi Sacramentum. *Ita communiter*. Prob. 1. Ex cap. 77. *de conſecr.* diſt. 4. Et ex Conc. Carth. IV. cap. 76. & Arauſ. I. cap. 12. quæ ad Baptiſmum conferendum ægrotis voluntatem ſuam ſignificare non valentibus, exigunt teſtimonium aliorum, quo conſtet, eos prius voluiſſe baptizari. 2. Ex praxi Eccleſiæ. 3. Ex Rituali Romano exigente ad Baptiſmum adulti deſiderium Baptiſmi. Quod etiam a fortiori requiritur in aliis Sacramentis, quæ non ſunt tam neceſſaria quam Baptiſmus. Ratio eſt inſtitutio Chriſti, qui convenienter voluit, ut nullus adultus, qui rationis uſum habeat, ſanctitatem, vel ejus augmentum acciperet, niſi ipſe conſentiat in ſuam ſanctificationem; ac proinde noluit, ut Sacramenta, quæ ad ſanctitatem dandam vel augendam inſtituit, adulto ſine ſuo conſenſu valerent. Nam ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. *Juſtificatio eſt ſanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum*. Hinc S. Thom. 3. par. quæſt. 68. art. 7. ait: *Si in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, non eſſet baptizandus*.

*Reſp.* 2. In recipiente Sacramentum ad ejus valorem ſufficit intentio habitualis, ſeu voluntas illud recipiendi præterita, non retractata, exceptis duobus. *Prob.* 1. Ex Conciliis & Rituali ſupradictis præcipientibus ut baptizetur moribundus ſenſibus & ratione deſtitutus, modo conſtet de præterita ejus voluntate. 2. Ex perpetua praxi Eccleſiæ, quæ non reiterat Baptiſmum & Ordines iis, qui illa ſuſceperunt in mortali & in hæreſi, ſed cum ſola voluntate recipiendi, etſi præterita.

Excipe Pœnitentiam, quia actus pœnitentis ſunt ejus materia; & Matrimonium, quia ad valorem contractus requiritur conſenſus ſaltem virtualis.

Quæſt. II. *Quenam diſpoſitio requiritur ad effectum Sacramenti?*

*Nota*. Effectus communis omnibus Sacramentis duplex eſt. Primus eſt gratia ſanctificans, ſeu habitualis, major vel minor pro diſpoſitione ſubjecti, & confertur eo inſtanti, quo Sacramentum ſumitur. Secundus ſunt gratiæ actuales, quæ intuitu Sacramenti ſuſcepti opportuno tempore conferuntur ad obtinendum finem proprium cujuſque Sacramenti, niſi ſuſcipiens illis ſe poſtea indignum reddat peccatis ſuis, vel obicem ponat: unde vocantur Gratiæ Sacramentales. Præter hos effectus, tria, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo characterem imprimunt, ideoque iterari nequeunt.

*Reſp.* 1. Ad characterem recipiendum ſufficit voluntas habitualis recipiendi Sacramentum. Nam hæc ſufficit ad valorem Sacramenti, reſpectu recipientis; & diſpoſitio quæ ſufficit ad valorem Sacramenti, ſufficit quoque ad impreſſionem characteris.

*Reſp.* 2. Ad gratiam ſanctificantem recipiendam in quinque Sacramentis vivorum, præter intentionem habitualem requiritur ſtatus gratiæ, non autem in aliis duobus, quæ mortuorum dicuntur, nempe Baptiſmo & Pœnitentia, in quibus aliæ diſpoſitiones requiruntur. Quia priora inſtituta ſunt ad conferendum augmentum gratiæ ſanctificantis, alia vero ad eam dandam: ac proinde priora per ſe & ex inſtitutione ſua, ſaltem primaria, ſupponunt & exigunt gratiam jam acceptam, ut illam augeant: nam augetur id quod jam adeſt; alia vero non.

Hinc qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis, graviter tenetur ſibi gratiæ ſtatum comparare antequam recipiat Sacramentum vivorum. Nam eſt grave ſacrilegium ponere obicem gratiæ; cum enim Chriſtus inſtituerit Sacramenta, ut eſſent efficacia gratiæ ſigna, qui illa recipit ponendo obicem gratiæ, quantum in ſe eſt, inanem & falſam reddit eorum ſignificationem, & abutitur inſtitutione Chriſti, cui facto ſuo illudit.

*Sed an talis tenetur confiteri, quantumvis ſibi perfecte contritus videatur.*





*Reſp.* Id certum eſt de Euchariſtia; de aliis aliqui etiam affirmant, longe plures de jure communi negant. Quia 1. Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7. docet, ſolum ob Euchariſtiæ perceptionem præcipi confeſſionem, nulla facta mentione aliorum. Et ſeſſ. 24. c. 1. ſolum hortatur ſponſos, ut ante matrimonium confiteantur. 2. Ex Pontificali Romano: *Adulti deberent prius peccata confiteri, & poſtea confirmari, vel ſaltem peccata, quæ admiſerunt, doleant*. Non eſt autem major obligatio in aliis. 3. Rituale Romanum dicit ſolum de Sacerdote mortalis culpæ ſibi conſcio: *Ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi prius corde pœniteat: ſed ſi habeat copiam confeſſarii, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri*. Quia non reperitur tale præceptum divinum, vel humanum ſaltem commune in ordine ad alia Sacramenta ſuſcipienda. Tamen confeſſio videtur ex inſtitutione Chriſti præponi debere Extremæ Unctioni, cum hæc ſit Pœnitentiæ completivum.

Ceterum cum Sacramentum Pœnitentiæ majorem certitudinem gratiæ, & meliorem diſpoſitionem conferat, ſufficiens eſt cauſſa ſemper confeſſionis præmittendæ; hæcque eſt communis fidelium praxis. *Cum Sacramenta adminiſtramus, aut percipimus, toties confeſſio prætermittenda non eſt*, ait Catech. Rom. p. 2. c. 7. num. 59.

*Reſp.* 3. Ad gratias actuales Sacramentales, quas nempe Deus ſingulis Sacramentis ad finem cujuſque proprium aſſequendum innexuit, recipiendas, duo requiruntur. 1. Ut eo tempore, quo homo ea auxilia recepturus eſt, ſit in ſtatu gratiæ: nam hic effectus non datur, niſi ut conjunctus gratiæ ſanctificanti; & qui eſt in peccato, redditur indignus ſupernaturalibus donis: unde in illo ſtatu nullum habet jus ad talia auxilia. 2. Ut iis non ponatur obex per diſpoſitionem actualem ipſi repugnantem.

*Reſp.* 4. Præter voluntatem recipiendi Sacramentum, & ſtatum gratiæ, reverentia Sacramento debita exigit devotionem actualem, quæ quanto major erit, tanto uberior fructus percipitur; nam Sacramenta gratiam conferunt ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



*Qui crediderit et Baptizatus fuerit ſalvus erit Marc. 16. 16.*

# TRACTATUS
# DE BAPTISMO.

BAptiſmus eſt Sacramentum ad ſpiritualem regenerationem a Chriſto inſtitutum, conſiſtens in ablutione per aquam naturalem, & prolatione horum verborum, aut æquivalentium, *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*.

Quæſt. I. *Quænam eſt materia Baptiſmi?*

*Reſp.* 1. Materia remota eſt aqua vera naturalis, ſeu elementaris. Fide conſtat, 1. Ex Joann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* 2. Ex perpetua Traditione & praxi Eccleſiæ. 3. Ex Concil. Later. Florent. & Trid. ſeſſ. 7. can. 2.

Sed obſerva, 1. Sufficit aqua elementaris proprie dicta, quamvis rebus aliis ſit tantulum permixta, modo uſum communem & æſtimationem aquæ retineat: Hinc valet Baptiſmus in aqua fontana, pluviali, marina, ſive frigida, ſive calida, quamvis ſit turbida, lutulenta, ſulphurata, ferruginea, modo non ſit corrupta. Item aqua reſoluta ex nive, grandine, aut glacie, vel ex panno madido, aut luto expreſſa: quia hæc ſunt aqua naturalis. Immo juxta S. Thom. in lixivio. At non valet in vino lymphato, ſaliva, ſputo, lacrymis, ſudore, aliove ſimili humore: in cervisia, ptiſana, juſculo, in liquore ex viribus defluente, aut ex herbis floribuſve expreſſo, vel in aqua roſacea, ex S. Thom. 3. par. qu. 65. art. 4. ad 5. Nam iſta non ſunt aqua proprie dicta & elementaris. Neque valet in glacie, nive, pruina, & ſimilibus nondum reſolutis; nam in hoc ſtatu non ſunt aqua naturalis & uſualis, quæ ſcilicet etiamnum retineat aquæ uſum, & poſſit proxime abluere corpus: alioqui non verificaretur forma: *Ego te baptizo*, hoc eſt, abluo. Idem dic de aqua cujus tanta ſit permixtio, ut potius cenſeatur corpus mixtum, quam aqua.

2. In articulo mortis quando haberi non poteſt materia certa, debet adhiberi qualiſcumque dubia, ſub hac conditione, *Si hæc materia ſit ſufficiens*, & ad hoc ſufficit etiam tenuis probabilitas; quia in neceſſitate ſubveniendum eſt ſaluti proximi omni modo meliori quo poteſt. Hinc in extrema neceſſitate, juxta multos, baptizare teneris in aqua ex ſale reſoluto, in cervisia admodum tenui &c. ita tamen ut ſi ſic baptizatus ſupervixerit rebaptizari debeat ſub hac conditione, *Si non es baptizatus*.

3. Extra neceſſitatem non licet ſub mortali baptizare niſi in aqua benedicta, quæ in fonte Baptiſmali ſervatur, propter præceptum & uſum Eccleſiæ, & reverentiam Sacramento debitam.

*Reſp.* 2. Materia proxima eſt ablutio, ſeu applicatio aquæ immediate, & ſucceſſive ad corpus baptizandi. Conſtat 1. ex Epheſ. 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*. 2. Ex perpetua praxi Eccleſiæ, & verbis formæ.

*Nota.* Ablutio non idem eſt, ac expurgatio, ſeu emundatio: nam hæc eſt effectus ablutionis, & poteſt eſſe ſine illa.

Quæſt. II. *Quæ & qualis ablutio requiritur ad valorem Baptiſmi?*

*Reſp.* 1. Sufficit qualibet ablutio, ſive fiat per infuſionem, ſive per aſperſionem, ſive per immerſionem: nam qualibet eſt vera ablutio. In praxi tamen ſervari debet modus in unaquaque Eccleſia uſitatus.

*Reſp.* 2. Neceſſe eſt illam corporis partem ablui & tantam aquæ quantitatem adhiberi, ut ideo corpus dicatur proprie, & ſimpliciter ablutum. Ad quod



quod ſufficit, ut caput ſit ablutum, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ Latinæ; quia caput eſt præcipua corporis pars, & ſenſuum ſedes, in qua proinde manifeſtatur principium vitæ animalis.

An etiam ſufficiat ablutio alterius partis notabilis, ut brachii, pectoris &c. controvertitur; & licet communis affirmet, tamen hoc non eſt certum. Quare graviter peccaret, qui extra caſum neceſſitatis non ablueret caput: nam exponeret Sacramentum periculo nullitatis. Hinc Rituale Roman. præſcribit, ut ſi infans in neceſſitate baptizetur in alio membro, poſtea rebaptizetur ſub conditione, *Si non es baptizatus*. Multo minus certum eſt ſufficere quantulamcumque partem corporis ablui, quod tamen non pauci tenent: unde extra neceſſitatem hoc non licet; & baptiſmus ſic in neceſſitate collatus reiterari debet ſub conditione.

✠ In lib. VII. de Synodo Diœceſana cap. 5. quæſtionem hanc fuſim pertractat SS. D. N. Benedictus XIV. ubi ſtatuit. Primo, *Certum eſſe, Infantem in matris utero ita latitantem, ut nulla ejus pars aqua perfundi queat, baptizari non poſſe, nec ei quidquam prodeſſe, quod nonnulli hæretici olim ſunt arbitrati, ſi ejus loco, matris corpus abluatur, quemadmodum* lib. 6. *contra Julianum c.* 14. *diſerte tradit Auguſtinus*.

Secundo controverſiam expedit: *An reſerato materni uteri oſtio, quod puerperii initio contingit: valide baptizetur infans, cujus corpuſculum, etſi nulla parte in lucem prodierit, aqua nihilominus, ſaltem per ſiphunculum tingi poſſit*, atque explicatis variis hac de re opinionibus, indicatiſque præcipuis, quibus obnoxiæ ſunt, argumentis, concludit; *Ultimum hujus controverſiæ judicium a Sede Apoſtolica eſſe proferendum: ac tutius eſſe ut Epiſcopus illud expectet; nec quidquam interim ſuis conſtitutionibus inferat, quo implexæ iſtius quæſtionis deciſionem ſibi arrogaſſe videatur. Ad Parochos vero pertinere obſtetrices inſtruere; ut cum caſus evenerint, in quo infantem, nulla adhuc ſui parte editum mox deceſſurum prudenter timeant, illum baptizent ſub conditione, ſub qua pariter erit iterum baptizandus, ſi periculum evadat, & foras prodeat*.

Tertio. De Infante agit, qui aliquam ſui partem ex utero emiſit, ac ſtatuit eſſe baptizandum; nec iterandum deinde baptiſmum, ſi caput emerſerit; ad alias partes quod attinet, ita habet: *Cum itaque hæc controverſia haſtenus indeciſa remaneat, uti ſcite animadvertit Cardinalis de Rohan in ſuo Rituali Argentinenſi* ad tit. de Baptiſ. §. 5. *inquiens*: Utrum ratus ſit Baptiſmus, non in capite, ſed in aliqua alia corporis parte collatus, multi non immerito dubitant, *idcirco cavere debet Epiſcopus, ne in ſua Synodo aliquid, quoad eam decernat, ſed id ſolum curabit, ut Parochi, ceterique, quorum intereſt, illud exacte exequantur, quod in Romano Rituali præſcribitur, ſicut optime animadvertit Gibertus* in conſultat. Canonic. de Sacramento Baptiſmi, conſult. 11. *ubi Synodos affert, Rituali Romano conformes, ejuſque veſtigiis inhærentes*. ✠

*Reſp.* 3. Neceſſe eſt, ut aqua immediate tangat corpus baptizandi, quia ad veram ablutionem requiritur contactus phyſicus, & immediata aquæ applicatio ad id quod abluitur. Hinc non ſufficit aquam applicari panniculis, nec utero materno, in quo adhuc detinetur infans, nec ſecundinæ, quæ eſt pellicula, qua ſubinde involuti naſcuntur infantes: nam non eſt pars corporis, ſed ejus involucrum. Immo juxta multos nullus eſt Baptiſmus, ſi ſoli capilli abluantur; quia non ſunt ſtricte pars corporis, & illorum ablutio non videtur ſufficere, ut propter eam dici poſſit corpus ablutum. Igitur in praxi ſub gravi curandum eſt, ut aqua ad cutem perveniat, & ea aquæ copia adhibenda, ut qui baptizatur, merito & ſecundum communem hominum æſtimationem cenſeatur ablutus.

Item ad veram ablutionem requiritur, ut partes aquæ applicentur motu ſucceſſivo partibus corporis: nam aqua contenta in vaſe, quamvis illud tangat, non dicitur illud abluere.

*Porro ſi mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimum caute extrahatur, ac ſi vivus fuerit, baptizetur*, Rituale Romanum.

Quæſt. III. *An ad valorem Baptiſmi requiritur trina infuſio vel immerſio?*

*Reſp.* Unica ſufficit. Conſtat. 1. Ex cap. *de trina*, de conſecrat. diſtinct. 4. Et ex praxi Eccleſiæ, quæ ſæpe unicam adhibuit. 2. Quia unica ſufficit ad veram ablutionem. Ceterum in praxi miniſter tenetur ſervare ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem; & curare ut ſingulæ ablutiones ſingularum SS. Trinitatis perſonarum invocationi reſpondeant, ut Ritualia præſcribunt; item ne forma totaliter proferatur, antequam perfecta ſit ablutio totalis, ne ſcilicet aliqua pars illius ablutionis reddatur inutilis.

Quæſt. IV. *An dum Baptiſmus ſit per immerſionem, requiritur emerſio ad ejus valorem?*

*Reſp.* Non pauci affirmant, ſed plures alii negant. Quia ad veram ablutionem requiritur ſolum immediata & ſucceſſiva aquæ ad corpus applicatio, orta ex motu locali, vel aquæ ſupra corpus, ut ſit in effuſione & aſperſione; vel corporis ſuper aquam, ut ſit in immerſione; ſive poſtea ſiat emerſio, ſive non. Hinc inferunt, validum eſſe Baptiſmum infantis, quem quis in flumen aut puteum projicit animo eum baptizandi, & ſimul ſubmergendi; modo formam debitam proferat, antequam infans aquis ſuffocetur: quia tunc adſunt materia, forma, & intentio requiſita ad valorem Baptiſmi.

Porro certum eſt, non licere infantem ſic projicere, etiamſi aliter baptizari nequeat, & timeatur ſtatim moriturus: quia hoc eſſet directe occidere innocentem: nam hæc immerſio per ſe directe eſt occiſiva infantis; ablutio autem per accidens ex ſola intentione mergentis dirigitur.

*Nota.* Item qui profert formam, debet abluere; alioqui forma eſſet falſa, ideoque Baptiſmus nullus.

Quæſt. V. *Quænam eſt forma Baptiſmi?*

*Reſp.* 1. Hæc eſt: *Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Ita Conc. Florentin. & Rituale Romanum addens, hæc verba uno & eodem tempore, quo ſit ablutio, eſſe pronuntianda.

*Reſp.* 2. Ad valorem Baptiſmi exprimi debent ablutio actualis, ſeu ablutio ut actu exercita, & perſona baptizandi, ita ut hæ voces *Baptizo te*, vel æquivalentes ſint de eſſentia formæ. Conſtat, 1. Ex perpetua Traditione, & praxi Eccleſiæ ita interpretantis verba Chriſti: *Baptizantes eos*. 2. Ex cap. 1. *de Baptiſmo*, ubi Alexander III. ait: *Si quis puerum ter in aqua immerſerit in nomine Patris, & Fi-*

*& Filii, & Spiritus ſancti, Amen.* *Et non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen; non eſt puer baptizatus.* 3. Ex Concil. Flor. in Decreto pro Armenis. Hinc Alexander VIII. damnavit hanc propoſitionem: *Valuit aliquando baptiſmus ſub hac forma collatus. In nomine Patris &c. prætermiſſis illis, Ego te baptizo.*

*Reſp.* 3. Neceſſariæ quoque ſunt hæ voces, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Conſtat, 1. Ex Matth. cap. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Quæ verba ex ſenſu Eccleſiæ continent formam Baptiſmi. 2. Ex Patribus apud Bellarm. & alios. 3. Ex cap. *Si revera*, de conſecr. diſt. 4. Ubi Pelagius Papa jubet, hæreticos ſolummodo in nomine Chriſti baptizatos, iterum baptizari in nomine Trinitatis. Et cap. *In Synodo*, ead. ubi Zacharias Papa aſſerit eum; qui ſine invocatione Trinitas baptizatus eſt, Sacramentum regenerationis non habere. Per Trinitatem intelliguntur tres Perſonæ diſtincte invocatæ, ſecundum uſum Eccleſiæ & præceptum Chriſti, ut etiam ibidem explicatur. 4. Ex Concil. Nicæno I. can. 19. jubente Paulianiſtas rebaptizari, quia ſcilicet non baptizabantur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut docet Innocentius I. epiſt. 2. & ex Conc. Lateran. IV. cap. 1. ubi Sacramentum Baptiſmis ſic explicat, nempe, *quod ad Dei invocationem, & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus Sancti conſecratur in aqua.* Item, ex Conc. Florent. 5. Quia cum Baptiſmus ſit *fidei Sacramentum*, cap. 4. *de Baptiſm.* debet in eo conferendo fieri expreſſa mentio Trinitatis; quæ eſt primarium objectum fidei & fundamentum ſalutis.

Hinc non valet Baptiſmus, v. gr. 1. Si dicatur *In nomine Trinitatis: In nomine Dei unius & trini*; vel, *In nomine trium perſonarum Trinitatis.* Quia requiritur diſtincta expreſſio ſingularum perſonarum, & quidem ſecundum eas rationes, quibus conſtituuntur, & inter ſe diſtinguuntur, nempe ſecundum proprietates Perſonales, ſeu relationes Paternitatis, Filiationis, & Spirationis paſſivæ. 2. Si dicatur *In nominibus*, quia non exprimitur eſſentiæ unitas, cujus expreſſio eſt eſſentialis forma, ut ſemper intellexit Eccleſia. Et vero tam neceſſaria eſt ad ſalutem profeſſio Unitatis Dei, quam Trinitatis perſonarum, quæ neceſſario exprimendæ ſunt.

Dubiæ autem ſunt hæ formæ, *In virtute* vel *auctoritate*, vel *ſub invocatione Patris &c.* Item, *In nomine Patris, in nomine Filii, & in nomine Spiritus Sancti*; & in nomine *Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque.* Immo S. Thom. 3. part. qu. 66. art. 5. ad 7. docet, in aliis nominibus quam Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, non perfici Sacramentum.

*Reſp.* 4. Non eſt de eſſentia formæ, ut exprimatur miniſter ſaltem expreſſe. Nam Conc. Flor. approbat hanc Græcorum formam: *Baptizatur talis ſervus Chriſti in nomine &c. vel baptizatur manibus meis talis in nomine Patris &c.*

Quæſt. VI. *An Baptiſmus iterari poteſt?*

*Reſp.* 1. Eſt de fide, Baptiſmum valide ſuſceptum nunquam poſſe iterari, 1. Ex Epheſ. 5. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma.* 2. Ex Traditione & praxi Eccleſiæ. 3. Ex Symbolo *Confiteor unum Baptiſma.* 4. Ex Conc. Flor. & ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 11. Unde Baptiſmi iteratio eſt grave ſacrilegium, tam ex parte dantis, quam recipientis ſcienter, ex c. 108. & 118. de conſec. diſt. 4. (*a*). Quia eſt contra inſtitutionem Chriſti, applicando Sacramentum ſubjecto incapaci; & per hoc ſignificatur, Chriſtum eſſe denuo morti ac ſepulturæ obnoxium, ex Heb. 6. cum per Baptiſmum commoriamur & conſepeliamur Chriſto. Rom. 6.

*Reſp.* 2. Iterari debet Baptiſmus ſub conditione, dum poſt diligentem inquiſitionem dubitatur an Baptiſmus ſit datus. Conſtat ex S. Leone, in c. 111. & 113. de conſec. diſt. 4. & aliis canonibus, & ex c. 1. *de Bapt.* ubi Alexander III. ait; *De quibus dubium eſt an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmiſſis; ſi baptizatus es, non te baptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, Ego te baptizo &c.* Idque ſive dubium ſit poſitivum, quia ſcilicet ſunt rationes in utramque partem probabiles; ſive ſit negativum, quia ſcilicet nulla ſunt indicia ad judicandum hominem eſſe baptizatum, c. *Parvulos*, de conſecr. diſt. 4. Ratio eſt, quia alias homo probabili periculo damnationis exponeretur ob carentiam Baptiſmi; & aliunde talis neceſſitas impedit omnem irreverentiam in Sacramentum, quod propter ſalutem hominum inſtitutum eſt (*b*).

Idem

(a) *Baptiſmus cum conditione adjecta non confertur abſque lethalis culpæ crimine, niſi prudens dubitandi ratio ſuppetat, an antea Baptiſmus validus collatus ſit.* *Lambertinus* de Syn. Diœc. c. 6. §. 3.

(b) *Si de adminiſtrato Baptiſmate unus tantummodo teſtis affirmet, ut obſtetrix, cum illa tunc teſtificetur de facto proprio, ex hoc tantummodo non eſt hoc Sacramentum reiterandum, ſiquidem illa interrogata, materiam & formam hujus Sacramenti probe ſcire demonſtrat. Idemque præſtandum eſt in locis, ubi obſtetrices antequam ad munus iſtud admittantur, de ratione adminiſtrandi rite Baptiſmum edoceri ſolent,* *Lambertinus* de Synodo Diœceſ. lib. 7. cap. 6. §. 4. *Ceterum teſtis unicus, etiamſi mulier ſit, ſufficit ad probandum Baptiſmum.* Can. Parvulos, & *can.* cum itaque. *At ſi teſtimonium ſit ab homine incerto, in re adeo gravi ignoto teſtimonio deferre non poſſumus; quare tunc rebaptizandus eſt infans ſub conditione, etiamſi ſchedulam, de ſuſcepto Baptiſmate e collo ſuſpenſam ferat, uti pro expoſitis in hoſpitali de S. Spiritu in Saxia de Urbe, reſpondit Sacra Congregatio Concilii die 5. Januarii 1724.* Ibid. §. 5.

*Si vero agatur de baptizatis ab Hæreticis, qui ad fidem Romanam venire petunt, tunc oportet inveſtigare, numquid in ſecta illa Hæreticorum innovatum ſit aliquid circa materiam, & formam Baptiſmi. Quod & ſi ex iſta inveſtigatione nihil certi reſultat, tunc ac in dubio Baptiſmate agendum eſt. Hoc dubium rationabile cenſendum eſt in Baptiſmate hæreticorum Hollandiæ, apud quos mos invaluerat, ut alter aquam funderet, alter formam pronuntiaret. Quare & nunc pariter, ut in re dubia cum illis agendum eſt, uti & cum Hæreticis Angliæ, quemadmodum ex Silvio, aliiſque ſtatuitur.* Ibid. §. 8.

Irre-



Idem dic, ſi ſit probabile dubium, an Baptiſmus datus ſit cum ſufficienti materia, vel forma, vel intentione. Nam tunc æque periclitatur ſalus hominis; & canones qui expreſſe loquuntur de dubio facti, Intelligendi etiam ſunt de dubio juris, quod eſt hic æquivalenter dubium facti: qui enim dubitat an Baptiſmus ſit datus cum legitima materia, vel forma, vel intentione, æquivalenter dubitat an ſit vere datus. Unde S. Gregorius lib. 12. epiſt. 31. ait: *Ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur rite peractum.*

Hinc ſic rebaptizandi ſunt infantes expoſiti, ſi non habeant ſchedulam, aut aliam notam collati Baptiſmi teſtem. Immo juxta multos, & varia Concilia, & Rituale Tullenſe, etiamſi habeant, ſi re diligenter inveſtigata, nihil certi aliunde reperiatur. Quia illa ſchedula, aliave nota ab ignoto, ideoque incertæ fidei auctore appoſita non ſufficit ad certitudinem moralem, quam tamen requirunt canones ad non rebaptizandum. Hinc Conc. Carthag. V. cap. *Placuit*, diſt. 4. de conſecr. ait. *Placuit de infantibus quoties non inveniantur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos.* Et vero caritas obligat ad ſuppeditandum proximo medium ſalutis neceſſarium, niſi conſtet jam adhibitum fuiſſe; alioqui ejus ſalus æterna morali periculo committeretur.

Dixi, *ſub conditione*, ut vitetur periculum irreverentiæ, & reiterationis Baptiſmi vere ſuſcepti.

✠ De forma Baptiſmatis, alteriuſve Sacramenti characterem imprimentis, ex profeſſo agitur in laudato Opere de Synodo lib. VII. cap. 6., ubi cum plura ſcitu digna, & quæ in vulgaribus Theologis plerumque deſiderantur, explicata ſint, omnia excerpſimus, ac Auctoris quæſtioni addidimus. Hanc formulam, inquit, *a Scholaſticis eſſe adinventam, & in eccleſiam invectam, plerique viri eruditi exiſtimarunt; ſed eos toto cælo aberraſſe, ait Martene* de antiquis Eccl. ritib. tom. 1. lib. 1. c. 1. ar. 15. n. 10. *Siquidem longe ante Scholaſticos, S. Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus in ſuis ſtatutis circa ann. 745. conditis,* & tom. 9. *Spicilegii a Luca Dacherio editis, c. 15. hæc habet:* Si de aliquibus dubium ſit, utrum ſint baptizati, abſque ullo ſcrupulo baptizentur; his tamen verbis præmiſſis: Non te rebaptizo, ſed ſi nondum es baptizatus, Ego te baptizo. *Idemque, ac totidem fere verbis ſtatutum legimus* Capitular. lib. 6. cap. 184. *apud Baluzium* tom. 1. pag. 164. *e quibus idem decretum excerpſit, ac ſuæ canonum collectioni* ſub tit. 11. cap. 17. *inſeruit Iſaac Epiſcopus Lingonenſis, apud Harduinum* Collect. Conc. tom. 5. col. 447. *Licet porro ante ſæculum* VIII. *prædictæ conditionatæ formulæ expreſſam mentionem in Conciliis, & Patribus non inveniamus, quemadmodum, præter laudatum Martene, obſervarunt Juenin.* de Sacram. diſſ. 1. q. 3. c. 5. ar. 1. & *Tournelly* prælect. tom. 5 de Sacram. in genere q. 11. ar. 6. edit. Venet. pag. 38. & 39. *non recte tamen inde intulit Natalis Alexander* hiſt. Eccl. ſæc. XV. c. 4. art. 12. *illam non fuiſſe in uſu, quinimmo ex antiqua, & conſtanti Eccleſiæ praxi oppoſitum colligi putamus, quod hac ratiocinatione oſtendimus Perpetuum Catholicæ Fidei dogma fuit, unicum eſſe Baptiſma, juxta illud Apoſtoli* ad Epheſ. 5. 4. Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma, *quod propterea ſemel rite collatum, ſine gravi piaculo iterari poſſe, ſemper Eccleſia negavit, ut conſtat ex can.* 47. Apoſtolor. *juxta verſionem Dionyſii*, & can. 3. *Concilii Valentini an.* 374. & can. 38. *Concilii Carthaginienſis* III. *anni* 397. *quibus in locis temere rebaptizantes gravibus ſubduntur pœnis, & Eccleſiaſtica communione privantur. At eadem Eccleſia, quæ ita docuit, eos nihilominus, de quibus dubitatur, an eſſent in Chriſto regenerati, incunctanter baptizandos præcepit, quod innumeris teſtimoniis comprobatur. Anno* 311. *diſputatum fuit de Baptiſmo Clinicorum, num ſcilicet validum eſſet Baptiſma per aſperſionem datum ægrotis in lecto decumbentibus: conſulitur Cyprianus; reſpondet Sanctus Doctor* epiſt. 76. ad Magnum, *validum quidem ſibi illud videri; iis autem, qui dubitabant auctorem ſe eſſe, ut illud iterum conferrent:* Si aliquis exiſtimat (*ait Cyprianus*) eos nihil conſequutos, eo quod aqua ſalutari tantum perfuſi ſunt, ſed inanes, & vacui ſunt, non decipiantur, ut ſi incommodum languoris evaſerint, & convaluerint, baptizentur. *Sæculo* V. *a Legatis Maurorum interrogantur Patres Concilii Carthaginenſis* VI. *anno* 401. *quid agendum foret de pueris, quos an baptizati eſſent, nemo certo ſciret: ad quod reſponderunt Patres* can. 6. (collect. Hard. tom. 1. col. 987.) Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe, ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt idonei de traditis ſibi Sacramentis reſpondere: abſque alio ſcrupulo eos eſſe baptizandos, ne iſta trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari, *eumdemque canonem renovarunt Synodus Africana anni* 401., & *alia Synodus Carthaginienſis ſub Bonifacio Epiſcopo anno* 507. *Idem ad Ruſticum Narbonenſem, atque iterum ad Neonem Epiſcopum Ravennatem reſcripſit Leo Magnus: ad hæc eadem præcedentium Conciliorum, & Patrum decreta alluſit* Gregorius II. *cum de eadem re interrogatus a Bonifacio Epiſcopo*, epiſt. 2. num. 9. tom. 3. collect. Hard. col. 1859. *reſpondit:* De parvulis, qui a parentibus ſubtracti ſunt, & an baptizati, an non ignorant, quia interrogaſti: hos ut baptizare debeas, ſecundum Patrum traditionem, ſi non fuerit, qui teſtificetur, ratio expoſcit. *Jam vero cum ex his, aliiſque ſimilibus teſtimoniis a laudato Martene prolatis luculenter pateat, antiquum atque ipſi Eccleſiæ coævum uſum fuiſſe, eos baptizare, de quibus dubitabatur, num, per regenerationis lavacrum, ab originali culpa eſſent expiati, ne dicamus, Eccleſiam in eumdem incidiſſe rebaptizantium errorem, quem*

toties

*Irregularitas porro ex iteratione Baptiſmi contrahitur, etiamſi Baptiſmus abſque prudenti dubio ſub conditione innovetur, ut ex Catechiſmo Romano multo probabilius deducitur.* Initiut. Eccl. 84. §. 18. *Hanc vero pœnam etiam baptizantem efficere non baptizatum tantummodo, ferme inter omnes convenit. Sicut & ea affecti non tantum ad altiores ordines aſcendere vetantur, ſed & ab exercitio jam ſuſceptorum ordinum abſterrentur, quæ tamquam magis cohærens auctoritati Catechiſmi Romani opinio præfertur alteri neganti.* Ibid. §. 18.

totíes deteſtata erat, & damnaverat, neceſſe eſt exiſtimare non aliter in ea dubietate Baptiſmum conferri voluiſſe, quam ſub tacita, & mente concepta conditione, Si nondum es legitime baptizatus. *Hæc autem conditio, quæ prius mente tantum concipiebatur, cœpit ſæculo* VIII. *in ipſa Baptiſmi forma exprimi, & pronuntiari; quam quidem diſciplinam multis jam in locis receptam, Alexander III. ſæculo* XII.*, non ſolum approbavit, ſed ubique ſervandam edixit* in c. de Baptiſmo, *inquiens:* De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur, his verbis præmiſſis: Si baptizatus es, non te baptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo &c. *Eamdem ſanctionem confirmavit Joannes XXII. apud Odericum Rainaldum* ad an. 1333. *num.* 142.

2. *Non ideo tamen, quod per præfatam conditionem periculum evitetur rebaptizandi, qui jam ſemel fuerit legitime baptizatus, eſt illa paſſim, & temere adhibenda, ſed tunc ſolum ea uti licebit, dum prudens, & probabilis ſubeſt dubitatio, an quis fuerit baptizatus, nec diligenti præmiſſa indagatione potuit rei veritas innoteſcere, quemadmodum ſcite perpendit Sotus* in 4. diſt. 4. qu. unic. art. 9. §. Circa hanc ſolutionem, *ubi a ſacrilegio non excuſat, neque ab irregularitate abſolvit Sacerdotem ſub conditione rebaptizantem, quem ſcit domi baptizatum, & nihil eſt, quod collatum ei Baptiſma rationabiliter ſuſpectum reddat. Quare minime ſectanda ſunt exempla, quæ congeſſerunt Gobat* tom. 1. tr. 2. ſect. 3., & *Marin.* Theolog. tom. 3. tr. 19. diſp. 1. ſect. 8. n. 140. *ubi plures ſub conditione baptizatos narrant, qui, ob merum ſcrupulum, non tam dubitabant, quam imprudenter ſuſpicabantur, ſe non eſſe rite baptizatos; quam quidem conditionatam Sacramenti iterationem, ob conſequutos, ſeu potius apprehenſos effectus quietis conſcientiarum, iidem Auctores videntur approbare: ſed potius aures præbendæ ſunt Eſtio* in 4. diſt. 4. §. 15. *hæc ad rem adnotanti:* Sciendum eſt non quamcumque levem in contrarium ſuſpicionem, vel ſcrupulum debere ſufficere ad hoc, ut ſub conditione, quis hoc pacto baptizetur, ſed requiri dubitationem probabilem: Ea autem probabilis dubitatio eſt, quæ facta etiam diligenti indagine, diſcuti non poteſt, ita ut nec moralis certitudo facti haberi queat. *Immo verius obtemperandum eſt Catechiſmo Romano* par. 2. de Sacram. Baptiſm. num. 57. *ubi de forma conditionata ait:* Ea Baptiſmi forma ex Alexandri Papæ auctoritate in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter diſcuſſa, in dubium relinquitur, an Baptiſmum ſuſceperint, aliter vero numquam fas eſt, etiam cum adjunctione, Baptiſmum alicui iterum adminiſtrare.

3. *Quæ hucuſque diximus, copioſius adhuc & clarius a nobis expoſita pluribuſque Sacræ Congregationis Concilii reſponſis confirmata fuere* in noſtra Notific. 84. *ubi non ſolum ex ejuſdem ſacræ Congregationis ſententia oſtendimus, non eſſe Baptiſmum, nec ſub conditione quidem, iterandum, cum nulla occurrit prudens ratio dubitandi de prioris Baptiſmi validitate, ſed etiam ab irregularitate iterantibus Baptiſma inflicta ab Alexandro III.* in cap. Ex litterarum, de Apoſtatis, & iterantibus Baptiſma, *non eximi probavimus, qui ob ſolum apprehenſum prioris Baptiſmi vitium, nullaque præmiſſa veritatis indagatione, illud denuo ſub conditione conferunt, quibus certo ſciunt jam ſemel antea fuiſſe collatum. Etenim quamquam plures Doctores iſtiuſmodi ſub conditione rebaptizantes a gravi culpa, atque ab irregularitate abſolvant, eo quod per adjectam conditionem ſatis conſultum exiſtiment reverentiæ debitæ Sacramento, ad quod conficiendum non aliter fertur intentio Miniſtri, niſi ſi rite confectum non fuerit aliud antea adminiſtratum, hæc tamen ſententia rejicitur a Catechiſmo Romano* cit. loc., *ubi reprobantur aſſerentes,* nullum ſcelus admitti, ſi quemvis ſine delectu, cum adjunctione illa (*videlicet conditionis*) baptizent, *eidemque opinioni refragatur auctoritas S. Caroli, in cujus Inſtructionibus inter Acta Eccleſiæ Mediolanenſis* pag. 497. *hæc de forma conditionata habentur:* Qua forma utitur, cum infans, aliuſque, qui Baptiſmo offertur, re diligenter perquiſita, dubium relinquitur, aut certe non apparet, eum baptizatum eſſe, ut de expoſitis inventiſque parvulis dubitari, atque ignorari ſæpe numero ſolet. Quod ſi, re accurate inveſtigata, exploratum habuerit, illum forma ſervata baptizatum eſſe, caveat omnino, ne hanc ſub conditione baptizandi formam adhibeat, cum ſacrilegium committat, ſi contra fecerit; & illud impedimentum contrahat, quod ſacri Canones irregularitatem vocant.

4. *In alia itidem noſtra* Notificat. 8. *hanc eamdem materiam tractantes diximus, cum Cardinali Albitio* de inconſtantia in Fide c. 33. a num. 14. uſque ad 16. *Improbandas eſſe Synodos, in quibus generatim, atque indiſtincte, iterum ſub conditione, in Eccleſia baptizari jubentur quicumque privatim fuere ab obſtetricibus domi baptizati. De hiſce Synodis, ac Ritualibus idem decernentibus, agit Holzman* in ſua Theologia Morali tom. 2. tract. 1. c. 1. art. 2. *qui licet eorumdem Auctores hoc nomine excuſet, quod ſcilicet dubium illis viſum fuerit Baptiſma ab obſtetrice collatum, fatetur nihilominus, minus caute, ac nimium indefinite eos loquutos, cum debuerint potius rerum circumſtantias diſtinguere, eaſque determinare, quæ incertam reddunt validitatem collati Baptiſmi, quem propterea tunc oporteat ſub conditione iterari. Enim vero ſi obſtetrices de Sacramenti materia, forma, & neceſſaria in Miniſtro intentione ſint legitime edoctæ, ſicuti mox* in cit. Notific. 8. *eas per Parochos ſolerter edoceri juſſimus, priuſquam ad obſtetricum officium exercendum admittantur, eæque in ſpeciali eventu, quo Baptiſma periclitanti infanti privatim contulerint, ab eodem Parocho interrogatæ omnia rite a ſe adhibita teſtantur, quæ ad Sacramentum valide conficiendum requiruntur, nulla ſane ſubeſt probabilis ratio, cur Baptiſmus debeat, aut licite poſſit ſub conditione repeti. Scimus utique in aliis Synodis relatis a Giberto,* cit. tom. 2. conſult. Canonicar. conſult. 16. *cautum reperiri, ne plena fides habeatur ſolius obſtetricis teſtimonio, niſi comprobetur aſſertione aliorum, qui Baptiſmo præſentes fuerint: verum quamquam ex plurium atteſtatione major profecto hauriatur rei geſtæ certitudo, attamen ſacri Canones ſufficienter probatam habent collationem Baptiſmatis per unicum teſtem, præcipue ſi is teſtificetur de facto proprio, hoc eſt ſi affirmet illud fuiſſe a ſe legitime adminiſtratum, nec quidquam in contrarium occurrat, quod illius teſtimonio fi-*

*dem*



*dem detrahat, uti diſerte decernitur* in can. 110. & 113. de conſecr. diſt. 4. & cap. Nuper de teſtibus, *ubi Interpretes omnes.*

5. *Aliud eſt, cum collati Baptiſmi teſtimonium præbetur a perſona incerta: etenim cum juxta reſcriptum Imperatoris Hadriani ad Junium Ruſinum, Proconſulem Macedoniæ, relatum a Calliſtrato in l. Teſtium 3. §. de Teſtib.* Teſtibus non Teſtimoniis ſit credendum, *non debemus rem adeo gravem committere fidei perſonæ ignotæ, cujus qualitates, uti Calliſtratus* in cit. leg. *faciendum monet, explorare non poſſumus. Quare Sacra Congregatio Concilii interrogata, an iterum baptizandi eſſent infantes,* vulgo expoſiti *ad Hoſpitale S. Spiritus in Saxia de Urbe delati, etiamſi habeant collo appenſam ſchedulam atteſtantem, eos fuiſſe Baptiſmate ablutos: Die 15. Januarii 1727. reſpondit, eſſe denuo baptizandos, ſub conditione, niſi certa habeatur notitia perſonæ, a qua ſchedula ſit exarata, aut aliunde indubitatum deſumatur indicium Baptiſmatis, rite eidem collati, quod nos* in noſtra Notific. 8. *animadvertimus, & videre eſt* in Theſaur. Reſol. tom. 1. pag. 412. & tom. 3. pag. 2.

6. *In eadem ſententia fuerunt Patres Concilii Provincialis Toloſani habiti a Cardinali Franciſco de Joyoſa anno 1590. in cujus* p. 2. *decernitur:* Cum projectis, expoſitiſque puerulis, licet affixa reperiatur ſchedula, quæ eos baptizatos eſſe teſtetur, in id tamen, an vere factum ſit, Parochi diligenter inquirent; ſi certi nihil compererint in ſcripto chartulæ nomine, eos ſub conditione baptizabunt (tom. 10. collect. Hard. col. 1696.) *Cumque minorem fidem collati Baptiſmatis, quam ſchedula incerti Auctoris faciant alia ſigna expoſito infanti appoſita, puta ſal, ideo rectiſſime a Richardo Poor Epiſcopo Sarum, cautum legitur:* Si vero pueros cum ſale, vel ſine ſale expoſitos contingat inveniri, baptizentur, *ſub conditione tamen, ut ſtatim ibidem explicatur* tom. 1. Conc. Britan. Henric. Spelman pag. 243.

7. *Itaque ſi Epiſcopus in ſua Synodo loqui velit de Sacramentorum forma conditionata, quod profecto nedum utile, ſed quandoque etiam neceſſarium reputamus, omnia præ oculis habeat, quæ hactenus enarravimus, atque ad eorum normam congruam formet inſtructionem: ad quam Parochi in illa adhibenda ſe debeant conformare. Quod ſi diœceſi præſit, in qua ſæpe contingat, baptizatos ab Hæreticis, ejurata hæreſi, qua erant imbuti, in Catholicæ Eccleſiæ gremium ſeſe recipere: & dubitetur, uti alicubi dubitatum ſcimus, an ii iterum ſint, ſub conditione baptizandi, antequam in re admodum ſane gravi & ardua quidquam decernat, diligenter inveſtiget, oportet, num in illa Hæreticorum ſecta, de qua agitur, aliquid innovatum fuerit circa Baptiſmi materiam, & formam a Chriſto Domino inſtitutas: ſi enim utramque ab ejuſdem ſectæ Pſeudo-Miniſtris rite adhiberi deprehenderit, non poteſt permittere, ut Baptiſmus ullo pacto iteretur, quin veniat in ſuſpicionem erroris rebaptizantium a S. Stephano I. atque uti affirmat Auguſtinus* (lib. 2. c. 8. de Baptiſmo contra Donatiſtas) *a Concilio Plenario proſcripti, ſive ejuſmodi Concilium fuerit Arelatenſe I., ſive magnum Nicænum, de quo litigant Eruditi: ſi autem certo compererit, aut batizandi corpus ab illis non perfundi aqua naturali, aut formam pronuntiari ſine expreſſa invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, ſeu alia ratione ab illa diverſa, quam Chriſtus inſtituit, Baptiſmum abſolute renovari jubeat. Ob non adhibitam quippe legitimam formam* Can. 8. *Concilii Laodiceni* (tom. 1. collect. Hard. col. 7[illegible].) *rebaptizandos decrevit Hæreticos Montaniſtas: & Gregorius Magnus* lib. 11. indict. 4. epiſt. 66. (tom. 2. oper. coll. 1167.) *ſcribens ad Epiſcopos Iberos, univerſim ſtatuit:* Hi vero Hæretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur ... cum ad ſanctam Eccleſiam veniunt, baptizentur, quia Baptiſmus non fuit, quod in errore poſiti in Sanctæ Trinitatis nomine minime ſuſceperunt. *Hæc ſapienter reſpexit Cardinalis de Rohan in ſuo Rituali Argentinenſi:* ad tit. de Baptiſmo, *cum ait:* Baptizati ab iis Hæreticis, qui rectam baptizandi formam non retinent, denuo abſolute baptizari debent. *Quod ſi denique diligenti præmiſſa perquiſitione, rei veritatem certo aſſequi nequiverit, & dubia ſibi atque incerta remaneat validitas Baptiſmatis ab Hæretico Miniſtro ſuſcepti, illud utique erit ſub conditione repetendum,* quod in cit. noſtra Notific. 84. *declaratum diximus a Sacra Congregatione Concilii, quæ interrogata:* An, & in quibus caſibus baptizati ab Hæreticis debeant ſub conditione rebaptizari, ſi ad Fidem Catholicam convertantur, *die 27. Martii 1683. reſpondit, non eſſe rebaptizandos,* niſi adſit dubium probabile invaliditatis Baptiſmi.

8. *Rationabiliter porro Patribus Concilii Provincialis Mechlinienſis anni 1607. incertum ſaltem, & dubium viſum eſt Baptiſma collatum ab Hæreticis Hollandiæ, finitimarumque regionum, apud quos mos invaluerat, ut uno aquam fundente, alter Sacramenti formam pronunciaret, ac propterea juſte illud iterandum decrevere,* tit. 3. c. 6. Et quia frequens experientia docet, modernos Hæreticos ſæpe contra receptam Eccleſiæ conſuetudinem, & antiquiſſimam traditionem baptizare, uno aquam fundente, alio formam ipſam pronunciante, ab Hæreticis (qui non ſunt ad baptizandum admittendi, ubi aliquis Catholicus præſto eſt) baptizati ſimiliter ſub conditione baptizentur (collect. Hard. tom. 10. col. 1643.) *Cujus quidem Concilii ſanctionem tuto ſectari poſſunt, & debent aliarum Eccleſiarum Præſules, a quibus ſint Eccleſiæ reconciliandi Hæretici iis in locis baptizati, ubi eumdem erroneum Baptiſmi ritum plerumque adhiberi non ex incerto rumore, ſed ex fide dignis teſtimoniis acceperint, atque ideo merito ſuſpicentur, eodem modo fuiſſe etiam illos baptizatos, qui in Catholicorum numerum petunt aggregari, quod eam ob cauſſam cum Hæreticis Angliæ faciendum, docuere Sylvius* in 3. par. qu. 66. art. 9. *Cardinalis Delugo* in reſponſ. moral. lib. 1. dub. 1. n. 3. *Gobat.* tr. 1. 392. *Laurentius Neeſſen* tr. de Baptiſmo dub. 3. *Ludovicus Michon* in caſibus de Sacram. caſ. 5. & *La Croix* lib. 6. part. 2. n. 322.

9. *Caveat tamen Epiſcopus, ne incertam, & dubiam pronuntiet Baptiſmi validitatem, hoc tantum nomine, quod hæreticus Miniſter, a quo fuit collatus, cum non credat per regenerationis lavacrum deleri peccata, illud non contulerit in remiſſionem peccatorum, atque ideo non habuerit intentionem illud* con-

*conficiendi, prout a Chriſto Domino eſt inſtitutum: ſiquidem cum in Galliis diſputatum olim fuerit, an ob prædictam rationem rebaptizandi eſſent baptizati a Calviniſtis, S. Pius V. ad quem controverſia delata eſt, minime rebaptizandos definivit: Sacramenti enim validitati non officit privatus Miniſtri error, cui prævalet generalis ejuſdem Miniſtri intentio faciendi, quod Chriſtus inſtituit, ſeu quod fit in vera Chriſti Eccleſia, quemadmodum teſtantur Acta Concilii Ebroicenſis anni 1576., ubi hæc ad rem adnotantur:* Ante deciſionem Apoſtolicæ Sedis Romanæ, licuit fortaſſe cuique in ſuo ſenſu abundare. Verum quoniam poſt habitam de hac defficultate diſputationem, felic. record. Pius V. definivit, verum eſſe Baptiſma, quo utérentur Calviniſtæ adhibentes formam, & materiam a Chriſto inſtitutam, cum intentione generali faciendi, quod Chriſtus inſtituit, licet errarent in particulari interpretatione, & ſingulari intentione, ut alii fere omnes Hæretici errarunt, vel circa intelligentiam formæ baptiſmalis, vel circa aliquem ejus effectum: ob id baptizatos ab ipſis Calviniſtis non iterum tingendos ſub conditione &c. Hinc interdicimus omnibus Curatis, & Presbyteris ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto a Divinis, ne allatos ad ſe pueros, jam baptizatos a Calviniſtis, audeant iterum tingere ſub illa conditione. *Alia ſimilia Synodorum ſtatuta legi poſſunt apud Grancolas* in antiquo Sacramentario Eccleſiæ, (par. 2. pag. 153. & ſeq.)

Quæſt. VII. *An & quomodo Baptiſmus eſt neceſſarius?*

*Reſp.* 1. Baptiſmus in re, vel in voto neceſſarius eſt omnibus neceſſitate medii ad ſalutem, ex Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* Ex Traditione, ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. & ſeſſ. 7. can. 5. Infantibus vero extra martyrium neceſſarium eſt in re, cum ſint incapaces voti, ſeu deſiderii Baptiſmi in actu caritatis perfectæ contenti.

Porro illud eſt neceſſarium in re, quod ſecundum ſe neceſſario & abſolute adhiberi debet, ita ut nihil ſit, quod ejus vicem ſuppleat. Illud eſt neceſſarium ſaltem in voto quod neceſſario debet adhiberi vel ſecundum ſe, vel in ejus defectum, ſecundum aliquid ejus vicem tenens propter ſuam eminentiam, & ejus votum vel explicitum, vel implicitum continens.

*Reſp.* 2. Adulti ſufficienter inſtructi tenentur jure divino ſuſcipere Baptiſmum, ſtatim atque moraliter poſſunt cum debitis diſpoſitionibus, ita ut non diu differant. Tum quia quiſque tenetur ex caritate adhibere media ad ſalutem neceſſaria; tum quia quiſque tenetur ex præcepto Chriſti ingredi Eccleſiam per Baptiſmum, qui eſt ejus janua, & fidem ſuam profiteri. Quæ præcepta per ſe obligant ad non diu differendam eorum obſervationem.

*Reſp.* 3. Parentes tenentur graviter, Baptiſmum liberis ſuis procurare brevi poſt eorum nativitatem tempore, ita ut mortaliter peccent, ſi diutius id differant; quia conſuetudo univerſalis Eccleſiæ baptizandi parvulos brevi poſt eorum nativitatem tempore habet vim legis graviter obligantis ob materiæ gravitatem, & ex decretis particularium Eccleſiarum ad id tenentur intra triduum, vel quatriduum, prout ab Eccleſia propria præſcribitur. Et vero in teneris infantibus ſemper eſt aliquod ſubitæ mortis periculum.

Quæſt. VIII. *Quinam eſt miniſter idoneus Baptiſmi?*

*Reſp.* 1. Quilibet homo viator ratione utens poteſt in quovis caſu valide baptizare. Conſtat ex Concilio Trid. & Gener. Later. IV. cap. *Firmiter*, definiente, *Baptiſmum tam parvulis, quam adultis in forma Eccleſiæ a quocumque rite collatum proficere ad ſalutem.* Et ex Traditione & praxi Eccleſiæ nunquam rebaptizantis a quovis rite baptizatum. Nemo tamen poteſt ſe ipſum baptizare, cap. 4. *de Baptiſmo*. Nam requiritur diſtinctio inter generantem & genitum ſpiritualiter: & Chriſtus Miniſtrum & ſubjectum baptiſmi aperte diſtinguit his verbis, Matth. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos &c.*

*Reſp.* 2. Solus Sacerdos ſive ſit Epiſcopus, ſive Presbyter, eſt ordinarius Baptiſmi miniſter: Diaconus vero tantum extraordinarius. *Probatur* ex Conc. Florent. in Decreto de Sacram. ibi: *Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In caſu autem neceſſitatis non ſolum Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam laicus, vel mulier, immo etiam paganus, & hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia.*

Quare extra neceſſitatem ſub mortali baptizare non licet, niſi ſoli Sacerdoti, & quidem juxta omnes, paſtori, vel ejus delegato; quia poteſtas & jus admittendi ad Eccleſiam pertinent ad paſtorem, qui præeſt illi Eccleſiæ particulari, cui baptizatus aggregatur. Homo autem per Baptiſmum recipitur in Eccleſiam, & fit ejus membrum. At mortale eſt, jus alienum propria auctoritate uſurpare in re gravi, præſertim contra debitam gubernationem, ordinem & uſum Eccleſiæ.

*Reſp.* 3. In caſu neceſſitatis quilibet tenetur baptizare: nam quiſque tenetur lege caritatis ſubvenire proximo neceſſitatem patienti, niſi alius adſit qui poſſit & velit ſubvenire. Tunc tamen ſi plures adſint, præferri debet Diacono Sacerdos, ille Subdiacono, hic inferioribus clericis, clericus laico, vir fœminæ, fidelis infideli, non excommunicatus excommunicato: nam reverentia Sacramento debita exigit, ut digniores præferantur, per ſe loquendo. Quare mortale eſt, ſi ſine cauſſa juſta non præferatur Sacerdos non Sacerdoti, fidelis non baptizato, non excommunicatus excommunicato, Diaconus non Diacono: nam tunc fit gravis irreverentia in Sacramentum. Inverſio autem ordinis quoad alios, juxta multos, eſt ſolum venialis, quia irreverentia non cenſetur gravis.

Dixi, *per ſe loquendo*: quia per accidens poteſt hic ordo inverti, nam ex Rituali Romano mulier præferri debet viro, vel ratione majoris peritiæ ad baptizandum, vel ratione honeſtatis ac pudoris, ut ſi infans ob periculum vitæ imminens ſit baptizandus, antequam totaliter ex utero prodierit. *Quapropter curare debet parochus, ut fideles, præſertim obſtetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant & ſervent*, ait Rituale Romanum. Et hæ ad id graviter tenentur ex caritate & officio, ideoque ex juſtitia propter pericula ſæpe contingentia in partu.

Porro pater & mater prohibentur propriam prolem baptizare, niſi in articulo mortis, & deficiente alio.

*Nota*. Mortale eſt extra neceſſitatem baptizare ſine ſollemnitate & extra Eccleſiam, præter filium Regis aut Principis, *Clem. de Bapt.* Quia Eccleſia ob honorem Sacramenti ſollemnitates graviter præcipit.

Quæſt. IX. *An unus miniſter poteſt ſimul plures baptizare?*

*Reſp.* In caſu urgentis neceſſitatis poteſt; nam hoc non repugnat inſtitutioni Chriſti, neque per hoc mutatur ſubſtantialiter forma Eccleſiæ, dicendo ſcilicet; *Ego vos baptizo &c.* quia plurale non eſt niſi ſingulare geminatum.

Quæſt. X. *An idem poteſt a pluribus baptizari?*

*Reſp.* Neg. Nam hoc eſt contra uſum Eccleſiæ, immo & contra inſtitutionem Chriſti, qui ſicut unus eſt, ita voluit, unum eſſe in unoquoque baptizando miniſtrum. Unde non valeret baptiſmus, ſi plures dicerent: *Nos te baptizamus in nomine Patris &c.* Ita S. Thom. 3. par. q. 67. art. 6.

Quæſt. XI. *Quid dicendum de Patrinis?*

*Reſp.* 1. Ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine vim legis habente, & manante ex Apoſtolica Traditione, debet ſub mortali adhiberi in Baptiſmo ſollemni ſuſceptor, ſeu patrinus, vel ſuſceptrix, ſeu matrina. Unus autem tantum ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum unus & una adhibeantur, ex decreto Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 2.

*Reſp.* 2. Patrini officium eſt, 1. Offerre baptizandum baptizanti. 2. Reſpondere pro baptizando, ſi is per ſe nequeat. 3. Tenere illum dum baptizatur. 4. Levare de fonte. 5. Eum ſuſcipere de manu baptizantis. 6. Tenetur ſub mortali tam ob ſollemnem ſuam ſponſionem in ſuſcipiendo hoc officio, tam ex præcepto Eccleſiæ curare ut baptizatus in rebus fidei, & doctrina Chriſtiana recte erudiatur, & chriſtiane vivat, ſi alii id non præſtent, ex cap. *Vos ante*, de conſecr. diſt. 4. Ex variis Conciliis, & Catechiſmo, & Rituali Romano. Et ab hac cura paterna, quam debet illius gerere, dicitur patrinus, quia cenſentur quaſi ſpiritualis pater ſuſcepti. Et ideo inducta eſt cognatio ſpiritualis. Hinc S. Thom. 3. par. qu. 67. art. 8. ait: *Unuſquiſque obligatur ad exequendum officium, quod accepit. Dictum eſt autem, quod ille, qui ſuſcipit aliquem de ſacro fonte, aſſumit ſibi officium pædagogi: & ideo obligatur ad habendam curam de ipſo ſi neceſſitas immineret, ſicut eo tempore & loco in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter catholicos Chriſtianos, ſatis poſſunt ab hac cura excuſari, præſumendo quod a ſuis parentibus diligenter inſtruantur. Si tamen quocumque modo ſentirent contrarium, tenerentur ſecundum modum, ſaluti ſpiritualium filiorum curam impendere.*

*Reſp.* 3. Ab officio patrini excluduntur carentes rationis uſu, non baptizati, hæretici, publice criminoſi aut infames, vel excommunicati, & ignorantes fidei rudimenta. Quia hi non ſunt idonei ad curam gerendam baptizati circa fidem ac mores. Item Monachi & Abbates, c. 103. *de conſecr.* diſt. 4. & generatim Religioſi omnes & Sanctimoniales, ex Rituali Romano.

Graviter etiam prohibentur parentes propriam prolem ſuſcipere, niſi in neceſſitate, 1. & 4. cauſ. 30. q. 1. Nam alius debet eſſe pater carnalis, alius ſpiritualis. Et quia baptizans contrahit ſpiritualem cognationem cum parentibus baptizati, quæ uſum matrimonii impediret. Quæ tamen non contrahitur, ſi id fiat in caſu neceſſitatis.

Quæſt. XII. *An poteſt baptizari infans nondum natus, vel monſtrum?*

*Reſp.* 1. Infans in utero materno ita concluſus, ut aqua immediate perfundi nequeat, non eſt capax Baptiſmi, quia non poteſt vere ablui. Nec ſufficit, ſi corpus matris abluatur; quia infans eſt perſona diſtincta a matre, ac proinde ea ablura non poteſt cenſeri vere ablutus. Quod ſi per fiſtulam, aut alio artificio poſſit aqua ad illum pertingere, juxta varios valide baptizari poteſt; quia talis infans eſt homo viator, cui debite applicari poteſt materia & forma: tamen Rituale Rom. dicit generatim: *Nemo in utero matris clauſus baptizari debet.* (*a*)

*Reſp.* 2. Si infans nondum imperfecte natus caput emiſerit, & periculum mortis immineat, baptizetur in capite: nec poſtea ſi vivus evaſerit, erit rebaptizandus. At ſi aliud membrum emiſerit, quod vitalem indicet motum in illo, ſi periculum impendeat, baptizetur; & tunc ſi natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus: *Si non es baptizatus, Ego te baptizo in nomine Patris &c.* Ita Rituale Rom.

*Reſp.* 3. Si monſtrum habeat plura capita, & plura pectora, tunc totidem ſunt animæ, & homines diſtincti: unde ſinguli ſeorſum ſunt baptizandi. Si non eſt certum in monſtro eſſe duas perſonas, ut quia duo capita, & duo pectora non habet bene diſtincta, tunc debet primum unus abſolute baptizari; & poſtea alter ſub hac conditione. *Si non es baptizatus, Ego te baptizo &c.* Si vero dubium ſit, an homo ſit, an brutum, baptizetur ſub conditione. *Si tu es homo, Ego te &c.* Monſtrum autem, quod humanam ſpeciem nullatenus præſefert, non debet baptizari. Rit. Rom.

Quæſt. XIII. *An infidelium filii baptizari poſſunt invitis parentibus?*

*Reſp.* 1. Valide baptizari poſſe conſtat, cum independenter a conſenſu parentum adeſſe poſſint omnia ad valorem baptiſmi requiſita, nimirum materia, forma, & debita intentio miniſtri. Non enim ſcriptum eſt: *Niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate*; ſed, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu Sancto.*

*Reſp.* 2. Filii hæreticorum, & apoſtatarum poſſunt licite baptizari invitis parentibus, quia parentes per Baptiſmum ſiunt Eccleſiæ ſubditi, ideoque cogi poſſunt ad ſervandas ejus leges, inter quas eſt lex deferendi in Eccleſiam liberos baptizandos. Ergo iis poſſunt ſubtrahi, ut baptizentur, & rebus fidei, cum ado-

(a) *Immo ſi mulier gravida decedat, poteſt Epiſcopus præcipere, ut per ſectionem cæſaream extrahatur infans ex utero, qui forte vivus reputatur, ad hoc, ut ſacrum Baptiſma ei conferatur. Non enim impoſſibile eſt, ut vivus extrahatur. Lambertinus* de Synod. Diœceſ. lib. II. cap. 7. §. 13. nov. edit.

adoleverint, inſtruantur. Non eſſent tamen ſubtrahendi, ſi ideo religio periclitaretur, dum parentes ſubjecti ſunt principibus infidelibus; nam debet permitti minus malum, ut vitetur majus.

*Reſp.* 3. Infantes mancipiorum poſſunt & debent ipſis invitis baptizari, ſi eorum domini chriſtiani ſint. Quia tales infantes ſunt illorum, ſicut ipſi parentes: unde domini habent jus illos ſubtrahendi parentibus, & de iis tamquam de ſuis pro arbitrio diſponendi, ac proinde poſſunt curare eos baptizari, & in fide erudiri ac educari, atque ad id ſaltem ex caritate tenentur.

*Reſp.* 4. Extra certum mortis periculum, non licet baptizare infantes infidelium invitis parentibus, qui principibus infidelibus ſubjecti ſunt. Quia vel infans ſubtraheretur parentibus, & tunc fieret illis injuria; cum parentes habeant jus naturale retinendi apud ſe, & educandi liberos nondum rationis compotes, nec propriam voluntatem habentes. Vel illis relinqueretur, & tunc Baptiſmus manifeſto periculo profanationis, & baptizatus periculo apoſtaſiæ exponeretur; cum conſtet eum in infidelitate educandum.

Si tamen vel ſola mater eſſet chriſtiana, infans, invito patre infideli, ſubjecto Principi Chriſtiano, licite baptizaretur, ex Conc. Tolet. IV. c. 63. Nam ipſa habet jus inſtituendæ prolis; & præferenda eſt voluntas juſta injuſtæ in favorem prolis.

Idem quod ſupra dicunt Theologi cum S. Th. contra Scotiſtas, etiamſi parentes infideles ſubjecti ſint civiliter Chriſtiano Principi. Quia 1. Ratio allata hic etiam valet: nam hæc ſubjectio non adimit parentibus jus educandi, & retinendi apud ſe liberos ſuos. 2. Poteſtas ſæcularis non ſe extendit ad ſupernaturalia, qualis eſt ſuſceptio Baptiſmi. Eccleſia vero nullam habet juriſdictionem in non baptizatos. Quare non poteſt principibus ullam poteſtatem concedere in non baptizatos, ſicut poteſt concedere in baptizatos. 3. Ex uſu conſtanti Eccleſiæ, quæ nunquam egit apud Principes etiam religioſiſſimos, ut cogerent infideles ſibi ſubjectos ad Baptiſmum ſuſcipiendum, aut curarent omnes infantes ſubditos baptizari, ut notat S. Th.

Dixi *infantes*. Nam baptizandi ſunt pueri rationis compotes, qui hoc petunt, cum ſint ſui juris in negotio ſalutis. Sed tunc debent egredi e domo paterna, ſi aliter chriſtiane vivere nequeant.

*Reſp.* 5. In evidenti periculo mortis, infantes infidelium baptizari debent, etiam invitis parentibus. Quia tunc nec auferuntur a parentibus, nec Baptiſmus profanationi exponitur, cum infans paullo poſt ſit moriturus, & aliunde urget præceptum caritatis. Sed id fiat, ſi poteſt, inſciis parentibus, ad vitandam perturbationem. Idem extendit Layman ad filios infidelium perpetuo amentes, ob eamdem rationem. (a)

*Sed quid ſi infans reipſa baptizatus ſit invitis, vel inſciis parentibus, & poſtea adoleſcat?*

*Reſp.* Secluſo periculo religionis chriſtianæ & ſcandali, abſtrahendus eſt a parentibus, ut erudiatur in fide chriſtiana. Quia per Baptiſmum Eccleſia acquiſivit juriſdictionem in eum, ac jus ad eum chriſtiane inſtituendum, & ipſe contraxit obligationem addiſcendæ & ſervandæ legis chriſtianæ, quod præſtare nequit apud parentes.

Dixi, *ſecluſo &c.* Quia bonum religionis, & multorum præferri debet bono privato.

Quæſt. XIV. *Quiunam ſint effectus Baptiſmi?*

*Reſp.* Hi: 1. Tollit omnem culpam & pœnam, ſi non adſit obex. 2. Confert ex opere operato gratiam ſanctificantem, & virtutes infuſas. 3. Ejus intui-

(a) *Baptizari infideles invitis parentibus vel tutoribus licite non poſſunt, niſi infantes fuerint in mortis extremo, vel expoſiti tanquam a parentibus derelicti. Si vero expoſitum quis baptizandum aſſumpſerit, poteſt illi lavacrum ſalutare impertiri, etiam Synagoga, vel parentibus reclamantibus. Si vero Pater infidelis offerat infantem ſuum, dein facti ſui pœniteat, & nolit baptizari, tunc puer ante uſum rationis eſt baptizandus: qui vero ſui compotes ſunt, in domo catechumenorum explorandi ſunt, ſi velint.*

*Si pueri baptizati ſint etiam parentibus invitis, tunc ille, qui baptizavit, peccavit graviter, ſed baptizatus reſtitui parentibus non debet, at penes Chriſtianos educari. Porro in eo caſu Baptiſmus vel unico teſte idoneo probatur, etiamſi femina ſit, vel etiam ſi ſit ille, qui Baptiſmum contulit, in quo caſu puer nec ſub conditione rebaptizandus eſt.*

*Admittendum eſſe ad Baptiſmum infantulum Hebræum, poſtulante Avia paterna Chriſtiana, licet reclamet mater Hebræa defuncto marito, & Tutores teſtamentarii, cenſet Bened. XIV. in Epiſtola ad R. P. Hieronymum Guglielmi Congreg. S. Officii Aſſeſſorem, ex eo quod Avia comprehendi poſſit ſub appellatione Parentum, & favore Religionis facile prævalet Matri, & cæteris Tutoribus teſtamentariis: ſicut Mater Chriſtiana poſtulans Baptiſmum pro filio prævalet Patri infideli reclamanti, & ſi quid dubii ſupereſſe poſſit, in dubio favendum eſt Religioni. Hæc Epiſtola habetur in Bullario T. III. n. 54.*

*Hæc de pueris ante uſum rationis: qui vero rationis capaces ſunt, uti ſunt communiter poſt ſeptimum ætatis annum, ſi ſeſe ſponte obtulerint Baptiſmo, poſſunt baptizari, quod verum eſt, etiamſi non certo conſtet, ſed dubitetur de capacitate rationis poſt ſeptennium. Si vero hoc dubium præcedat ſeptennium, tunc debet puer retineri apud Chriſtianos, ſuſpenſo interim Baptiſmo, quoad uſque certus uſus rationis ſuperveniat.*

*Quod ſi illi adulti Baptiſmi recipiendi intentione careant, adeo ut illam nec ipſo actu, neque antea habuerint, tunc baptiſmus eſt invalidus. Validus autem eſt, ſi antea fuerit habita, & nunquam interim retractata. Quod ſi neutra fuerit voluntas in ſuſcipiente, tunc in eam ſententiam inclinandum eſt, quæ invalide baptizatum pronuntiat.*

*Affirmans inſuper neophytus poſt Baptiſmum ſe caruiſſe intentione ſufficienti, neque dicti ſui idoneas probationes afferat, retinendus, & denuo ſub conditione tingendus eſt. Si viciſſim illas afferat, negetque iterum baptizari velle, remittendus eſt. Hæc omnia late diſputat Pontifex in Epiſtola ad Viceſgerentem,* Poſtremo menſe Bull. T. II. n. 28.



tuitu conferuntur ſuo tempore gratiæ actuales fini ſuo accommodatæ, nimirum ad ſancte & chriſtiane vivendum, ut decet filios Dei adoptivos, Dei heredes, & coheredes Chriſti. 4. Imprimit characterem indelebilem. 5. Conſtituit membrum Eccleſiæ, ejuſque poteſtati ſubjicit. 6. Tribuit capacitatem recipiendi alia Sacramenta, & jus ad illa, ceteraque Eccleſiæ bona communia. 7. Inducit obligationem ſervandi mandata Dei & Eccleſiæ, atque vitam chriſtianam, ſeu conſentaneam doctrinæ & exemplo Chriſti traducendi.

Quæſt. XV. *Quænam diſpoſitiones requiruntur in adultis ad recipiendam gratiam Baptiſmi?*

*Reſp.* 1. Si adultus præter peccatum originale habeat alia actualia mortalia, ad ejus juſtificationem per Baptiſmum, ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. requiruntur hi actus, 1. Fides, qua explicite credat exiſtentiam Dei remuneratoris, myſteria Trinitatis & Incarnationis, & generatim vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt, & in primis a Deo juſtificari impium per merita Chriſti: nam horum fides explicita, eſt neceſſaria neceſſitate medii. 2. Spes juſtificationis & vitæ æternæ. 3. Dilectio, qua Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiat. 4. Propoſitum efficax ſervandi omnia mandata, & chriſtiane vivendi. Nam adultus non poteſt admitti ad Dei amicitiam, niſi in eam conſentiat; nec poteſt in illam ſincere conſentire, niſi velit omnia facere, quæ ad iſtam amicitiam ſervandam, & mutuum amorem ſignificandum neceſſaria ſunt. 5. Voluntas recipiendi Baptiſmum. 6. Pœnitentia, ſeu dolor de peccatis commiſſis, cum propoſito non peccandi de cetero, ex Actor. 2. *Agite pœnitentiam, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Et vero æquum eſt, ut qui voluntate propria Deum offendit, in ejus amicitiam non recipiatur ſine peccatorum retractatione & dolore. Hæc autem pœnitentia debet eſſe ſupernaturalis, abſoluta, univerſalis, efficax, & incompoſſibilis cum ullo affectu ad mortale, & appretiative ſumma. Non tamen requiritur perfecta contritio: nam cum Baptiſmus ſit inſtitutus ad remittendum peccatum originale, & alia actualia ante ipſum commiſſa, non prærequirit diſpoſitionem, quæ hunc effectum pariat: alioqui ſemper præſupponeret ac præexigeret effectum, ad quem conferendum inſtitutus eſt.

*Reſp.* 2. Ad juſtificationem adulti habentis ſolum originale peccatum (ſi hoc eſſe poteſt) iidem actus requiruntur, excepta contritione, quæ ſolum poteſt eſſe de peccatis perſonalibus, voluntate ſcilicet phyſice propria commiſſis.

*Reſp.* 3. Si adultus jam juſtificatus ſit per contritionem, ſeu caritatem perfectam, ut recipiat augmentum gratiæ in Baptiſmo, requiritur voluntas Baptiſmum recipiendi ex motivo aliquo ſupernaturali; nam ad gratiam recipiendam, requiritur conſenſus illi accommodatus. Sed hæc voluntas ſufficit, cum jam præceſſerint fides, ſpes, contritio, & caritas.

*Nota.* Qui ſine debitis diſpoſitionibus, ſed cum voluntate Baptiſmi ſuſcipiendi baptizatur, non recipit gratiam, ſed tamen Baptiſmus eſt validus, & poſtea reviviſcit, ſeu efficit gratiam, ſublato per contritionem perfectam, vel per Pœnitentiæ Sacramentum obice.

In epiſtola S. M. Benedicti XIV. ad Archiepiſcopum Tarſenſem, quæ eſt de Hebræorum Baptiſmate, plures caſus ſolvuntur, quorum ſolutio maximam huic tractatui lucem afferre poteſt. Quamobrem non præcipua ejuſdem capita, ut in altera editione, ſed caſus ſingulos, eorumque ſolutiones referre conſtitui. Itaque principio ſtatuit, nefas eſſe Hebræorum infantes reluctante parentum arbitrio baptizare, ac tum ad caſus deſcendit, in quibus eos baptizare liceat.

§. I.

*De infantibus in extremo vitæ periculo conſtitutis.*

*Cum id eveniat, ut ab aliquo Chriſtiano Hebræorum puer morti proximus reperiatur, rem oppido laudabilem, Deoque gratam is certe efficiet, qui ſalutem puero aqua luſtrali præbeat immortalem. Inter cetera Congregationis Sancti Officii decreta unum extat latum poſtridie Kal. Novembris anno 1678. cujus verba hæc ſunt:* „ Cum filius Hebræorum conſignatus fuiſſet Nutrici Chriſtianæ in deficientia Nutricum Hebræarum, dum eſſet proximus morti fuit baptizatus, & Sac. Congreg. declaravit, prædictum puerum fuiſſe licite baptizatum. “ *Cum quo convenit alterum emanatum die 18. Februarii anno 1705. quæſtioni reſpondens fel. mem. Præſulis Caroli Maigrot; illud autem eſt hujuſmodi.* An filii infantes Infidelium poſſint baptizari invitis Parentibus? Eminentiſſimi, audito voto DD. Conſultorum, dixerunt, non licere, niſi in articulo mortis. *Gobat* in Theologia experimentali tract. 2. caſ. 11. n. 326. *Maxime commendat virum Religioſum de Societate Jeſu, qui cum vi quaſi coactus Mahometani domum ingreſſus eſſet, veluti Medicus, ejus puellam morti proximam inviſurus, eam caute baptizavit, quin id pater cognoverit; quæ quidem puella poſt menſes aliquot ex hac vita emigrans ad Cælum feliciter evolavit. Conveniunt quoque in eamdem ſententiam Suarez* in tertiam partem S. Th. diſp. 79. qu. 24. art. 5. §. Ex his autem, *Beccanus* de Sacr. Bapt. c. 10. qu. 7. num. 7. *Hurtadus* de Sacr. Bapt. diſp. 3. diſt. 3. *Azorius* part. 1. lib. 8. c. 25. q. 17. *Caſtrus Palaus* tract. 19. diſp. unic. de Bapt. punct. 9. n. 20. *Paſchal.* de viribus patriæ poteſtatis par. 1. n. 11. *Barboſa* in Canon. Judæorum 28. qu. 1. nu. 3. *Ad hanc rem præclare facit epiſtola S. Franciſci Xaverii* pag. 66. *Romæ typis edita, in qua confirmans Patrem Franciſcum Henricum, quod quereretur, paucos a ſe Infideles in Indiis ad veri Numinis cultum revocari, ſic ſcribit:* „ Plus itaque proficis, quam tu putas, infantes diligentiſſime conquiſitos per Baptiſmum cælo parturiendo. *Nam certum eſt, Xaverium hic loqui de Indorum infantibus extremum vitæ agentibus, quos Pater Franciſcus Henricus rite ac licite baptizabat.* At memento, te octo menſibus, quibus iſthic verſaris, plures animas conſervaſſe moribundis infantibus baptizandis.

§. II.

*De infantibus expoſitis.*

*Si item eveniret, ut puer aliquis Hebræus projectus eſſet, atque a Parentibus derelictus, commu-*

munis omnium ſententia eſt, pluribus quoque confirmata judiciis, eum baptizari oportere, reclamantibus etiam, repetentibusque parentibus, ut recte docent Azorius Inſt. Moral. par. 1. tit. 8. c. 25. q. 5. Ricciol. Lucubrat. l. 2. c. 32. nu. 30. Clericatus de Juriſdictione, diſcord. 17. nu. 12. Seſſa de Judæis c. 41. n. 120. & ſeq. At Hebræorum parentes Patriam ſe in filios habere poteſtatem contendunt, nec plane injuria. Compertum eſt patriam poteſtatem neque ad jus divinum poſitivum, neque ad jus naturale, neque ad jus gentium pertinere, ſed juris, ut ajunt, humani Romani eſſe; Cum autem civitate Romana Antoninus Imperator omnes Imperio Romano ſubjectos donaverit, juxta ea, quæ leguntur in l. in Orbe Romano, quæque in aliis exemplaribus incipiunt in urbe Roma ff. de ſtatu hominum, & Hebræi Imperio Romano tunc eſſent ſubditi, hoc ipſis argumentum ſuppeditat pro patria in filios poteſtate. Sic diſſerit Abbas in cap. cit. ex lit. nu. 3. de converſ. Infid. Judæus habet filium in poteſtate, & eſt ratio, quia Judæi contrahunt juſtas nuptias, & ſunt ſub Romano Imperio, & ſic gaudent legibus Imperialibus. Sed itidem plane conſtat, prædictam patriam poteſtatem tunc certe amitti, cum filius derelinquitur, proficiturque; juxta reſponſum Gregorii IX. c. 1. de Infantibus, & languidis expoſitis, cujus hæc ſunt verba: Si a Patre, ſive ab alio, ſciente ipſo, aut ratum habente (relegato pietatis officio,) infans expoſitus extitit, hoc ipſo a poteſtate fuit patria liberatus.

Animadvertendum tamen eſt, eum infantem non inter projectos, expoſitoſque adnumerandum, quem ſine Patre, ſine Matre, nullo comite, aut per urbem, aut extra Hebræorum vicum temere vagantem inveneris, ſed quem in loco publico ſolum, derelictum, abjectum, atque omni cura, & ſpe deſtitutum offenderis, is abſque dubio projectus, is ſane expoſitus cenſendus eſt.

§. III. *Declarationes circa caſus præmiſſos.*

POſtquam caſus magis obvios expoſuimus, in quibus noſtra hæc regula prohibet, Hebræorum infantes, invitis parentibus, baptizari, aliquas inſuper declarationes addimus ad hanc regulam pertinentes, quarum hæc prima eſt. Si parentes deſint, infantes vero alicujus Hebræi tutelæ commiſſi fuerint, eos ſine tutoris aſſenſu licite baptizari nullo modo poſſe, cum omnis parentum poteſtas ad tutores pervenerit. Sic Azorius Inſtit. Moral. par. 1. lib. 8. c. 28. qu. 5. Thomas a Jeſu de Converſ. gent. pag. 212. Seſſa de Jud. c. 25. n. 32. Alios præterea Doctores eadem ſentire non ignoramus, a quibus recenſendis brevitatis gratia ſuperſedemus.

Secunda eſt: Si Pater chriſtianæ militiæ nomen daret, juberetque, infantem filium baptizari, eum quidem, vel Matre Hebræa diſſentiente, baptizandum eſſe, quum filius non ſub Matris, ſed ſub Patris poteſtate, ſit habendus, juxta textum in leg. Nulla ff. de ſuis & legitimis hæredibus & in §. feminæ, Inſtit. tit. de adoptionibus, quod quidem ad verbum ſtatuit Gregorius IX. in ſua Decretali ad Argentinæ Epiſcopum ſcripta, & relata in c. ex litteris, de converſione Infidelium.

Tertia eſt: Quamvis Mater filios ſui juris non habeat; tamen ad Chriſti fidem accedat, & infantem offerat baptizandum, tametſi Pater Hebræus reclamet, eum nihilominus aqua baptiſmatis abluendum eſſe. Ita cum ceteris Azorius verba facit in loco prælato qu. 3. ubi de communi fidei bono agitur, nulla habenda eſt ratio patriæ poteſtatis; quam leges, & jura Romana ſanxerunt; & propterea mater fidelis, quamvis ei jus civile patriam poteſtatem non tribuat, jus habet ad baptiſmum filium offerendi. Huic quidem ſententiæ favet prædicta Decretalis Gregorii IX. in qua licet loquatur de patria poteſtate in eo caſu, quem explicabat, Patris nempe Chriſtiani filium aquis luſtralibus offerentis, Matre Hebræa perperam diſcrepante, ſtatuit tamen ſententiæ ſuæ in favore fidei fundamentum: In favorem maxime fidei Chriſtianæ reſpondemus, patri eumdem puerum aſſignandum: favor autem fidei in utroque caſu valere plurimum jure debet.

Quarta eſt; Quod ſi pro certo habeatur, parentum voluntatem eſſe infantium baptiſmati neceſſariam, quoniam ſub appellatione parentum locum quoque habet paternus avus, ut obſervatur in leg. juſta interpretatione 201. ubi Gloſſa in verbo avus ff. de verb. ſignif. cum eo, quod amplius cogi poteſt in diſceptat. 977. n. 4. Gratiani. Hinc neceſſario ſequitur; ſi paternus avus Catholicam Fidem amplexus ſit, ac nepotem ferat ad ſacri lavacri fontem, quamvis, mortuo jam Patre, mater Hebræa repugnet, tamen infans ſit abſque dubio baptizandus. Martinus Navarrus vir Sacrorum Canonum doctrina excellens, cum hic Romæ caſus hujuſmodi eveniſſet, plus valere contendebat Matris diſſenſum, ut videre licet in ejus conſ. 4. lib. 3. de converſione Infidelium. Contra eum ſcripſit Præſul Rutilius Benzoni: Pontifex autem Gregorius XIII. pro avo ſententiam tulit, ut ipſe refert in ſuo Speculo Epiſcoporum lib. 1. qu. 9. dub. 1. ubi teſtatur, hebræo infanti baptiſmum ſe contuliſſe. Quamobrem in fine Conſilii Navarri hæc leguntur. „ Advertendum autem, contra opinionem latam ſententiam, infantemque traditum fuiſſe avo chriſtiano, & demum baptizatum, perſeverareque adhuc in fide “. Hujuſce facti Marchinus etiam teſtis eſt, de Bello Divino par. 1. cap. 5. Non deſunt alia judicata, quorum vi avus ad fidem converſus præferri debet, non ſolum ſi Mater, ſed etiam ſi Pater diſſentiat; & quamvis ambo pariter proteſtentur, ſe ſe filii baptiſmati non aſſentiri, ut videri poteſt in cit. diſcept. 977. Gratiani, cum præter favorem Religionis, qui maximi habendus eſt, argumenti loco etiam eſſe debeat Text. in Can. Patrem. 32. qu. 3. ubi in neptis nuptiis avi ſententia patris judicio anteponitur, cum avus liber, pater autem ſervus exiſtit. „ Patrem puellæ Eccleſiæ noſtræ famulum, avum vero ejus liberis ortum conſtat eſſe natalibus, & ideo avi magis electionem de conjunctione neptis, quam patris ejus, cujus nullo modo liberum poteſt eſſe arbitrium, decernimus attendi. Quia ergo electione avi huic iſta nupſiſſe probatur, hanc conſtat legitime eſſe copulatam “.

§. IV.



§. IV. *De Patre Hebræo, qui ſe Religionem Catholicam amplecti velle prædicet, ac ſe filioſque baptizandos offerat, poſtea vero ſui ſe conſilii pœniteat, abnuatque filium baptizari.*

ID Mantuæ evenit, ubi Hebræus quidam non modo cum viro protonotariſ dignitatis gradum tenente, ſed ipſo etiam cum Duce id rei geſſit. Duos habebat infantes liberos, totidemque pueros, atque uxorem: cumque deinceps ad Chriſti fidem accedere recuſaſſet, Ducique ſpem fruſtratus eſſet, res ad examen deducta eſt in Congregatione Sancti Officii, ac Pontifex die 14. Septembris anni 1599. juſſit ea fieri, quæ ſequuntur. Sanctiſſimus, auditis votis Eminentiſſimorum, decrevit, quod duo filii infantes, alter ſcilicet triennis, alter quinquennis baptizentur. Alii, nempe filios octo annorum, & filia duoderim collocentur in domo Catechumenorum, ſi ea Mantuæ adſit, ſin minus apud piam honeſtamque perſonam, ad effectum explorandi ipſorum voluntatem, eoſque inſtruendi. Uxoris quoque in loco a filiis ſeparato exploretur voluntas. Patrem vero & Maritum reſpective, quia a propoſito ſuſcipiendæ fidei Chriſtianæ receſſit, non eſſe cogendum, ſed contra eum poſſe procedi, prout de jure. Id ferme accidit Auguſtæ Taurinorum, ubi cum Hebræus quidam Religionem Catholicam amplecti noliet, poſtquam id ſe facturum promiſerat, eumque inſtaret, ut filiola, quam baptizandam obtulerat, ideoque a Matre Hebræa jam ablatam Chriſtianæ nutrici lactandam dederat, in poteſtatem rediret ſuam; Congregationis Sancti Officii auctoritate Romæ ſancitum fuit, ut puellula Chriſtianos penes eſſet, & ad ſacrum regenerationis Fontem elevaretur, quod videri poteſt apud Seſſam. c. 51. nu. 98. Hoc autem prudenter ſtatutum eſt, ne ſcilicet parentes Hebræi, quibuſcum ſumma æquitate apud Chriſtianos agitur, eo impudentiæ deveniant, ut & nos, & Eccleſiam audeant irridere.

§. V. *De Infidelibus, qui Baptiſmum recipiunt ob bonum aliquod temporale.*

SUnt quoque aliqui Infideles, ſuos infantes Chriſtianis offerre ſoliti, ut aquis ſalubribus abluantur, non tamen Chriſti ut ſtipendia mereantur, neque ut originalis culpa eorum ex anima deleatur; ſed id faciunt indigna quadam ſuperſtitione ducti, quod nempe Baptiſmi beneficio exiſtimant, eoſdem a malignis ſpiritibus, a fœtore, aut morbo aliquo liberandos. Sanctus Auguſtinus in epiſtola ad Bonifacium Epiſcopum tom. 2. typis Patrum S. Mauri n. 5. de hac re ita diſſerit „ Nec illud Te moveat, quod quidam non ea fide ad Baptiſmum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia ſpirituali ad vitam regenerentur æternam, ſed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere ſanitatem. Non enim propterea non illi regenerantur, quia non ab illis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos neceſſaria miniſteria, & verba Sacramentorum, ſine quibus conſecrari parvulus non poteſt. “ Mens quippe non infantem baptiſmo offerentis, ſed baptizantis eſt ſerio conſideranda. At non parentum, ſed miniſtrorum mens eſt ſpectanda; hi enim ſi bona & recta mente voluerunt exequi, quod Eccleſia poſtulat, omnino baptiſmum valide contulerunt „. Verba ſunt Arcudii lib. de concordia Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis lib. 1. cap. 12.

Res ad examen revocata fuit in Synodo habita anno 1143. ſub Patriarcha Luca, de qua Synodo ſermonem habet Balſamon ſuper Canone 84. Trullano. Agareni quidam Synodo adfuerunt, qui ut baptiſmum reciperent, invitati illico reſponderunt; ſe ſe jam pridem ſacro Baptiſmate initiatos; nam id in more ſuam apud gentem eſſe dixerunt infantes, vix natos ad Sacerdotes Catholicos deferri ſolitos, ac baptizari: „ Non tamen admiſſi fuerunt; audierat enim (prædictus ſcilicet Patriarcha) quod Baptiſmum, quem infideles a Chriſtianis petunt, non bona affectione & Orthodoxo propoſito petitur, ſed propter corporalem medicinam. Perſuaſum eſt enim Agarenis fore ut ſui liberi a dæmone vexentur, & tamquam canes male oleant, niſi baptiſmum Chriſtianum aſſequantur. „ Verba ſunt Balſamonis e Græco ſermone in Latinum verſa a Cardinale Baronio ad ann. 1143. unde ſignificari videtur, illius Concilii Patres Baptiſmum ratum, ac validum nequaquam exiſtimaſſe. Propoſitum fuit hac de re dubium ſupremæ Inquiſitioni, ejuſque decreto in hunc modum ſolutum die 6. Septembris 1625. Sacra Congregatio univerſalis Inquiſitionis habita coram Sanctiſſimo, relatis litteris Epiſcopi Antibarenſis, in quibus ſupplicabat pro ſolutione infraſcripti dubii: An cum Sacerdotes a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut Chriſtianos efficiant, ſed pro corporali ſalute, ut liberentur a fœtore, & comitiali morbo, maleficiorum periculo, & Lupis, an in tali caſu poſſint ſaltem ficte eos baptizare, adhibita baptiſmi materia ſine debita forma? Reſpondit negative, quia Baptiſmus eſt janua Sacramentorum, ac proteſtatio fidei, nec ullo modo fingi poteſt. Neque hoc loco prætermittendum eſt, viceſimam nonam inter propoſitiones ab Innoc. XI. damnatas die 2. Martii 1679. eſſe hujuſmodi: „ Urgens metus gravis eſt juſta cauſſa Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi. „

§. VI. *Non eſſe conferendum Baptiſmum ubi adſit periculum perverſionis.*

IN Congregatione Sancti Officii habita die 3. Maji 1703. decretum fuit, Baptiſmum conferre infantibus non licere, qui filii infidelium eſſent, atque in eorum poteſtate manſuri. Hoc tamen decretum eos excepit pueros, qui graviſſime ægrotantes vita periclitantur. „ Non licere, ſi ſint filii Infidelium, & in poteſtate eorum relinquendi, ſecluſo tamen mortis imminentis periculo. „ Licere autem, ſi filii quidem Barbarorum ſint, ſed jam Chriſti militum; dum tamen, aut a viris Apoſtolicis illic degentibus, aut ab ipſis parentibus, de Sancta Religionis præceptis, ac myſteriis edoceantur, cum adoleverint. Licere vero, ſi ſint filii barbarorum baptizatorum: curandum tamen per Miſſionarios, ac per ipſoſmet eorum parentes, ut cum ad annos diſcretionis pervenerint, a ſe, vel ab aliis inſtruantur, præſertim in illis regionibus, ſi non prævideatur in promptu adfuturos Miniſtros Evangelicos, qui in hoc parentum com-

commode ſupplere poſſint defectum. *In Servia audivimus pauperculas eſſe mulieres Chriſtianas inito cum Turcis matrimonii vinculo copulatas, quæ cum filium pariunt, eum Sacerdotibus offerunt, ut baptizetur. Idcirco poſtulatum fuit, qui debeant in caſu hujuſmodi ſe ſe gerere Sacerdotes? De hac re decretum habetur in noſtro Bull.* n. 89. §. 8. *ubi apparet, conferendum eſſe baptiſmum, ſi conſtet mortem oblato puero imminere.* Iſtarum vero filios, quos Parochis baptizandos exhibent, ubi eorum vitæ periculum imminere videatur, ſacro lavacro abluere prædicti Parochi minime dubitent, admonitis matribus, ut ſi convaluerint, ipſos in Chriſtiana Religione ſedulo educare curent; *Si nullum adſit vitæ periculum, certa regula generalis ſtatuta non eſt, cum oporteat diligenter omnes expendere circumſtantias, & præſertim,* vel eos in Evangelicæ legis, & fidei cultu perſeveraturos, vel Chriſtiana educatione ab ejuſmodi matribus fraudatos, Mahumetani Patris impietatem ſecuturos eſſe. *Si Sacerdotes, poſtquam pie, & religioſe hoc negotium Deo commendaverint, æquum bonumque exiſtiment, prædictos Infantulos baptizari, id quidem facerent, matres tamen enixe admonerent de graviſſimo quo tenentur munere filios de Chriſtiana Religione ſedulo edocendi.*

## §. VII. *In caſibus illicitis collatum Baptiſmum validum eſſe.*

HUjus rei plures Sacrarum Congregationum ſolutiones affert: ex iis unam proferam, ex Congr. S. Officii habita die 30. Martii 1638. circa Baptiſmum datum parvulæ puellæ annorum trium circiter filiæ Hebræorum a Fauſtina Chriſtiana invitis parentibus: Eminentiſſimi Domini cenſuerunt parvulam puellam eſſe vere baptizatam, concurrente materia, forma, & intentione; Baptiſmum probari unico teſte; & quamvis filii Hebræorum non poſſint invitis parentibus baptizari, ſi tamen de facto baptizentur, valere Baptiſmum, & characterem imprimi, & filiam baptizatam penes Chriſtianos alendam, mulierem baptizantem acriter monendam, ut in poſterum caveat a ſimilibus; notificandum vero populo, non licere invitis parentibus filios Hebræorum baptizare, quia licet finis ſit bonus, media non ſunt licita, præſertim ſtante Bulla Julii III. imponente pœnam mille ducatorum, & ſuſpenſionem baptizantibus filios Hebræorum invitis parentibus.

*Nota. Dum dicitur* Baptiſmum unius teſtimonio comprobari, *intelligendum eſt, dummodo teſti aut mari, aut feminæ fides adhiberi prudenter poſſit, aut idem ſi teſtetur qui baptizavit: hic ſiquidem ſe ipſum aſſerens Baptiſmum Hebræo infantulo miniſtraſſe, non rem modo ab ſe geſtam, ſed etiam pœna digniſſimum ſuo ipſe teſtimonio confirmaret.* Sunt verba ejuſdem Pontificis, qui alium quoque refert caſum in Congregatione Concilii propoſitum, & reſolutum die 15. Januarii 1724. de infantulis projectis, qui ad Xenodochium feruntur chartam collo ſuſpenſam præſeferentibus, in qua ſcriptum legitur jam Baptiſmum eidem fuiſſe collatum. Reſolutio hæc fuit: *Si non lateret, qui chartulam ſcripſerat, eidemque fides tota præſtari poſſet, tunc infantem ut baptizatum habendum, ac ne baptiſmo quidem initiandum ſub conditione.*

Altera Conſtitutionis pars de adultorum baptiſmate agit, & primo ſtatuit puerum ſui compotem, & quodammodo adultum cenſeri, dum ſeptennium compleverit, regulariter loquendo; ſed hac in re, *certiſſima regula eſt*, inquit, *quod ſi ultra illam ætatem certo conſtat, puerum fidei Catechiſmis inſtructum ſatis intelligere, quidnam ſit baptizari, & quemadmodum fiat profeſſio Chriſtianæ legis, baptizandus eſt, quoniam ætas ad contrahendum matrimonium lege humana ſtatuitur; lex autem divina baptiſmi neutiquam ab humana dependet.*

Secundo. Si de perfecto rationis uſu dubitetur, monet, Sacramentum eſſe differendum, ſed hoc qui poſtulat, retinendum eſſe, ac ſic interea informandum, ut idoneus accedat baptiſmati poſtmodum ſuſcipiendo.

Tertio. Si quis adultus ad ſalutis fontem acceſſerit voluntate animatus accipiendi, non quodcumque lavacrum, ſed unicæ Eccleſiæ proprium ac peculiare, baptiſmum eſſe validum dubitari non poſſe.

Quarto. Si quis baptiſmum accipiens præſenti voluntate careat, quam alias tamen habuerit, talis ſuſcipiendæ lotionis, qualis in Eccleſia frequentatur, tunc examinare oportere, utrum voluntas antecedens, numquam deinceps retractata, adhuc moraliter perſeveret. Nam ubi nulla præceſſerit retractatio, & moraliter perdurare intentio videatur, eſt certe validum Sacramentum.

Quinto. Si nulla ſit dubitatio, planeque conſtet ac luce clarius, adulto baptiſmum accipiendi nullam prorſus fuiſſe voluntatem, aut intentionem, nil reſtare aliud, quam eumdem & hortari & admonere, ut rite id faciat quod jam irrite fecit, & ſuſcipiat abſolute ac libere Sacramentum, ac ſi obſtinate repugnet, tum nihil aliud ſupereſſe, niſi ut remittatur. Si autem res in dubio ſit, nec intelligi poſſit, retinendum eſſe baptizandumque ſub conditione. Qui vero ita baptizati ſint, omnino Fidem Catholicam obſervare tenentur.

Sexto. Si denuncient, Hebræum ſerio petiiſſe Baptiſmum, aut duo teſtes ſingulares, aut unus tantummodo ſed fide dignus, & omnem citra dubitationem idoneus; & multo magis ſi adminiculis ſuffultus; tunc habito teſtium vel teſtis examine, non oportere Hebræum ad Cathecumenos ducere, ſed Judex Catholicus qui Romæ eſt Vicesgerens pro tempore, ejus voluntatem extra vicum, vel domi ſuæ, vel in Templo aliquo ſemel atque iterum, aut etiam pluries explorabit, ut Hebræi conſilio clare perſpecto & cognito, eum tuto jubeat, aut ad vicum remitti, aut Catechumenis recenſeri.

Septimo demum. Virum aut ſponſum Hebræum Chriſti legem amplexum jure optimo oblationem facere ſuæ vel uxoris aut ſponſæ, in quam jus a Legibus, & auctoritatem ſibi conceſſam habet. Facta vero hæc oblatio, nec ſane poteſt, nec omnino debet a Chriſtifidelibus recuſari, qui tenentur nulli parcere diligentiæ, nullique ſtudio ut Chriſtiana veritas jam viro, aut ſponſo cognita, uxori quoque, aut ſponſæ lucem afferat, ac ſalutem: eo vel maxime, quod Romani Pontifices licet Judæis vim fieri quoad Religionem ſevere prohibeant; palam tamen ſignificant,



cant, nihil ſibi antiquius eſſe, optabilius nihil, quam ut iidem aliquando e tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem veniant; ideo ſemel in ſingulas hebdomadas iis publice Evangelium annuntiari, eoſdemque jubent ſacris hiſce Concionibus intereſſe: *ut apparet* in Conſtit. 1. Nicolai III. & Conſtit. 107. Gregorii XIII.

# ✠ APPENDIX

## *De Orientalis Eccleſiæ in Baptiſmo conferendo diſciplina.*

LIcet Orientalis Eccleſia Orthodoxam fidem circa ſeptem Sacramenta ſartam tectamque ſervaverit; tamen in eorumdem adminiſtratione cæremonias nonnullas adhibet, quæ a Latinæ Eccleſiæ ritibus differunt. Immo Schiſmaticorum ignorantia ac odio, quo feruntur in Latinam Eccleſiam, cujus ſententia damnati ſunt, factum eſt, ut circa hujuſmodi cæremonias in errores nonnullos abierint. Tum probatos eorumdem ritus, quos Apoſtolica Sedes, etſi a latinis diverſos, ſervandos permittit, tum præcavendos errores explicandos ſuſcipio; in iis vero recenſendis ordinem in ſcholis receptum ſervabo. Primum itaque de materia, tum de forma, ac demum de Miniſtro, & ſubjecto deque cæremoniis reliquis pertractabo.

## §. I. *De materia Baptiſmi.*

REs & verba, quibus Sacramenta conſtant, materiæ ac formæ nomine deſignantur; quæ vocabula ex Arabum philoſophia in Theologiam traducta a XII. ſæculo cum in Occidentali, tum in Orientali Eccleſia uſurpari cœperunt. Baptiſmi materia eſt naturalis aqua, ut Orthodoxa fides docet. Circa modum, quo in Baptiſmo aqua hujuſmodi adhibetur Græci Orientaleſque a Latinis diſſident. Primo, quia Latini in ſollemni Baptiſmo aquam adhibere tenentur quæ eodem anno in Sabbato Sancto Paſchatis, vel Sabbato Pentecoſtes benedicta ſit, quæque in fonte mundo nitida, & pura diligenter conſervari debet: Græci vero aquam adhibeant, quæ ab eodem Sacerdote, qui baptizat dum baptizaturus ſit, benedicitur; ut eorum Euchologia præſcribunt. Nec moleſtandi ſunt, inquit Benedict. XIV. Conſt. *Etſi Paſtoralis. Si non utantur aqua baptiſmali, quæ a Parochis latinis juxta morem Romanæ Eccleſiæ adhibetur.*

Secundo. Quia Latini frigidam, Græci autem calidam aquam baptizando adhibeant. Calidæ aquæ uſus ex eo apud Græcos ortus videtur, ut opinatur Goarius, quod frigida pueri tenelli corpus nimio dolore perſtringeret; ſed progreſſu temporis, ut Sacer Baptiſmi ritus habitus eſt, ut conſtat Canone Synodi provincialis ſub Germano Amathuntis Archiepiſcopo celebratæ, quo ſtatuitur: *In aqua frigida baptizare non oportet, ſed in calida, manifeſtante nimirum calida gratiæ Baptiſmi favorem; ſi vero neceſſitas urgeat, fiat & in frigida.* Neque hanc ob rem reprehendi poſſunt, ut ex ſupra citata Conſtitutione liquet. Cavendum vero eſt, ne ex ignorantia ſuperſtitioſe credant, Baptiſmum aqua calida collatum uberiorem gratiam conferre, aut non recte frigida adminiſtrari.

Tertio. Græca a Latina Eccleſia diſſidet, quia in Latina Eccleſia modus baptizandi per trinam immerſionem a XIII. ſæculo mutatus eſt; in Græca vero, immo in tota fere Orientali Eccleſia adhuc viget. Circa hujuſmodi ritum Photianorum plerique errore non carent. Vitio enim vertunt Latinis, quod per aſperſionem, vel infuſionem baptizent, eoſque ut derideant, *Aſperſos* vocare ſolent: atque trinam immerſionem vel ad Baptiſmi eſſentiam pertinere, vel ex Chriſti præcepto adhibendam eſſe arbitrantur. Hujuſmodi errores, qui ex cæco illo odio, quo in Latinorum cæremonias XI. & XII. ſæculo ferebantur, originem trahunt, eccleſiaſticarum rerum ignorantia in iiſdem fovet. Leges enim Eccleſiæ, & antiqui Canones, qui Baptiſmi modum præſcribunt, pro divino præcepto habent, quo Baptiſmi eſſentia præſcribatur. Sed facile eſt errores hujuſmodi detegere, ac refutare; nam Chriſtus Baptiſma inſtituit: Baptiſma autem lotionem ſignificat, ut ex ipſis Photianis teſtantur Balſamon *in meditat. de Sacramentis*, Ariſtenus *in explicat. de Sacram. c. de Baptiſmo*, Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus *in 1. expoſit. fidei ad Germanos*, & alii, quos refert Rhodinus in *Orat. 1. de Sacram.* Lotio autem non per ſolam immerſionem, ſed etiam per infuſionem, & adſperſionem fit, ut conſtat ex vaticinio Danielis (cap. 4. v. 22.) prædicentis Nabuchodonoſor fore, *ut rore Cæli infunderetur*, hoc eſt lavaretur; & ex Pſal. 50. v. 9. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Immo Cyprianus, aliique Patres verba hæc, quæ habentur Ezech. 36. v. 29. *Aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus veſtris*, ad Baptiſma, quod Chriſtus inſtituit, ſpectare docuerunt. Et Eccleſia ratum ſemper habuit Baptiſma Clinicorum, eorum ſcilicet, qui infirmitate præpediti in lecto per aquæ aſperſionem baptizabantur: hujus rei teſtes ſunt, præter Cyprianum alioſque Patres, Concilia Neocæſarienſe, Laodicenum, Antiſiodorenſe, & alia. Præterea ex Apoſtolorum actis c. 2. & 4. facile colligitur Apoſtolos per infuſionem, ſive aſperſionem baptizaſſe: ibi enim legitur; una die tria, altera quinque hominum millia baptizaſſe. Id vero nonniſi per aquæ infuſionem, ſive adſperſionem fieri potuiſſe videtur. Sed quid opus eſt verbis? Photiani ipſi infuſione baptizant: Teſtatur id Goarius in not. ad officium Baptiſmi, immo Neophytus Rhodianus, & Græcus, & in Græcia diu verſatus, ita Græcorum Baptiſma deſcribit *in Synopſi Doct. Chriſt.* ubi de Bapt. *Ter aquam ſuper eum, qui baptizatur, infundimus, ut S. Trinitatem, in cujus nomine baptizamur, declaremus.* Vides ergo a Græcis quoque infuſione Baptiſmum conferri, ac ſaniores inter eos perinde habere infuſione, ac immerſione baptizare. Quare citatus Rhodianus eodem loco infuſiones, immerſiones vocat, dum ſubdit, *& ut inſuper tribus illis emerſionibus mortem, ſepulturam, reſurrectionemque Chriſti profiteamur.* Hinc Prodromus de interpret. ad 50. can. Apoſt. hunc in modum Coreſii ſtultitiam damnat: *Sunt, qui adeo neceſſarias immerſiones exiſtiment, ut dicant, non conferri Baptiſmum, non immerſo illo, qui venit ad Baptiſterium. Errant hi tamen, quando id aperte canon minime jubet. Is immerſionem non ad conſtitutionem Sacramenti decernit, ſed ad ejuſdem perfectionem, ut triduo ſepultum Chriſti Corpus com-*

*memoret. Fit enim verum Baptiſma per aquæ conſecratæ infuſionem: & quocumque modo hominem contingas unda ſacra, recitans divina verba cum invocatione Triadis, eum baptizabis. Hoc autem ſcitu perutile, ne cui Baptiſmatis in neceſſitate deſit auxilium. Et docendæ hoc ipſum obſtetrices, ut in nativitate periclitantem puellum norint ſalutaribus undis intingere, quocumque in membro prodeunte illum tangentes aqua cum ſacris verbis. Etſi quidem caput contingant, aut pectus, & ſinum, non iteratur Baptiſmus, ſed in Eccleſia, quæ deſuere, ſupplentur ad perfectionem. Quod ſi tetigerit aliud aliquod membrum, ſuperſtes infans iterum baptizatur, quo ſit ſecurior: nam anceps eſt Sacramentum*. Refert Papadopoli *prænot. Myſtag.* reſponſ. 5. ſeſſ. 3. hanc Prodromi ſententiam, immo ipſius verba approbaſſe publica auctoritate, ſex Patriarcharum Synodica, Catholicorum Nicephori, Methodii, & Vecci; Schiſmaticorum Nicolai Muzolanis, Georgii Xiphilini, & Philothei Palamitæ, quos refert accurate, ac laudat Canonarcha; eademque recepiſſe Photium, & poſt eum, Ariſtenum, Balſamonem, Leonem Numodotem, & Georgium Syncellum.

Nec trina immerſio, aut infuſio, vel ad Baptiſmi eſſentiam pertinet, vel ex Chriſti præcepto adhibenda eſt. Lotio enim, quam Chriſtus inſtituit, etiam unica infuſione, aut immerſione habetur, trina autem infuſio ſive immerſio non ad ſubſtantiam Baptiſmatis, ſeu lotionis, ſed ad modum ſpectat. Chriſtus Dominus Apoſtolis præcepit, ut baptizarent, ſive abluerent gentes *in nomine Patris &c.* nec ullibi modum præſcripſit; Eccleſia vero ritus inſtituendo, quibus Sacramenta perfici, & adminiſtrari deberent, immerſionem primis temporibus adhiberi voluit ad Chriſti ſepulturam indicandam; trinam vero, vel immerſionem, aut infuſionem, ut tres ineſſe in una divina natura Perſonas baptizandis demonſtraret. Id ſatis ſuperque eſt ad oſtendendum ex Eccleſiæ inſtitutione, & præcepto trinam demerſionem originem trahere. Sed quo clarior res Photianis evadat, legere poterunt antiquos PP. Cyrillum Hieroſolymitanum cath. myſtag. Baſilium in lib. de Spir. Sanct. c. 27. & Dionyſium Areopagitam de Eccleſ. Hierar. c. 2. qui trinam immerſionem ex Eccleſiæ conſuetudine, inſtitutione, aut præcepto repetunt, atque alios ſcriptores Græcos, quos ſupra laudavimus.

Photianorum error ex prava interpretatione 50. can. Apoſt. & can. 7. II. Gener. Synodi derivatur. In priori canone deponendum eſſe decernitur Epiſcopum, vel Presbyterum ſemel in Chriſti morte demergentem, in altero vero, iterum baptizandos Eunomianos unica immerſione tingentes. At quis non videt ex iis perperam deduci immerſionem trinam ad Baptiſmi eſſentiam pertinere? Nota res eſt, eos, qui tunc una immerſione in Chriſti morte baptizabant, invocationem Trinitatis omiſiſſe, quæ eſt ad hujuſmodi Sacramenti conſtitutionem neceſſaria. De Eunomianis id aſſerit Theodoretus l. 4. de Hæreticor. Fabulis c. 3. ubi ait, *Eunomius ſancti etiam Baptiſmatis legem olim a Domino, & Apoſtolis traditam evertit, & contrariam ſanxit, non oportere inquiens, ter illum mergere, qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, ſed ſemel baptizare in Chriſti mortem*. Et can. Apoſtolicus hanc affert cauſſam pœnæ in eos conſtitutæ, qui ſemel mergant: *Non enim dixit Dominus, in morte mea baptizate; ſed, Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Vides ergo, eos, qui ſemel demergebant ætate illa, qua citati canones conditi fuere, ſtabilitam a Chriſto Baptiſmatis formulam omiſiſſe; quam ob rem nullum, irritumque erat ab ipſis collatum Baptiſma; & contra Chriſti legem peccabant, qui baptizandum præceperat *in nomine Patris &c.* ac contra legem ab Apoſtolis latam, qua trina immerſio ſtatuebatur.

*Nota*. Ubi viget adhuc conſuetudo baptizandi per immerſionem trinam, quæ in Latina Eccleſia ad XIII. uſque ſeculum perduravit contra Eccleſiæ præceptum peccant, qui eam ſine neceſſitate omittunt; quod propriæ Eccleſiæ ritum non ſervent. Ita vero trina ſive immerſio, ſive infuſio fieri debet, ut ad uniuscujuſque Perſonæ divinæ invocationem baptizandus ſemel immergatur, nec ſine gravi peccato ter repeti poteſt integra forma; tunc enim Baptiſma, quod ſine ſacrilegio reiterari nequit, iteraretur. Hinc ex Armenorum ritualibus delenda omnino ſunt verba iſta, quæ formulæ baptiſmatis præmittuntur, *dicens ter ſic, Baptizatur &c.* ut optime obſervat Galanus.

### §. II. De Forma.

GRæcorum Baptiſmi forma hæc eſt: *Baptizatur N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Hujus formulæ mentionem facit Chryſoſtomus, eaque reperitur in Euchologiis a mille & amplius annis exaratis. Florentina Synodus tum hanc, tum etiam aliam formam, quæ incipit *Baptizetur N. in nomine &c.* approbavit.

Igitur utraque forma Græci valide, ac licite Baptiſma conficiunt. Diſcrimen Orientalis a Latinæ Eccleſiæ forma, ex eo nonnulli ortum eſſe arbitrantur, quod Orientales Patres ut Novatianis, qui in magna copia in Oriente verſabantur, occaſionem præciperent docendi, fidem Miniſtri neceſſariam eſſe ad Baptiſmi valorem, prudenti œconomia conſtituerint, ut Miniſtri baptizantes non amplius dicerent: *Ego te baptizo &c. ſed baptizatur &c.* Alii vero putant, Orientales verbum illud, quo baptizandi actio deſignatur, ex ſequentibus Chriſti verbis deduxiſſe, *baptizabimini non poſt multos hos dies*; Latinos vero ex iſtis, *euntes baptizate omnes gentes &c.*

In nonnullis Græcorum euchologiis ita Baptiſmi forma legitur, ut ad cujuſque Perſonæ Trinitatis invocationem additum ſit *Amen*: baptizatur N. *in nomine Patris Amen, & Filii Amen &c.* Hæc autem additio, vel ex Severi rituali deprompta eſt, vel ex eo ortum habuit, quod ad uniuſcujuſque perſonæ invocationem, Diaconus aut alii reſpondere conſueverunt *Amen*. Dubitari non poteſt, quin hac forma valide Baptiſma conficiatur: immo Supr. Inq. decreto 10. Martii 1595. ratum habitum eſt Baptiſma a Raſcianis ita collatum: *Baptizatur N. in nomine Patris Amen, in nomine Filii Amen, & in nomine Spiritus ſancti Amen*. Sed ut optime advertit Goarius, verbum illud *Amen* in medio formæ poſitum, (idem dicendum de replicatione, quæ fit in forma Raſcianorum vocabuli *in nomine*) omnino tol-



lendum videtur. Nefas enim eſt in medio verborum, quæ Chriſtus ſtabilivit pro Baptiſmatis forma, dictionem aliquam interponere; *Sed ſolum ut ea Chriſtus enunciavit, ita Sacerdos eloqui tenetur*: ut inquit Neophytus Rhodinus in Synopſi vernacula; *Ultimum vero Amen, ſubjungi nihil prohibet, quia jam Sacramenti forma completa dignoſcitur*, ſubdit citatus Auctor. (a)

Armenorum Baptiſmi forma ita ex eorumdem libris a Galano recenſetur: *Servus Chriſti ſponte veniens ad Baptiſmum baptizatur nunc per me in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: Chriſti Sanguine redemptus, a peccati ſubjectione liberatus et, cohæres Chriſti factus, & templum Spiritus ſancti. Hæc ter dicens immergat eum in aquam, ſepeliens peccatum originis; quo ſignificatur triduum ſepulturæ Chriſti*. Vetricellus hanc aliam refert uſurpatam Armenis formam: *dicantur hujuſmodi verba ter cum appoſitione aquæ ſuper caput baptizandi. N. Servum Jeſu Chriſti, qui a ſua infantia venit ſponte ad Baptiſmum, baptizet nunc manus mea, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Vel baptizet nunc manus mea, in nomine Patris: baptizet nunc manus mea, in nomine Filii, & Spiritus ſancti*. Quamquam prædictis formulis, quibus Miniſtri actio exprimitur, ac Trinitatis invocatio continetur, valide Sacramentum perficiatur, ut decrevit Congreg. Sanct. Offic. Sept. 1673. tamen optandum eſt, ut Armeni Græcorum formula utantur, quam eorum Patres a Gregorio Illuminatore accepiſſe teſtatur Vartanus a Galano citatus tom. 3. cap. de Baptiſmo. Reprehendenda vero ſunt in iis, quæ diximus: Primo, rubrica illa, qua præſcribitur formam ter eſſe repetendam; tum enim Baptiſma reiteraretur, ut ſupra diximus; Secundo, verba illa, *ſponte veniens*; nam ea Schiſmaticorum plerique falſo putant neceſſario exprimenda eſſe in forma Baptiſmatis, quod in ea explicari debeat baptizandi hominis intentio. Ab iis ergo præripiendam occaſionem fovendi hujuſmodi errorem, verba illa omnino tollenda videntur; ut optime advertit Galanus. Tertio, ob rationem, quam ſupra attulimus, auferenda quoque eſt replicatio illorum verborum, *baptizet nunc manus mea in nomine &c. verba enim Chriſti, ut ea Chriſtus enuntiavit, ita & Sacerdos alloqui tenetur*.

Circa Chaldæorum Baptiſmi formam anno 1630. magna controverſia fuit, quod vox *Emad* quæ adhibetur, dum baptizatur Maſculus, & vox *Emadat*, quæ uſurpatur, dum baptizatur femina, ſignificet tempus præteritum, juxta nonnullorum interpretationem, & poſt quinque Congregationes, ſex quæ ſequuntur regulæ approbatæ fuerunt. Prima, Baptiſmus collatus per verbum præteriti temporis ad ſignificandum actionem præteritam, & non eam, quæ per Miniſtrum exercetur tunc, quando baptizat, etiam cum invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, & aquæ naturalis ablutione, immerſione, vel adſperſione, non eſt verus Baptiſmus. Secunda; eſſet tamen verus Baptiſmus collatus per verbum indifferens ad præteritum Indicativi, & præſens Imperativi, ſi baptizans uteretur illo pro præſenti Imperativi; ſi cetera adſint, recta nempe intentio, in aquam naturalem immerſio, ablutio vel adſperſio cum Sanctiſſimæ Trinitatis expreſſa invocatione. Tertia, idem dicendum, quando Miniſter utens verbo indifferenti, ut ſupra, nihil cogitans de præterito vel de præſenti, virtualem autem intentionem haberet utendi illo verbo meliori modo, quo poteſt, etiamſi crederet vocem ſignificantem, vel exprimentem actum, qui per Miniſtrum exercetur, eſſe præteriti temporis, retenta tamen intentione faciendi quod Chriſtus inſtituit, vel obſervat Eccleſia, Chriſtianuſve populus, & non alligandi formæ ſignificationem ſuæ privatæ credulitati. Quarta, ſi baptizans uteretur verbo præteriti temporis ad ſignificandum actum, qui per ipſum Miniſtrum exercetur, quando baptizat, cæteraque requiſita adeſſent, eſſet Baptiſmus, ſi apud nationem illam vel clerum eſſet uſus accipiendi vocem illam præteriti ad ſignificandum actionem illam præſentem. Quinta, eſt etiam verus Baptiſmus ſi quis ex ignorantia linguæ, infringendo verba abſque animo introducendi errorem aut hæreſim, proferat vocem præteriti pro præſenti, ſi tanta ſit inter vocem præteriti, & præſentis ſimilitudo, ut facilis ſit lapſus ab una voce ad aliam, prudenteſque viri judicent communiter baptizantem vocem præteriti pro præſenti corrupte prolatam ſuppoſuiſſe, & prolata voce concipiant actionem præſentem ſufficientem ſignificari. Sexta, ad tollendam tamen hujus tam neceſſarii Sacramenti omnem ambiguitatem, vel erroris occaſionem, admoneantur in poſterum Chaldæi dum baptizant,

(a) *In Baptiſmate conferendo poſſunt Presbyteri Græci loco Latinæ formæ adhibere eam, quam habent in ſuo Euchologio, ſicut & adhibere trinam aquæ immerſionem ſeu aſperſionem cum omnibus unctionibus erga baptizatum, ubi tamen non eſt contraria conſuetudo. Presbyteri tamen Græcorum vetantur conſignare chriſmate in fronte ſuos baptizatos. Licet viciſſim uti in baptiſmate aqua calida; ſicut & licet Parochis Græcis ſuos ſubditos baptizare aqua per ipſos Græco more benedicta. Vetantur inſuper ne baptizatis pueris communionem ſub utraque ſpecie vel ſub una adminiſtrent, ſicut neque eiſdem pueris conferant in miſſa Euchariſtiam.*

*Hic addemus filiis Patris Latini, & matris Græcæ Latino ritu baptiſma conferendum eſſe. Si vero pater ſit Græcus, & mater Latina, liberum erit patri eligere. Item baptizati ritu Græco ſubſunt juriſdictioni Parochi Græcorum, nec poſſunt Latini abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ tranſire ad ritum Græcum. Viciſſim Græcus ex conceſſione Epiſcopi Latini poteſt ad Latinum tranſire. Qui vero Clerici ſunt in quocumque ordine etiam minori conſtituti a ritu Græco ad Latinum ſine licentia tranſire nequeunt.*

*Proſequitur Benedictus XIV. in Bulla* Etſi Paſtoralis, *quæ ſervanda ſunt a Græcis in conficiendis, & recipiendis Sacramentis; ſicut & in Bulla* Quam Provinciale, *Bullar. Tom. IV. n. 57. mandat ſervari Canonem Concilii III. Provincialis Albanenſis, quo ſancitur, ne Chriſtifidelibus ſub Mahumetica ditione degentibus imponantur baptizandis nomina Turcica ſeu Mahumetana, neve eadem nomina etiam extra Baptiſmum ſibi imponant, quacunque tandem ratione id agant.*

zant, uti verbo præſentis Indicativi, aut ſaltem Imperativi: vel ſi velint uti verbo indifferenti ad præteritum & præſens, accipiant illud in ſignificatione præſentis.

Hæc Congregationum decreta fuere. Et quidem recentiores Chaldæi tutius duxerunt formam antiquam in hanc aliam mutare. *Ego te baptizo, Servus Chriſti talis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: ut conſtat ex Ritualibus libris a Joſepho I. Patriarcha deſcriptis, qui extant in Bibliotheca Vaticana. Alii Syriacam, ſeu Græcam formam imitari cœperunt in hunc modum: in Baptiſmo maſculorum: (*Aamed*) *baptizatur talis in nomine Patris, & Filii &c.* in Baptiſmo feminarum (*Aamad*) *baptizatur talis in nomine Patris, & Filii &c.* Ita Aſſem. Tom. 3. Biblioth. Orient. par. 2. pag. 251

Mengrellenſes Baptiſmi Sacramentum hoc modo conferunt. Paratur convivium in cella vinaria, in qua baptizandus eſt infans; ad eum locum accedit Sacerdos, & ibi ante epulas induitur ſacris veſtibus, deinde ex Græco Rituali, multas nimia velocitate legens percurrit preces; inter quas Baptiſmi formulam neceſſariam, perinde ac ſi una eſſet ex precibus Græco ritu pronunciat, Iberico idiomate, ſicut & ceteras preces, his verbis: *Baptizatur N. in nomine Enatelighens Gmena Gwerti N. Sacchelita Patris Amen, & Filii Amen, & Spiritus ſancti Amen. Mamiſatà Amin, Tzeſita Amin, Tzulis Smindiſita Amin*. Cum autem Sacerdos profert Baptiſmi formam, tunc infans nec a Sacerdote, nec ab alio abluitur; ſed Sacerdos expletis precibus exuit ſe ſacris veſtibus, & diſcedit; poſt cujus diſceſſum, infans ſuis veſtibus exuitur; & a Patrino toto corpore inungitur ſacro Chriſmate, quod *Myron* vocant, poſtea a circumſtantibus, magno intervallo a formæ prolatione, infans totus aqua abluitur; ita rem a ſe millies viſam refert D. Archangelus Lamberti in relatione Cholchidis cap. 22. inquit Verricellus qu. 3. de Baptiſ. tit. 4. ſect. 2.

*Nota*. In antedicto baptizandi modo præterquamquod non ſervantur cæremoniæ ab Orientali Eccleſia præſcriptæ, nec ordo ille, quem Sacramenti reverentia poſtulat, duplici ex capite nullum, irritumque eſſe Baptiſma deprehenditur. Scilicet, quod Miniſtri unitas deſit, quæ ad Sacramenti Baptiſmatis valorem neceſſaria eſt, ut docent S. Thom. 3. *p. q.* 77. *ar.* 6. *ad* 3. Scotus *in* 4. *diſt.* 6. *qu.* 2. *§. de ſecundo*, S. Bonavent. *in* 4. *diſt.* 3. *art.* 1. *quæſt.* 3. quos omnes ferme Theologi ſequuntur, contra Cajetanum, Marſilium, & Rubeum; nam in illo Baptiſmo unus profert verba, alter abluit. Et quod in Baptiſmo illo deſit moralis conjunctio inter materiam, & formam; longe enim poſtquam a Sacerdote prolata ſint formulæ verba, baptizandus abluitur. Nemo autem negat, moralem hanc conjunctionem eſſe ad Baptiſma neceſſariam. Quamvis enim communis Doctorum opinio ſit, ut animadvertit Verricellus, non obeſſe Baptiſmati parvulam moralam inter materiam & formam, omnes tamen aſſerunt, irritum eſſe, ſi mora tempus excedat, quo pronunciaretur oratio dominica: hac vero longe major eſt mora illa, quæ inter materiam, & formam intercedit in Iberorum Baptiſmate. *Hinc Sacra Congregatio*, inquit citatus Verricellus, Iberus, ſive Mengrellentes *iterum baptizandos eſſe decrevit, ſub conditione tamen, quia plerumque contingere poterit, rite eſſe baptizatos, vel quia Græci Sacerdotes eos baptizarunt, qui ſane rite baptizant, vel quia idem Iberus Sacerdos poteſt debita prolata forma abluere nulla interjecta mora, quæ conjunctionem moralem inter materiam, & formam excindat* (a).

## §. III.

### *De Baptiſmatis Miniſtro, atque Subjecto.*

QUÆ ad Baptiſmatis Miniſtrum, & ſubjectum ſpectant ſufficienter videntur expoſita ab Auctore qu. 7. & 8. in Epiſt. Benedicti XIV. a nobis ſupra relata, quæ eſt de Baptiſmate Hebræorum. Quamobrem abuſus, erroreſque dumtaxat, qui circa rem hanc in Orientali Eccleſia vigent, indicabimus. Photianorum non nulli in ea verſantur hæreſi, inquit Arcudius, ut credant nefas omnino eſſe Laicis hominibus baptizare etiam in extrema hominis, aut infantis neceſſitate. In eodem errore ſunt Armeni, ut teſtatur Galanus, Cophti, & Abiſſini, ut refert Thomas a Jeſu, & etiam Syrorum Neſtorianorum plerique, ut ſcribit Aſſemanus loco ſupra cit. pag. 266. ubi ait: *Hunc errorem ex imperitia, ſcrupulo, & religione provenire exiſtimo, quod Presbyterum credant eſſe ſolum Miniſtrum Baptiſmi; laicis vero ne in neceſſitate quidem licere hoc munere perfungi, ut de Græcis recentioribus notavit Cl. Arcudius de concordia utriuſque Eccleſiæ in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione lib.* 1. *c.* 11.

Huic ſimilem errorem habent Orientalium nonnulli circa Baptiſmi ſubjectum: credunt enim, pueros nonniſi poſt aliquot dies, aut nonniſi ſtatis temporibus baptizandos eſſe; ex quo fit, ut complures ſine Baptiſmo decedant. Hic error ab eodem, quo prior fonte manavit (b). Nam ut ex imperitia non diſtinguentes inter ordinarium, & extraordinarium Miniſtrum, Laicis ne in neceſſitate quidem licere Baptiſma conferre crediderunt, ita ante ſtatutum per canones ſollemnis Baptiſmatis tempus nunquam conferri poſſe cenſuerunt. Sacrorum Miniſtrorum munus eſt, hunc ex Orientalium mentibus depellere errorem. Id vero facile eſt ſi obſervetur; *Primo*, Veriſimile non eſſe Chriſtum Dominum, qui Baptiſma tantæ neceſſitatis eſſe voluit, ut qui ex eo renatus non ſit, intrare nequeat in Regnum Cœlorum, poteſtatem non feciſſe hominum cuique, ut neceſſitate urgente illud conferat. Niſi enim hominum quiſque ba-

(a) *Ceterum nihil officit validitati Baptiſmi error privatus baptizantis, dummodo in materia, & forma nihil innovetur*. *Lambertinus* de Synod. Diœceſ. lib. 7. cap. 6. §. 9.

(b) *Natis infantibus Baptiſmus conferri quamprimum debet; peccantque graviter, qui diu illum differunt; tempus autem indefinitum eſt, latoque edicto mandatum fuit Romæ anno* 1723., *ut intra triduum infans lavetur*. Inſtitut. Eccl. *Lambertini* 98. §. 3.



baptizare poſſet, infantes plurimi neceſſario ſine Baptiſmo perirent. Quo vero modo eorum ſaluti conſultum eſſet ab eo, *qui vult omnes homines ſalvos fieri? Secundo*, Eccleſiam agnoviſſe ſemper etiam in Laicis jus baptizandi: extat hac de re Tertulliani aſſertio, quia circa finem 2. vel initium 3. ſæculi in lib. de Bapt. ſcripſit: *Et Laicis jus eſt baptizandi*. Can. 38. Concilii Illiberitani circa initium 1v. ſæculi coacti, quo ſtatuitur, peregre navigantes etiam a Laicis eſſe baptizandos, ſi ſacri Miniſtri deſint: idem teſtatur Hier. in Dialogo contra Luciferianos, Auguſt. lib. 2. contra Julianum, Conc. Carthag. IV. cui ipſemet Auguſtinus interfuit; Patres denique omnes tum Græci tum Latini, atque etiam doctiores inter Græcos, Orientaleſque Auctores, ut videre eſt in Prodromo §. 1. cit. *Tertio*. Teneri quemlibet rigoroſo caritatis præcepto, proximo in extrema neceſſitate conſtituto ſuccurrere; gravem vero, immo graviſſimam eſſe neceſſitatem pueri nondum baptizati in extremo vitæ periculo poſiti, quippe mors ei imminet æterna, niſi ſacro lavacro regeneretur. Vide Auct. noſtrum quæſt. ſup. cit.

*Nota*. Qui adultos baptizant, graviter peccant, ſi eos antea non inſtruant, ea ratione, quam diximus in append. ad tractatum de legibus. Nam & Sacramentum injuriæ exponerent maxime ob periculum perverſionis illius, qui nondum inſtructus baptizatus fuerit: & contra perpetuam Eccleſiæ conſuetudinem, ac Chriſti præceptum agerent, quo jubemur prius docere eos, qui ſint baptizandi. Matt. c. ult. Hæc autem inſtructio, ſine neceſſitate committi nequit Laicis hominibus, ne ſtabilita in Eccleſia hierarchia ſubvertatur; ut cenſuiſſe refert Verricellus, Theologos, quibus a Sac. Congr. de Propag. Fide hujus dubii ſolutio commiſſa fuit.

## §. IV.

### *De cæremoniis ad Baptiſmum pertinentibus.*

OCcidentales, Orientaleſque fatentur, Eccleſiam Apoſtolorum ætate ſtatuiſſe, ut baptiſma, ſecluſa neceſſitate, cæremoniis nonnullis ac precibus adminiſtraretur aptis tum ad conciliandam Sacramento venerationem, tum ad beneficia indicanda, quæ Deus per illud confert, tum demum ad offerendum hominum memoriæ, eorum, qui Chriſtianæ Religioni initiantur, officia. (*) Has cæremonias ex Eccleſiæ præcepto adhibendas, vel cito ſupplendas eſſe, ſi gravi de cauſſa omittantur, utraque Eccleſia docet, atque Apoſtolica Sedes, tum alias pluries, tum etiam Conſt. *Inter omnigenas* a nobis ſupra citata, inculcavit. Facile autem eſt demonſtrare contra Calvinianos alioſque ætatis noſtræ novatores, conſecrationem aquarum & olei, unctiones, exorciſmos, inſufflationes, rituſque alios Baptiſmi ex Apoſtolis originem trahere. Hi enim tum in Occidente, tum etiam in Oriente vigent, etiam in iis ſectis, quæ a V. ſæculo ab Orthodoxa Eccleſia ſejunctæ ſunt, ut ſunt Neſtoriani; eorumque mentio occurrit, tum in Conſtitutionibus Apoſtolicis, quas Beveregius ſcripſiſſe putat Clementem Alexandrinum circa finem 11. ſæculi, tum in Nazianzeni, Cyrilli, Tertulliani, Cypriani, Auguſtini, aliorumque antiquorum Patrum operibus, qui de Baptiſmo tractarunt; nec conſtat vel ab aliquo totius Orbis Concilio, aut alio modo fuiſſe præſcriptas, ut diſperſæ per univerſum orbem Eccleſiæ ad eos recipiendos obligari potuerint: ergo ex Apoſtolis ſunt, a quibus diſciplina pendet, quæ ſemper in univerſa Eccleſia viguit. Venio nunc ad explicandam Orientalis Eccleſiæ diſciplinam.

Orientalibus, ut permiſſum eſſe diximus §. 1. aquam conſecrare non Latinorum more, ſed juxta proprium Ritum, qui præſcribit benedicendum eſſe a Sacerdote dum baptizaturus ſit; ita quoque permiſſum eſt, ut olea, quibus Baptizandorum corpora unguntur, Presbyteri non accipiant ab Epiſcopis, ut Latinæ Eccleſiæ diſciplina jubet; *Cum hujuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, ſeu benedicantur*, ut legitur in Conſt. *Etſi Paſtoralis*; ubi hæc quoque de unctionibus habemus: *Circa unctiones, quæ in Baptiſmo fiunt, licet Innoc. IV. Græcis in Regno Cypri commorantibus injunxerit, ſequi morem Eccleſiæ Romanæ, ſi tamen Presbyteri Albanenſes ritus ungendi pectus, & dorſi medium, aures, pedes, atque manus in Euchologio deſcriptum ſervare voluerint, ubi non eſt contraria conſuetudo, non ſunt impediendi. Ritus autem ſeu conſuetudo, quam habere dicuntur Græci Orientales, ungendi per totum baptizandorum corpora, ſi alicubi tolli, vel removeri ſine ſcandalo non poteſt, cum ſive fiat, ſive non, quantum ad baptiſmi efficaciam vel effectum non multum referat, in iiſdem toleretur*.

*Nota*. Gregorius Arbelenſis Scriptor Syrus Neſtorianus, ut refert Aſſem. to. 3. part. 2. Bibl. Orient. quæſito 42. irritum cenſet *baptiſma, ſi aqua alio oleo, præter oleum unctionis, benedicta fuerit*. Timotheus quoque II. Patriarcha ſubſtantialem partem Baptiſmi exiſtimat eſſe *oleum benedictum*. Idem Arbelenſis arbitratur aquam baptiſmalem, oleumque benedictum pollui, iterumque conſecrari debere, ſi Laicus vel Presbyter non jejunus ea tetigerit, vel Baptiſterium intraverit, quæſito 14. Item eadem pollui cenſet, iterumque conſecranda eſſe, ſi iis admixtum fuerit, vel ea tetigerit *oleum gratiæ*, id eſt o*leum infirmorum*, quæſito 44. & 45. Idem Arbelenſis affirmat, inchoatum Baptiſmi ritum in alteram diem a Sacerdote differri debere, ſi advertat matrem pueri, vel puerum jejunum non eſſe, quæſito 34. Errores, ac vanæ hujuſmodi credulitates facile deteguntur & confutantur, ſi ad ea, quæ tum de Baptiſmo, tum de ſacris ritibus diſputavimus, attendatur.

Exorciſmi, Satanæ abrenunciationes, & inſufflationes, tum a Græcis, cum ab Orientalibus reliquis adhibentur. Neſtorianorum vero plerique, exorciſmos & Satanæ abrenunciationem omittunt contra ſuorum majorum diſciplinam, quia negantes cum Theodoro Mopſueſteno originariam culpam, exorciſmos, abrenunciationem, & alia id generis adultis quidem, ſed non pueris convenire poſſe putant. Atque hinc fit, ut credant, pueros ſine baptiſmo decedentes æterna

(*) *Non licet abſque neceſſitate Baptiſmum conferre in privatis domibus*. *Lambertinus* Inſtit. Eccl. 98. §. 3.

terna gloria donari. *Pueros vero morti proximos ſolo oleo conſignant; ſi vero abſque iſta olei conſignatione eos mori contigerit; quinquaginta dierum continentia parentibus decernitur.* Georg. Arbel. Quæſit. 20.

Græci ſaliva quoque utuntur, aliaſque ceremonias noſtris ſimiles habent. Has tum ipſi, tum alii Orientales juxta propria Euchologia ſervare debent, nec ſine Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione poſſunt omittere. Ii vero, qui has cæremonias ſpernant, ineptaſque habeant, quæ in Sacramentorum adminiſtratione uſurpentur, ſunt Baptiſmatis ſuſcipiendi incapaces, ex declaratione Apoſtolicæ Sedis, ut cap. 5. §. 2. de Sac. Chriſt. Rit. expoſuimus.

*Nota*. Cum quiſque teneatur propriæ Eccleſiæ ritum ſervare, ſi qui ſunt Orientales, qui cæremoniam aliquam, ſive aliquod Sacramentale, v. g. *Salem*, juxta proprium Rituale adhibere non ſoleant, Conſtitutionibus illis, quæ ſunt de ritibus Magdurenſibus, quo ad hanc partem non obligantur. Nam hæ Latinorum rituum obſervationem præcipiunt; ad omnes vero ſpectant ea parte, qua debitam Eccleſiæ cæremoniis venerationem præcipiunt.

Orientalium plerique ſolent poſt Baptiſma Confirmationem, ac Euchariſtiam etiam parvulis adminiſtrare. Id vero Græco-Italis, & Albanenſibus Conſt. *Etſi Paſtoralis*, interdicitur: prohibentur enim presbyteri Baptizantes confirmare, §. 2. nu. 1. & n. 7. hæc habentur: *Cum adminiſtratio Sacramenti Euchariſtiæ, quod ſub una, vel ſub utraque ſpecie infantibus in Baptiſmo, & pueris in Miſſis ſolent Græci exhibere, nihil contra fidem, bonoſque mores contineat (dummodo iidem Græci credant, firmiterque teneant, Communionem hujuſmodi non eſſe neceſſariam ad ſalutem, & Baptiſmum ſine Communione valide, ac licite poſſe adminiſtrari): quia tamen ad decentiam, & reverentiam Sacramenti magis expedit, ſi illud eiſdem denegetur: propterea ne Græci, vel Albanenſes Græci Ritus Euchariſtiæ Sacramentum ſub una, vel ſub utraque ſpecie infantibus rationis uſu carentibus in Baptiſmo, aut pueris in miſſa miniſtrent, interdicimus, ac prohibemus*; Id etiam vetitum fuit Maronitis in Synodo an. 1736. in Monte Libano coacta, atque Apoſtolicæ Sedis auctoritate confirmata an. 1741. Ii ergo contra Eccleſiæ præceptum agerent, ſi baptizando, pueris Confirmationem illico, ac Euchariſtiam adminiſtrent.

At hujuſmodi conſuetudinem Apoſtolica Sedes in aliis Orientalibus tolerat, atque permittit; ut conſtat tum ex ſupra citatis verbis; tum etiam ex iis, quæ alibi ex Conc. Later. ſub Innoc. III. celebrato attulimus: ubi probantur mores, conſuetudineſque Græcorum, aliorumque Orientalium, quæ neque fidei, neque honeſtati adverſentur: At mos confirmandi, ac Euchariſtiam adminiſtrandi pueris illico poſt Baptiſma antiquior laudato Concilio, neque fidei, neque honeſtati contrarius eſt. Immo etiam in Latina Eccleſia quandoque viguit: Nam in Sacramentario, quod Gregorio Magno adjudicatur, habetur, *non prohibentur infantes lactari ante ſacram Communionem, ſi neceſſe fuerit*: Et in ordine Romano, quem eruditorum plerique paullo poſt Gregorii Sacramentarium ſcriptum exiſtimant; Baptizatis pueris ab Epiſcopo Confirmationem, & Euchariſtiam conferri conſueviſſe perhibetur. Quamobrem Tridentina Synodus ſeſſ. 21. c. 4. ait: *Parvulos ante rationis uſum nulla obligari neceſſitate ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, nec tamen damnandam eſſe antiquitatem, ſi eum morem aliquando ſervavit*. Hæc adnotare neceſſarium duxi, ne ob ejuſmodi conſuetudinem a Noſtris erroris inſimulentur, vel reprehendantur Orientales.

Curandum vero eſt, ut ex nonnullorum Orientalium mentibus pravæ hac de re opiniones tollantur. Neque enim dici poteſt Confirmationem ad Baptiſmi eſſentiam pertinere, ut Hæretici nonnulli Armeni, teſte Galano, arbitrantur; neque Euchariſtiam neceſſariam eſſe parvulis ad ſalutem, ut opinari creduntur Syri nonnulli; neque de jure divino hæc tria Sacramenta eſſe conjungenda: Qui enim ita ſentiunt in manifeſta hæreſi verſantur. Nam Orthodoxa fides docet, atque Eccleſia ſemper profeſſa eſt, eos, qui vel a Laicis in caſu neceſſitatis, vel a Diacono ex commiſſione, ſive de licentia Epiſcopi, juxta præſcriptum Canonum Eccleſiæ Græcæ, & Tertulliani doctrinam, baptizati ſint, verum Sacramentum regenerationis recipere, fierique æternæ gloriæ capaces, & hæredes: Tunc vero confertur ſolius baptiſmatis Sacramentum. De Laicis patet, ut conſtat etiam de Diaconis; quia certum eſt, diaconos nunquam potuiſſe Confirmationem conferre, neque Euchariſtiam conficere: Ergo dum ab iis baptiſma conferebatur abſente Sacerdote, & Epiſcopo, alia duo Sacramenta conferri non poterant. Pluries vero collatum fuiſſe colligimus ex eo, quod Canones antiqui, & Tertullianus aſſerunt, Baptiſmi Miniſtrum Epiſcopum, vel de licentia Epiſcopi Presbyterum, vel Diaconum. Sed res explorata eſt ex hiſtoria Eccleſiaſtica, & ex iis, quæ Hieron. in Dialogo contra Lucifer. ait, ut infra dicemus.

Ut Latini reprehendere nequeunt Orientales, ita Orientales Latinos arguere non debent, quod antiquam diſciplinam mutaverint. Nam uſus conjungendi tria hæc Sacramenta ex eo ortus eſt, quod antiquis temporibus, in quibus ſtatis diebus, hoc eſt, in Paſcha, Pentecoſte, ac etiam Epiphania, vel in aliis ſollemnitatibus, baptizabantur, qui ſollemni baptiſmo initiabantur, omnes ferme eſſent adulti, quibus tria Sacramenta ſucceſſive conferebantur: Quo factum eſt, ut in officiis Sacramentorum, hæc tria conjuncta ponerentur; & cum ejuſmodi officiis diu Eccleſia uſa ſit in Sacramentorum adminiſtratione, per plura ſecula etiam pueris ſollemne Baptiſma ſuſcipientibus duo alia Sacramenta tribuere conſuevit. At Eccleſia Latina, dum ſine Fidelium ſcandalo, & commotione diſciplina mutari potuit, ſatius duxit, tria hæc Sacramenta ſejungere; ac Confirmationem tunc tantum conferre cum homines ad rationis uſum pervenerint; Euchariſtiam vero tunc tantum, cum homines diſtinguere potuerint inter ſpiritualem, ac materialem cibum; atque tanti Sacramenti efficaciam intelligere. Vide infra de Confirmatione, & Euchariſtia.





# TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

I. Confirmatio eſt Sacramentum a Chriſto inſtitutum, quo baptizati corroborantur ad fidem firmiter tenendam, & fortiter profitendam. (1)

II. Ejus materia remota eſt *Chriſma confectum ex oleo & balſamo per Epiſcopum benedicto*. Conc. Florent. in decret. de Sacram. Materia proxima eſt unctio chriſmatis in fronte per manum Epiſcopi facta in formam crucis; quæ chriſmatis unctio eſt vera manus impoſitio. Forma autem, ex Concil. Florent. eſt hæc: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*.

III. Miniſter ordinarius eſt ſolus Epiſcopus, ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 7. & Florent. hæc addente: *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationabili & urgente admodum cauſa ſimplicem ſacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum*. Quare ſimplex Sacerdos ex commiſſione Papæ, poteſt valide ac licite confirmare.

IV. Hujus effectus ſunt, 1. Augmentum gratiæ ſanctificantis; & virtutum annexarum. 2. Auxilia quædam ſpecialia ad fidem fortiter profitendam cum quovis periculo, & ad ſuperandas tentationes contra illam. 3. Character.

V. Confirmationis capaces ſunt omnes & ſoli baptizati, etiam infantes, quibus primis Eccleſiæ ſeculis conferebatur. Nunc tamen in Eccleſia Latina differtur uſque ad uſum rationis ad majorem reverentiam hujus Sacramenti & majorem utilitatem ſuſcipientis ob actualem devotionem. Expedit autem pueros tempeſtive confirmari antequam innocentia baptiſmali excidant; modo ſuſcepti Sacramenti non iterandi meminiſſe poſſint, ejuſque excellentiam & utilitatem agnoſcant.

VI. Patrinus adhiberi debet, ex lege, ſeu conſuetudine Eccleſiæ, quæ in variis canonibus exprimitur. Et quidem unus tantum ſive vir, ſive mulier, c. *Non plures*, de conſecr. diſtinct. 4. circa quod nihil innovavit Conc. Trid. debetque eſſe confirmatus, ſeu confirmata, c. *In Baptiſmate*; eod. tit.

Quæſt. I. *An quilibet adultus tenetur Confirmationem recipere data opportunitate?*

*Reſp.* Multi negant; ſed Toletus & alii affirmant, & probant, 1. Ex cura & ſollicitudine Apoſtolor. Actor.

(1) *Confirmationem Sacramentum eſſe novæ Legis conſtat tum ex definitione Trid. ſeſſ. 7. Can. 1. tum ex Actuum 8. illis verbis*: Imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. *Inſt. Eccl. 6. §. 3.*

*Conficitur hoc Sacramentum impoſitione manuum Epiſcopi, & prece. Quandonam illud inſtituerit Chriſtus, qui unicus auctor eſt Sacramentorum, incertum; nam tunc cum impoſuit manus capiti puerorum*, Matt. 19. *num inſtituerit tantum, non miniſtraverit; num in ultima cœna cum dixit Apoſtolis*, Accipite Spiritum Sanctum; *num tandem ipſa Pentecoſtes die; ignoratur*. Ibid. §. 5.

terna gloria donari. *Pueros vero morti proximos ſolo oleo conſignant; ſi vero abſque iſta olei conſignatione eos mori contigerit; quinquaginta dierum continentia parentibus decernitur.* Georg. Arbel. Quæſit. 20.

Græci ſaliva quoque utuntur, aliaſque ceremonias noſtris ſimiles habent. Has tum ipſi, tum alii Orientales juxta propria Euchologia ſervare debent, nec ſine Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione poſſunt omittere. Ii vero, qui has cæremonias ſpernant, ineptaſque habeant, quæ in Sacramentorum adminiſtratione uſurpentur, ſunt Baptiſmatis ſuſcipiendi incapaces, ex declaratione Apoſtolicæ Sedis, ut cap. 5. §. 2. de Sac. Chriſt. Rit. expoſuimus.

*Nota*. Cum quiſque teneatur propriæ Eccleſiæ ritum ſervare, ſi qui ſunt Orientales, qui cæremoniam aliquam, ſive aliquod Sacramentale, v. g. *Salem*, juxta proprium Rituale adhibere non ſoleant, Conſtitutionibus illis, quæ ſunt de ritibus Magdurenſibus, quo ad hanc partem non obligantur. Nam hæ Latinorum rituum obſervationem præcipiunt; ad omnes vero ſpectant ea parte, qua debitam Eccleſiæ cæremoniis venerationem præcipiunt.

Orientalium plerique ſolent poſt Baptiſma Confirmationem, ac Euchariſtiam etiam parvulis adminiſtrare. Id vero Græco-Italis, & Albanenſibus Conſt. *Etſi Paſtoralis*, interdicitur: prohibentur enim presbyteri Baptizantes confirmare, §. 2. nu. 1. & n. 7. hæc habentur: *Cum adminiſtratio Sacramenti Euchariſtiæ, quod ſub una, vel ſub utraque ſpecie infantibus in Baptiſmo, & pueris in Miſſis ſolent Græci exhibere, nihil contra fidem, bonoſque mores contineat (dummodo iidem Græci credant, firmiterque teneant, Communionem hujuſmodi non eſſe neceſſariam ad ſalutem, & Baptiſmum ſine Communione valide, ac licite poſſe adminiſtrari): quia tamen ad decentiam, & reverentiam Sacramenti magis expedit, ſi illud eiſdem denegetur: propterea ne Græci, vel Albanenſes Græci Ritus Euchariſtiæ Sacramentum ſub una, vel ſub utraque ſpecie infantibus rationis uſu carentibus in Baptiſmo, aut pueris in miſſa miniſtrent, interdicimus, ac prohibemus*; Id etiam vetitum fuit Maronitis in Synodo an. 1736. in Monte Libano coacta, atque Apoſtolicæ Sedis auctoritate confirmata an. 1741. Ii ergo contra Eccleſiæ præceptum agerent, ſi baptizando, pueris Confirmationem illico, ac Euchariſtiam adminiſtrent.

At hujuſmodi conſuetudinem Apoſtolica Sedes in aliis Orientalibus tolerat, atque permittit; ut conſtat tum ex ſupra citatis verbis; tum etiam ex iis, quæ alibi ex Conc. Later. ſub Innoc. III. celebrato attulimus: ubi probantur mores, conſuetudineſque Græcorum, aliorumque Orientalium, quæ neque fidei, neque honeſtati adverſentur: At mos confirmandi, ac Euchariſtiam adminiſtrandi pueris illico poſt Baptiſma antiquior laudato Concilio, neque fidei, neque honeſtati contrarius eſt. Immo etiam in Latina Eccleſia quandoque viguit: Nam in Sacramentario, quod Gregorio Magno adjudicatur, habetur, *non prohibentur infantes lactari ante ſacram Communionem, ſi neceſſe fuerit*: Et in ordine Romano, quem eruditorum plerique paullo poſt Gregorii Sacramentarium ſcriptum exiſtimant; Baptizatis pueris ab Epiſcopo Confirmationem, & Euchariſtiam conferri conſueviſſe perhibetur. Quamobrem Tridentina Synodus ſeſſ. 21. c. 4. ait: *Parvulos ante rationis uſum nulla obligari neceſſitate ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, nec tamen damnandam eſſe antiquitatem, ſi eum morem aliquando ſervavit*. Hæc adnotare neceſſarium duxi, ne ob ejuſmodi conſuetudinem a Noſtris erroris inſimulentur, vel reprehendantur Orientales.

Curandum vero eſt, ut ex nonnullorum Orientalium mentibus pravæ hac de re opiniones tollantur. Neque enim dici poteſt Confirmationem ad Baptiſmi eſſentiam pertinere, ut Hæretici nonnulli Armeni, teſte Galano, arbitrantur; neque Euchariſtiam neceſſariam eſſe parvulis ad ſalutem, ut opinari creduntur Syri nonnulli; neque de jure divino hæc tria Sacramenta eſſe conjungenda: Qui enim ita ſentiunt in manifeſta hæreſi verſantur. Nam Orthodoxa fides docet, atque Eccleſia ſemper profeſſa eſt, eos, qui vel a Laicis in caſu neceſſitatis, vel a Diacono ex commiſſione, ſive de licentia Epiſcopi, juxta præſcriptum Canonum Eccleſiæ Græcæ, & Tertulliani doctrinam, baptizati ſunt, verum Sacramentum regenerationis recipere, fierique æternæ gloriæ capaces, & hæredes: Tunc vero confertur ſolius baptiſmatis Sacramentum. De Laicis patet, ut conſtat etiam de Diaconis; quia certum eſt, diaconos nunquam potuiſſe Confirmationem conferre, neque Euchariſtiam conficere: Ergo dum ab iis baptiſma conferebatur abſente Sacerdote, & Epiſcopo, alia duo Sacramenta conferri non poterant. Pluries vero collatum fuiſſe colligimus ex eo, quod Canones antiqui, & Tertullianus aſſerunt, Baptiſmi Miniſtrum Epiſcopum, vel de licentia Epiſcopi Presbyterum, vel Diaconum. Sed res explorata eſt ex hiſtoria Eccleſiaſtica, & ex iis, quæ Hieron. in Dialogo contra Lucifer. ait, ut infra dicemus.

Ut Latini reprehendere nequeunt Orientales, ita Orientales Latinos arguere non debent, quod antiquam diſciplinam mutaverint. Nam uſus conjungendi tria hæc Sacramenta ex eo ortus eſt, quod antiquis temporibus, in quibus ſtatis diebus, hoc eſt, in Paſcha, Pentecoſte, ac etiam Epiphania, vel in aliis ſollemnitatibus, baptizabantur, qui ſollemni baptiſmo initiabantur, omnes ferme eſſent adulti, quibus tria Sacramenta ſucceſſive conferebantur: Quo factum eſt, ut in officiis Sacramentorum, hæc tria conjuncta ponerentur; & cum ejuſmodi officiis diu Eccleſia uſa ſit in Sacramentorum adminiſtratione, per plura ſecula etiam pueris ſollemne Baptiſma ſuſcipientibus duo alia Sacramenta tribuere conſuevit. At Eccleſia Latina, dum ſine Fidelium ſcandalo, & commotione diſciplina mutari potuit, ſatius duxit, tria hæc Sacramenta ſejungere; ac Confirmationem tunc tantum conferre cum homines ad rationis uſum pervenerint; Euchariſtiam vero tunc tantum, cum homines diſtinguere potuerint inter ſpiritualem, ac materialem cibum; atque tanti Sacramenti efficaciam intelligere. Vide infra de Confirmatione, & Euchariſtia.

TRA-



# TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

I. Confirmatio eſt Sacramentum a Chriſto inſtitutum, quo baptizati corroborantur ad fidem firmiter tenendam, & fortiter profitendam. (1)

II. Ejus materia remota eſt *Chriſma confectum ex oleo & balſamo per Epiſcopum benedicto*. Conc. Florent. in decret. de Sacram. Materia proxima eſt unctio chriſmatis in fronte per manum Epiſcopi facta in formam crucis; quæ chriſmatis unctio eſt vera manus impoſitio. Forma autem, ex Concil. Florent. eſt hæc: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti*.

III. Miniſter ordinarius eſt ſolus Epiſcopus, ex Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 7. & Florent. hæc addente: *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationabili & urgente admodum cauſa ſimplicem ſacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum*. Quare ſimplex Sacerdos ex commiſſione Papæ, poteſt valide ac licite confirmare.

IV. Hujus effectus ſunt, 1. Augmentum gratiæ ſanctificantis; & virtutum annexarum. 2. Auxilia quædam ſpecialia ad fidem fortiter profitendam cum quovis periculo, & ad ſuperandas tentationes contra illam. 3. Character.

V. Confirmationis capaces ſunt omnes & ſoli baptizati, etiam infantes, quibus primis Eccleſiæ ſeculis conferebatur. Nunc tamen in Eccleſia Latina differtur uſque ad uſum rationis ad majorem reverentiam hujus Sacramenti & majorem utilitatem ſuſcipientis ob actualem devotionem. Expedit autem pueros tempeſtive confirmari antequam innocentia baptiſmali excidant; modo ſuſcepti Sacramenti non iterandi meminiſſe poſſint, ejuſque excellentiam & utilitatem agnoſcant.

VI. Patrinus adhiberi debet, ex lege, ſeu conſuetudine Eccleſiæ, quæ in variis canonibus exprimitur. Et quidem unus tantum ſive vir, ſive mulier, c. *Non plures*, de conſecr. diſtinct. 4. circa quod nihil innovavit Conc. Trid. debetque eſſe confirmatus, ſeu confirmata, c. *In Baptiſmate*; eod. tit.

Quæſt. I. *An quilibet adultus tenetur Confirmationem recipere data opportunitate?*

*Reſp.* Multi negant; ſed Toletus & alii affirmant, & probant, 1. Ex cura & ſollicitudine Apoſtolor. Actor.

(1) *Confirmationem Sacramentum eſſe novæ Legis conſtat tum ex definitione Trid. ſeſſ. 7. Can. 1. tum ex Actuum 8. illis verbis*: Imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. *Inſt. Eccl. 6. §. 3.*

*Conficitur hoc Sacramentum impoſitione manuum Epiſcopi, & prece. Quandonam illud inſtituerit Chriſtus, qui unicus auctor eſt Sacramentorum, incertum; nam tunc cum impoſuit manus capiti puerorum*, Matt. 19. *num inſtituerit tantum, non miniſtraverit: num in ultima cœna cum dixit Apoſtolis*, Accipite Spiritum Sanctum; *num tandem ipſa Pentecoſtes die; ignoratur*. Ibid. §. 5.

Cor. 8. ut baptizatis conferretur. 2. Ex c. *Omnes* de conſecr. diſt. 5. *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt Baptiſmum accipere debent: ut plene chriſtiani inveniantur*. Et ex S. Cypr. epiſt. 72. *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, ideſt unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit*. 3. Ex Conc. Laodic. can. 48. *Quod oporteat eos, qui baptizantur, chriſma Eccleſiæ accipere*. Ex Conc. Mediol. IV. ſub S. Carolo; *Si quis neglexerit* (ejus ſuſceptionem) *Canonicis ſubjaceat diſciplinis*. At negligit qui data opportunitate non ſuſcipit, ut per ſe & ex contextu patet. Et ex Conc. Rhemenſi an. 1583. *Moneant parochi, Sacramentum Confirmationis non debere negligi, vel prætermitti a vere Chriſtianis*. 4. Ex canonibus pœnitentialibus, qui triem annorum pœnitentiam imponunt parentibus, quorum negligentia filius ſine Confirmatione deceſſerit. 5. Quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt, ut medium per ſe certum & ordinarium ad dandum robur & perfectionem vitæ chriſtianæ, & non ſolum ad fidem coram tyrannis fortiter profitendam, ſed etiam ad vincendas tentationes contra fidem; a quibus nemo adultus immunis eſt. (1) Ergo Chriſtus voluit ut ab omnibus ſuſciperetur; & qui illud, cum poteſt, non ſuſcipit, non ſatis conſulit ſaluti ſuæ, ſed illam ac auxilium divinum negligere merito cenſetur: ergo peccat.

Certo apud omnes conſtat, eſſe ſaltem culpam venialem hoc Sacramentum tunc omittere, cum talis omiſſio ſit irrationabilis quædam prodigalitas ſpiritualis. Morale vero ſi omittatur ſive ex contemptu, ut ſi quis illud, aut ejus effectum parvi facit, vel vile aut puerile exiſtimet ſe illi ſubjicere: ſive cum ſcandalo, ut ſi quis ita ſe publice gerat, ut aliis exhibeat ſpeciem contemptus.

Item conſtat, Epiſcopum teneri ſub mortali illud non raro adminiſtrare: nam cum ſit paſtor animarum, tenetur illis ex officio per ſe ſubminiſtrare media, quæ Chriſtus inſtituit ad earum ſalutem, vel perfectionem, ac ſpiritualem utilitatem, per ipſum ſuppeditanda. (2)

## ✠ APPENDIX.

### *De Orientalis Eccleſiæ circa Confirmationem diſciplina.*

ORientalis Eccleſia Confirmationem eſſe Sacramentum a Baptiſmo diverſum una cum Orthodoxis adverſus ætatis noſtræ Novatores ultro fatetur. De Græcis nemo dubitat: quippe id manifeſtum fit ex eorum Euchologiis, ex teſtimoniis Symeonis Theſſalonicenſis, Georgii Protoſyncelli, Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani, aliorumque de re Sacramentaria Scriptorum, atque ex damnatione confeſſionis Cyrilli Lucar, in qua ex Sacramentorum numero Confirmatio explodebatur. Quam confeſſionem refutavit Conſtantinopolitana Eccleſia an. 1635. Synodus Beœrenſis 1638. Leocolienſis 1668. & Hieroſolymitana anno 1672. De Neſtorianis quoque conſtat. *Quidquid enim ſit de praxi, ſeu potius errore recentiorum, ex libris eorum oſtendi poteſt utrumque Sacramentum* (hoc eſt Baptiſma, & Confirmationem) *apud illos extare, vel ſaltem extitiſſe*, inquit Aſſem. diſſ. de Syris Neſtorianis pag. 273. to. 3. part. 2. Bibl. Orient. Nam in eorum Rituali Baptiſmi, & apud Eliam Ambarenſem centuria 4. carm. 31. apud Georgium Arbelenſem in lib. declarat. Off. Eccleſiaſticorum tract. 5. de Bapt. cap. 5. & apud alios Scriptores rectam de Sacramento Confirmationis fidem expoſitam legimus. De Syris Maronitis quoque res eſt explorata: Cophti quoque, & Abiſſini illud retinuere, ut Jacobitæ Syri, aliæque Syriaci ritus gentes. Inter Armenos, quamvis Hæretici nonnulli cum Varrano Confirmationem ſoleant cum Baptiſmo confundere, tamen ex eorumdem libris palam eſt, Confirmationem haberi pro vero Sacramento, quo Spiritus Sancti robur, & fortitudo baptizatis confertur, ut Chriſtianam fidem firmiter teneant, animoque invicto profiteantur, ut ex iis, quæ infra dicemus, apparebit. Immo Auctor de fidei perpetuitate refert profeſſionem fidei Uſcani Epiſcopi Erivanenſis, Jacobi Armenorum Patriarchæ, & Onuphrii Archiepiſcopi Ametenſis, in qua Confirmationem verum eſſe a Chriſto Domino inſtitutum Sacramentum teſtantur. Igitur modum tantum explicandum ſuſcipimus, quo rite juxta propriæ Eccleſiæ conſuetudinem ab Orientalibus miniſtrare oporteat.

(1) *Bened. XIV. in* Inſt. Eccl. 6. § 7. *ait, quod quanquam gratia prodigiorum, quam olim hoc Sacramentum infundebat, modo ceſſavit, id non amplius exigente Eccleſia, gratiæ tamen ſanctificantis donum modo pariter datur, S. Auguſt. teſte, de* Baptiſm. lib. 3. c. 16. *Quæ tamen gratia Sacramentum recipientibus amoto peccati obice confertur, ut ſit potius gratiæ præcedentis augmentum. Producit etiam robur, & firmitatem quamdam ſpiritualium virium, quibus Diabolo reſiſtamus.*

Et ibidem: *characterem imprimit indelebilem, quo datur poteſtas quædam ſpiritualis in ordine ad aliqua gerenda quæ a perfectioribus agenda ſunt: ex quo fit ut reiterari non poſſit.*

(2) *Tamen tempore peſtis, eo morbo affectis non tenetur Epiſcopus hoc Sacramentum miniſtrare, cum Sacramentum hoc non ſit abſolutæ neceſſitatis. Lambertinus* de Synodo Diœceſ. lib. 13. c. 19. § 6. nov. edit. *Ibidemque* § 77. *habetur, quod in Confirmatione tempore peſtis non poteſt fieri inunctio frontis mediante penicillo, nec ſane valeret ſic collata, cum ex conſenſu omnium Theologorum ad valorem requiratur aliqua manus impoſitio, quæ certa non fieret cum alio medio, quam pollice, vel manu confirmandi frons oleo liniretur.*



### § I. *De materia.*

CIrca hujus Sacramenti materiam, miſſas facimus Scholaſticorum lites, quæ ad eruditionem potius, quam uſum ſpectare videntur, ea tantum explicaturi, quæ ad valide, ac licite Sacramentum hoc perficiendum deſiderantur. Primo vero ſtatuimus, reprehendi non poſſe Orientales, quod in hoc conficiendo Sacramento manuum impoſitionem, ab ea, quæ fit in conſignatione frontis diverſam non adhibeant, quidquid nonnulli eruditi cum Sirmondo contra opinentur. Quamquam enim Apoſtoli manus impoſitione confirmarunt, ut legitur Act. 8. eaque uſi ſunt Epiſcopi eorum Succeſſores, quemadmodum teſtantur Firmil. Epiſt. l. 75. inter Cyprianicas, Cyprian Epiſt. 73. Tertul. lib. de Bapt. cap. 8. aliique Patres; tamen negari non poteſt manuum impoſitionem, quæ neceſſaria ſit, ipſa frontis conſignatione contineri. Patet id ex l. 3. Conſt. Apoſt. c. 15. ubi Confirmationis ritus ita deſcribitur: *In manus impoſitione caput ipſius*, (hoc eſt baptizati) *unget Epiſcopus*: hic enim illius unice impoſitionis manus mentio occurrit, qua Baptizatus ungitur. Hinc Innocentius III. cap. *Cum veniſſet*, inquit: *Per frontis Chriſmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio modo dicitur Confirmatio*. Innocent. IV. Epiſt. ad Othonem Cardinalem Apoſtolicæ Sedis in Regno Cypri Legatum, *manuum impoſitionem*, ſcribit *frontis Confirmatio repræſentat*. Et Eugenius IV. in decreto pro Armenis, ait: *Loco illius manus impoſitionis* (de qua Act. VIII.) *datur in Eccleſia Confirmatio*. Ergo rite Confirmatio perficitur etiamſi alia a frontis conſignatione diſtincta manus impoſitio non adhibeatur.

Præter hanc manuum impoſitionem etiam unctio neceſſaria eſt hujus Sacramenti materia. Illius unctionis mentio occurrit in Scriptura. II. ad Cor. 1. v. 21. *Qui confirmat nos Chriſtus, & qui unxit nos Deus, qui ſignificavit nos, & dedit pignus Spiritus Sancti in cordibus noſtris*: quæ verba Confirmationis Sacramentum deſignare, tradunt Cyrillus Hieroſolym. Ambroſius, Theodoretus, & Primaſius, atque hujuſmodi unctionis, ut ex Apoſtolis, & Chriſto Domino derivatæ, mentionem faciunt Irenæus lib. 1. contra hær. c. 18. Auctor. Conſt. Ap. l. 3. c. 16. Dionyſius Areopagita de Eccl. Hierarchia c. 2. Theophilus Antiochenus, Tertullianus, Cyprianus, Patres denique omnes tum Latini, tum Græci, atque omnes tum Occidentalis, tum Orientalis Eccleſiæ Rituales libri, ſive antiqui, ſive recentiores, qui unctionis modum præſcribunt.

Unctio hæc, ut ex Florentino Concil. definitum habemus, ex Chriſmate fieri debet, *confecto ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto*. Oleum unanimi conſenſu Theologi aſſerunt debere eſſe olivarum; addendum vero eſſe balſamum ex præcepto negari non poteſt. Nam præterquam quod id exprimitur in ſupra citato Eugenii IV. decreto, omnia Euchologia Græcorum, omnes Rituales Patreſque, omnes Græci, atque Latini, oleo cum balſamo admixto ſacrum Chriſma perficiendum eſſe docent. Num vero balſamum oleo miſceri debeat neceſſitate Sacramenti, diſſentiunt invicem Theologi; neque controverſia Eccleſiæ judicio definita eſt. Concilium enim Florentinum, inquit Bellar. l. 2. de Conf. *non expreſſit, quomodo requiratur balſamum, ſed dixit materiam eſſe oleum cum balſamo, ut etiam dixerat, in Euchariſtia materiam eſſe vinum cum aqua, & tamen fatentur omnes aquam non ita eſſe de eſſentia, ut ſine ea ſit irritum Sacramentum.* At quamquam Eccleſia non damnavit eorum opinionem, qui putant, balſamum ad hujus Sacramenti eſſentiam non pertinere; tamen cum ſupra laudatis ex decreto Armenorum verbis materia dicatur Chriſma ex oleo confectum & balſamo, cum Patres omnes, qui unctionis hujuſmodi meminerint, vel balſamum expreſſe deſignaverint, vel ſatis illud indicaverint, appellando unctionis materiam Chriſma, Unguentum, & *Myron*: cum denique in Euchologiis omnibus, omnibuſque Ritualibus etiam balſamum pro principali materiæ parte hujus Sacramenti præſcribatur, quaſi certo conſtitui poſſe videtur balſamum ad Sacramenti eſſentiam pertinere, atque adeo collatum ſine balſamo Sacramentum eſſe irritum, & iterandum; id vero fieri debet ſub conditione, quod contraria opinio ab Eccleſia non ſit damnata, & a Bellarmino, Natale Alexandro, aliiſque doctiſſimis viris propugnetur. Non eſt neceſſarium balſamum Syriacum, & Palæſtinum, ſed ſufficit Indicum, quod accidentarie tantum ab illo differt ex peritiſſimorum medicorum atteſtatione, ut aſſerunt Baſilius Pontius par. 1. c. 1. Vanroy q. 4. affirmavitque Paulus III. & adnotavit Sylvius in q. 72. art. 2. Lupus in Confut. v. Calumniæ Photianæ, & Bened. XIV. not. 183. in fer. v. Maj. heb.

Latini oleo atque balſamo Chriſma conficiunt, nec eis licet quidpiam aliud addere; Græci, vero, aliique Orientales præter vinum, alias quoque fragrantium rerum ſpecies Chriſmati admiſcent. Græci, ut ex eorum Pontificali ab Iſacio Hebert notis illuſtrato, circa finem, & ex Goario p. 635. liquet, ultra vinum triginta tres alias fragrantium rerum ſpecies adhibent; alii vero Orientales pauciores. Id vero notatum volo, ne hanc ob rem Orientales reprehendantur, ut Galanus, vir licet doctiſſimus, reprehendit Armenos ob vini mixtionem. Antiquam enim eſſe, ac probatam hujus mixtionis conſuetudinem, tum Græcorum Euchologia demonſtrant, tum Græci Patres docent. Dionyſius enim loco ſupracitato expreſſe vini meminit, ac tum ipſe, tum Baſilius, tum alii teſtantur oleo & balſamo odora etiam nonnulla aromata fuiſſe permixta; ſapienter autem ac magna cum ratione a Patribus in Synodo Zamoſcie anno 1720. § 2. *de Confirm.* animadverſum fuit, quidquid herbarum Balſamo adjiciatur, *cavendum eſſe, ut maxima pars chriſmatis ſemper ſit oleum Balſamo mixtum*. Vide Epiſt. Bened. XIV. ſæpe laudatam.

Chriſma conſecratum eſſe debet ab Epiſcopo ut §. 111. dicemus. Lis eſt inter Theologos, num conſecratio hæc ad Sacramenti valorem, aut ex præcepto neceſſaria ſit. Cum noſtra non ſit, controverſiam dirimere, ſed ea præſcribere, quæ ad tuto Sacramentum perficiendum deſiderantur, certo ſtatuimus, non licere Confirmationem Chriſmate non conſecrato conferre, atque ita collatum, dubium eſſe, & ſub *conditione* iterandum Sacramentum, ob communionem



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ſententiam, quæ nullum irritumque eſſe tuetur, ſi ſine conſecrato Chriſmate conferatur.

Neque Chriſma tantum, ſed illius applicatio, quæ materia proxima vocatur, conſideranda eſt, ut, quæ ad rite Sacramentum hoc conſiciendum requiruntur, ſint explicata. Unctio hæc fit in fronte, eaque chriſtiani homines monentur, non eſſe eis erubeſcendum nomen Chriſti coram omnibus confiteri juxta robur & vim, quam a Spiritu Sancto in hujus Sacramenti ſuſceptione recipiunt. Ad perficiendum Sacramentum neceſſaria eſt: tum quia hac unctione manus impoſitio, qua utebantur Apoſtoli, dum baptizatis Spiritum Sanctum tribuebant, comprehenditur, aut ſaltem repræſentatur, ut ſupra innuimus; tum etiam quia Eccleſia ſemper frontis unctione hujuſmodi Sacramentum contulit. Patet ex l. 3. Conſt. Apoſt. c. ſup. cit. ex Tertul. l. 3. contra Marcionem, ubi Confirmationem vocat *Signaculum frontium*, ex Cyrillo cathec. 3. ex Innocent. I. in Epiſt. ad Decentium, ex Conc. II. Gen. can. 7. ex Patribus reliquis, atque ex conſtanti, & perpetuo omnium Eccleſiarum uſu. Igitur unctio hæc ad Sacramenti eſſentiam pertinet.

In frontis unctione ſignum Crucis fieri debere Græcorum Euchologia, ac Latinorum Rituales præſcribunt. Hujus ritus mentio occurrit in Conſt. Apoſt. l. 3. cit. in Epiſt. 73. Cypriani, & apud Patres fere omnes, qui de hac unctione ſcripſerunt; quamobrem ex Apoſtolis originem trahere haud immerito conjicimus. S. Tho. S. Bonav. Scotus, Bellarminus, aliique ad Sacramenti eſſentiam ſpectare arbitrantur; alii vero, & quidem doctiſſimi viri cæremoniam eſſe ajunt ab Eccleſia Apoſtolorum ætate præſcriptam, quia non ad ſubſtantiam, ſed ad modum conferendi Sacramenti ſpectat; conſtat autem adminiſtrandi Sacramenti modum ab Eccleſia eſſe ſtabilitum. Sed ut res ſe habeat, certum eſt graviter peccare, qui hoc Crucis ſignum ungendo non adhibeant, tum quod contra Eccleſiæ præceptum agant, tum quod Sacramentum adminiſtrando tutiorem ſequi teneantur opinionem, tum denique, quia ſuſpectum redderent Sacramentum ob graviſſimorum Theologorum auctoritatem, qui ſignum Crucis ad Confirmationis eſſentiam pertinere docent; & quia ſignum Crucis unctione perficiendum in forma a Florentina Synodo præſcripta per hæc verba exprimitur, *ſigno te ſigno Crucis*. Quamobrem dubium ſaltem eſſet ſine eo adminiſtratum Sacramentum, ac *ſub conditione* iterandum.

In Orientalium Confirmationis forma non exprimitur ſignum Crucis; ungendum vero eſſe baptizatum in fronte ſigno Crucis omnes Rituales præſcribunt, & deſignat etiam Græca vox *σφραγὶς* in Græcorum forma poſita, quæ latine *Signaculum* creditur. A Græcis non ſolum frons, ſed etiam oculi, nares, os, & aures ungi ſolent; atque in Euchologiis nonnullis unguntur etiam aliæ partes, hoc eſt, interior manuum vola, atque cor, ſive pectus, & pedes; verum has deſiderari in vetuſtiſſimis Euchologiis, tradunt Arcudius lib. 2. de Sacr. pag. 59. & Iſac. Habert. in Pontific. Græcorum pag. 709. Armeni quoque ungere ſolent frontem, oculos, aureos, os, manus in vola, pectus, ſcapulas, atque pedes. Conſuetudo ungendi plures partes in Eccleſia Orientali antiqua eſt: quippe iſtius conſuetudinis mentio fit a Cyrillo Catecheſi tertia, a Baſilio, & a II. Synodo can. 7. Igitur nequeunt ob hujuſmodi uſum Orientales reprehendi, ſi credant ſola frontis conſignatione hujus Sacramenti eſſentiam contineri, ſed tenentur unctiones in eorum Ritualibus præſcriptas eo præcepto adhibere quo propriæ Eccleſiæ ritus ſervare obligantur.

*Nota*. Syri Neſtoriani materiam Chriſmatis ſolo oleo olivæ componunt, balſamum, aut alias aromatum ſpecies nequaquam admittunt. Ita Abedjeſus Sobenſis, & Timatheus ſecundus cap. 3. de Bapt. ſect. 12, cap. 53. & Joannes Zugbi in carm. de Bapt. & fermento, inquit, *in oleo olivæ tradiderunt nobis Apoſtoli cornu Baptiſmi, non in Myro* (ſeu unguento) *optimo, ut in Eccleſia Occidentali*. Ii ergo Balſamum omittendo, non ſolum ſuſpectum Sacramentum reddunt, ut ſupra monuimus, ſed etiam errant, Occidentales damnando, qui Chriſma ex oleo, & balſamo confectum adhibent.

## §. II. *De forma*.

Florentina Synodus in decreto pro Armenis hanc ait eſſe Confirmationis formam. *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Hæc forma vera, propria, atque adæquata eſt; nam per hæc verba determinatur materia ad ſignificandum, & producendum effectum Sacramentalem; iiſdemque verbis exprimitur robur, per quod ad ſpiritualem pugnam idonei reddimur, & in illorum prolatione ſigno Crucis, & Chriſmate conſignamur, tamquam Chriſtianæ militiæ ordinati vexillo, fideique athletis adſcripti. Quare Reginaldus Polus in lib. de Reform. Angliæ, qui extat etiam in collect. Conc. To. 14. ait in decreto Eugenii doctrinam hujus Sacramenti breviter, & dilucide fuiſſe explicatam. Igitur audiendi non ſunt, qui præter hæc verba ad Confirmationis formam ſpectare arbitrantur etiam preces illas, quæ manuum impoſitioni reſpondent.

Quamquam ita res ſe habet, ac Latini omnes deſcriptam formulam uſurpare tenentur, etiam dum Græcos vel alterius Ritus homines confirment; tamen dubitari nequit, quin valida futura ſit Confirmatio, licet unum, vel alterum uſitatæ formulæ verbum omittatur, & quin Orientales juxta eorum formulas Confirmationem adminiſtrando valide, ac licite Sacramentum perficiant. Utrumque paucis oſtendemus. Et ut omnis tollatur ſcrupulus ſcholaſticis illis, qui irritum fore Sacramentum putant, ſi unum, vel alterum Eugenianæ formulæ verbum omittatur, licet verba adhibeantur, quibus hujus Sacramenti formæ ſubſtantia contineatur, nonnullas afferemus hujus Sacramenti formas antiquitus in Latina Eccleſia uſurpatas. In Pontificali, quod inſcribitur Egeberto, vertente ſæc. 8. exarato, hæc habetur formula, *Accipe ſignum Sanctæ Crucis Griſmate ſalutis in Chriſto Jeſu, in vitam eternam*: & deinceps, *confirmet te Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*. Gelaſius juxta Cod. Colbertinum, & Noviomenſem, formulam habet iſtam, *ſignum Chriſti in vitam æternam*, addita pariter deprecatione, *confirmet te Deus &c.* In MS. Pictavien. octingentorum annorum, hæc deſcribitur: *Signet te Deus ſigillo fidei ſuæ in confirmatione fidei*. In Pontificali Eccleſiæ Caturicenſis ejuſdem antiquitatis invenitur hæc alia, *Confirmo, & conſigno te in ſignum Sanctæ Crucis, in nomine Patris &c.* Cod. Moyſacenſis hanc habet parum abſimilem, *Confirmo te ſigno Crucis in nomine Patris, & Filii, & ſpiritus ſancti, in vitam æternam*. Atque hinc patet, Eccleſiam ſemper ratum habuiſſe hujuſmodi Sacramentum, ſi verbis conferretur, quæ Sacroſanctum ſignaculum in Baptizato imprimi ſignificarent, nec ſubſtantialiter differrent ab una, aut altera ex prædictis formulis. Latini vero, ut dixi, tenentur nunc præſcriptam in Flor. Synodo adhibere.



Venio nunc ad Orientales, atque incipio a Græcis. Confirmationis ritus ita in Euchologio a Goario edito deſcribitur. *Baptizatos unguento ſacro ſacerdos ungens, faciens Crucis ſignum primo*, in fronte dicens: *ſignaculum doni Spiritus Sancti*. In oculis dicens: *Unctio Spiritus Sancti*. In naribus dicens *Unctio pignoris ſpiritus Sancti*. In auribus dicens: *Unctio participationis vitæ æternæ*. In manuum vola interiore dicens: *Unctio Sancti Chriſti Dei, & ſignaculum inſidiis liberum*. In corde tandem dicens: *Complementum doni Spiritus Sancti, thorax fidei, & veritatis*. Verba illa, *ſignaculum Spiritus Sancti* veram exhibent Confirmationis formam. Liquet id primum ex eo, quia, ſi formula illa non valeat, nulla jam ſupereſt in Oriente Confirmatio: etenim Græci etiam Orthodoxi nullam aliam agnoſcunt, ut obſervat Goarius not. 31 in ord. Baptiſmi. Denique nunquam Latini, nec in Florentino Concilio, hunc inter ceteros Græcorum recenſuerunt errores, quod formula iſta conſignent. Immo non aliam adhibent Romæ in templo S. Athanaſii, id non ignorante Pontifice. Præterea Arcudius lib. 2. cap. 7. demonſtrat id auctoritate Sanctorum Patrum, qui docent in Confirmatione imprimi Spiritus Sancti ſigillum. Aſterius Epiſcopus Amaſeæ, qui floruit deſinente ſeculo 3. apud Photium cod. 177. ſcribit, *datur ſignaculum Spiritus Sancti*, Dionyſius c. 2. de Eccleſ. Hierarch. Epiſcopum confirmantem appellat, *deificante unguento obſignantem*, Cyrill. in fine Catech. 18. de confirmato ait: *ſignaculum datum eſt illi ex communicatione Spiritus Sancti*. Similia habent alii Græci Patres. Igitur cum hæc formula deſcripta reperiatur in Euchologiis a mille, & amplius annis exaratis, cum ſimilis ſit formulis ab aliquibus latinis Eccleſiis uſurpatis, ac ſupra a nobis recenſitis, cumque characterem ſignificet, quo ad pugnam ingreditur Miles Chriſti adverſus ſpirituales nequitias, & donum Spiritus Sancti, quo corroboratur in fide, apta hujus Sacramenti forma habenda eſt, atque rite a Græcis uſurpatur.

*Nota*. Bened. XIV. Epiſt. 2. *de nova Euchologii editione*, hæc habet: *Forma Sacramenti Confirmationis in Græca Eccleſia, juxta communem receptamque ſententiam, ſequentibus verbis continetur*: ſignaculum Doni Spiritus Sancti; *quæ verba pronunciantur ab eo, qui Sacramentum miniſtrat, dum ſuſcipientis fronti cum ſacro Unguento Crucis ſignum imprimit, uti ex verbis Can. S. Concil. Conſtantinopolitani I. rite perpenſis infert Beſſarion S. R. E. Cardinalis in ſuo Opuſculo de Euchariſtia, quod extat in Bibliotheca Patrum edit. Lugdun. Tom. 26. pag. 793.* 12. Oecumenica Synodus, verba, quæ ſacrum Chriſma perficiunt, tradens in ſeptimo canone, inquit; Obſignantes, hoc eſt, ſacratiſſimo Chriſmate eos chriſmantes, dicimus ſignum doni Spiritu Sancti. Et hæc verba, ſecundum eos, Chriſmatis Sacramentum perficiunt. *Quamvis autem hæc Cardinalis aſſertio oppugnata fuerit a Lupo* in notis ad Canones 95. Concilii Trullani, *vix tamen erit, ut Lupi ſententia plures inveniat ſuffragatores, præ ſententia Cardinalis Beſſarionis, ut optime advertit Arcudius* lib. 2. cap. 7. *ubi poſt relatum Beſſarionis effatum, hæc ſubdit*: Mactamus Beſſarion, quo certe, quæ fiunt in Eccleſia Orientali circa Sacramentorum adminiſtrationem, præſtantius callere poterat nemo. *Arcudio conſentiunt Goarius, & Habert, omiſſis aliis, qui facile cumulari poſſent: ſatis hic erit aſſerere, quæ habentur in Synodo Zamoſciæ, ubi agitur de Sacramento Confirmationis*: Forma, quam probata & Schiſmate ipſo antiquiora laudant Euchologia, hæc eſt: *ſignaculum doni Spiritus Sancti. Amen*: eaque ſemel dumtaxat, ſimul cum ipſa unctione proferri debet.

De Armenis major difficultas eſſe poſſet; quod in decreto pro his edito, forma, quam ſupra indicavimus, proponatur. Sed cum non conſtet, Apoſtolicam Sedem deinceps coegiſſe Armenos ad mutandum hac in re ritum, ac formam illam in Confirmatione uſurpandam, facile conjicimus propoſuiſſe quidem Eugenium formulam illam, qua reliquis aptius Orthodoxa de Confirmatione doctrina exprimitur, ſed noluiſſe eos ad proprii ritus mutationem obligare; cum enim hominibus nimis durum ſit, ſuſceptas ex majoribus conſuetudines, probatoſque propriæ Eccleſiæ ritus deſerere, nunquam Apoſtolica Sedes ad hos mutandos Orientales cogere voluit, ut patet ex iis, quæ cap. ix. de Sacr. Chriſti ritibus diſputavimus. In Armenorum Ritualibus ita Confirmationem adminiſtrandam eſſe præſcribitur: *conſignet Chriſmate, primum frontem, dicens*: unguentum ſuave in nomine J. C. effuſum eſt ſuper te, ſignaculum donorum cæleſtium, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Sciendum eſt autem in unctione hujus tantum primi membri invocandam eſſe Divinam Trinitatem. Deinde oculos, dicens*: Unctio Sanctificationis, quæ in nomine J. Chriſti illuminet oculos tuos, ne unquam obdormias in morte. *Nares dicens*: Unctio ſanctificationis, quæ in nomine Jeſu Chriſti fiat tibi odor ſuavitatis in vitam, *Os, dicens*, Unctio Sanctificationis, quæ in nomine Jeſu Chriſti ſit tibi oris cuſtodia, & oſtium munitum labiorum tuorum. *Manus in vola, dicens*: Unctio ſanctificationis, quæ in nomine Jeſu Chriſti ſit tibi cauſa bonorum operum. *Pectus, dicens*: Unctio divina, quæ in nomine Jeſu Chriſti cor mundum confirmet in te, & ſpiritum rectum innovet in viſceribus tuis. *Scapulas, dicens*: Unctio divina, quæ in nomine Jeſu Chriſti ſit tibi ſcutum munitionis, in quo poſſis tela nequiſſimi extinguere. *Pedes, dicens*: Unctio divina, quæ in nomine Jeſu Chriſti dirigat greſſus tuos in vitam æternam. Dubitari nequit, quin verbis illis, quæ frontis conſignationi reſpondent, vera Confirmationis formula contineatur. Nam præterquam quod *ſignaculum donorum cæleſtium* formulæ ſubſtantiam exprimit, quam adhibent Græci, effuſio quoque unguenti deſignatur ſuper Baptizatum, quæ verba Confir-

firmationis actionem ſignificant; quo fit ut hæc formula Græcorum formæ ſit Latinæ ſimilior.

In Rituali Severi Alexandrini, hanc Confirmationis formulam legimus: *Chriſmate Sancto, ſuavitate odoris Chriſti Dei, ſigillo veræ fidei, complemento pignoris Spiritus Sancti, obſignatur N. in nomine Patris, Amen: & Filii, Amen: & Spiritus Sancti, ad vitam ſæculorum, Amen*. Ex iis, quæ dicta ſunt, facile quiſque intelliget, etiam illis verbis veram Confirmationis formam contineri, adeoque vere perfici Sacramentum.

Habent quoque Syri Neſtoriani propriam Confirmationis formulam. In ordine abſolutionis apoſtatarum & receptionis Hæreticorum, quem Jeſujabus Catholicus compoſuit, Sacramenti Chriſmatis, ſeu Confirmationis luculentum habemus teſtimonium, his verbis, inquit Aſſemanus tom. ſup. cit. pag. 276. *Si autem ſua voluntate fidem deſeruit: indiget conſignatione Baptiſmi, atque trina conſignatione illam perficit, prima quidem: quæ in prædicta laudatione fit: altera vero, quæ in fine orationis manus impoſitione peragitur: tertia demum cum illo Sancto Oleo in fronte pollice conſignat, dicens: Conſignatur talis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quæ in re*, inquit Vir Cl. *Neſtoriani præſcriptam a Concilio II. Oecumenico Criſmatis Confirmationis formam obſervant*. Ita confirmando, non dubito quin debitam formam adhibeant, cum verba illa apta ſint ad materiam determinandam, atque ſpiritualem Sacramenti effectum deſignandum. Sed ex ſupra relatis verbis apparet, Neſtorianos ex prava 7. Canonis ſecundæ Synodi intelligentia duplicem hauſiſſe errorem, alterum ipſis peculiarem, alterum vero Photianis quoque communem. Nam cenſent contra totius Eccleſiæ fidem, omnes Apoſtatas, Hæreticoſque omnes ad Eccleſiam redeuntes iterum baptizandos eſſe; cum tamen Synodus ſolos Eunomianos, Montaniſtas, & Sabellianos iterum baptizandos decrevit, quod ſtabilitam a Chriſto formam baptizando non uſurparent. De Eunomianis jam dixi in append. ad tract. de Baptiſm. De Montaniſtis id aſſerit Baſil. Epiſt. can. 1. cap. 1. per hæc verba: *Quamnam habent rationem, verum eorum baptiſma judicari, qui in Patrem, & Filium, & Montanum Priſcillamve baptizant: non enim ſunt baptizati, qui non in ea, quæ in nobis ſunt tradita baptizati ſunt*. Eadem aſſerit Theophilact. in Lucam. De Sabellianis quoque jure meritoque conjicimus Baptiſmi formam variaſſe, aptamque ad exprimendum eorum errorem circa Trinitatem adhibuiſſe, cum canon, iis nominatis, ſubdat, *qui idem eſſe Patrem & Filium dicunt, & alia quædam pernicioſa faciunt*. Igitur Canone illo eos tantum iterum baptizandos eſſe decernitur, qui debita verborum formula baptizati non fuerint. Item ſi Confirmationem in recipiendis Hæreticis adhibeant, ut Sacramentum conferre velint, nefariæ hæreſeos labe carere non poſſunt, inquit Goarius pag. 459. Nam Orthodoxa fides docet, Confirmationem, ut Baptiſma, & Ordo, characterem imprimere, ac iterari non poſſe. Ii ergo duo errores a Syris ſunt præcavendi. Goarius vero non improbat morem recipiendi hæreticos ad Eccleſiam redeuntes, juxta præſcriptum illius canonis, quem ex Epiſtola Methodii Patriarchæ de ſuſcipiendis hæreticis, cum aliis viris doctis depromptum exiſtimat, ſi eo animo adhibeatur unctio, ac verba illa proferantur, ut non ad Sacramentum perficiendum, ſed ad puram Eccleſiæ cæremoniam referantur, & reſtringantur: *nimirum ut hac ſignorum exteriori repetitione, aut amiſſæ gratiæ, quam receperunt in Confirmatione, aut nunquam acceptæ propter hæreſim memores fierent*. Hinc eruditi quamplurimi, ac etiam ipſe Bened. XIV. in tractatu de Synodo Diœceſana infra laudando, cenſent in autea dicto Canone non agi de Confirmatione, ſed cæremoniam indicatam deſignari; in Epiſtola vero I. pro nova Euchologii editione, tollenda docet ab illa cæremonia verba illa *ſignaculum &c.* ut infra dicemus §. III. *Not.* 2. Vide Goar. loc. cit. ubi plura de hac cæremonia, de ipſius origine, & uſu in Eccleſia Græca, diſſerit.

Itaque immerito ex ſupra citatis Syrorum verbis uſurpatam ab ipſis Confirmationis formam colligimus; cum nil ſimile legere ſit in iis locis in quibus de ungendis, & confirmandis baptizatis agitur. Renaudotius, tom. 3. Liturg. Orient. pag. 645. de forma Chriſmatis apud Neſtorianos hæc habet: *Ut apud Græcos confertur Chriſma, dicendo* ſignaculum doni Spiritus ſancti, *ita Neſtoriano ritu per hæc verba* Pignus Spiritus ſancti, *ut diſcimus ex ordine Baptiſmatis Syriaco Mar Jeſujab Catholici, quem habemus deſcriptum ex Codice Eliæ Sacerdotis*. Non nego in illis verbis Confirmationi formam conſtitui poſſe, cum ſimilibus verbis paſſim Sancti Patres Confirmationis effectum ſignificaverint: at falſum eſt, a Neſtorianis haberi pro Confirmationis formula; primum, quia non in frontis conſignatione, ſed ad manuum impoſitionem recitantur: deinde quia recitantur tantum, dum unus fuerit baptizatus, non vero dum fuerint plures; tum enim loco precum quæ incipiunt: *Pignus Spiritus ſancti, quod accepiſti*, in Rituali a Renaudotio citato aliæ præſcribuntur, quarum initium eſt: *magna ſunt Domine*; denique quia preces illæ a Neſtorianis referuntur ad ſuſceptam per Baptiſmum gratiam, non vero ad manuum impoſitionis, ſive frontis conſignationis effectum, ut optime notat Aſſem. & ut eaſdem legenti ſit illico manifeſtum. Igitur non in illis verbis, ſed potius in iis, quæ frontis conſignationi poſt Baptiſma factæ reſpondent, Confirmationis forma inquirenda eſt, ait Timothæus II. Patriarca cap. 5. de Sacramentis ſect. 19. *in Baptiſmate tres conſignationes fieri*: primam, dum Sacerdos dicit, *ſignatur talis in nomine Patri. &c.* alteram, dum dicit, *ungitur talis in nomine Patris &c.* tertiam vero poſt Baptiſmum, dum dicit, *baptizatus eſt, & perfectus eſt talis in nomine Patris &c.* De hac poſtrema conſignatione hæc ſubjungit. *Tertia, eademque poſtrema conſignatio, perfectio eſt in Spiritu ſancto, quæ in Baptiſmo Domini noſtri contigit, atque eſt conſumata perfectio*. Igitur ſi penes Neſtorianos eſſet Confirmationis forma, potius in verbis illis, *baptizatus eſt & perfectus &c.* quam in iis, quæ Renaudotius deſignavit, collocanda eſſet: cum per tertiam illam conſignationem, perfectionem illam Spiritus ſancti deſignare velle videatur, qua Sacro Chriſmate ſignati donantur. Sed licet hæc ſatis ſint ad oſtendendum Neſtorianos habuiſſe aliquando verum Confirmationis Sacramentum; videtur tamen





ex ignorantia Sacramentum in cæremoniam eſſe mutatum, quæ proclamatio quædam in Baptizatum dici poſſit. *Mihi videtur*, inquit Aſſem. ſupr. cit. *non tam eſſe formam Confirmationis, quam ad eam proclamationem accedere, quæ apud Syros fieri ſolet ſupra ordinatos in Diaconos, vel Presbyteros*: Ordinatus eſt in Eccleſia Sancta talis Diaconus, vel Presbyter &c. in nomine Patris &c. *Veint Neſtoriani Pontifices dicunt ſupra ordinatis in Diaconos, Presbyteros & Epiſcopos*, Separatus eſt, Sanctificatus eſt, Conſecratus eſt talis &c. *Quod edictum ſeu publicatio peractæ ordinationis potius eſt, quam forma. Ita & Græci quum octavo poſt Baptiſma die puerum abluiſſent, dicunt*; Baptizatus es, illuminatus es, unguento unctus es, ſanctificatus, & ablutus es in nomine Patris &c.

## §. III. *De Miniſtro*.

ORdinarius Confirmationis Miniſter eſt ſolus Epiſcopus. Res definita eſt in Concilio Conſtantienſi contra Wicleffum, in Florentino decreto pro Armenis, atque in Tridentino ſeſſ. 7. can. 7. per hæc verba: *Si quis dixerit Sanctæ Confirmationis Ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem: anathema ſit*. Sed ut appareat cum Novatores, tum etiam Photianos, alioſque Orientis Hæreticos in manifeſto errore verſari, id muneris ſimplici Sacerdoti committentes, paucis demonſtrabo, ita ſemper credidiſſe Eccleſiam. Nota res eſt ex Actis Apoſtolorum c. 8. Petrum, & Joannem miſſos fuiſſe in Samariam, ut baptizatos a Philippo Diacono per manus impoſitionem confirmarent; id vero ea de cauſſa factum fuiſſe, quod confirmandi munus ſolis Apoſtolis, atque Epiſcopis eorumdem Succeſſoribus a Chriſto Domino creditum fuerit, ex Græcis Patribus teſtantur Chriſoſt. hom. 18. in Acta Apoſt. Oecumenius in Acta pag. 77. & Iſidorus Peluſiota Epiſt. 450. ad Antiochum. Apoſtolica Sedes ſemper id docuit: conſtat id ex Epiſt. Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum relata ab Euſebio l. 6. Hiſt. Eccl. circa medium III. ſæculi ſcripta: & ut mittam Epiſtolam Leonis I. ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ, atque Gregorii Magni ad Januarium, ſat erit referre verba Innocentii I. in Epiſt. ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, in qua c. 3. n. 6 legitur. *De conſignandis vero infantibus manifeſtum eſt, non ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere. Nam Presbyteri licet ſecundi ſint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem Pontificium ſolis deberi Epiſcopis, vel conſignent, vel Paraclotum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verum & illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit, Petrum, & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent ſpiritum ſanctum; Nam Presbyteris, ſive extra Epiſcopum, ſive præſente Epiſcopo, cum baptizant, Chriſmate baptizatos ungere licet*, (hic ſermo eſt de unctione, quæ fit ante Baptiſmum, de qua ſupra diximus) *ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum; non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis cum tradunt Paracletum*. Adeſt etiam teſtimonium Hieronym. in Dial. contra Luciferianos c. 4. *Non abnuo*, inquies, *hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros, & Diaconos, baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impoſiturus excurrat*: Aug. eadem habet l. xv. de Trinit. c. 26. Atque hinc palam fit, Romanam Eccleſiam, quæ reliquarum eſt mater & magiſtra, ſemper docuiſſe, Ordinarium hujus Sacramenti miniſtrum eſſe Epiſcopum, atque eamdem fidem primis ſæculis habuiſſe Eccleſias Africæ, in quibus erat Auguſtinus, Paleſtinæ, ubi ſcripſit Hieronym. aliaſque Orientis Eccleſias, ut conſtat ex Auctore Conſtit. Apoſtolicarum, Chryſoſtomo, Iſidoro Peluſiota, aliiſque ſupra citatis. Quamobrem contra majorum fidem Photiani Armenorumque nonnulli cenſent, ſimplices Presbyteros Ordinarios eſſe hujus Sacramenti Miniſtros.

*Nota*. 1. Præter manuum impoſitionem, qua baptizati confirmabantur, fuiſſe primis Eccleſiæ ſæculis aliam manuum impoſitionem, quæ non *confirmatoria*, ſed *curatoria* eſſet. Hujuſmodi fuit impoſitio illa manuum, qua per Ananiam Apoſtolorum diſcipulum Paulo, antequam baptizatus eſſet, viſus reſtitutus eſt; *Act.* IX. v. 18. eamdem adhibitam fuiſſe etiam ætate Innocent. I. ad curandos Energumenos, docet ipſe Pontifex in ſupra laudata Epiſt. c. 6. num. 9. ubi eam ex Epiſcopi delegatione fieri permiſit etiam Diacono, inquiens, *de his vero baptizatis, qui poſtea a dæmonio, vitio aliquo, vel peccato interveniente, arripiuntur, eſt ſollicita dilectio tua, ſi a Presbytero vel Diacono poſſint, aut debeant deſignari. Quod hoc niſi Epiſcopus præceperit, non licet. Nam manus eis imponenda non eſt, niſi Epiſcopus auctoritatem dederit id efficiendi*. Hic ſermo non eſt de Confirmationis Sacramento, quod ætate illa ſtatim poſt baptiſma conferebatur, ſed de ritu, quo eis ſuccurrebatur, qui a dæmone poſt ſuſceptum Baptiſma eſſent arrepti, ut poſt Morinum, & Petrum Conſtant, advertit Benedictus XIV. de Synodo Diœc. l. VII. c. 3. num. 3.

*Nota* 2. Conſignationem illam frontis, de qua Can. VII. ſecundæ ſynodi, ſive potius Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ex cujus Epiſtola fuit ille formatus, ut Beveregius, Goarius, aliique putant, non fuiſſe Confirmationis Sacramentum, ſed meram Eccleſiaſticam cæremoniam, in reconciliandis hæreticis a V. ſaltem ſæculo in Eccleſia Orientali uſurpatam; ut conſtat ex verbis Epaonenſis Concilii ſub Symmacho celebrati an. 509. *Presbytero propter ſalutem animarum, quam in cunctis optamus deſperatis in lecto recumbentibus Hæreticis, ſi converſionem ſubitam petant, Chriſmate ſubvenire permittimus: quod etiam omnes converſi, ſi ſani ſunt, ab Epiſcopo noverint expetendum. Cum fidei deſertor*, inquit Goarius pag. 659. *per lapſum in hæreſim, aut in nefariam ſectam conſenſum, fidem quam in Confirmatione prædicandam propugnandamque modis omnibus pollicitus fuerat, donatumque ſibi Spiritum ſanctum abjiciat, conculcet, extinguat: ut & illum removet, & Dei Spiritum in ſe revocet, quaſi Confirmationem (quæ tamen denuo repeti nequit) expoſceret, ejus ſigna cæremoniaſque ſuſcipit, & hoc pacto Confirmationis gratiam, & effectum, prius deperditam in ſuorum animis reparare, Orientalis Eccleſia adinvenit. Non ita tamen ut aſſertum velim, ritum hunc ex ſe propriaque virtute poſſe opus tam ſubli-*

me & arduum (quale eſt in animæ reparatio gratiæ pro ſolito Sacramentorum virtuti connexa) producere: quid namque ad gratiam reſtituendam imbecillius, cæremonia humanitus adinventa, & inſtituta? Sed quod vel Eccleſiæ precibus, vel Sacerdotis meritis, vel converſi humilitate, vel tandem, ut ſatius dicam, pœnitentiæ ſimul ſemper adjunctæ vi & potentia, infidelitatis defectus omnis reſarciatur, ſanctitaſque cuncta per Confirmationem adveniens, rurſum per iteratum ejus ritum concedatur, qui quia Confirmationem imitatur, & ad Confirmationis effectum reparandum tendit, ad eam pertinere ex ſanctis Patribus poteſt aſſeri: quia vero pœnitentiæ demiſſionem, & infidelitatis Confeſſionem adjunctam habet & ad eam a mente obliterandam operatur, mere reconciliativum eſſe profitetur. Igitur damnandi non ſunt Græci quod hanc cæremoniam in Hæreticis reconciliandis adhibeant; & quod eadem cæremonia a ſimplici quoque Sacerdote in caſibus, in quibus reconciliandi hæreticos facultatem habet, uſurpetur; ſed potius monendi, hanc ſimplicem eſſe Eccleſiæ ritum, non Sacramentum.

Hinc vero notare oportet Benedictum XIV. in ſupr. cit. Epiſt. 1. de nova Euchologii editione, admonere in illa cæremonia, qua per unctionem Chriſmatis Hæretici reconciliantur, non eſſe uſurpanda verba illa: *ſignaculum doni Spiritus ſancti*, quæ formulam Confirmationis conſtituunt. Atque verba illa Methodii decreto, atque Euchologiis addita fuiſſe a Schiſmaticis, ex eo demonſtrat, quia decretum illud relatum habemus a Baronio ad ann. Chriſti 842. quin præ ſe verba illa ferat *ſignaculum &c.* & quia eadem verba deſiderantur in celeberrimo Euchologio Cryptæ Ferratæ, & in aliis quamplurimis, quæ inſpexit & recognovit Vir ſumma fide dignus Matthæus Cariophylus Cydonius, quemadmodum refert Arcudius lib. II. de Confir. cap. 18. Nec conjectura deeſt, quæ verba illa a Schiſmaticis Euchologiis nonnullis addita demonſtret; Nam iis a Theodoro Balſamone perſuaſum fuit, ut ſi quis Latinus ad Græcos commigraret, huic Sacramentum Confirmationis denuo conferendum eſſet, ut Gregorius teſtatur Protoſyncellus in apologia adverſus Marcum Epheſinum. Horum itaque fraude poſt impium conſilium in aliqua Euchologia verba illa irrepſerunt *ſignaculum doni Spiritus ſancti*, quæ in oratione pro reconciliandis pœnitentibus habebantur; *ſed in Congregationibus ſuper correctione Euchologii habitis tam ſub Urbano VIII. quam noſtris hiſce temporibus*, inquit SS. Pontifex, *nobis annuentibus, decretum fuit, ut in Euchologio, quod correctum typis edendum erat, Ritus reconciliationis pœnitentium ad eam plane formam exigeretur, quia deſcriptum legitur in Euchologio Cryptæ Ferratæ: id quod eſt factum, in Cong. habita 7. Januarii 1748. in qua actum eſt de* corrigendo ritu reconciliandi Apoſtatas ad formam in decreto Methodii traditam, per unctionem ſcilicet qua ii unguntur qui ſuſcipiunt Baptiſmum, ac decretum fuit tollenda verba *ſignaculum &c.*, quæ in paucis ſolummodo, iiſque recentibus Euchologiis reperiuntur. Quod confirmatum fuit in Congreg. habita 18. Februarii ejuſdem anni, decretumque pontificia auctoritate roboratum fuit.

Gravis olim exarſit inter doctores controverſia, an, ex ſpeciali delegatione Romani Pontificis, poſſit ſimplex Sacerdos, ſaltem Chriſmate jam conſecrato, Sacramentum Confirmationis adminiſtrare. Sed cum innumera ex Eccleſiaſtica hiſtoria hujus delegationis exempla ſuppetant; cumque hanc facultatem Bened. ipſe XIV. fecerit Patri Cuſtodi & Guardiano Sancti Sepulcri Ordinis Minorum de Obſervantia, Patri Jacobo Cremeſit Ordinis Minorum ſtrictioris Obſervantiæ Præfecto Miſſionum in Ægypto, atque aliis; *non videtur hodie fas eſſe poteſtatem, de qua olim diſceptabatur, Summo Pontifici abjudicare.*

Dubitari etiam ſolet, an Chriſmatis conſecratio, quæ munus Epiſcopi eſt, ut definitum fuit in II. & III. Carthaginenſi Synodo, per delegationem Romani Pontificis a ſimplici Sacerdote fieri poſſit. Licet id eadem ratione fieri poſſe videatur, qua ſimplici presbytero confirmare permittitur; & licet hujus quoque commiſſionis nonnulla habeantur exempla; tamen hæc pauciſſima ſunt, atque ut plurimum non aliter a Summis Pontificibus permiſſum eſt ſimplicibus Sacerdotibus Sacramentum Confirmationis adminiſtrare, niſi ſub expreſſa conditione adhibendi Chriſma non a ſe, ſed ab Epiſcopo conſecratum; *quare inſuetum foret, hac etiam prærogativa Epiſcopalis Ordinis propria, inferiorem Presbyterum exornare*, inquit citatus Pontifex cap. 8. ubi ſubdit etiam: *accedit nullam eſſe neceſſitatem, hanc poteſtatem faciendi ſimplici Presbytero, is quippe quocumque ſe conferat, poteſt ſecum deferre Chriſma ab Epiſcopo acceptum; & ſiquidem a ſacris Canonibus, præcipue can. Litteris*, de Conſecrat. diſt. 3. & *can. ſi quis de aliis*, de Conſecrat. diſt. 4., *vetitus eſt uſus Chriſmatis ante annum benedicti, ſatis erit ut ab hoc poſitivo Eccleſiæ præcepto, Summi Pontificis auctoritate, eximatur, ſicuti Nos*, in cit. noſtra Conſt. 16. *ab eodem abſolvimus prædictum Cuſtodem Sancti Sepulcri, ſi in loco degat, ubi novi Chriſmatis non ſuppetat copia.*

Major controverſia eſt, num poteſtas, quam Summo Pontifici aſſeruimus, cuilibet Epiſcopo comparat. Sed quidquid ſit de hac difficili, & valde implexa controverſia, inquit idem Pontifex laudato cap. 8. num. 7. *omnino in confeſſo eſt, irritam nunc fore Confirmationem a ſimplici Presbytero Latino ex ſola Epiſcopi delegatione collatam, quia Sedes Apoſtolica id juris ſibi unice reſervavit; quam quidem reſervationem non tantum a conſuetudine in tota Eccleſia Latina jamdiu recepta, tacite inductam arbitramur, ſicuti opinatur Juvenin. cit. loc. & Tournely* de Sacram. Confirm. quæſt. 3. art. 2. *ſed jam ante IX. ſæculum expreſſe factum colligimus ex Flodoardo* lib. 3. hiſt. Eccl. Remenſis cap. 17. *ubi narrat Nicolaum I. ad Hincmarum, & cæteros Archiepiſcopos, atque Epiſcopos, in Regno Caroli conſtitutos ſcripſiſſe*, Græcorum Imperatores & Orientales Epiſcopos calumniari Sanctam Romanam Eccleſiam, immo omnem Eccleſiam, quæ latina utitur lingua... quia Presbyteros ſortiri conjuges prohibemus, & quoniam eoſdem Presbyteros Chriſmate linire baptizatorum frontes inhibemus: *Poſita autem reſervatione facultatis, de qua eſt ſermo, a Summo Pontifice ſibi facta, nec licite, nec valide poteſt Epiſcopus Latinus illa uti: nam quamvis confirmare ſit actus Ordinis Epiſcopalis, cujus firmitas, & validitas a Pontificis nutu non pendet; delegare tamen ſimplici Presbytero poteſtatem*



*exercendi ejuſmodi actum, potius ad juriſdictionem, quam ad Ordinem pertinet; Epiſcopi vero juriſdictio, ſive ſit immediate a Chriſto Domino, ſive a Summo Pontifice, ita ſemper huic ſubeſt, ut conſentientibus omnibus Catholicis ejuſdem auctoritate & imperio limitari, atque ex legitima cauſa omnino auferri poſſit. Illud etiam ad rem facit, quod modo audivimus a D. Thoma, nempe delegationem, de qua eſt ſermo, eſſe actum poteſtatis, & juriſdictionis ſupremæ a Chriſto Domino ſoli ſuo in terris Vicario commiſſæ. Quamobrem Clemens VI. priuſquam ad Catholicam Communionem reciperet Conſolatorem Armenorum Patriarcham, certior fieri voluit, an cum Eccleſia Romana ſentiret, etiam in hiſce articulis expreſſis in Apoſtolicis litteris ad eumdem Patriarcham datis, quæ habentur apud Raynaldum* an. 1351. num. 12. nimirum: Primo de conſecratione Chriſmatis, ſi credis, quod per nullum Sacerdotem, qui non eſt Epiſcopus, poteſt Chriſma rite, & debite conſecrari. Secundo, ſi credis, quod Sacramentum Confirmationis, per alium, quam per Epiſcopum non poteſt ex officio ordinarie miniſtrari. Tertio, ſi credis quod ſolum per Romanum Pontificem plenitudinem poteſtatis habentem poſſit diſpenſatio Sacramenti Confirmationis Presbyteris, qui non ſunt Epiſcopi, committi. Quarto, ſi credis, quod Chriſmati per quoſcumque Sacerdotes, qui non ſunt Epiſcopi, neque a Romano Pontifice ſuper hoc commiſſionem, ſeu conceſſionem aliquam receperint, iterum per Epiſcopum, vel Epiſcopos ſint chriſmandi. *Quæ verba perpendant oportet, qui poteſtatem, de qua diſſerimus, Epiſcopis attribuunt.*

Dicendum nunc ſupereſt de Orientalibus, quorum Presbyteri pueris poſt baptiſma Confirmationem conferunt. Negari non poteſt, hanc conſuetudinem in Orientali Eccleſia antiquam eſſe, ac longe Photiano Schiſmate vetuſtiorem. De Græcis id luculenter oſtendunt Morinus diſſert. 2. de Sacram. Confirmat. & Lucas Holſtenius diſſert. 1. de Miniſtro Confirmat. apud Græcos: Eumdemque uſum invaluiſſe apud alias Orientales Eccleſias, teſtantur Ambroſiaſter in Comment. in Epiſt. Pauli ad cap. 4. Epiſt. ad Epheſios v. 11., inquiens: *Apud Ægyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus*, & Auctor. qq. vet. & nov. teſtam. quæſt. 10. in append. ad 1. part. tom. 3. oper. S. Auguſtini: *In Alexandria & per totam Ægyptum, ſi deſit Epiſcopus, conſignat Presbyter*, quibus in locis verbum *conſignat* non merum ritum, ſed veram Confirmationem denotare, tamquam indubitatum ponit Chriſtianus Lupus tom. 2. p. 1424. Nos hic, miſſis quæ in ſcholis a Theologis diſputari ſolent, Orientales in duas claſſes diſtribuemus, ſcilicet in eos, quorum Presbyteri ex tacita & præſumpta Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione valide ac licite hujuſmodi Sacramentum adminiſtrant, & in eos, quibus ſit hæc facultas ſublata.

Cum ex iis, quæ ſupra oſtendimus, abunde conſtet, ſat eſſe Romani Pontificis delegationem, ut Presbyteri rite Sacramentum hoc adminiſtrent, facile quiſque conjiciet, Presbyteros, qui ex tolerantia, atque ex Romanorum Pontificum indulgentia & permiſſione confirment, quæ ſatis ſit ad tacitam delegationem indicandam, valide ac licite confirmare. Hanc ob rem in Florentina Synodo, in qua hujuſmodi controverſia cum Græcis agitata fuit, a Latinis Patribus Græcorum Presbyterorum Confirmatio rata exiſtimata fuit, ut ait Gregorius Petroſyncellus, qui eidem Synodo interfuit, tamquam Legatus Patriarchæ Alexandrini, & poſtea creatus fuit Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſcribens contra Epiſtolam Marci Epheſini: *Deinde patientia quadam & facilitate Sedis Apoſtolicæ factum eſt*, inquit Bened. XIV. Conſt. *Inter ſollicitas* tom. 1. Bull. pag. 513., *ut unum & alterum Sacramentum*, Baptiſma ſcilicet & Confirmatio, *ab eodem Sacerdote in Oriente Græcis conferretur. Nec defuere idcirco Theologi, qui hujuſmodi tolerantiæ veſtem & imaginem tacitæ diſpenſationis obducerent.* Eodem ibi modo loquitur de Cophtis. Eadem Apoſtolica Sedes probavit Synodum Ruthenorum celebratum Zamoſciæ ann. 1720., in qua hæc leguntur: *Sacramentum Confirmationis a Chriſto Domino inſtitutum, quod Parochi in Orientali Eccleſia extraordinario jure, & delegata ab Epiſcopo facultate, ex Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione, ſtatim poſt Baptiſmum adminiſtrare ſolent in genere viſibilium ſignaculorum, ſacroſanctum eſt, ut ipſe Baptiſmus, illudque nefas eſt iterare, propterea quod indelebilem characterem imprimit.* Atque eamdem conſuetudinem tolerat & permittit in Armenis, Syris, Chaldæiſque. Ii ergo reprehendi nequeunt, quod per ſimplices Presbyteros Confirmationem adminiſtrent. Nec Miſſionarii, atque privati Theologi ſine gravi injuria poſſunt collatum ab iis Sacramentum irritum declarare. Permiſſum tamen eſt Guardiano Terræ Sanctæ, ut legitur Conſt. *Demandatam &c. in Civitate Hieroſolymitana, & in iis locis, ubi Epiſcopus Græcus Catholicus jure ſuo, & in propria Diœceſi non reſidet, conferre* ſub conditione *Sacramentum Confirmationis Græcis a ſimplici Sacerdote confirmatis, ac ſponte ab eodem confirmari petentibus.* Ex quo deducere eſt etiam alios, qui jus confirmandi habeant, poſſe confirmatos a ſimplicibus Presbyteris Orientalibus, *ſub conditione* iterum confirmare, dum id ſponte petant. Hæc autem permiſſio conferendi *ſub conditione* Confirmationem confirmatis a ſimplicibus Presbyteris, dum eam petant, ideo ab Apoſtolica Sede fieri videtur, quia delegatio Apoſtolicæ Sedis expreſſe Presbyteris illis facta non eſt, & quia nondum proſcripta eſt illorum opinio, qui de horum Confirmationis valore dubitant.

Ubi vero hæc tolerantia, ac delegationis præſumptio deeſt, ibi certum eſt nullum eſſe a ſimplici Presbytero collatum Confirmationis Sacramentum; deeſt autem hæc præſumptio in iis, quibus id Sedes Apoſtolica interdixit.

Certum eſt, vetitum eſſe Latinis etiam inter Orientales degentibus, 1. tum quia expreſſe jubentur ſervare ubique proprios mores, & ritus; tum etiam quia Innoc. III. in ſua Decretali, quæ apud Baluzium extat tom. 2. Epiſt. pag. 410. Latinorum Sacerdotum abuſum, qui Conſtantinopoleos Græcorum more Confirmationem conferre audebant, compeſcuit, prohibuitque, *ne talia de cetero ſua temeritate præſumerent*. 2. Eſt etiam notum, Nicolaum I. voluiſſe, ut Bulgari, qui Confirmationem ſuſceperant a Sacerdotibus illuc a Photio miſſis, iterum conſignarentur: ſive id fecerit, quod Sacerdotes illi jure ordinario eam conferre præſumpſerint; ſive quod a Photio *Mæcho*,

& in

& invaſore miſſi fuerint, ut loquebantur Apoſtolici Legati; ſive demum quia Bulgaria pertinebat ad Patriarchatum Occidentalem, quod pluribus oſtendit Lupus tom. 1. pag. 1404. & ſeq. Certum eſt in iis ceſſare præſumptionem illam, quæ ex tolerantia Sedis Apoſtolicæ conſurgit. 3. Conſtat Innoc. IV. in Epiſt. ad Cardinalem Legatum in Regno Cypri prohibuiſſe Græcis Sacerdotibus ibidem degentibus Sacramentum Confirmationis adminiſtrare. 4. In Synodo Nationali Maronitarum coacta in Monte Libano 1636. & a Benedicto XIV. confirmata anno 1741. hæc ad rem edita ſunt decreta, videlicet cap. 2. de Sacramento Baptiſmi can. 15. *Majores noſtri, ſicut & ceteri Orientalium Eccleſiarum filii ſtatim poſt Baptiſmum tam infantes, quam adultos conſueverunt Sacro Chriſmate perungere, atque adeo Sacramentum Confirmationis illis conferre, idque per ſimplices Sacerdotes etiam, quibus Patriarchæ, & Epiſcopi hanc facultatem conceſſerunt, quemadmodum ex Ritualibus apparet. Quia vero Patriarchæ, noſtri ut eo, quo par eſt, obſequio Romanis Pontificibus, qui frequentes ad illos hac de re litteras dederunt, morem gererent, Latino ritui conſentientes, decreverunt, ut deinceps nemo, niſi Epiſcopali dignitate præditus, Sacramentum Confirmationis adminiſtret, ideo mandamus, ac præcipimus omnibus Parochis, Archipreſbyteris, Chorepiſcopis, ceteriſque dignitate Epiſcopali carentibus, ne audeant impoſterum Baptizati frontem ſacro Chriſmate perungere, & verba illa, quæ ad Confirmationis Sacramentum, adeoque ad Epiſcopum tamquam ordinarium illius Miniſtrum ſpectant, recitare: ſed illis omiſſis, intingat pollicem in ſacro Chriſmate & ungant Baptizatum in ſummitate capitis in modum Crucis, dicentes Orationem ex Rituali Romano deſumptam, quæ ſequitur: Deus omnipotens Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti &c. Si vero adfuerit Epiſcopus, & ipſe, vel ſimplex Presbiter, adultum quempiam baptizaverit: poterit idem Epiſcopus poſt Baptiſmum, ſi velit (ac præcipue, ſi contigerit, ab illo baptizari adultum, ſive infantem in mortis periculo conſtitutum) proſequi cetera, quæ ad collationem Sacramenti Confirmationis in Rituali pertinent, ita tamen, ut Patrinus, vel Matrina adhibeantur, & nomen Confirmati in libro ad id deſtinato a Parocho vel Epiſcopo adnotetur. Hinc in Rituali, quod auctoritate Reverendiſſimi Domini Patriarchæ propediem eſt edendum, ante illa verba, quibus juxta ritum noſtrum, Confirmationis Sacramentum confertur, apponenda eſt admonitio ad ſimplices Sacerdotes, cum ſupradicta Oratione, Deus omnipotens &c. & altera admonitio ad Epiſcopos cum ritu conferendi Sacramentum Confirmationis, quem omnino a ritu Baptiſmi diſtingui, & ſeparari præcipimus.* Et cap. 4. de Sacram. Confirm. can. 1. *Quia vero tam in noſtra, quam in reliquis Orientalibus Eccleſiis, antiquus mos obtinuerat, ut ſtatim poſt Baptiſmum etiam Sacramentum Confirmationis conferretur, quemadmodum & in Ritualibus continetur, & a Concilio Laodiceno his verbis præſcribitur; quod oportet eos, qui illuminantur, poſt Baptiſmum inungi ſupercæleſti Chriſmate, & eſſe regni Chriſti participes: Hæc tamen in re ſervandum præcipimus, ac mandamus, quod dudum a Reverendiſſimis Dominis Patriarchis injunctum eſt, noſque ſupra de Baptiſmo monuimus, ut ſimplices Sacerdotes de cetero præſumant hoc Sacramentum adminiſtrare: ſed illud Epiſcopi dumtaxat conferant, illum Sacroſanctæ Synodi canonem præ oculis habentes. Si quis dixerit Sanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.* 5. Clemens VIII. anno 1595. & Benedictus XIV. Conſt. *Etſi Paſtoralis*, Presbyteris Italo-Græcis expreſſe interdixerunt, ne baptizatos Chriſmate conſignent. Atque in citata Conſt. ad rem hanc ſtatuitur. I. *Epiſcopus ſub conditione, & cum cautela eos confirmare debet, de quibus veroſimiliter dubitari poteſt, utrum ab Epiſcopis Græcis ordinem Baptiſmi juxta eorum Euchologium ſervantibus, fuerint baptizati.* II. *Idem dicendum ſi Epiſcopus Latinus ex diſpenſatione Apoſtolica Græcum aliquem ordinaverit, qui a Presbytero Græco in Italia, vel adjacentibus Inſulis fuerit baptizatus, nec conſtet, illum ab aliquo Epiſcopo, ſive Latino, ſive Græco, Chriſmate in fronte fuiſſe conſignatum; debet nimirum illum antea abſolute confirmare; ſub conditione autem, ſi veriſimiliter dubium eſſe poſſit, aut ab Epiſcopo Græco fuerit baptizatus.* III. *Quamvis confirmati a ſimplici Sacerdote cogendi non ſunt ejuſmodi Confirmationis Sacramentum ab Epiſcopo ſuſcipere, ſi ex tali coactione ſcandala oriri poſſent cum Sacramentum Confirmationis ejuſmodi neceſſitatem non habeat, ut ſine eo ſalvus quis eſſe non poſſit: monendi tamen ſunt ab Ordinariis locorum eos gravis peccati reatu teneri, ſi cum poſſunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt.* IV. *Ubi Græcus Catholicus Epiſcopus haberi poteſt, prout habetur conſtitutus in Collegio Corſino Italo Græcorum in Calabria, curent omnino Latini Ordinarii, ut ab illo potius Græcis cæremoniis juxta Græcum Euchologium, quam a ſe latino ritu, Sacramentum Confirmationis ſubditis ſuis Græco ritu viventibus Chriſmate a Latinis Epiſcopis accepto miniſtretur, ne ſcilicet Eccleſiarum ritus, quoad fieri poteſt, miſceantur.*

### §. IV. *De Confirmationis ſubjecto.*

OMnes Orthodoxi fatentur, Confirmationis ſubjectum eſſe hominem baptizatum. Orientales vero a Latinis diſſident, quod illico poſt baptiſma etiam parvulis Confirmationem adminiſtrant. Contemporanea hæc utriuſque Sacramenti collatio iis permiſſa eſt, in quibus Apoſtolica Sedes tolerat, ut etiam per ſimplices Sacerdotes Sacrum Chriſma conferatur; neque hac de cauſſa reprehendi poſſunt. Hæc enim conſuetudo, ut ſupra diximus, etiam in Latina Eccleſia aliquando viguit. At Latina ac Romana Eccleſia aliarum Mater atque Magiſtra, mutata hac conſuetudine, conſultius duxit, *ut renatis fonte Baptiſmatis conferretur Sacramentum Confirmationis in ea ſolum ætate, in qua fideles, evacuatis quæ erant parvuli, intelligerent tantum inter ſe differre Baptiſmum & Confirmationem, quantum in naturali vita diſtat generatio ab incremento; ſeque per Baptiſmum fuiſſe quidem ad militiam receptos, per Confirmationem vero ad pugnam roboratos, & ad perferendos agones per gratiam inſtructos. Ex quo fit, ut rigide animadverti in eos oporteat, ſi qui forte ſanctioris hujus diſciplinæ inſtituta refugerent aut contemnerent.* Ita Benedictus XIV. Conſt. *Et quamvis tempore* tom. 1. Bull. pag. 515. Hanc Latinæ Eccleſiæ diſciplinam ii omnes ſervare debent, quibus ſupra prohibitum eſſe diximus per ſimplices Sacerdotes Confirmationem adminiſtrare, ut colligitur, tum ex antea citata Conſt. tum ex ea quæ incipit. *Etſi Paſtoralis* §. 2. n. 1.

*Nota*. 1. Ferri nullo modo poſſe, ut ii, qui contemporanee Baptiſmum & Confirmationem juxta propriæ Eccleſiæ morem, adminiſtrare & recipere ſolent, Baptiſma ritu Latino, & ſeorſim a Confirmatione collatum, acerbo alienoque animo perhorreſcant: ac multo minus, ut credant, duo hæc Sacramenta invicem ſejungi non poſſe. Ii enim in duplici verſarentur errore, quorum alter in contemptu Latini Ritus, alter vero in opinione illa conſiſteret, qua crederent, duo hæc Sacramenta invicem ſeparari non poſſe. Iis oſtendendum eſſet, Eccleſiam ſemper licitum exiſtimaviſſe Confirmationem a Baptiſmate ſeparare, ut ſupra oſtendimus: atque Romanam Eccleſiam utilius cenſuiſſe, confirmationem differre, quoadusque pueri rationis uſum aſſequantur.

*Nota*. Quamquam eos, qui confirmationem a Baptiſmo ſejungere debent, non deceat pueris adminiſtrare ante uſum rationis, ut Cath. præſcribit Concilii Tridentini juſſu S. Pii V. editus; tamen dum pueri ſint morti proximi, eis conferri poterit etiam ante ſeptennium, *ut confirmati decedentes, majorem gloriam conſequantur, ſicut & hic majorem obtinent gratiam*, juxta S. Thom. doctrinam 3. par. qu. 72. art. 8. ad 4. Etſi Epiſcopus, vel propter ſui ingraveſcentem ætatem, vel propter locorum diſtantiam a civitate, aut propter itineris difficultatem expediens judicaverit pueros etiam ante ſeptennium conſignare, poterit id licite facere, ut ait Bened. XIV. de Synod. Diœceſ. lib. VII. c. 10. ubi advertit, id fieri debere ſine ulla acceptione perſonarum. (1)



# TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

EUchariſtia eſt Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini ad ſpiritualem animæ refectionem a Chriſto inſtitutum.

## CAPUT I.

### *De Materia, & Forma Euchariſtiæ.*

Quæſt. I. QUænam eſt materia neceſſaria, ex qua conficitur Euchariſtia?

*Reſp.* 1. Eſt panis triticeus, & vinum de vite. *Prob.* 1. Ex perpetua Eccleſiæ Traditione & praxi. 2. Ex Conciliis præſertim Lateran. IV. c. *Firmiter*. Trid. ſeſſ. 13. c. 4. can. 3. & Florentino, ibi *Tertium eſt Euchariſtiæ Sacramentum, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet*. 3. Quia Chriſtus inſtituens Euchariſtiam, non aliam materiam adhibuit, Matt. 26. eamque ut neceſſariam præcepit his verbis, *Hoc facite &c.* Luc. 22. & I. Cor. 11. Propterea panis triticeus ſolus eſt, qui dicatur ſimpliciter panis, alii non vocantur panes niſi cum addito: nec adhibentur niſi in ejus defectum. Item vinum ſimpliciter eſt vinum de vite uſuale. At ex Scriptura & Conciliis materia Euchariſtiæ eſt panis & vinum ſimpliciter.

Hinc 1. Non poteſt valide conſecrari panis confectus ex oriza, avena, hordeo, milio &c. vel ex leguminibus, radicibus herbarum, aut fructibus arborum: item ex tritico non puro, ſed mixto. v. gr. hordeo, vel avena, ſi quantitas tritici non ſit notabiliter major: nam alias panis non eſſet ſimpliciter triticeus. Quare Miſſale Rom. *de defectibus*, ait: *Si panis non ſit triticeus, vel ſi triticeus admixtus ſit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel ſit aliquo corruptus, non conficitur Sacramentum.* Secus ſi farina alterius materiæ ſit in tam parva quantitate, ut panis morali æſtimatione cenſeatur adhuc triticeus. Reverentia tamen Sacramento debita exigit, ut panis ſit ex puro tritico, & valde albus.

Li-

(1) *Quoad ætatem confirmandorum, ex regula ordinaria conferendum eſt hoc Sacramentum pueris poſt ſeptennium; ſed in aliquo extraordinario caſu juſta urgente cauſſa non vetatur, quin poſſit etiam ante eam ætatem miniſtrari. Juſtam cauſſam adeſſe conſtat ſi facilis ad pueros illos in poſterum non ſit futurus epiſcopi acceſſus &c. Ita in Bulla pro Copthis* Anno vertente, *& de Synod. Diœceſ. lib. 7. cap. 10.*

*Neceſſitatem, quam vocant abſolutam hujus Sacramenti recipiendi nemo utique eſſe affirmaverit, ſed vel in re vel in voto plane neceſſarium eſt neceſſitate præcepti, & quidem divini, tempore perſecutionis. Neque Parochi, neque Parentes, neque qui ſunt loco parentum, ſunt eximendi a lethali culpa ſi non inſtent, ut ſubjecti ſibi Parochiani, & quos habent ſubjectos Confirmationem ab Epiſcopo parato recipiant.* Ibid. §. 9. & 10.

*Animi diſpoſitiones ad digne recipiendum hoc Sacramentum ſunt ſtatus gratiæ, quæ in adultis lethali crimine infectis comparatur plerumque per Sacramentum pœnitentiæ.* Inſt. Eccl. 6. n. 11.

*Corporis diſpoſitiones non tamen neceſſario præmittendæ, ſunt plerumque confirmandi, & confirmantis jejunium, quod conſulit Pontificale Romanum.* Ibid. §. 12.

*Mares ſeorſim a feminis accedere par eſſet, ut honeſtius res peragatur, ut ex Concilio Mediolanenſi.* Ibid. §. 13. *Porro Patrinus manum ſuam dexteram dexteræ humero Chriſmandi imponat.* Ibid. §. 16.

Licite vero conſecrari non poteſt panis confectus ex grano, de quo dubitatur an ſit verum triticum. Nam in Sacramentis, quæ non ſunt de neceſſitate medii, nunquam licet adhibere materiam non certam; alioqui ſine neceſſitate urgente exponerentur nullitati. Species autem grani, de quibus præſertim aliqui dubitant an ſint triticum, ſunt ſiligo, ſeu ſegale & ſpelta. Nam quamvis S. Thomas ſenſerit, ſiliginem eſſe triticum, quia quandoque ex tritico in malis terris generatur; multi tamen id negant; quia quandoque etiam ex tritico naſcitur avena: poteſtque res unius ſpeciei propter diverſas diſpoſitiones, & cauſſas degenerare in rem alterius ſpeciei.

Hinc 2. Non poteſt valide conſecrari, 1. Liquor expreſſus ex pomis, piris, ceraſis &c. 2. Omphacium (apud Italos, *Agreſta*) *du verjus*, quia necdum habet naturam vini. 3. Acetum, quia non eſt amplius vinum, & ſit ex corruptione ſubſtantiali vini. 4. Succus intra uvas maturas adhuc contentus, aut vinum in pane, vel alia ſimili materia contentum; quia in tali ſtatu non habet rationem vini uſualis. 5. Vinum aromatibus ita conditum, ut morali æſtimatione ſpeciem vini amiſerit. Secus, ſi alteratio ſit exigua, quamvis illicite, conſecratur.

E contra valide conſecratur, 1. Muſtum, ſeu vinum ex uvis maturis recens expreſſum, cum jam habeat naturam vini, quamvis hoc ſit prohibitum, quia eſt impurum ob admixtas fæces, ac proinde indecens. In neceſſitate tamen, juxta S. Tho. 3. par. qu. 74. art. 5. ad 3. licite conſecratur. 2. Vinum congelatum, ſed poſtea reſolutum, modo per gelu non fuerit corruptum. Vinum autem actu congelatum, & non reſolutum eſt materia incerta; quare ſi forte in hyeme vinum in Calice congeletur, debet per ignem reſolvi priuſquam conſecretur; ſed ejus congelatio, quantum poteſt, impediri debet.

*Reſp.* 2. Ad valorem Sacramenti requiritur, ut panis ſit confectus ex farina triticea aqua naturali diluta, & igne cocta. Nam ſic conficitur panis ſimpliciter dictus & uſualis, aliorumque ciborum comes, qualem Chriſtus inſtituit.

Hinc non poſſunt valide conſecrari. 1. Liba, placentæ, & ſimilia confecta ex farina triticea mixta lacte, butyro, ovis, melle, ſaccharo, aliiſque liquoribus ab aqua naturali ſpecie differentibus; niſi forte liquores iſti admixti aquæ naturali eſſent in exigua quantitate, ita ut aqua plurimum prædominaretur. Illicitum tamen eſt conſecrare panem triticeum mixtum quacumque re, grano, vel liquore, etſi parva quantitate; quia eſt contra uſum Eccleſiæ, & reverentiam Sacramenti poſtulantis materiam omnino puram. 2. Maſſa cruda, ſeu paſta; quia non eſt panis uſualis, nec cibus hominum. Si autem farina ſit diluta aqua roſacea, dubium eſt, an ſit valida materia, ut habet Miſſale Rom.

Porro ex præcepto & uſu Eccleſiæ panis conſecrandus apud Latinos debet eſſe figura orbiculari & integra.

*Nota.* Nulla videtur poſſe occurrere cauſſa moraliter ſufficiens ad conficiendam Euchariſtiam, niſi in materia certa, inquit Suarez, quia huic Sacramento ſumma reverentia debetur, & aliunde non eſt neceſſarium neceſſitate medii in re ad ſalutem.

Quæſt. II. *An panis tam azymus quam fermentatus eſt materia valida?*

*Reſp.* Affirm. Ex Concil. Florent. in decreto unionis; ibi: *Definitum in azymo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici: Sacerdoteſque in alterutro ipſum Domini Corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem.* Ratio eſt, quia uterque eſt panis verus, & ſimpliciter dictus, & ſic in Scriptura; nam uterque ſit ex farina triticea, aqua naturali ſubacta, ac puro igne coquitur, habetque proprium uſum panis.

Latini tamen tenentur ſub mortali conſecrare azymum, Græci vero fermentatum, ſinguli juxta Eccleſiæ ſuæ ritum: nam ita præcepit Concil. Florent. cit. & utriuſque Eccleſiæ conſuetudo antiquiſſima, obtinens vim legis graviter obligantis, utpote de re gravi. Hinc c. ult. *de celebrat.* Sacerdos quidam Latinus jubetur privari in perpetuum officio & beneficio, quod infermentato conſecraſſet in defectu azymi. Quare in hoc nulla diſpenſat neceſſitas, ne Viatici quidem pro infirmo conſecrandi: nam ad tanti Myſterii majorem reverentiam intereſt, modo ac ritu convenienti ſemper confici. Præceptum quippe divinum circa Viaticum non obligat, niſi quando id fieri poteſt modo convenienti, & cum debitis circumſtantiis.

*Nota.* Quamvis multi dicant, Sacerdotem Latinum iter agentem per Græciam licite uti fermentato, & Græcum azymo in Occidente, in iis ſcilicet locis, ubi non ſunt Eccleſiæ ſui ritus; quia ex S. Auguſt. epiſt. ad Januar. licet cuique facere, quod in ea Eccleſia, in quam venit, invenerit, modo non adverſetur divino mandato; ſi tamen inter Latinos ſint aliquæ Eccleſiæ Græcorum, & inter Græcos aliquæ Latinorum, in his tenetur unuſquiſque ſuæ Eccleſiæ ritum ſervare; quia hoc ipſo quod ibi templum habent, perinde eſt quoad ſacrificium, ac ſi eſſent in ſua patria. Nec licet Latino in Eccleſia Græcorum inter Latinos ſita celebrare in fermentato; quia hoc eſt ſpeciale privilegium Græcis in Eccleſia conceſſum.

Quæſt. III. *An & quanta aqua admiſceri debet?*

*Reſp.* 1. Ex præcepto Eccleſiæ aqua elementaris ante conſecrationem vino admiſceri debet: conſtat ex Conc. Florent. ſupra cit. & Trident. ſeſſ. 22. cap. 7. ibi; *Monet S. Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſceant, tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur; tum etiam quia e latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypſi Beati Joannis populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto unio repræſentatur.* Hoc præceptum ſub mortali obligat, quia licet materia ſit in ſe levis, eſt tamen gravis ratione finis & ſignificationis; nam apponitur aqua ad repræſentandam unionem populi fidelis cum ſuo capite Chriſto, atque etiam unionem humanitatis cum Verbo. Hæc tamen admixtio aquæ non eſt de neceſſitate Sacramenti: ita Miſſale Rom. Et Conc. Trid. ſolum dicit, hanc eſſe præceptam ab Eccleſia.

*Reſp.* 2. Aqua vino miſcenda debet eſſe modiciſſima. Quia 1. ita Conc. Florent. ſtatuit, & fert uſus Eccleſiæ. 2. Ut ait Conc. Tribur. Can. 19. ſic melius ſignificatur majeſtas Chriſti per vinum deſignata,





& populi fragilitas per aquam repræſentata. 3. Hoc eſt tutius: nam (ut ait S. Tho.) vinum aliquando ita debile eſt, ut per aquam in magna quantitate, licet minore, facile corrumpatur. Sufficit autem una aquæ gutta ſenſibilis; cum ad ſignum ſenſibile, & ſignificationem convenientem ſufficiat. Ad validam vero conſecrationem neceſſe eſt, ut major ſit quantitas vini quam aquæ, quia materia calicis eſt ſolum vinum uſuale. At tale non eſſet ſi vinum aquæ non prædominaretur; & res mixta non eſſet potius vinum quam aqua. Quare c. 13. *de celeb. Miſſ.* dicitur pernicioſus abuſus, quod plus aquæ quam vini in calicem infunditur.

*Reſp.* 3. Hæc mixtio neceſſario fieri debet, 1. Tempore Miſſæ, & in ipſo ſacro calice: nam alioqui non eſſet cæremonia ſacra, nec ſacram ſignificationem haberet. 2. Ante calicis oblationem ob Eccleſiæ uſum; unde graviter peccaret, qui eam tunc omitteret. Quod ſi illa mixtio ante calicis oblationem facta non fuiſſet, fieri debet ante calicis conſecrationem; nam uſque ad illam ſubſiſtit ratio & tempus præcepti ac ſignificationis; non poſt, quia tunc prohibetur, & ceſſat tempus, ex Miſſal. Rom. tit. *de defect.* ibi: *Si celebrans ante conſecrationem calicis advertat, non fuiſſe appoſitam aquam, ſtatim ponat eam.... ſi id advertat poſt conſecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non eſt de neceſſitate Sacramenti.*

Quæſt. IV. *An ut utraque hæc materia valide conſecretur, debeat eſſe moraliter præſens conſecranti?*

*Reſp.* Affirm. Quia 1. ita fert Traditio & praxis Eccleſiæ in facto Chriſti fundata; Chriſtus enim conſecravit materiam præſentem, & non dedit poteſtatem Apoſtolis faciendi, niſi quod ipſe fecerat. 2. Id exigit veritas formæ, quæ continet pronomen demonſtrativum, *Hoc*, *Hic*: nihil enim demonſtrari poteſt ad ſenſum, niſi ſit moraliter præſens. 3. Alioqui Sacerdos poſſet totum panem, qui nunc in hac urbe, vel tota regione exiſtit, conſecrare.

At ſufficit moralis præſentia; nam hæc ſufficit ad veritatem formæ. Ad moralem autem præſentiam materiæ, ex communi hæc requiruntur, 1. Ut conſecrans ſciat materiam ibi eſſe. 2. Ut materia ſenſu aliquo percipi poſſit, non tamen neceſſe eſt, ut in ſe videatur, vel tangatur a Sacerdote; ſed ſufficit ut in eo loco ſita ſit, in quo a conſecrante poſſit ſenſu percipi, ſive in ſe, ſive in alio, ut in ſuo toto, vel proximo continente, aut vaſe ad illam continendam deſtinato. Sic hoſtiæ, quæ latent ſub aliis multis in cumulo, cenſentur Sacerdoti præſentes: nam id cenſetur moraliter præſens, quod poteſt demonſtrari humano modo ad ſenſum, per pronomen, *Hic*, *Hoc*, independenter ab omni alio ſigno. 3. Ut ſit propinqua; qualis debet eſſe res, quæ velut in uſum humanum aſſumenda, demonſtrari poteſt pronomine, *hic* vel *hoc*: alioqui non eſſet præſens more humano. Sed cum definiri nequeat quænam abſolute requiratur propinquitas; in re incerta ſervari debet praxis Eccleſiæ non conſecrantis niſi materiam valde propinquam. Item materia debet eſſe coram Sacerdote, alioqui non poſſet demonſtrari per ly *hoc*, ſtricte ſumptum, per quod debet ſignificari res præſens independenter a circumſtantiis, & ab omni alio nutu & ſigno. *Requiritur ut materia conſecranda, in actu conſecrationis ſit coram Sacerdote*, ait Miſſale Rom. *de defect.*

Hinc non poteſt valide conſecrari materia licet vicina, ſi ſit a tergo, vel ſub mappa, vel poſt parietem, aut aliud corpus opacum, quod non habet rationem thecæ, ſeu vaſis proxime illam continentis; nam tunc non eſt moraliter præſens conſecranti, nec ullo ſenſu demonſtrabilis. Et contra hoſtiæ in pyxide, ſeu ciborio clauſo contentæ conſecrantur, ſi ad eas dirigatur intentio; quia ad moralem præſentiam rei ſufficit, quod proximum ejus continens ad illam continendam deſtinatum, ſit præſens: quemadmodum vinum in lagena clauſum cenſetur moraliter præſens, & demonſtrabile ei, cui lagena eſt præſens; quia ratione continentis proximi contentum præſens eſt & demonſtratur.

Quædam circa hoc dubia ſic reſolvit recentior Theologus. 1. Si hoſtiæ non ſint in ipſo altari, ſed alicubi prope illud, v. gr. ſi in Credentia ex oblivione ſint relictæ probabiliter non conſecrantur, quamvis Sacerdos ante habuerit intentionem eas conſecrandi. Tum quia non videntur connaturaliter deſignari per ly *hoc*: tum quia præſumi non debet Sacerdos voluiſſe intentionem ſuam extendere ad eas contra praxim & præceptum Eccleſiæ conſecrandas in eo loco, in quo non poſſunt ſine gravi culpa conſecrari.

2. Si ſint poſitæ quidem in altari, ſed alicubi extra corporale ad latus, res eſt dubia, & maxime pendet ab intentione Sacerdotis. At ſi poſitæ ſint, non quidem ſupra corporale, ſed prope illud v. gr. a parte Evangelii inter librum & corporale, videntur conſecratæ, quamvis Rubricæ præſcribant, ut ponantur ſupra corporale; ſicut vere conſecrantur in ciborio clauſæ ſuper corporali poſito, licet Rubrica præcipiat tunc aperiri in ipſa conſecratione, ſicut in prima oblatione: nam poſſunt ſufficienter demonſtrari per ly *hoc*.

3. Guttæ vini, quæ calici ſeparatim a toto adhærent extrinſecus, non conſecrantur: cum enim conſecrari licite non poſſint, præſumi non debet Sacerdotem intendere earum conſecrationem. De iis vero quæ intra cuppam ſunt ſeparatæ a toto, variant ſententiæ: unde pro praxi expedit, ut Sacerdos ſemel pro ſemper intendat non conſecrare niſi id quod eſt præciſe continuum.

4. Sacerdos de vera hoſtiarum conſecratione rationabiliter incertus, vel dubius, debet eas ſumere poſt Sanguinem: vel ſi nimis multæ ſint, rogare alium Sacerdotem, ut in ſuo ſacro, dum unam aut alteram hoſtiam abſolute conſecrat, ſimul eas intendat conſecrare ſub conditione, ſi non ſint conſecratæ; vel id ipſe die ſequenti in ſuo ſacro faciat. Quod ſi dubium ſit de valore conſecrationis alterutrius materiæ pro ſacrificio conſtitutæ, debent iterum verba conſecrationis ſuper illam materiam proferri ſub conditione; & ſi dubium ſit de valore materiæ, v. g. quia præſumitur vinum eſſe acetum, vel aqua plurima vino mixta, debet certam aliam conſecrare, ne ſacrificium imperfectum relinquat, & poſt Communionem ſumere materiam dubiam.

Quæſt. V. *An ad validam conſecrationem neceſſe eſt, ut materia conſecranda determinetur in particulari per intentionem Sacerdotis?*

*Reſp.* Affirm. Quia 1. Miſſal. Rom. *de defectibus*, ſic habet: *Si quis habet coram ſe undecim hoſtias & intendat conſecrare ſolum decem, non determinans quas decem intendit, non conſecrat, quia requiritur intentio. Secus, ſi putans quidem eſſe decem, tamen omnes voluit conſecrare, quas coram ſe habebat; nam tunc omnes erunt conſecratæ, atque ideo quilibet Sacerdos talem intentionem habere debet, ſcilicet conſecrandi omnes, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet.* 2. Quia actiones ſunt circa ſingularia determinata: ergo intentio Miniſtri, quæ eſt cauſſa practica conſecrationis, ferri debet circa materiam determinatam. 3. Cum forma Euchariſtiæ ſit demonſtrativa, exigit determinationem rei demonſtrandæ; res enim indeterminata demonſtrari nequit. Non eſt tamen neceſſe, ſingulas hoſtias deſignari quoad numerum, ſed ſufficit eas deſignari in toto objecto quod proponitur: v. g. ut Sacerdos intendat conſecrare omnes hoſtias præſentes, etſi ignoret illarum numerum, vel circa illum errat, ut patet ex Rubrica cit. Immo ſi plures hoſtias habet quam ſumere ſtatuerat, omnes conſecrantur; quia omnes ſunt ei moraliter præſentes, & intendit conſecrare id quod præſens eſt. Nec error ſpeculativus tollit intentionem abſolutam conſecrandi materiam præſentem; quam ut debitam cenſentur habere implicite, niſi eam expreſſe excludat. *Hinc ſi putans ſe tenere unam hoſtiam, poſt conſecrationem invenerit fuiſſe duas ſimul junctas, in ſumptione ſumat utramque.* Miſſal. Rom.

Quæſt. VI. *An quævis minutiſſima materia poteſt valide conſecrari?*

*Reſp.* Affirm. modo ſit ſenſu perceptibilis: nam talis materia poteſt eſſe ſignum ſenſibile, & per verba conſecrationis ad ſenſum demonſtrari. At ſi particulæ panis, vel vini, ita ſint exiguæ, ut nequeant naturaliter ſenſu percipi, non poſſunt valide conſecrari, Quia non poſſunt demonſtrari præſentes in ordine ad ſenſus, prout exigunt voces *Hic* & *Hoc*, & quia Sacramentum debet eſſe ſignum ſenſibile. Non poteſt autem fieri conſecratio, quin conficiatur Sacramentum.

Quæſt. VII. *An poteſt valide conſecrari materia in maxima quantitate?*

*Reſp.* Affirm. modo ſit ſecundum ſe totam moraliter præſens conſecranti. *Ita communiter.* Quia 1. Chriſtus nullam certam quantitatem definivit, & abſolute dedit Sacerdotibus poteſtatem conſecrandi panem & vinum abſque limitatione ad certam aliquam quantitatem. 2. Quantacumque ſit materiæ quantitas præſens, deſignari poteſt per pronomen *Hoc*, & verificatur forma. Non licet tamen majorem quantitatem conſecrare, quam tempore opportuno poſſit abſumi: quia periculum eſſet ne ſpecies putreſcerent. Quod ſi conſecretur nimis magna quantitas cum injuria Sacramenti, erit abuſus poteſtatis a Chriſto conceſſæ, qui non impedit ſubſtantiam Sacramenti.

Quæſt. VIII. *An panis ſine vino, vel vinum ſine pane conſecrari poteſt?*

*Reſp.* 1. Non poteſt licite. Quia, 1. Chriſtus præcepit, ut utraque materia conſecraretur, per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, 1. Cor. 11. Sic enim Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. interpretatur. 2. Euchariſtiæ inſtitutio exigit utriuſque conſecrationem. Nam Euchariſtia, ut eſt Sacramentum, inſtituta eſt ad modum & ſignum integri convivii, quod cibo & potu perficitur; & ut eſt Sacrificium, eſt incruenta ac myſtica immolatio Chriſti conſtituti modo quodam mortuo ſub ſpeciebus per conſecrationem, & expreſſa repræſentatio Sacrificii cruenti, quod per realem ſeparationem Sanguinis a Corpore in cruce peractum eſt. Sed ad hoc neceſſe eſt, ut ambæ materiæ conſecrentur, & ſub illarum ſpeciebus Corpus & Sanguis myſtice ſeparentur, & expreſſe repræſententur, ut ſeparata fuerunt in Cruce: unde ex inſtitutione divina conſecratio utriuſque ſpeciei eſt de Sacrificii ſubſtantia & integritate. Hoc autem Sacramentum non conficitur niſi in Sacrificio. Igitur inſtitutio Euchariſtiæ, quæ eſt juris divini, ac proinde jus divinum, exigit utriuſque materiæ conſecrationem. 2. Eccleſia id prohibet, ut patet ex ejus uſu, & Miſſali Rom. *de defect.*

*Reſp.* 2. Valide tamen una materia ſine alia conſecratur. Quia, 1. Chriſtus prius tempore per verba de præſenti conſecravit unam materiam, quam alteram: ſic etiam Sacerdos conſecrat, & hoſtiam adorandam populo proponit ante vini conſecrationem. Quare ſi Sacerdos per impotentiam, vel malitiam non conſecraret vinum, non ideo efficeret, ut ſpecies panis conſecrata, non eſſet vere conſecrata. 2. Veritas & conſecratio formæ, per quam conſecratur una ſpecies, eſt abſoluta, & independens ab altera forma conſecratoria alterius ſpeciei, ac proinde exigit, ut Chriſtus ſit ſtatim ſub tali ſpecie conſecrata independenter ab altera; alioqui forma eſſet falſa.

Quæſt. IX. *Quænam eſt forma Euchariſtiæ?*

*Reſp.* Quiſque graviter tenetur proferre totam formam, quæ in canone legitur, ob uſum & præceptum Eccleſiæ in re tam gravi. Formam pro conſecratione panis, hæc eſt: *Hoc eſt enim Corpus meum*; pro vino iſta: *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni Teſtamenti, Myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Verba autem eſſentialia formæ debent proferri aſſertive, ſeu cum intentione affirmandi id quod ſignificant: nam ex Patribus & Conc. Flor. Sacerdos ea profert ex perſona Chriſti, ſeu ut gerens perſonam Chriſti; & debet per illam intendere conſecrare ac efficere quod ſignificant.

*Reſp.* 2. Ad validam conſecrationem certum eſt requiri hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt calix Sanguinis mei:* aut illis æquivalentia, quæ ſignificent clare ac diſtincte converſionem panis in Corpus Chriſti, & vini in Sanguinem: verba enim non efficiunt niſi id quod ſignificant. Horum autem ſenſus eſt: Hoc contentum ſub his ſpeciebus, eſt Corpus meum, & Sanguis meus.

Hinc invalida eſt conſecratio, 1. Si pro ly *hoc*, diceretur *illud*, quia ly *illud* non demonſtrat rem præſentem. 2. Si dicatur *ibi* vel *hic* adverbialiter, quia voces illæ ſignificant tantum Corpus eſſe in pane, vel Sanguinem in vino; non autem veram converſionem panis in Corpus, aut vini in Sanguinem. 3. Si pro ly *Corpus* dicatur *Caro*, quia corpus plus ſignificat quam caro: corpus enim eſt totum integrale conſtans non ſolum ex carne, ſed etiam ex oſſibus, nervis &c. 4. Si dicatur, *Hoc Corpus eſt meum*: nam tranſpoſitio illa mutat ſenſum verborum Chriſti. 5. Si dicatur. *Hoc eſt Corpus Chriſti*: quia hic modus lo-



loquendi longe diverſus eſt, & hæc verba non proferuntur ex Chriſti perſona.

*Reſp.* 3. Hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum*, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, aut aliis æquivalentia, ad validam conſecrationem ſecundum communem Doctorum ſententiam ſufficiunt; & probant, 1. Ex Patribus, qui nulla alia verba pro forma aſſignant. 2. Quia iſta verba perfecte ſignificant præſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini: verba autem formæ, utpote practica, efficiunt id, quod perfecte ſignificant.

*Nota.* Ambroſius Caterinus; Chriſtophorus a Capite Fontium, Doctiſſimus Touteus Monachus Benedictinus editor Operum Cyrilli Hieroſolymitani, P. Brunus in explicatione Liturgiæ Armenorum, ac alii pauci Catholici viri ad perficiendam Euchariſtiam neceſſariam quoque exiſtimant invocationem Spiritus Sancti. Hi vero confutantur in appendice. Vide §. *de forma*.

## CAPUT II.

### *De præcepto Euchariſtiæ, ejus effectu, & diſpoſitione.*

Quæſt. I. *AN exstet præceptum ſumendi Euchariſtiam?*

*Reſp.* 1. Extat præceptum divinum aliquando eam ſumendi. Patet ex Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis &c. non habebitis vitam in vobis.* Et ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. *Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tamquam ſpiritualem animarum cibum &c.* quod ad omnes ſpectat. Hoc præceptum ex communi ſententia adultos obligat, 1. Pluries in vita: nam ex Conc. Trid. loc. cit. Euchariſtia inſtituta eſt per modum cibi ſpiritualis, quo anima nutriatur & confortetur, & eſt neceſſaria ex præcepto ut cibus: ergo non raro ex præcepto ſumenda eſt. Chriſtus tamen non determinavit frequentiam ſumptionum, ſed reliquit determinandam ab Eccleſia, quando fidelium neceſſitas id exigeret. 2. Obligat in quovis probabili mortis periculo; ut in gravi morbo, inſtante conflictu, difficili partu, periculoſa navigatione, inciſione, &c. Conſtat cum ex conſuetudine totius Eccleſiæ miniſtrandi Euchariſtiam omnibus in periculo mortis verſantibus, & eam in hunc finem ſollicite aſſervandi, ſemper & ubique obſervata, quæ oſtendit id ex Traditione Apoſtolorum a Chriſto edoctorum manaſſe. Tum quia numquam poteſt eſſe major neceſſitas hujus cibi inſtituti ad conſervandam & roborandam vitam ſpiritualem contra tentationes ac difficultates, quam in periculo mortis, in quo ſolent eſſe graviores, & ex quo pendet ultimo æternitas, & imminet ultima lucta cum hoſte ad decidendum de ſalute æterna.

Pluries autem in eodem morbo Viaticum dari poteſt, modo dies decem ab altera viatici ſumptione interceſſerint. Ita Rituale Pariſienſe.

*Reſp.* 2. Omnes & ſinguli fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, tenentur ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum, juxta præceptum ſanctæ Matris Eccleſiæ. Ita Conc. Trid. ſeſſ. 13. can. 9. ubi hoc negantes anathematizat. Et ex Conc. gener. Later. IV. c. *Omnis*, de Pœnit. & rem. ibi: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum: niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum; alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura.* Circa quod obſervanda ſunt ſequentia.

1. Pueri tenentur ad Communionem, quando habent ſufficientem uſum rationis, ad diſcernendum Corpus Chriſti ab aliis cibis, & reverenter ac devote ſumendum ſunt idonei; quod aliis citius, nempe circa an. XIV. contingit; licet pueri prius cenſeantur obligari ad confeſſionem, quia ad Communionem plus requiritur diſcretionis, & devotionis ac reverentiæ. Nam ita Eccleſiæ conſuetudo interpretatur præcepta Confeſſionis, & Communionis pro materia ſubjecta; & Euchariſtiæ dignitas ſingularis exigit maturiorem ætatem, & majorem diſcretionem, ut poſſit convenienti devotione ac reverentia ſumi. Quare ætas, qua urget obligatio communionis, eſt intra annum X. vel XII. & XIV. ita ut nemo ultra differat, ſi ſit ſufficienter inſtructus, & recte diſpoſitus: quia ſaltem communiter neque ante X. incipit, neque ultra XIV. differtur plenior uſus rationis requiſitus. In periculo tamen mortis, puero capaci confeſſionis, & ſufficienter inſtructo, dandum eſt Euchariſtiæ Viaticum: nam in eo periculo verſatur, in quo expectare non poteſt tempus commodius ad Euchariſtiam cum meliori diſpoſitione recipiendam, ut præcepto divino ſatisfaciat, & aliunde poteſt reverenter ſumere, & probare ſe ſufficienter per confeſſionem, ne indigne ſumat (1).

2. Per Paſcha, ex Eugenio IV. Bulla *Fide digna*, & uſu Eccleſiæ, intelligitur tota quindena a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis incluſive. Tamen in variis locis ſive ex conſuetudine, ſive ex privilegio, ſive ex neceſſitate, plus temporis conceditur.

3. Communio Paſchalis fieri debet in propria Parochia, & ſumenda de manu proprii Sacerdotis, vel ejus delegati. Conſtat ex Ritualibus & variis Synodis, & ex conſuetudine vim legis habente, & ita in-

(1) *Lambertinus* de Synodo Diœceſ. cap. 12. §. 3. *quoad pueros in mortis articulo conſtitutos adminiſtrandam Euchariſtiam ait, quod in iis non deſideratur eadem ætas, ac in recte valentibus. In iis morituris judicio Parochi permittendum eſt, qui diligenti examine inveſtiget, num tanta polleant perſpicacia, ut Chriſtum ſub ſpeciebus Sacramentalibus firmiter credant, & adorent.*

*Dixerat jam anteriori §. quod recte valentes potiri debent majori judicii firmitate, ut debita religione, & reverentia ad Sacramentum accedant, quæ plerumque firmitas advenire ſolet annum decimum inter, & decimum quartum ætatis.*

interpretante canonem Concilii Lateran. Unde Sacra Congreg. Cardin. declaravit an. 1682. ſeculares non ſatisfacere præcepto Eccleſiaſtico per Communionem factam in Eccleſiis Regularium (*). Sacerdotes tamen ſeculares ex conſuetudine ſatisfaciunt celebrando in Eccleſia, cui addicti ſunt per ſuas functiones. (**)

4. Vagabundi tenentur Euchariſtiam ſuſcipere in ea parochia, in qua eo tempore verſantur; nam ibi ſunt vere ſubditi, & non habent alium certum parochum, vel paſtorem: unde ibi cenſentur habere domicilium eo modo, quo illius ſunt capaces. Ita Suar. l. 5. Inſtit. Sac. c. 3. ubi idem ut verius cenſet de peregrinis, quia reputantur tamquam incolæ illius loci, in quo tempore Paſchali inveniuntur, ut declaravit Eugenius IV. & Parochus illius loci eſt proprius eorum Sacerdos: niſi tamen ipſius Parochi interveniat licentia ſaltem tacita, quæ ex conſuetudine innoteſcit.

5. Confeſſor poteſt ex juſta cauſſa Communionem Paſchalem pœnitentis ultra quindenam differre, ex Conc. Later. cap. *Omnis* cit. immo tenetur, ſi judicet differendam eſſe abſolutionem: enim vero cum Communio pendeat ab abſolutione, qui poteſt ac debet hanc differre, poteſt quoque ac debet illam.

6. Huic præcepto communicandi non ſatisfit per Communionem ſacrilegam. Nam 1. Innoc. XI. oppoſitum damnavit. 2. Eccleſia expreſſit in præcepto modum excludentem Communionem ſacrilegam: nam, cap. *Omnis*, præcepit, ut omnes ſuſcipiant *reverenter*, ideoque non ſacrilege. Præceptum autem non ſervatur, niſi ſervetur modus in præcepto expreſſus, cum ipſe præcipiatur. 3. Præceptum Eccleſiæ eſt determinatio præcepti divini de ſumptione Euchariſtiæ pia ac fructuoſa, qua anima alatur, & ejus vita confortetur ac augeatur, ex 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*. Et ex Conc. Trident. ſeſſ. 13. cap. 2. *Sumi voluit Sacramentum hoc tamquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius qui dixit: Qui manducat me, & ipſe vivet propter me &c.*

7. Qui ante quindenam in ſua parochia Euchariſtiam ſumpſit, tenetur iterum ſub mortali eam ibi ſumere intra quindenam. Nam quando per præceptum determinatur tempus, non impletur ſaltem integre, niſi eo tempore: ſicut qui die Sabbati audivit Miſſam, non eſt immunis ab obligatione eam audiendi die ſequenti. Præterea non ſatisfecit præcepto Euchariſtiam *in Paſchate* ſuſcipiendi. *Hinc ægrotis parochialibus, etiamſi Communionem extra præſcriptos Paſchales dies ſumpſerint, in Paſchalibus diebus illam deferet, ac miniſtrabit* Parochus (ait Rituale Rom.)

8. Qui intra quindenam non communicavit, tenetur adhuc poſtea intra eumdem annum quamprimum communicare. Quia hoc præceptum non eſt ſicut præceptum jejunandi, vel audiendi Miſſam tali die, ſed continet virtualiter duo præcepta, alterum communicandi ſemel ſaltem in anno, alterum in Paſchate; ita ut Communio annua primario propter ſe præcipiatur ad implendum præceptum divinum ſæpe in vita communicandi, nec alligetur Paſchæ, ſicut Sacri auditio affixa eſt die feſto. Quod ſatis indicant hæc verba legis Concil. Later. *ad minus in Paſcha*, & illa Conc. Trid. *ſingulis annis ſaltem in Paſchate*. Et vero Eccleſia debuit, exigente fidelium negligentia, determinare tempus obſervandi præceptum divinum communicandi pluries in vita, ideoque & obligare ad Communionem poſt Paſcha eos, qui in Paſchate omiſiſſent. Ergo cum adhuc ſervari poſſit præceptum Eccleſiæ quantum ad id quod eſt magis principale, durat obligatio toto anno, donec impleatur.

Immo juxta Suar. Azor. Reginald. & alios, eſt obligatio continua communicandi quamprimum moraliter fieri poteſt poſt Paſcha, ita ut ſemper nova culpa admittatur, quoties data opportunitate non impletur. Quia tempus Paſchæ non eſt tantum determinatum propter ſollemnitatem, & majorem congruentiam hujus temporis, ſed etiam ne diutius differatur communio; unde præceptum eſt affirmativum, quatenus præcipit Communionem; & ſimul implicite negativum, quatenus prohibet ejus dilationem ultra Paſcha: & probatur etiam ex uſu Eccleſiæ; nam qui Communionem omiſit, cenſuris & minis compellitur ut quamprimum communicet. Aliud eſt de auditione Sacri, quæ præcipue præcipitur ob diem ſacrum, & in illius honorem, tamquam onus affixum diei, ſicque eo tranſacto non obligat; ut conſtat ex ſenſu & praxi Eccleſiæ. Sicut ergo cum tributum exigitur in certum diem, eo tranſacto, ſtatim ſemper ſolvi debet, ita &c. Hinc qui toto anno non communicavit, tenetur in confeſſione dicere, quoties id per annum omiſit, cum poſſet commode communicare, nam toties peccavit.

Sed Delugo docet, tunc remanere obligationem communicandi, non quidem ſtatim poſt Paſcha, ſed ſolum ante finem anni, quia, inquit, cum præceptum

(*) *Vetitum eſt Regularibus in ſuis Eccleſiis diſtribuere una tantum die Paſchatis Reſurrectionis Euchariſtiam ſecularibus: cæteris vero diebus id poſſunt citra ullam prohibitionem. Non ſatisſit tamen præcepto Communionis Paſchalis a ſecularibus. Lambertinus* de Syn. Diœceſ. lib. 3. c. 42. §. 3. *Nec ſatisſit recipiendo communionem extra Parochialem Eccleſiam, adeundo Metropolitanam.* Item Inſt. Eccl. 18. §. 12. *Famuli quoque & Famulæ ſeculares utriuſque ſexus, etiamſi habitent in atriis Monaſteriorum muro circumvallatis, tenentur communionem Paſchalem in Eccleſia Parochiali, intra cujus fines eſt Monaſterium, recipere: uti ex Decr. Sac. Congreg. ſæpius deciſum eſt: neque enim habitationes illæ intra ſepta & domus Monaſteriorum ſunt, quod requiritur a Tridentino, ut famuli eximantur a Parœcia.* Inſt. Eccleſ. §. 7. & 8.

(**) *Sacerdotes Miſſam celebrantes non tenentur Præcepto Paſchali ſatisfacere in ſua Parœcia: ſi tamen raro intra annum celebrant, nec volunt, ſeu poſſunt celebrare Miſſam in Paſchate, tenentur nunc communicare in Eccleſia. Lambertinus* Inſt. Eccl. 55. §. 7. & 8.

*Item* Inſt. Eccl. 38. §. 10. *ait, omnes ſacerdotes cujuſcunque ſint Collegiatæ teneri Feria V. in Cœna Domini Sacramentum St. Euchariſtiæ recipere, e manibus Celebrantis, ut edicunt Decreta Sac. Congreg. apud Biſum V.* Communio n. 383.



ptum communicandi in Paſchate nequeat jam obſervari, nec proinde obliget, ſolum manet obligatio alterius præcepti, communicandi ſaltem ſemel in anno: hoc tamen non obligat ad communicandum hoc menſe potius quam illo, ſed ad communicandum ſemel hoc anno. Addit, cenſuram infligi ſolum propter tranſgreſſionem præteritam præcepti, quod obligabat ſub cenſura infligenda a Prælato, qui non vult eam exequi niſi in eos, qui ſtatim non communicaverint. (1)

9. Qui prævidet ſe non habiturum opportunitatem communicandi in Paſchate, nec poſtea hoc anno, tenetur prævenire. Quia tenetur ſingulis annis communicare: obligatio autem quæ cadit in totum tempus, impleri debet initio, ſi in decurſu, vel in fine impleri nequeat: nam urget in ea temporis parte, qua poteſt impleri; ut patet in Præcepto audiendi Miſſam, quam tenetur primò mane audire, qui poſtea non poterit: quia præceptum obligat pro illo die, prout impleri potuerit. Qui vero tempus prævenit, tenetur communicare, ſi poſtea poſſit, in Paſchate, quia non ſatisfecit huic alteri obligationi communicandi in ipſo Paſchate, & jam poteſt ei ſatisfacere.

10. Ad veram Communionem neceſſe eſt, ut Euchariſtia per os in ſtomachum trajiciatur, & in eo recipiatur; nam hoc requiritur ad veram manducationem & ſumptionem alimenti. Unde ſi quis tamdiu teneret hoſtiam in ore ut in eo diſſolverentur ſpecies, aut ſi moreretur antequam in ſtomachum deſcendiſſet, reipſa non communicaſſet, nec reciperet gratiam.

*Nota*. Non licet pluſquam ſemel eodem die communicare, ut conſtat ex omnium conſenſu, ex conſuetudine vim legis habente, & ex c. 3. de celebr. & cap. *Sufficit*, de conſecr. diſt. 1. Qui canones licet loquantur de ſolo Sacerdote, tamen ab omnibus extenduntur ad laicalem Communionem, & merito: nam facilius Sacerdoti ob utilitatem totius Eccleſiæ permitti poteſt bis celebrare. Ratio prohibitionis eſt reverentia tanto Sacramento debita, & ut aptius repræſentaretur unica Chriſti mors, quæ ſemel contigit. Hinc ſi quis eo die, quo communicavit, incidat in periculum imminens mortis, juxta Doctores omnes, aut fere omnes, inquit Delugo, non ei licet iterum eadem die communicare: quia nunquam licet bis communicare eadem die extra Miſſam niſi quando propter reverentiam Euchariſtiæ neceſſe eſt, ut ab aliquo conſumatur. Neque tunc eſt neceſſitas ſecundæ Communionis: talis enim ſatisfecit præcepto divino communicandi in fine vitæ; nam communicavit tempore proximo mortis, ac proinde moraliter cenſetur communicaſſe in periculo mortis, licet id ignoraret. Rituale tamen Metenſe contrarium docet. (2)

✠ Ad Euchariſtiæ adminiſtrationem quod attinet, duo capita occurrunt in citato Opere de Syn. l. VIII. quorum in priori, quod ordine eſt IX. de Viatico agitur, exhibendo, vel non exhibendo ei, qui poſt perceptam mane Sanctiſſimam Euchariſtiam eadem die prudenter timetur moriturus, atque recenſitis hinc inde opinionibus, ſtatuitur, *in tanta opinionum varietate, auctorumque diſcrepantia, integrum eſſe Parocho, eam ſententiam amplecti, quæ ſibi magis arriſerit, quin ſtat reus violati Statuti Synodalis, quod certe non potuit caſum iſtum extraordinarium reſpicere. Neque fas eſſe Epiſcopo, aut in Parochum animadvertere, qui præfato ægrotanti Viaticum denegarit; aut quidquam de ejuſmodi controverſia in ſua Synodo decernere, ne videatur ſibi arrogare partes judicis inter graviſſimos, hac ſuper re, ſecum contendentes Theologos.*

*In altera vero capite*, quod eſt duodecimum, Primo: *Haud leviter delinquere*, ait, *qui pueros etiam duodennes, & perſpicacis ingenii, ſinunt ex hac vita migrare ſine Viatico, hanc unam ob cauſſam, quia ſcilicet nunquam ante, Parochorum certe incuria, & oſcitantia, Euchariſticum panem degustarint*, atque probare quodammodo videtur Suareſii ſententiam, qui docet, *omnibus, qui ſunt doli capaces, poſitis in vitæ diſcrimine, illud eſſe ex divino præcepto porrigendum*. Secundo. *Poſſe*, ait, *& interdum debere Epiſcopum conſtituere, ne Parochi renuant Sanctiſſimam Euchariſtiam iterato deferre ad ægrotos, qui etiamſi perſeverante eodem morbi periculo, idem ſæpius, per modum Viatici, cum naturale jejunium ſervare nequeant, percipere cupiunt*. Tertio, *De frequenti Communione* monet, *ut caveat Epiſcopus, ne aut univerſim improbet, aut omnibus indiſcriminatim ſuadeat, quotidianum ad ſacram Menſam acceſſum*. Deinde ex decreto ad litem de frequenti Communione, præcidendam, jubente, ac approbante Innocentio XI. *die 12. Feb.* 1679. promulgato hæc verba tranſcribit. *In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum invigilabit; non ut a frequenti, aut quotidiana ſacræ Communionis ſumptione, unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum, per ſe, aut Parochos, ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet, illudque omnino provideat, ut nemo a ſacro Convivio, ſeu frequenter, ſeu quotidie acceſſerit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unuſquiſque digne pro devotionis, & præparationis modo, rarius, aut crebrius Dominici Corporis ſuavitatem deguſtet... Proderit etiam præter Parochorum, & Confeſſariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi, ut cum Fideles ad ſanctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent)*

(1) *Qui Præcepto Paſchali de Euchariſtia ſumenda non ſatisfecit tempore apto, etiam poſt illud tenetur, & cogi poteſt pœnis ad Euchariſtiam ſumendam Lambertinus*. Inſt. Eccl. 43. §. 15.

(2) *In Opere* de Syn. Diœc. c. 11. *ait Lambertinus, quod ſi quis mane ſumpſerit Euchariſtiam, veſperi vero decidat in lethalem morbum, liberum erit Parocho, ſi vel illum denuo communicet eadem die ſive abſtineat, nec poteſt ab Epiſcopo ad utrumlibet adigi.*

*Cæterum extreme ægrotantibus, eodem periculo mortis diutius perſeverante, poteſt & debet ſemel, iterum, tertio Viaticum conferri petente ægroto: ſed quoties, & quantum temporis intercedere neceſſe ſit inter unam, & alteram communionem, nihil definiendum Pontifex cenſet*. Ibid. lib. 7. c. 13. §. 6.

*bent) acceſſerint, ſtatim de magna ad illum ſumendum præparatione orationem habeant: generatimque ſuadant, eis, qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur, debere, ſive laici negotiatores ſint, ſive conjugati, ſive quicunque alii, ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini judicii formidine diſcant cæleſtem Menſam, in qua Chriſtus eſt, revereri; & ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad majorem præparationem accingere.* Denique concludit: *Si itaque in Synodo inſtituatur ſermo de frequenti, aut etiam quotidiano ſanctiſſimæ Euchariſtiæ uſu, non eſt deviandum ab hujus decreti ſemita, ſed ſi qua Parochis tradenda ſit inſtructio, curandum eſt, ut hæc illi adamuſſim reſpondeat: præcipue vero monendi ſunt Confeſſarii, ne frequentem ad Euchariſtiam acceſſum iis aut ſuadeant, aut permittant, qui in gravia peccata ſæpe labuntur, nec de pœnitentia peragenda, ſuaque vita emendanda ſunt ſolliciti: ſicuti nec illis, qui etſi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhærentem; qua de re legendi ſunt S. Franciſcus Saleſius* Philoteæ part. 2. cap. 20. & *Joannes Taulerus* ſer. 4. in feſto Ven. Sacramenti. ✠

Quæſt. II. *Quinam ſunt Euchariſtiæ effectus?*

*Reſp.* Hi. Primus & principalis eſt nutritio & confortatio animæ, ac augmentatio in vita ſpirituali, nimirum gratia ſanctificante & caritate, ex Joan. 6. *Caro mea vere eſt cibus &c.* Et Conc. Flor. in decreto de Sacram. ibi: *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne ſumentis, eſt adjunctio hominis ad Chriſtum. Et quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur, conſequens eſt quod per hoc Sacramentum in ſumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operetur ſpiritualem: in quo gratam Salvatoris noſtri recenſemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.* Et ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. *Sumi autem voluit* (Chriſtus) *Sacramentum hoc tamquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius qui dixit: qui manducat me & ipſe vivet propter me, & tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervemur.*

Hæc autem nutritio & confortatio ſpiritualis conſiſtit partim in augmento gratiæ habitualis, partim in gratiis actualibus uberioribus, quæ ſuo tempore intuitu Euchariſtiæ perceptæ dantur, ad caritatem conſervandam & augendam per opera meritoria, niſi tamen gratiis illis per peccata etiam venialia deliberate vel frequenter commiſſa obex poſtea apponatur.

Secundus liberat a peccatis venialibus, Conc. Trident.

Tertius præſervat a mortalibus, Conc. Trid. c. 2. cit. per gratias ſcilicet actuales, quæ illius intuitu dantur ad ſuperandas tentationes, & ſervanda mandata, cum urgent; & mediante illa præſervatione operatur perſeverantiam in gratia, & per eam gloriæ conſecutionem, juxta Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* ſi tamen homo gratiis illis non reſiſtat.

Quartus eſt delectatio ſpiritualis, ex Conc. Flor. ſupra cit. & ex Conc. Vien. Clem. *de reliquiis &c.* ibi: *In quo habetur omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuavitas, ipſaque dulcedo Domini degustatur.* Sed hæc delectatio ſpiritualis ſæpe non eſt ſenſibilis, & impeditur per negligentiam, teporem, diſtractionem communicantis, vel affectum ad delectationes terrenas.

Quintus imminuit concupiſcentiæ fomitem, tum augendo caritatem, nam ex S. Auguſt. augmentum caritatis eſt diminutio cupiditatis; tum per gratias actuales, quibus excitamur pii motus contrarii motibus concupiſcentiæ.

Denique Euchariſtia influit in glorioſam reſurrectionem corporum, in quantum Deus ad vivificanda iſta corpora movetur per conjunctionem, quam habuerunt cum vivificatrice Chriſti carne, ex Joan. 7. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.*

Ex quibus patet, quam utilis & expetenda ſit frequens Euchariſtiæ ſumptio, modo fiat cum debitis diſpoſitionibus. (1)

Quæſt. III. *Quænam diſpoſitiones ex parte animæ requiruntur ad Euchariſtiam?*

*Reſp.* 1. Sub mortali requiritur ſtatus gratiæ.

*Prob.* 1. Ex Cor. 11. *Quicumque manducaverit indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini .. . . . Judicium ſibi manducat non dijudicans Corpus Domini.* Sed qui eſt in peccato mortali, manducat indigne. Ergo. 2. Ex Conc. Trident. ſeſſ. 13. c. 7. ibi: *Si non decet ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſancte; certe, quo magis ſanctitas & divinitas cæleſtis hujus Sacramenti viro chriſtiano comperta eſt, eo diligentius cavere ille debet, ne abſque magna reverentia & ſanctitate ad id participandum accedat, præſertim cum illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus: qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat, &c.* 3. Quia peccator gravem injuriam ac irreverentiam admittit in Chriſtum, eum ſuſcipiendo in ſtatu inimicitiæ & peccati, quod ei infinite diſplicet; & quantum in ſe eſt, falſam reddit ſignificationem tanti Sacramenti, illudque effectu ſuo privat. Nam cum ſit inſtitutum per modum cibi & potus, ad augendam, roborandam & conſervandam ſpiritualem vitam

(1) *De frequentia St. Communionis, quibus concedenda ſit quotidiana, quibus aliquando rarius, nihil innovandum ſupra Decretum Innocentii XI. die 12. Februarii 1679. Omnia ſcilicet referenda eſſe docti, & prudentis Confeſſarii judicio. Inferri tamen ex eodem Decreto licet frequentem acceſſum denegandum eſſe iis, qui in gravia peccata ſæpe labuntur, nec de emendatione ſunt ſolliciti: ſicut nec tam ſæpe iis, quorum cum voluntas ſit a gravibus averſa, venialibus tamen tenacius inhærent. Lambertinus* de Syn. Diœc. lib. 7. cap. 12. §. 9.



tam animæ, quæ eſt gratia ſanctificans & caritas, illam præſupponit; nec enim cibus datur, aut prodeſt mortuo. Hoc vero ſacrilegium graviſſimum eſt: & eo gravius eſt ſacrilegium, quo perſona, vel res ſacra, quæ indigne tractatur, ſanctior eſt.

Porro S. Franciſcus Saleſius, in ſua Introduct. tum immunitatem ab omni peccato mortali & ab omni affectu ad quodvis veniale, tum magnum deſiderium communicandi exigit ad communicandum octavo quoque die.

*Reſp.* 2. Qui ſibi conſcius eſt peccati mortalis, per ſe loquendo, ante Communionem tenetur jure divino confiteri. Conſtat ex Concil. Trid. ſeſſ. 13. c. 7. in hunc ſenſum explicante hæc verba Apoſt. I. Cor. 11. *Probet ſeipſum homo.* Et can. 11. ubi ait: *Declarat Sancta Synodus illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe confeſſionem Sacramentalem.*

Dixi *per ſe loquendo*: nam ſi urget neceſſitas communicandi, & deſit copia confeſſoris, ſufficit & requiritur contritio perfecta, ex eodem cap. 7. & praxi fidelium. Quia cum finis intentus, nempe ſtatus gratiæ requiſitus ad Euchariſtiam, poſſit etiam abſque confeſſione obtineri per contritionem perfectam, non debuit præceptum tunc confitendi ita ſtricte obligare, ut nulla prorſus neceſſitas excuſaret. Hæc neceſſitas urgere ex communi ſententia cenſetur 1. Quando morituro viaticum dari debet, & deeſt hoſtia conſecrata. 2. Si Sacrificium, vel Communio ſine gravi infamia, aut ſcandalo omitti nequit, ex Miſſali Romano *de defectib.* 3. Cum poſt conſecrationem Sacerdos meminit peccati mortalis, ex Miſſali Romano. 4. Juxta multos, quando parochus die feſto debet celebrare, nec poteſt alium ſubſtituere.

Porro Sacerdos qui in tali neceſſitate celebravit non confeſſus, tenetur poſtea quamprimum confiteri. Ita præcipit Conc. Trid. cap. 7. ſic: *Quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Id eſt, ut explicat Miſſale Romanum, *cum primum poterit, debet confiteri.* Circa quod Alexander VII. damnavit has duas Propoſitiones 38. *Mandatum Concil. Trid. Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confiteri quamprimum, eſt conſilium, non præceptum.* 39. *Illa particula (quamprimum) intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.* Quare confiteri tenetur ſtatim, atque habuerit copiam confeſſoris, etiam in ipſo die celebrationis, ſi ſine magno incommodo poſſit. Dilatio autem licet parva quoad tempus, eſt magna relate ad finem præcepti, proinde mortalis ob periculum celebrandi iterum ſine confeſſione. Copia autem confeſſoris cenſetur deeſſe, cum abſque gravi incommodo, ſeu damno adiri nequit.

*Nota.* Qui jam confeſſus eſt, ſed inculpate omiſit mortale, tenetur illud confiteri ante Communionem, ſi abſque gravi ſcandalo & infamiæ periculo poſſit, (quale dicitur eſſe plerumque, ſi jam ſacræ menſæ adſtaret) & hæc eſt praxis fidelium; nam eſt præceptum divinum confitendi ante communionem omnia mortalia, quæ quis recordatur, ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. & can. 11. unde oppoſitum fuit expunctum in S. Fidei Tribunali Hiſpano.

*Reſp.* 3. Requiritur, ut cum magna devotione & reverentia ſumatur Euchariſtia. Ita S. Th. 3. part. q. 80. art. 10. & per ſe patet: nam id ſumma Chriſti majeſtas tanto cum amore ſe totum creaturæ communicantis omnino exigit. Præterea devotio actualis requiritur ad aliquos effectus ſecundarios recipiendos; quamvis enim, ſecundum S. Thomam & communem ſententiam, ad recipiendum augmentum gratiæ ſanctificantis ſufficiat ſtatus gratiæ, eo quod ſolum peccatum mortale ſit obex gratiæ ſanctificantis, quippe quæ cum veniali conſiſtere poteſt, & Sacramenta ex opere operato gratiam conferant non ponenti obicem; tamen devotio actualis neceſſaria eſt ad recipiendam dulcedinem ſpiritualem, fervorem, majus augmentum gratiæ habitualis, multaſque gratias actuales ſpeciales: nam Sacramenta ad modum cauſſæ neceſſariæ efficiunt plus aut minus pro perfectiore aut imperfectiore diſpoſitione ſubjecti, ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. unde ſolus defectus devotionis actualis, ſecluſo contemptu & ſcandalo, eſt grave veniale. Item ad remiſſionem venialium prærequiritur depoſitio omnis affectus ad illa, & diſplicentia aliqua ſaltem virtualis illorum. Hinc Filiucius hæc ait: Qui ex conſuetudine multa venialia committit, & ſentit ſe gravatum eorum conſcientia, & hic ſi ſine dolore eorum accedat, videtur peccare venialiter: quia ponit obicem aliquibus effectibus, ut eorum remiſſioni & fervori caritatis; & quia eſt aliqua irreverentia.

*Reſp.* 4. Devotio actualis, quam exigit Euchariſtia, poſtulat, ut cum fide viva, ſpe firma, caritate ardenti, & magna humilitate ſuſcipiatur; atque etiam ut conjuges ab actu conjugali ſe abſtineant ſaltem die Communionis: quia hic actus propter delectationem carnalem, mentem deprimit, diſtrahit, & a ſpiritualibus avocat, & raro ob corruptionem naturæ ſine culpa veniali exercetur, præſertim ab exigente. Si tamen actus ille fiat ſolum prolis gignendæ vel reddendi debiti cauſſa, non impedit Communionem, ex S. Greg. in cap. *Vir.* 33. q. 4. Nam licet in copula intercedat voluptas & corporalis immunditia, tamen cum hæc accidant ob bonum finem, nec voluptas intenta ſit, honeſtas finis hanc indecentiam compenſat, & impedit, ne mens tantum deprimatur ac diſtrahatur. Qui vero ob voluptatem copulam exigit, regulariter venialem culpam admittit contra religionem, ſi eo die communicet, quia voluptas in eo actu quæſita mentem abſorbet, & multum deprimit ac diſtrahit, ineptamque orationi reddit, & ſic impedit devotionem actualem. Ita communiter, ut conſtat ex Sanchez.

Dixi *regulariter*. Quia poſſunt ſubeſſe aliquæ juſtæ cauſæ, ob quas Communio tunc licita ſit poſt elicitam de culpa contritionem, ut Jubilæus, ſcandalum vitandum &c.

A fortiori qui pollutionem voluntariam, vel aliud grave peccatum admiſit, non debet ſtatim, etſi contritus & abſolutus, Euchariſtiam ſumere, niſi urgeat aliqua neceſſitas, & aliud confeſſario videatur, ut ait Miſſale Rom. tum ob indecentiam, tum quia talis non poteſt ſtatim devotionem actualem debitam habere, propter diſtractionem, cogitationem turpium, recordationem delectationis obſcœnæ, & infirmitatem ex peccato relictam. Immo ex quadam decentia ab En-

Euchariſtia abſtinendum eſt ob pollutionem nocturnam involuntariam, dum mentem perturbat ac diſtrahit, niſi videatur a dæmone ad Communionem impediendam procurata, vel niſi adſit aliqua neceſſitas, vel ſingularis utilitas, aut ſcandalum ex omiſſione timeatur. S. Thom. 3. p. q. 80. art. 7.

*Nota*. Devotio, reverentia, & gratitudo Chriſto debitæ exigunt, aliquod tempus poni poſt communionem in gratiarum actione, pia occupatione animæ cum Chriſto, per actus fidei, ſpei, caritatis &c. & teſte S. Thereſia illud tempus eſt pretioſiſſimum ac ſaluberrimum, proinde non ita contrahendum. Non licet autem ſtatim poſt Communionem expuere ob periculum & irreverentiam. Præterea S. Carolus, Act. p. 4. in inſtruct. Euchar. monet eos, qui Euchariſtiam ſuſceperunt, *ut animi cogitationes, ſenſus omnes, & linguam cohibeant, abſtineantque præcipue eo die a verbis otioſis, eo [illegible]tationibus inanibus; ſed in ſanctis meditationibus, precibus divinorum officiorum frequentandis, aliiſque pietatis officiis atque operibus verſentur... & curent a ſui intima cuſtodia non alienari*.

Quæſt. IV. *Quænam ex parte corporis neceſſaria eſt diſpoſitio?*

*Reſp.* 1. Jure naturali requiritur exterior habitus & corporis compoſitio, quæ internam animi reverentiam, & devotionem exhibeat: nam debetur huic Sacramento non ſolum interna, ſed etiam externa veneratio ſumma, & adoratio, cum Chriſtus mediis ſpeciebus ſenſibili quodam modo in eo exiſtat, & tractetur. Non licet autem communicare, ſi ſit periculum evomendi, ob gravem irreverentiam.

Porro quoad ſordes corporeas, id docet Delugo, etſi ſecundum ſe non impediant a Communione, ſaltem in occulto, cum Euchariſtia ſit ſolum cibus animæ, cujus mundities exigitur; decentia tamen & reverentia tanto Sacramento debita exigit, ut ſi ſordes ejuſmodi facile poſſint auferri auferantur. Item ſi brevi ceſſabunt, & poteſt commode differri Communio, aliquando ſemel aut iterum differatur. Quando tamen longius durant, vel mere occultæ ſunt, ut contingit in menſtruo, non eſt cur aliquis alimonia cæleſti privetur.

*Reſp.* 2. Ex lege Eccleſiaſtica, & conſuetudine conſtanti vim legis habente, requiritur ſub mortali jejunium naturale, conſiſtens in eo quod nihil omnino per modum cibi vel potus vel medicinæ a media nocte præcedente, ab ore in ſtomachum trajiciatur. Conſtat 1. Ex ſenſu & praxi Eccleſiæ. 2. Ex S. Auguſtino epiſt. 118. *Placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum Corpus intraret, quam exteri cibi. Nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur.* Hancque conſuetudinem docet ab Apoſtolis manaſſe. Enimvero ſemper ſervata fuit, nec ab ullo Concilio, vel Papa inſtituta fuit; at (ut ait S. Aug. ibid.) *Si quid tota per orbem frequentat Eccleſia, cur ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* 3. Ex c. 5. de celebr. & ex Conc. Carthag. III. can. 29. Tolet. VIII. can. 2. & Conſtantienſi, ſeſſ. 13. ibi. *Sacrorum canonum auctoritas, & Eccleſiæ approbata conſuetudo ſervavit & ſervat, quod hujuſmodi Sacramentum non debet confici poſt cœnam neque a fidelibus recipi non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis, a jure, vel Eccleſia conceſſo, vel admiſſo.*

In hoc non datur levitas materiæ, ut conſtat ex Eccleſiæ ſenſu, & conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, & ex Concil. Tolet. VII. c. 2. & Miſſali Romano *de defect.* ubi ait: *Si quis non eſt jejunus poſt mediam noctem, etiam poſt ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & quantacumque parva quantitate, non poteſt communicare, nec celebrare.* Idque tum ob reverentiam & honorem Euchariſtiæ, ut cæleſtis ille cibus præponatur cuilibet cibo & potui terreno, ut fideles aſſueſcant diſcernere inter hunc divinum cibum, & alios communes; tum ob ſpiritualem ſignificationem, quod Chriſtus debeat eſſe primus ac primarius eorum cibus, & in cordibus primo fundari. Et vero quælibet ſumptio eſt contra principale prohibitum; nam prohibetur Communio poſt ſumptionem cujuslibet rei per modum cibi, vel potus, vel medicinæ.

*Obſerva.* 1. Cum hoc præceptum ſit mere poſitivum, non obligat his caſibus ab Eccleſia expreſſe vel tacite exceptis, in quibus, vel neceſſitas hominis, vel reverentia Sacramenti aliud exigit. 1. Cum in probabili articulo mortis Viaticum ſumendum eſt ei, qui jejunus ſine gravi incommodo communicare nequit. Nec tunc differendum eſt poſt mediam noctem, ut ſtatim æger illud jejunus recipiat: nam id non fert uſus Eccleſiæ ob nimiam difficultatem, & ob Sacramenti reverentiam; eo quippe tempore non poteſt ſæpe cum debito decore, comitatu, & ſecuritate deferri. Non licet tamen Sacerdoti non jejuno celebrare ad dandum Viaticum moribundo, ſicut nec conſecrare in fermentato, vel ſine veſtibus ſacris, aut omiſſo ritu ſacrificii: nam conſuetudo ita interpretatur præceptum divinum Viatici ſumendi, ſcilicet ut non debeat dari, niſi quando dari poteſt ſecundum ritum & ordinem ab Eccleſia præſcriptum in Euchariſtia conficienda & miniſtranda, & modo convenienti ac in debitis circumſtantiis. Et vero cum Euchariſtia non ſit abſolute neceſſaria ad ſalutem, major habenda eſt ratio reverentiæ rei debitæ, & uniformitatis ſervandæ in ritu ſacrificii, quam utilitatis privatæ proximi; nam communi neceſſitati Eccleſia ſatis providit præcipiendo, Euchariſtiam in Sacrario aſſervari ad Viaticum. Ob caſum autem rarum lex generalis, & uniformitas in ritu omitti non debet. 2. Quando perficiendum eſt ſacrificium, ut cum, Sacerdote poſt conſecrationem deficiente, non adeſt niſi Sacerdos non jejunus, qui illud abſolvat. Item cum Sacerdos advertit in calice non fuiſſe niſi aquam, cujus jam partem ſumpſit: tunc enim debet conſecrare vinum, & conſecratum ſumere; vel cum poſt conſecrationem recordatur ſe non eſſe jejunum: nam lex divina faciendi ſacrificium perfectum ac integrum prævalet legi Eccleſiaſticæ de jejunio. Quod ſi Sacerdos ante conſecrationem advertit ſe non eſſe jejunum, tenetur recedere, ſi poteſt ſine gravi ſcandalo. 3. Quando poſt ablutionem relictæ ſunt reliquiæ aliquæ in hac Miſſa conſecratæ, etſi magnæ ſint, dum facile recondi nequeunt in pixide & Sacrario: nam ad idem ſacrificium ſpectant, & ſumuntur per modum unius refectionis. Non licet tamen tunc ſumere particulas alterius ſacrificii, quæ ſunt in ciborio ad illud ex-

pur-



purgandum. 4. Si periculum ſit, ne alioqui Euchariſtia ab infidelibus profanetur: nam lex divina obligat ad impedienda ſacrilegia, cum impediri poſſunt: & quod in reverentiam Euchariſtiæ ſtatutum eſt; non debet obligare ad non impediendam ejus profanationem & irreverentiam.

*Obſerva* 2. Jejunio naturali, ideoque Communioni, nunquam obſtant ea, quæ per modum ſalivæ, vel reſpirationis in ſtomachum decidunt, ut reliquiæ minimæ vini aut aquæ, quibus os abluitur, mixtæ condenſiori ſalivæ; & reliquiæ ciborum dentibus adhærentes, ac poſtea caſu trajectæ. *Si reliquiæ cibi remanentes in ore tranſglutiantur, non impediunt Communionem, cum non tranſglutiantur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Idem dicendum, ſi lavando os, deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem*, ait Miſſale Rom. Ita ſanguis, vel humor a capite defluens, & juxta varios culex, aut floccus nivis per reſpirationem attractus, non obſtant jejunio naturali, nec proinde Communioni: nam iſta non ſumuntur per modum cibi, vel potus, vel medicinæ. Secus, ſi ſaccarum, glycirriza, vel quid ſimile, quod ſenſim in ore liqueſcit, ſimul cum ſaliva in ſtomachum decidat, licet ante mediam noctem ſumptum fuerit; quia quod ſic liqueſcit non deglutitur per modum ſalivæ, ſed cenſetur eſſe id quod principalius trajicitur. Et tunc eſt continuata comeſtio cibi, quæ fit per continuam liquefactionem & trajectionem. Idem dic de reliquis cibis, quæ data opera trajiciuntur, nam tunc non poſſunt dici per modum ſalivæ deglutiri, ſed vere comeduntur. S. Thom. 3. p. q. 80. ad 4. S. Antonin. & Paludan. Ita etiam Vaſquez, Delugo &c. & Suarez dicit ut ſecuriorem eligendam.

An autem quæ a ſtomacho nec alterari nec digeri poſſunt ſecundum ullam ſui partem, ut lapillus, globulus plumbeus, fruſtum ligni &c. impediant Communionem, ſi deglutiantur? Alii Affirmant; quia ſumptio cujuslibet rei prohibetur, ut fideles intelligant, cuilibet rei creatæ hunc cibum eſſe præponendum. Alii probabilius negant: eo quod non habent rationem cibi, vel potus, vel medicinæ. *De his vero, quæ ſumuntur per modum guſtationis, ſicuti aliqui faciunt, qui cibum & potum ſupra linguam ponunt ſolum ad probandum, & ſtatim projiciunt, videtur quod non impediat* (Communionem:) *ſicut ſi quis velit probare num ſit aqua, vel vinum album, quod ſibi miniſtratur. Quia non eſt cibus nec potus, ex quo non deglutitur*, ait S. Anton. 3. p. tit. 13. c. 9. §. 8. Addit, neque impediri, ſi aliquæ horum particulæ mixtæ ſalivæ præter intentionem deſcenderent, ut dictum eſt de reliquiis aquæ, cum os abluitur. (*)

*Obſ.* 3. Poſt cibum paullo ante mediam noctem ſumptum non requiritur ſomnus, aut cibi digeſtio ad communicandum. Miſſal. Rom.

Quæſt. V. *Quinam licite poſſunt Euchariſtiam diſpenſare?*

*Reſp.* 1. Soli Sacerdoti competit poteſtas ordinaria diſpenſandi Euchariſtiam, ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 8. Nam hæc commiſſa eſt iis ſolis, qui poſſunt illam conficere, & ad quos ſpectant illa Chriſti Verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. Tamen ex ejus commiſſione poteſt Diaconus illam miniſtrare, ut conſtat ex praxi veteris Eccleſiæ: non autem Subdiaconus, ut conſtat ex communi Doctorum conſenſu, & univerſali conſuetudine Eccleſiæ. Et vero Diaconus habet ex ſua ordinatione in ordine ad hanc functionem aliquid plus, quam alii clerici inferiores; non quod habeat ex ſua ordinatione poteſtatem diſtribuendi, ſed quia conſecratur peculiariter in miniſterium immediatum Sacerdotis, & ſupremum inter miniſtros, atque adeo ad miniſtrandum & ſerviendum Sacerdoti in rebus ſuperioribus & dignioribus, quarum præcipua eſt diſtributio Euchariſtiæ. Verum ex uſu præſenti Diaconi id non poſſunt ſine licentia Epiſcopi ob juſtam cauſam, niſi in neceſſitate dandi Viaticum.

*Reſp.* 2. Sacerdoti non licet Euchariſtiam miniſtrare ſine juriſdictione ordinaria, vel delegata, aut privilegiis; quia paſtorum munus proprium eſt paſcere, quod fit per Sacramenta. Unde mortale eſt id facere ſine juriſdictione vel facultate ſaltem generali & interpretativa; nam eſt propria auctoritate uſurpare jus alienum in re gravi contra debitam gubernationem, & ordinem Eccleſiæ. Idem dic de aliis Sacramentis. Si tamen paſtor abſit, vel præſens non poſſit dare Viaticum ægro, tunc quilibet Sacerdos, & eo deficiente Diaconus poteſt ac debet miniſtrare. Nam tunc præſumitur voluntas Epiſcopi, vel Papæ cum Euchariſtia ſit tunc jure divino præcepta, & maxime utilis ſit, immo aliquo modo neceſſaria ad vires ſpirituales in illo pernicioſo agone comparandas neque enim juriſdictio requiritur ad miniſtrandam Euchariſtiam, tamquam aliquid pertinens ad ſubſtantiam miniſtrationis Pœnitentiæ, ſed ſolum ad debi-

tum

(*) *Quoad jejunium naturale requiſitum ad Euchariſtiam ſumendam hæc habemus ex lib. III.* toto cap. 12. de Sacrificio Miſſæ *Lambertini: nimirum, quod Euchariſtiæ ſumptionem præcedere debet jejunium naturale a media nocte præcedenti cœptum. Nec refert ſi poſt cibum ſumptum ante mediam noctem nullus ſomnus captus ſit, nec cibus concoctus ante ſacram communionem. Porro jejunium iſtud frangitur etiam parvitate materiæ; quare nec ablutio ſumpta poſt celebratam Miſſam admittenda ab eo eſt, qui eo die alias Miſſas celebrare permittitur, uti die Nativitatis Domini, quo in caſu nec licet celebrare & ad dandum ægroto viaticum, nam præceptum viatici obligat, quando conferri poteſt juxta ritum Eccleſiæ. Reliquiæ tamen cibi in ore remanentes ſi deglutiantur, non frangunt jejunium naturale; ut ex Rubrica Miſſalis conſtat. Viciſſim ſi quis antequam ſe ſomno dederit, parum ſacchari in os induxerit, quod paulatim liqueſcens in ſtomachum delabatur, id utique jejunium frangit. Tandem ſi quis ore guſtaret vinum, vel condimentum ad ſaporem explorandum, & ſtatim expueret, hæc non eſſet fractio jejunii.*

*Porro in dubio num quis fregerit jejunium, diſputant Theologi, apud quos varii caſus diſtinguuntur; præſtaret tamen a percipienda communione abſtinere.* Ibid. §. 7.

rum ordinem, & modum ſervandum in gubernatione populi Chriſtiani. Unde ad illud, non ad hoc ſufficit voluntas præſumpta. Nunc ex conſuetudine & conſenſu tacito Epiſcoporum quivis Sacerdos etiam ſæcularis ſine ulla parochi expreſſa licentia, quibuſvis petentibus Euchariſtiam extra tempus paſchale in Eccleſiis adminiſtrat.

*Nota*. Eſt mortale Euchariſtiam ſub utraque ſpecie panis & vini dare, ex Concilio Conſtantienſi, & ex recepta conſuetudine vim legis habente, & approbata a Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. Item eam diſtribuere ſine ſtola, ſuperpelliceo, vel alba, quia eſt contra reverentiam ei debitam, & præceptum Eccleſiæ.

Porro a ſacra Communione *arcendi ſunt publice indigni, quales ſunt excommunicati, interdicti, manifeſteque infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphemi, & alii ejus generis publici peccatores: niſi de eorum pœnitentia & emendatione conſtet, & publico ſcandalo prius ſatisfecerint. Occultos vero peccatores, ſi occulte petant, & non eos emendatos agnoverint, repellant: non autem ſi publice petant, & ſine ſcandalo ipſos præterire nequeant*. Ita Rituale Rom. (1)

## CAPUT III.

### *De Miſſæ Sacrificio.*

Quæſt. I. *An Euchariſtia eſt verum Sacrificium?*

*Reſp.* Affirm. Eſt de fide, ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. can. 1. 2. & 3. Ratio eſt, quia Sacrificium proprie dictum eſt oblatio externa ſubſtantiæ ſenſibilis, per ejus realem immutationem facta Deo in teſtificationem ſupremi dominii Dei in omnes creaturas, & harum ad eum ſubjectionis. At hæc omnia conveniunt Euchariſtiæ: nam per eam offertur Deo Corpus & Sanguis Chriſti, quæ ſunt ſufficienter ſenſibilia per ſpecies conſecratas, & per actionem ſacrificantis immutantur, quatenus per eam ponuntur Corpus & Sanguis ſub ſpeciebus corruptibilibus in ſtatu realiter diverſo, & inepto ad uſus naturales ac humanos corporis & ſanguinis, atque tendente ad deſtructionem ſeu deſitionem, quatenus ſpeciebus corruptis neceſſario ibi deſinunt eſſe Corpus & Sanguis Chriſti. Quæ quidem mutatio realis eſt deſtructio quædam moralis ſufficiens ad rationem Sacrificii, & æquivalens phyſicæ deſtructioni. Atque hæc oblatio fit ex inſtitutione Chriſti ad agnitionem ſupremi Dei in res omnes dominii, quod nempe ſit ipſe auctor ſupremus rerum omnium, dominus vitæ & necis, ad cujus gloriam omnia referri debeant. Et vero cum Sacrificium ſit actus religionis perfectiſſimus, quo Deo cultus ipſi ſoli proprius ac debitus exhibetur, non debuit eo carere vera ac perfectiſſima religio.

*Nota*. Sacrificium Miſſæ eſt ſimul, 1. Latreuticum ſeu honorarium, in quantum offertur Deo in agnitionem ſupremi ejus dominii. 2. Euchariſticum, in quantum fit in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis. 3. Propitiatorium, quatenus offertur, & valet ad remiſſionem peccatorum, & pœnæ eis debitæ. 4. Imperatorium, quatenus fit & valet ad impetranda a Deo beneficia.

Quæſt. II. *Quinam ſunt ſacrificii Miſſæ effectus?*

*Reſp.* 1. Ut propitiatorium, confert iis, pro quibus offertur, remiſſionem peccatorum mortalium & venialium quoad culpam, & pœnam temporalem peccatis condonatis debitam, ex Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. docente, *Sacrificium iſtud eſſe vere propitiatorium .... Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit*. Et, can. 3. *Si quis dixerit, Miſſæ Sacrificium ſoli prodeſſe ſumenti: neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere, anathema ſit*. Producit autem immediate remiſſionem pœnæ temporalis, peccatis quoad culpam remiſſis, debitæ, idque plus aut minus pro voluntate Dei, & devotione ſubjecti. Remiſſionem vero peccatorum quoad culpam producit ſolum mediate, quatenus ejus intuitu conferuntur gratiæ actuales, quibus peccator, pro quo oblatum eſt, excitatur & perducitur ad pœnitentiam ſufficientem cum Sacramento in re vel in voto ſuſcepto ad juſtificationem. Quia tamen ſæpe homo iis gratiis reſiſtit, ideo non ſemper hic effectus obtinetur.

*Reſp.* 2. Ut impetratorium eſt, habet vim impetrandi omnia genera beneficiorum etiam temporalium, quatenus ad ſalutem conducunt, ſed ſecundum diſpoſitionem divinæ providentiæ: nam hoc ſacrificium continet Chriſtum, & ejus merita hanc vim habentia.

*Obſ.* 1. Hos effectus parit ſacrificium Miſſæ ex opere operato; quia non conferuntur ex opere operantis, & quia Chriſtus eſt non ſolum victima, ſed etiam offerens principalis. 2. Ut Miſſa ſpecialiter proſit uni potius quam alteri, requiritur applicatio a Sacerdote facta. Sufficit, ſi ante Miſſam adfuerit intentio eam applicandi tali, nec fuerit retractata. Ut autem is, pro quo offertur, accipiat gratias actuales, ſufficit ſi non habeat voluntatem contrariam. At ut recipiat remiſſionem pœnæ temporalis, requiritur ſtatus gratiæ, & ut peccata, quorum pœna remittitur,

(1) *Ex opere* de Synodo Diœceſ. *Lambertini l. 7. c. 11. §. 4.* nov. Edit. *habetur quod peccatori occulto publice Euchariſtiam petenti, non eſt deneganda, cum jus naturale ad famam id expoſtulet. At in* Inſt. Eccleſ. 85. § 2. *dicitur, quod occulte petenti, & noto Sacerdoti, aliunde quam ex Confeſſione tuto negatur. Si vero pariter aliunde, & ſimul etiam ex confeſſione ſciat, Sacerdos exprimere debet ſe habere ejus peccati ſcientiam ex certo loco, non tamen nominato eo, a quo ſcit, ſi ſub arcani naturalis ſigillo id acceperit. Si vero noverit rem tantum ex Confeſſione, perinde ſe gerat, ac ſi neſciverit, cum exigat arctiſſimum Confeſſionis ſigillum.*

*Quoad vero publicos peccatores, qui publice Euchariſtiam petunt, repellendos eſſe ait* ibid. §. 8. & de Sacrificio Miſſæ lib. 3. cap. 20. §. 4. *Publicus vero dicitur non ille tantummodo, qui talis declaratus eſt a Judice, ſed etiam qui per evidentiam facti, quæ nulla poſſit tergiverſatione celari, talis habetur.*



tur, ſint ante remiſſa quoad culpam. 3. Ex communi ſententia offerri poteſt pro converſione infidelium & hæreticorum, & excommunicatorum, modo non nominentur in orationibus.

Quæſt. III. *An Sacerdotes teneantur aliquando celebrare?*

*Reſp.* Omnes tenentur jure divino ſub mortali. *Prob.* 1. Ex. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Quibus verbis, ut Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1. teſtatur, Chriſtus Apoſtolis eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit. 2. Quia Sacerdotes omnes in ſua ordinatione accipiunt non ſolum poteſtatem, ſed etiam munus & officium ſacrificandi per ſe illi adnexum, ex illo, Hebr. 5. *Omnis namque pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat ſacrificia*. At quiſque munus ſuſceptum exequi tenetur graviter in re gravi, ut in hac, & uti poteſtate ſibi conceſſa in honorem Dei & utilitatem proximi, ut patet ex damnatione ſervi inutilis ob talentum abſconditum, Matth. 25. Quare S. Thom. 3. p. qu. 82. art. 10. ait, quod Sacerdos etiamſi curam animarum non habeat, *celebrare teneatur in præcipuis feſtis*. (1)

Tenentur etiam jure Eccleſiaſtico; nam Conc. Later. IV. c. *Dolentes*, de celebrat. inter peccata Sacerdotum recenſet, quod vix quater in anno celebrent, & addit: *Hoc igitur & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis inhibemus*. Et Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 14. ſic ſtatuit circa quoslibet Sacerdotes: *Curet Epiſcopus, ut ii ſaltem diebus dominicis, & feſtis ſollemnibus: ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent*. In Eccleſiis vero Cathedralibus, Collegialibus & Conventualibus quotidie celebrari Miſſa debet ſub mortali ſaltem ab aliquo, præſertim ex uſu Eccleſiæ vim legis habente, vel etiam ex fundatione.

Quæſt. IV. *Quando, quoties, ubi, & qua hora celebrare licet?*

*Reſp.* 1. Quolibet die celebrare licet, excepta feria ſexta majoris hebdomadæ; feria vero quinta & ſabbato ejuſdem Miſſa privata vulgo dici non poteſt, ſed unica publica ſeu ſollemnis in ſingulis Eccleſiis. Ita praxis Eccleſiæ decretis Pontificum firmata. In Diœceſi tamen Tullenſi plures celebrantur Miſſæ privatæ feria quinta, ut populus ſatisfaciat obligationi audiendi Sacrum eo die impoſitæ.

*Reſp.* 2. Non licet nunc plures Miſſas eodem die dicere, præterquam in Natali Domini, & in caſu neceſſitatis cum licentia Epiſcopi, dum idem Sacerdos duas habeat Parochias, ex c. 3. *de celebr.* & ex conſuetudine vim legis habente.

*Reſp.* 3. Secluſo privilegio non licet ſub mortali, ob materiæ gravitatem, celebrare niſi in loco conſecrato, vel auctoritate Epiſcopi benedicto, vel in oratorio ad divinum tantum cultum dedicato, & per Epiſcopum deſignato. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 22. & c. 11. *de conſecrat.* diſt. 1. idque confert ad reverentiam tanto myſterio debitam, & ad fidelium devotionem augendam. Excipitur caſus neceſſitatis publicæ, dum Eccleſia eſt diruta, ne populus Sacro careat; vel deeſt, ut in caſtris, & in litore maris, cap. 30. ead. Immo nunc in mari celebratur ex licentia Papæ.

*Reſp.* 4. Jure communi, Miſſa non debet ante auroram abſolvi, nec poſt meridiem inchoari, ex Miſſali Romano, & conſuetudine generali. Excipitur 1. Miſſa Nativitatis Domini. 2. Caſus neceſſitatis conficiendi Euchariſtiam pro Viatico. 3. Ex conſuetudine, vel tacita licentia in pluribus locis hora antevertitur, vel differtur; & in hieme in gratiam opificum vel ſimilium pluribus horis ante ſolis ortum celebratur. Porro per auroram intelligitur prima lucis irradiatio, quæ excepto tempore utriuſque æquinoctii durat per horam cum dimidia, & aliquando per duas horas pro diverſis menſibus. Unde una hora & dimidia ante ſolis ortum ſacrificare licet. Dicunt multi, licere uno & altero quadrante poſt meridiem inchoare Miſſam, ex cauſa rationabili, v. g. ob ſupplicationem, vel concionem publicam protractam ultra meridiem.

Quæſt. V. *Quænam requiruntur ad celebrandum?*

*Reſp.* Sub mortali requiritur, 1. Lapideum altare ab Epiſcopo conſecratum, fixum, aut portatile, tam amplum, ut hoſtiam & majorem partem calicis capiat, ut docet Miſſale Rom. Portatile amittit ſuam conſecrationem, cum nulla pars confracti lapidis calicem cum patena capere poteſt. Fixum ſuam perdit, cum per fractionem illam notabilem, tum etiam per ſeparationem e loco ſuo, ſive baſi. c. 5. *de conſecr.* Diſputant, an reliquiæ Sanctorum ſint neceſſariæ ad conſecrationem altaris, & an ſi loculus, ſeu ſigillum continens reliquias frangatur, aut auferantur reliquiæ, altare conſecrationem amittat.

2. In altari tres mappæ ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatem benedictæ; ſuperiori ſaltem oblonga, quæ uſque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata, quæ pro duabus habetur, ex Rubr. Miſſ. & ex c. 27. diſt. 1. de conſecr.

3. Calix & patena conſecrata ab Epiſcopo, vel alio ex privilegio Papæ, debent eſſe ex auro, aut argento, vel cogente paupertate, ex ſtanno, c. 44. & 45. de conſecrat. diſt. 1. & Miſſale Romanum ait: *Debet eſſe vel aureus, vel argenteus, aut ſaltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & ſimul cum patena itidem inaurata*. Calix amittit ſuam conſecrationem, ideoque non licet eo uti, 1. Dum cuppa calicis fixi ſeparatur a pede per fractionem; quia conſecratio cadit in totum calicem per modum unius indiviſibiliter: ſecus, ſi pes ſit tornatilis, nam tunc conſecratio cadit in ſolam cuppam. 2. Si interior cuppæ ſuperficies denuo inauretur; quia aliam habet ſuperficiem non conſecratam; quæ tamen debet eſſe conſecrata ob contactum immediatum Euchariſtiæ; idem dic de patena. Neutrum tamen amittit conſecrationem, etſi pereat paullatim aurum, quo inauratum eſt, quia id quod remanet erat conſecratum, neque ſi quis eo ſacrilege adhibuiſſet in uſus prophanos; vel ſi ab aurifice reſarciatur, modo nulla fiat

(1) *Bened. XIV.* (de Sacrif. Miſſæ, *lib. 3. c. 1. n. 5. & ſeq.*) *varias elevavit opiniones a quibuſdam Scriptoribus propugnatas circa neceſſitatem celebrandi; uti* (*N. 76. & 80.*) *jam innuimus*

fiat fractio notabilis, aut mutatio ſuperficiei interioris cuppæ, vel patenæ: nam id nullibi jus ſtatuit.

4. Corporale lineum mundum, benedictum ab Epiſcopo, vel alio poteſtatem habente, ſufficiens ad commode continendum calicem & hoſtiam, c. 47. *de conſecrat.* diſt. 1. Item palla ſimiliter benedicta & linea, ſaltem qua parte calicem tangit, & purificatorium lineum.

5. Lumen, ex cap. ult. *de celebrat.* Ex Miſſali Romano, & conſuetudine requiruntur duo luminaria cerea: tamen in caſu neceſſitatis unum, immo juxta aliquos aliud lumen ex alia materia.

6. Crucifixus exſculptus, niſi expoſitum ſit SS. Sacramentum.

✠ Benedictus XIV. in Epiſtola ad omnes Epiſcopos ditionis Eccleſiaſticæ Tom. 1. Bullar. p. 225. ait: Primo, *Illud permittere nullatenus poſſumus, quod Miſſæ Sacrificium in iis Altaribus celebretur, quæ carent Imagine Crucifixi, vel ipſa incommode ſtatuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis & exigua ſit, ut ipſius Sacerdotis, & Populi aſſiſtentis oculos pene effugiat.* Atque ſubdit, *certiſſimum eſſe, violari leges Eccleſiæ, ſi exigua ſolum imago Crucifixi præfigatur minori Tabulæ, vel ſtatuæ Sancti, qui ſuper additur.* Secundo, *ſine imagine Crucifixi, quæ pendeat e Cruce, rem divinam fieri non poſſe, niſi neceſſitas intervenerit.* Tertio non eſſe neceſſarium Crucifixum, *dummodo Crucifixus in majori Tabula Altaris, vel pictus, vel cælatus, primum locum obtineat, præ cæteris omnibus, quæ in eadem Tabula exprimuntur.* Quarto non ſufficere parvam Crucem, quæ Tabernaculo præfigitur, juxta Decretum Cong. Sac. Rit. ann. 1663. *Crux parva cum Imagine Crucifixi poſita ſuper Tabernaculum, in quo aſſervatur incluſum SS. Sacramentum in Altari, non eſt ſufficiens in Miſſa, ſed poni debet alia Crux in medio candelabrorum.* Quinto, circa obligationem ponendi Crucem in Altari, in quo ſit SS. Sacramentum expoſitum, dum in eo celebretur, ait, ſervanda eſſe Decreta prudenter, ſapienterque edita a Sacr. Rit. Congr. nempe, *ut quælibet Eccleſia vel Diœceſis ſuam retineat conſuetudinem; ita ut nihil immutetur in ea Diœceſi, ubi Crux in Altari conſtitui ſoleat, dum Miſſa celebratur, etiamſi ſacra Euchariſtia publice proſtet: neque nova diſciplina excitetur in ea Diœceſi, ubi contraria hujuſce rei conſuetudo jampridem invaluerit.*)

7. Miſſale, nam eſt inſtrumentum neceſſarium; memoria enim labilis eſt, & non licet in actione tam ſacra ſe exponere periculo errandi, vel omittendi aliquid.

8. Veſtes benedictæ ab Epiſcopo, vel alio habente hoc privilegium, nempe amictus, alba, cingulum, manipulus, ſtola, & caſula: ita ut ſi quid horum deſit, omittenda ſit Miſſa: quia actio, quæ debito modo fieri nequit, potius omittenda eſt, quam indecenter exercenda (a). Iſta amittunt ſuam benedictionem per lacerationem ſeu fractionem, & imminutionem notabilem, per quam deſinunt eſſe apta ad uſum ſuum: ut ſi albæ manica ſeparetur, ſi cingulum ita rumpatur, ut nulla pars ad cingendum ſufficiat; nam hæc manet benedicta ob retentam aptitudinem ad uſum proprium. Item totum cingulum manet benedictum & aptum, ſi antequam frangatur, remedium adhibeatur connexione fortiori partium, etiamſi per nodum. Secundum S. Antoninum & alios licet uti ſtola pro manipulo vel cingulo, & manipulo pro ſtola, ſi ſit ſatis longus, quando aliter fieri nequit; quia hæc omnia ſunt benedicta, & apta ad talem uſum. Si priuſquam figura veſtis deſtruatur, ad eam reficiendam aſſuantur paullatim aliqua, etſi ea non ſint benedicta, eadem veſtis moraliter benedicta manet, nam acceſſorium non tollit principale, ſed ejus naturam ſequitur; niſi tanta huic acceſſio fiat, ut poſſit pene novum cenſeri.

9. Miniſter, iſque maſculus, non femina ex Miſſali Rom. & c. 1. de cohab. cler. ibi: *Nulla femina ad altare præſumat accedere, aut presbytero miniſtrare.*

Hæc autem omnia requiruntur ſub mortali, ob Eccleſiæ præceptum, & univerſalem conſuetudinem vim legis habentem in re gravi, utpote pertinente ad reverentiam Euchariſtiæ, & debitum modum ſacrificandi, ſaltem ſi haberi poſſunt.

Quæſt. VI. *Quænam circa Miſſæ celebrationem obſervanda ſunt?*

*Reſp.* Sequentia 1. Nihil licet addere vel detrahere iis, quæ in Miſſali præſcripta ſunt, ut vetat Concil. Trid. ſeſſ. 22. & S. Pius V. in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, ut Miſſa juxta ritum, modum ac normam Miſſalis Romani legatur, & ne quis in celebratione Miſſæ alias cæremonias vel preces, quam quæ hoc Miſſali continentur, addere vel recitare præſumat. Quod intellige, *ſalvis Eccleſiarum uſibus*: nam quædam diœceſes habent Miſſale proprium, & in aliquibus diverſum a Romano. Item Urb. VIII. mandavit in omnibus & per omnia ſervari ab omnibus

(a) *Benedictio ſacrarum Veſtium utrum ab Epiſcopo ſimplici Sacerdoti committi poſſit, quæſtio eſt anceps inter ſcriptores. Inſignes tamen Epiſcopi facultatem hanc plerumque a Sac. Congr. petunt.* Lambertinus. Inſt. Eccl. 21 §. 9. & 10.

*An benedicendum ſit Cingulum, Pluviale, & ſacra Pixis, quæſtio eſt anceps inter Doctores. Probabilior tamen cenſetur opinio, quæ benedictionem exigit, cum pro Pixide ſit peculiaris benedictio in Rituali.* Ibid. §. 12.

*Si ex veteri ſacro veſtimento novus alius diverſæ formæ conficiatur, ut ſi ex ſtola manipulus &c. benedictio iteranda eſt.* Ibid.

*Porro Epiſcopi titulares jus nullum habent conſecrandi ſacro Chriſmate vaſa ſacra, quia cum in his adhibendus ſit uſus Pontificalium, non datur illis hiſce uti in aliena Diœceſi.* Ibid. §. 15.

*Item Abbates Regulares benedicere Calices, & campanas pro uſu alienarum Eccleſiarum (poſſunt enim pro ſuis) negavit, Alexander VII.* Decr. 27. *Sept.* 1659. *Conſulta Sacr. Congr. num potuerint indumenta ſacra benedicere pro alienis Eccleſiis, eo quia obtinuerint Indultum Apoſtolicum, reſponſum fuit, exhiberi illud Indultum authenticum ex Archivo Apoſtolico deſumptum, ac interim abſtinerent.* Ibid. §. 19.



bus ubique rubricas Miſſalis Romani, ut videre eſt initio ejuſdem Miſſalis. Quæ obligatio ex genere ſuo gravis eſt, cum ſit impoſita in virtute ſanctæ obedientiæ, & de re ad cultum divinum pertinente. Unde illam violare eſt mortale, vel veniale, pro quantitate, vel qualitate rei aut actionis omiſſæ vel mutatæ; gravis vero in Canone. Sic mortalis eſt omiſſio elevationis hoſtiæ conſecratæ, immiſſionis particulæ hoſtiæ in calicem, oblationis panis vel vini, Epiſtolæ vel Evangelii &c. In additione vero levitas materiæ raro locum habere poteſt, ob injuriam quæ infertur Eccleſiæ uſurpando poteſtatem ei propriam ſtatuendi ea, quæ ad ritum celebrandi pertinent, qui in Eccleſia uniformis eſſe debet, & ob periculum ſuperſtitionis ac erroris. Immo quæ de ſe venialia eſſent, ut v. g. ex negligentia omittere *Gloria in excelſis*, vel *Credo*, vel unum aut alterum *Sanctum* in Canone, vel aliquam cervicis inclinationem aut genuflexionem &c. Hæc, inquam, & ſimilia evadunt mortalia, ſi adſit contemptus, vel inde grave ſcandalum ſequatur; vel ſi fiant ex conſuetudine, aut habituali ac voluntaria indevotione ſeu negligentia, nam tunc adeſt contemptus ſaltem interpretativus. Item mortale eſt, aliquid vel leve omittere aut mutare, ex intentione errorem vel novum ritum introducendi: ut faciunt hujus ætatis novatores. Miſſæ ſecreta alta voce proferentes, & hoc ſuo facto damnantes Eccleſiæ Romanæ Ritum, contra Conc. Trid. ſeſſ. 22. can. 9. ubi ait: *Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſubmiſſa voce pars Canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe, anathema ſit.* Sacerdos vero qui tanta celeritate Miſſam celebrat, præſertim ex conſuetudine, ut vix integrum horæ quadrantem in ejus celebratione impendat, mortaliter peccat, tum propter gravem irreverentiam tanto Sacrificio illatam, tum propter populi ſcandalum, tum etiam propter contemptum ſaltem interpretativum, quaſi eſſet actio leviſſimi momenti, a qua ad alias graviores properandum ſit.

Hæc autem omnia ut diligenter vitentur meminerit Sacerdos horum Concil. Trid. verborum ſeſſ. 22. in Decr. de obſerv. & evit. in celebr. Miſſæ: *Quanta cura adhibenda ſit, ut Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis exiſtimare poterit, qui cogitarit, maledictum in ſacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod ſi neceſſario fatemur, nullum aliud opus adeo ſanctum ac divinum a Chriſtifidelibus tractari poſſe, quam hoc ipſum tremendum myſterium, quo vivifica illa hoſtia, qua Deo Patri reconciliati ſumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur; ſatis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam eſſe, ut quanta maxima fieri poteſt interiori cordis munditie & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis ſpecie peragatur ... Edicto & pœnis propoſitis caveant* (Epiſcopi) *ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent; ne vel ritus alios, aut alias cæremonias & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti & laudabili uſu receptæ fuerint.*

2. Preces pro ſingulis veſtibus in Miſſali præſcriptæ nequeunt ſine peccato omitti, ex communi ſenſu & praxi piorum, eamque omiſſionem eſſe culpam venialem, docet omnium ſententia; ſecus de precibus, quæ dicuntur *Præparatio ad Miſſam*, nam in Miſſalis proponuntur pro opportunitate Sacerdotis recitandæ, quod præceptum non ſonat.

3. Non licet celebrare tecto capite, c. 57. *de conſec.* diſt. 1. vel cum pileolo ſine licentia, eaque Papæ, ex Decr. Urbani VIII. in Miſſali; item ſine veſte talari & calceis, ex Miſſali Rom.

4. Tenetur Sacerdos perfecte ac integre tantum miniſterium exequi: proinde diligenter præcavere omnes defectus etiam accidentales. Si tamen aliquid omiſſum eſt non ita grave, ordinarie non eſt ſupplendum iterando aliquid, vel præpoſtero ordine dicendo, aut faciendo. Quia id ordinarie perturbationem & ſcandalum populi affert, & iſta accidentalia ad decorem, & reverentiam non juvant, dum non fiunt ſuo tempore, debitoque ordine. Si vero aliquis defectus ſubſtantialis circa materiam, vel formam, vel integritatem Sacrificii commiſſus ſit, debet ſuppleri; quia facere Sacrificium mutilum, & imperfectum eſt contra præceptum Chriſti. *Quod ſi valde probabiliter dubitat, ſe aliquid eſſentiale formæ omiſiſſe, iteret formam, ſaltem ſub tacita conditione.* Miſſale Romanum.

5. Numquam licet directe intendere mutilationem Sacrificii, ita ut non liceat ob metum mortis intentatæ conſecrare ſolum panem ad communicandum infirmum, prævidendo vinum defecturum: quia talis intentio, cum repugnet præcepto divino negativo, eſt intrinſece mala. At excuſant Sacerdotem, qui poſt conſecratam hoſtiam, ob evidens ac inopinatum & urgens mortis periculum eam conſumeret, & conſecratione calicis omiſſa fugeret: quia tunc non intendit, ſed ſolum permittit imperfectionem Sacrificii ob extremam neceſſitatem. Si tamen inde ſcandalum, vel contemptus religionis ſequeretur, teneretur ſacrificium perficere cum quovis periculo.

6. Miſſam inchoatam abrumpere non licet ſine juſta cauſſa, qualis eſt adminiſtratio Baptiſmi vel Pœnitentiæ in neceſſitate, Concio vel promulgatio edictorum Eccleſiæ ante oblationem &c. ut fert uſus. Qui autem Miſſam inchoavit, tenetur ſub mortali illam abſolvere, c. *Nihil* 7. q. 1. & c. *de conſec.* diſt. 1. niſi excuſetur ob impotentiam ſubito evenientem ex mentis deliquio, gravi infirmitate &c. Sed tunc ſi redire & proſequi nequeat, & conſecratio facta ſit, alius Sacerdos debet Sacrum perficere, c. *Illud* 7. q. 1. nam ſacrificium non debet relinqui imperfectum. Immo tenetur Sacerdos ceſſare, ſi ante conſecrationem ſe culpæ mortalis reum, vel cenſura ligatum, vel non jejunum eſſe recordetur, & nullum timeatur ſcandalum. Quod ſi abſque gravi ſcandalo ceſſare nequeat, elicita perfecta contritione Sacrum perficiat. Item ceſſare tenetur, ſi ante cœptum Canonem Eccleſia violetur, vel excommunicatus non toleratus ex ea egredi nolit. *Quod ſi timeatur incurſus hoſtium, vel alluvionis, vel ruina loci, ubi celebratur, ante conſecrationem dimittatur Miſſa: poſt conſecrationem vero Sacerdos accelerare poterit ſumptionem Sacramenti omiſſis omnibus aliis.* Miſſal. Rom. *de defect.*

7. In requiſitis ad Sacrificium, indecentia & immunditiẹs notabilis eſt mortalis ob gravem irreverentiam contra præceptum tum naturale divinum; quo

res

res ſacræ decenter ac reverenter tractari debent, Rituum Eccleſiaſticum, cap. ult. *de cuſtod. Euchar.* Ex Concil. Gener. Later. IV. ibi: *Præcipimus ut oratoria, vaſa, corporalia, & veſtimenta munda & nitida conſerventur. Nimis enim videtur abſurdum in Sacris ſordes negligere, quæ dedecent etiam in profanis.* Unde ex Miſſali Romano veſtimenta Sacra *non debent eſſe lacera, aut ſciſſa, ſed integra, & decenter munda ac pulcra.* Contra quod graviter peccant ii, quibus incumbit horum cuſtodia, vel obligatio ea ſuppeditandi; & ſuperiores qui iſta non curant.

8. Linteamina & veſtimenta ſacra & vela detrita, & jam ad proprium uſum inepta, debent igne conſumi, & eorum cineres in piſcinam projici; nec licet ea in uſus profanos convertere, vel vendere, c. *Altaris*, de conſec. 1. Sicut nec ligna & lapides Eccleſiæ dirutæ, vel altaris; nam lex generalis eſt: *Semel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum.* Reg. 51. jur. in 6. Vaſa tamen ſacra igne tranſmutata poſſunt ob neceſſitatem pauperum vendi, & ſic uſibus profanis deſervire. Quæ vero uſibus profanis deſervierunt, poſſunt in uſus ſacros, forma eorum mutata, converti: ſic Paganorum delubra in templa converſa ſunt.

9. Vas, in quo Euchariſtia aſſervatur, debet eſſe conſecratum, ex Miſſali Rom. præſcribente, ut hoſtiæ conſecrandæ ponantur vel ſupra corporale, vel in vaſe aliquo benedicto: & ideo extat ejus benedictio ſpecialis in Rit. Rom. cum aliis. Nam (ut ait S. Thom. 3. p. qu. 83. art. 3.) reverentia hujus Sacramenti exigit, ut a nulla re contingatur, niſi conſecrata. Idem dic de lunula, quæ debet eſſe ex auro, aut argento.

10. Sacra vaſa etſi vacua, quæ Corpus & Sanguinem Chriſti contingunt, vel Chriſmate uncta ſunt, tangere non licet laicis, nec feminis etiam religioſis, ſed ſolis miniſtris ſacratis, c. 41. *de conſecr.* diſt. 1. c. *Sacratos*, diſt. 23. Quod ſi tangant ſine contemptu, ex communi ſententia erit ſolum culpa venialis: immo nulla, ſi ſubeſt aliqua neceſſitas, vel cauſſa honeſta. Quamdiu vero vaſa continent Corpus, vel Sanguinem Chriſti, nemo ſine mortali, præter Sacerdotem & Diaconum, poteſt ea contingere, ſine abſoluta neceſſitate, ex c. 26. diſt. 23. quia res eſt graviſſima. Iiſdem non licet corporalia & purificatoria tangere, antequam a Sacerdote, vel Diacono laventur, ex cap. 40. *de conſec.* diſt. 1. quia Corpus, vel Sanguinem Chriſti contingunt. Omnibus autem laicis licet alias veſtes & pallas benedictas tangere cum debita reverentia; quia Euchariſtiam immediate non contingunt, nec ſacro Chriſmate unctæ ſunt.

Quæſt. VII. *Quænam obſervanda ſunt circa ſtipendium Miſſarum?*

*Reſp.* Sequentia, 1. Licet ſtipendium juſtum pro Miſſa accipere, non quidem ut pretium, quod eſſet ſimoniacum; ſed in ſuſtentationem: nam æquum eſt, ut qui in commodum alterius occupatus eſt, ab eo ſuſtentetur, habita ratione temporis, quo ſic occupatur, & ſtatus occupati. Stipendium autem juſtum eſt illud, quod lege, vel conſuetudine approbata conſtitutum eſt: nam licet ſtipendium illud non ſit vere pretium, tamen ſervat proportionem pretii, quatenus in ea ſervanda eſt ratio juſtitiæ. Sicut ergo illud eſt juſtum pretium, quod eſt lege taxatum, vel communiter conſuetudine receptum, ita etiam ſtipendium. Quare qui amplius exigit, vel accipit, tenetur reſtituere; cum ille exceſſus non ſit debitus, nec ſponte ac liberaliter dari cenſeatur. Hinc ſi quis amplius ultro offerat ex ignorantia juſti ſtipendii, monendus eſt: ſi vero taxationem noverit, cenſetur exceſſum liberaliter dare.

2. Cum datur ſtipendium, ut celebrentur Miſſæ in tali numero, in tali loco, vel tempore, pro tali cauſſa &c. Hæc omnia ex juſtitia ſervari debent: nam dans non vult transferre dominium ſtipendii, niſi ſub hac conditione: & alter recipiens, hoc ipſo ſe obligat ad id omne, quod petitur. Hinc peccat graviter Sacerdos, ſi diu differat: nam interea magno ſpirituali fructu injuſte privat eos, quorum debitor eſt. Immo tenetur ad reſtitutionem, ſi ideo Miſſa non profuerit ad ſpecialem intentionem ejus qui ſtipendium dedit, v. g. ad aliquem ſucceſſum, cujus occaſio ante celebrationem perierit, nam defraudavit intentionem ob quam ſtipendium datum eſt. Idcirco non ei licet plura ſtipendia accipere pro totidem Miſſis, quas prævidet non poſſe celebrare, niſi poſt longum tempus, ſi offerens expreſſe in id non conſentiat; nam alioqui ſæpe contingeret, illas non poſſe amplius dici propter cauſſam ab offerente intentam, v. g. pro infirmo, qui ante morietur, pro vincenda tentatione, pro felici exitu negotii, pro aliquo alio beneficio, quod poſtea obtineri non poterit.

3. Non licet anticipate dicere Miſſam pro iis, qui ſibi primum offerent ſtipendium. Nam 1. ideſt contra uſum Eccleſiæ, & prohibitum a Sac. Cong. Cardin. auctoritate Pauli V. 2. Dans ſtipendium intendit, ut poſt datum Miſſa ſibi applicetur: tum quia ſæpe alias non poteſt obtineri finis intentus: uteum petitur in remiſſionem peccatorum poſtea commiſſorum; tum ut melius ſe diſponat ad effectum ſacrificii accipiendum. 3. Deus ſicut neque remunerat anticipate ex his, quæ prævidet futura, ita nec confert anticipate effectum Sacramenti, aut ſacrificii.

4. Qui ſtipendium majus ſolito pro Miſſis accepit, tenetur integrum dare iis, quibus Miſſas celebrandas committit, nec poteſt partem ſibi retinere. Nam 1. Sine juſto titulo partem illam retineret; nam non ei gratis ac liberaliter donata eſt, ſed intentio dantis eſt, ut celebrans totum ſtipendium recipiat, cui proinde totum debetur. Nec accipiens comparavit illius ſtipendii dominium, niſi cum obligatione, ut vel ipſemet ſacrificet, vel alteri ſacrificanti pro ſuſtentatione ſtipendium largiatur. 2. Hoc ſapit turpe lucrum. 3. Urbanus VIII. id expreſſe vetuit decreto *Cum ſæpe*: & Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem: *Poſt decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.*

5. Non licet pro una Miſſa accipere plura ſtipendia, nec pluribus acceptis licet una Miſſa ſatisfacere: nam qui dant ſtipendia, intendunt tot pro ſe fieri, & ſpecialia ſibi applicari ſacrificia, & ſolum ſub hac tacita conditione dant. Ideo Alexand. VII. damnavit hanc propoſitionem: *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre, neque etiam contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.* Quamvis enim unius Miſſæ valor ſit infinitus ſecundum rem quam continet, nempe Chriſtum & ejus merita, eſt tamen limitatus ſecundum applicationem. Chriſti enim merita, quamvis infinita, non applicantur ſecundum ſui infinitatem, ſed finito modo, quem Deus definivit.

Immo qui ſtipendia diverſa ſingula juſto minora, ſive ab uno, ſive a pluribus accepit pro pluribus Miſſis, non poteſt illa ad juſtum pretium reducere, & per pauciora ſacra ſatisfacere: nam hoc ipſo quod acceptat ſtipendia minora, cenſetur juri ſuo cedere, & reliquum condonare; taciteque promittit ſe totidem Sacra dicturum. Sed gravis eſt obligatio ſervandi pacta, alias rueret fides in ſocietate humana. Unde Sac. Congr. auctoritate Urbani VIII. ſibi ſpecialiter attributa præcepit Sacerdotibus, ut tot Miſſas pro pluribus ſtipendiis incongruis celebrent, quot pro illis præſcriptæ ſunt, *ita ut alioquin ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quin immo graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur,* in Bullario tom. 4. pag. 88. quia nempe ſtipendium ſub hac conditione ac onere datum & acceptum eſt.

6. Qui ab aliquo ſtipendium accepit, non ei licet ab altero quidquam accipere, ut ei applicet in eadem Miſſa eam fructus partem, quæ ipſi Sacerdoti contingit. Nam 1. Hoc repugnat praxi Eccleſiæ, & ſenſui ac intentioni fidelium. 2. Hoc ipſo quod Sacri applicatio alteri debita eſt ex juſtitia, ex debiti ſunt omnes fructus, quorum eſt capax. 3. Fructus ille nequit alteri applicari. 4. Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem: *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem: idque poſt decretum* Urbani VIII.

7. Sac. Cong. confirmante Urbano VIII. declaravit, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare, ratione beneficii, ſeu cappellæ, legati, aut ſalarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere,* in Bullario, tom. 4. p. 61. Et vero alias acciperetur duplicatum ſtipendium pro una & eadem Miſſa; nam fructus beneficii habent rationem ſtipendii. Hinc Canonici & Cappellani tenentur applicari fundatori ſoli Miſſas, quas ex fundatione tenentur celebrare, talis quippe fuit intentio fundatoris, etiamſi eam non expreſſerit. Nam hæc eſt praxis communis, quæ eſt optima fundationum ſicut legum interpres; & ubi aliud non conſtat, præſumptio eſt pro fundatore: in dubio enim quiſque præſumitur ſibi optime conſulere voluiſſe.

✠ His quæ de Sacrificio Miſſæ ab Auctore ſunt expoſita, addenda nonnulla ſunt, quæ a S. M. Benedicto XIV. vel definita ſunt, vel clarius explicata.

*Conſt.* 22. inc. *Quanta cura* tom. 1. Bullarii *p.* 55. ſub pœna cenſurarum, quarum abſolutio Romano Pontifici reſervatur, prohibentur mercimonia ſuper eleemoſyna Miſſarum, hoc eſt, qui eleemoſynas colligunt in iis locis, in quibus ſtipendia, ſive eleemoſynæ pro Miſſis ſunt pretii majoris; Miſſas vero celebrare curant in locis, in quibus pro minori pretio celebrari ſoleant: ſi Laici ſint, excommunicationem; ſi vero Clerici, vel Sacerdotes ſuſpenſionem a ſolo Romano Pontifice abſolvendam incurrant.

In lib. v. de Synodo Diœc. cap. VIII. *n.* 6. legitur, quod Patres Concilii Toletani, ad coercendam Sacerdotum avaritiam, an. 1324. vetuerunt, ne ullus Sacerdos quidquam, vel minimum, pro Miſſa, ex pacto exigeret, ſed eleemoſyna contentus eſſet, qui ei ſponte offerretur. Et *n.* 10. quod Epiſcopi, ut Trid. Conc. obtemperent, atque importunas, & immoderatas eleemoſynarum exactiones impediant, debent in ſua quiſque diœceſi Miſſarum ſtipem taxare, ultra quam nemo quidquam exigere valeat.

Cap. autem IX. *n.* 2. Porro ſi ultra eleemoſynam ab Epiſcopo taxatam, plus Sacerdos celebraturus exigat, non ſolum peccat contra legem Eccleſiæ, verum etiam juſtitiam commutativam lædit: quibus additur, quod ex decr. Sacr. Congreg. Conc. etiam Regulares taxæ ſtare debent ab Epiſcopo conſtitutæ. Vide duo citata capita, & c. X. in quibus plura tractantur erudite.

Vide item lib. VII. cap. 60. 64. & 70. in quibus inter alia docetur. Primo. Non eſſe permittendum, ut quiſquam Miſſam celebret capite cooperto, ne coma quidem fictitia c. 60. *n.* 1. Secundo Miſſæ Parochiali diebus feſtis intereſſe olim fideles debuiſſe; nunc vero cuique integrum eſſe, Miſſam audire quocumque die in quacumque Eccleſia, atque ita ſatisfieri præcepto, dummodo non in Cappella, aut Oratorio privato audiatur c. 64. *n.* 3. *ad* 12. Tertio, Miſſas, pro quibus celebrandis in determinata Eccleſia oblatæ ſint eleemoſynæ, poſſe ex indulto Epiſcopi in alia Eccleſia celebrari, ſi nequeant in illa c. 70. *n.* 4.)

8. Sacr. Congreg. apud Fagnanum declaravit, eum, qui accepit ſtipendium ad celebrandam Miſſam pro mortuo, & aliud ſtipendium ad celebrandum pro alio, v. gr. infirmo, non ſatisfacere unica Miſſa utrique obligationi, applicando fructum ſatisfactorium mortuo, & imperatorium infirmo. Et vero cum Miſſa pro aliquo celebrari debet, ei totus fructus cujus eſt capax, applicari debet. Fructus autem impetratorius prodeſt mortuis: nam pœnæ peccatis debitæ remitti poſſunt, non ſolum per modum, ſeu viam ſatisfactionis, ſed etiam per modum impetrationis.

9. Obligatus ad celebrandum in tali Eccleſia, vel altari (*), peccat mortaliter ſi ſine juſta & gravi cauſſa alibi celebret; quia in re gravi defraudat fundatorem, vel dantem ſtipendium. *Neceſſe eſt ut defuncti diſpoſitio modis omnibus conſervetur,* ait S. Gre-

(*) *Quoad Altaria privilegiata, definiri ſolet in Brevibus numerus Miſſarum quotidie in Eccleſia celebrandarum; ſi forte accidat, ut aliquibus diebus numerus iſte Miſſarum deſit, dummodo ſæpius in hebdomada tot Miſſæ celebrentur, quot privilegium illud exigit, id non ſufficere declaravit Sacr. Congr. die* XI. *Septembris* 1694. *Decretumque illud approbavit Innoc. XII. ex quo reſultat neceſſarium eſſe ſin-*

Greg. epiſt. 20. l. 9. Quod ſi Capellanus impediretur a celebrando per paucos dies, juxta multos non tenetur ſupplere per alium, vel compenſare; quia non præſumitur hanc fuiſſe mentem fundatoris, cum nequidem famulis ob eam cauſſam ſtipendium minui ſoleat. Secus, ſi pluribus diebus ſit impeditus.

10. Beneficiatus non poteſt propria auctoritate imminuere numerum Miſſarum olim conſtitutum, etiamſi ob imminutionem redituum, vel valoris pecuniæ non accipiatur ſtipendium ſufficiens. Sed recurrendum eſt ad Epiſcopum, ex Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 4. immo ad Papam, ex decreto Urbani VIII. ubi illud viget.

Quæſt. VIII. *Quænam obſervanda ſunt circa Eccleſiæ pollutionem, reconciliationem, & exſecrationem?*

*Reſp.* 1. Eſt mortale celebrare Miſſam, vel officia divina, vel mortuum ſepelire in Eccleſia polluta nec reconciliata, vel interdicta, vel exſecrata; quia eſt contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi ad religionem pertinente. Nulla tamen ideo contrahitur cenſura, vel irregularitas, cum nulla ſit in jure expreſſa. Hinc ſi Sacerdote celebrante Eccleſia notorie polluatur, tenetur intermittere Miſſam, ſi nondum Canonem inchoavit: nam hoc inchoato debet perfici Miſſa. Ita Miſſale Rom. Jam enim poſita eſt proxima præparatio ad conſecrationem.

*Reſp.* 2. Eccleſia polluitur, ſeu violatur, ita ut indigeat reconciliatione. 1. Per injurioſam humani ſanguinis effuſionem, quæ vox copiam ſanguinis indicat, cap. ult. *de conſec. Eccleſ.* & cap. unic. eod. tit. in 6.

2. Per homicidium voluntarium & injurioſum, licet factum ſine effuſo ſanguine, ut per venenum, ſtrangulationem &c. c. 4. *de conſec.* & can. 19. de conſecr. diſt. 1. Unde non polluitur Eccleſia ob inculpabilem occiſionem, ut ſi fiat ab homine mente capto. Requiritur autem ut vulnus ſit receptum in Eccleſia: unde ſi quis extra percuſſus, ad eam confugiat, ibique moriatur, vel ſanguinem pluſimum effundat, non polluitur. At polluitur ſi vulnere ibi accepto, ſaucius foras exeat, & extra Eccleſiam moriatur, vel ſanguinem effundat, vel ſi vulneretur in Eccleſia ab exiſtente extra eam jactu lapidis, vel exploſione catapultæ.

3. Per qualemcumque humani ſeminis effuſionem voluntariam, cap. ult. *de conſec. Eccl.* & c. 20. *de conſec.* diſt. 1. Etiam ſecundum omnes per actum conjugalem: nam verba legis generalia ſunt; *& ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.*

4. Per ſepulturam excommunicati non tolerati, arr. 7. *de conſec. Eccl.* Secundum multos non polluitur ob ſepulturam hæretici notorii, in locis ſcilicet, ubi hæretici Catholicis permixti tolerantur, ſi non ſit nominatim denuntiatus; quamvis illicita ſit, ex c. 2. *de hæret.* in 6.

5. Per ſepulturam infidelis non baptizati, c. 27. & 28. *de conſec.* diſt. 1. & proinde infantis non baptizati, contra aliquos hoc de infante negantes; quamvis omnes fateantur eſſe mortale illos ibi ſepelire, & inde cadavera illa, ſi poſſint, extrahenda eſſe; nam eſt vere infidelis non baptizatus.

*Obſ.* 1. Nomine Eccleſiæ quoad hunc effectum non intelligi Oratoria in domibus privatis etſi ab Epiſcopo deſignata ad celebrandum: nam jura loquuntur ſolum de Eccleſiis. At ſecundum varios intelliguntur loca publica, ut eremitoria aliqua, hoſpitalia, & ſimilia, quæ nec conſecrata, nec benedicta ſunt, ſed deputata ab Epiſcopo ad hoc ut in iis publice celebretur, in quibus nequeunt corpora infidelium ſepeliri; quia hæc loca comprehenduntur nomine Eccleſiæ, cum ita communiter appellantur. At quælibet Eccleſia, etſi nec conſecrata, nec benedicta, ſecundum illos polluitur, ex c. ult. *de conſec. Eccl.* 10. *de immunit. & c.* 2. Cœmeterium benedictum polluitur iiſdem modis, quibus Eccleſia, ita ut mortale ſit in eo ſepelire: & eodem modo reconciliatur.

3. Uterque locus non indiget reconciliatione, quæ eſt actus publicus, niſi factum publice conſtet; & notorium ſit; ita ut nulla tergiverſatione celari poſſit; nec ſufficit quod per duos, vel tres teſtes probari queat.

4. Etſi iſti actus ſint occulti, ſunt tamen vera ſacrilegia, utpote ab Eccleſia prohibiti ob reverentiam loco ſacro debitam. Et vero ſi illi actus poſtea fiant notorii, Eccleſia eget reconciliatione. ergo ante notorietatem jam erant ſacrilegi & contra prohibitionem Eccleſiæ; non enim tales incipiunt eſſe, dum publici fiunt. *Ita communiter.*

5. Eccleſia non cenſetur polluta, ſi aliquid ex dictis contigerit ſupra Eccleſiæ fornicem vel tectum, vel in cameris adhærentibus, in turri, vel ſubterraneo ſpecu, qui non ſit ad ſepulturam, vel ſecundum multos in Sacriſtia. Quia hæc non pertinent ad Eccleſiæ corpus, nec cultui divino deputantur: ac proinde tunc non committitur ſacrilegium. Secus de cappellis, quia ſunt partes Eccleſiæ, & ad ſacrificium deſtinatæ ſunt.

6. Polluta Eccleſia polluuntur ſimul altaria, immo & cœmeterium, ſi ſit ei contiguum. Quia acceſſorium ſequitur conditionem principalis, ex reg. 42. jur. in 6. Secus, ſi ab ea remotum fuerit. At polluto cœmeterio, non ideo polluitur Eccleſia: nam minus non trahit ad ſe majus, nec acceſſorium principale, c. ult. *de conſec. Eccl. vel Alt. in 6.*

*Reſp.* 3. Eccleſiæ pollutio tollitur ejuſdem reconciliatione. Si fuerit tantum benedicta, poteſt reconciliari cum aqua benedicta communi per ſimplicem Sacerdotem ex licentia Epiſcopi. Si conſecrata ſit, reconciliari poteſt a ſolo Epiſcopo, c. 9. *de conſec. Eccl.* idque ritu in Pontificali præſcripto (*).

Porro non reconciliatur præciſe per celebrationem Miſ-

*ſingulis diebus numerum Miſſarum definitum.* Lambertini *Inſt. Eccl.* 56. §. 16.

*Ibidem etiam habemus, quod Indulgentiæ Altaris cum definito numero Miſſarum, ſi forte accidat tempore Adventus, & Quadrageſimæ, ut in Regularium Eccleſiis impleri non poſſit numerus, remanens ſuſpenſa. Reliquis anni diebus, ſi forte id raro contingat, non remanent ſuſpenſæ, ſicut nec remanent, ſi ob infirmitatem Sacerdotum tam ſæcularium, quam Regularium, raro tamen id contingat. Ita Sac. Congreg. die* 30. *Julii* 1706.

(*) *Conſecratas Eccleſias atque pollutas nemo præ-*



Miſſæ, etiam bona fide factam: *ita Delugo, Azorius, Layman, & alii.* Tum quia per illam Eccleſia non conſecratur. Tum quia conſecratio & reconciliatio, cum ſint jure canonico inſtitutæ, debent fieri per ritus a canonibus præſcriptos: at nullus canon iſta per celebrationem Miſſæ perfici ſtatuit.

*Reſp.* 4. Eccleſia exſecratur, ſeu amittit ſuam conſecrationem, ita ut denuo conſecrari debeat, ſi partes Eccleſiæ ſecundum majorem partem deſtruantur, aut corruant; vel omnis eorum cruſta, aut major ſaltem pars ſimul auferatur, ex can. 20. *de conſec.* diſt. 1. juncto cap. *Ligneis*, de conſecrat. Secus, ſi parietes paullatim & ſucceſſive deſtruantur ac reficiantur; quia ſemper manere cenſetur idem numero templum: modo tamen pars, quæ additur, non ſit major, quia id quod majus eſt cenſetur ad ſe trahere quod minus eſt. Neque ſi tectum ſolum corruat, quia conſecratio eſt potiſſimum in parietibus, & exterioribus cruſtis, ubi linitio & cruces fiunt, ex cit. *Juribus*. Porro exſecrata Eccleſia, non ideo exſecrantur altaria, nec viciſſim.

## APPENDIX

### *De Orientalis Eccleſiæ circa Euchariſtiam diſciplina.*

### §. I. *De Materia.*

Materiam Euchariſtiæ Orientales omnes fatentur eſſe panem triticeum (Artorytæ enim ſive caſeum, vel lac cum pane adhibentes jam fuere ab univerſa Eccleſia damnati Conc. Carth. III. & Conſtant. ann. 680.) ac vinum de vite: diſſident vero tum a Latinis tum invicem circa panis qualitatem. Nam eorum plerique ſolo fermentato, nonnulli vero cum Latinis azymo pane utuntur. Primum dicemus de iis, qui azymum adhibeat, tum de aliis. Azymo pane utuntur Æthyopes ſive Abiſſini feria quinta in cœna Domini, ut Chriſtum imitentur, qui in Azymis Euchariſtiam confecit. Ita rem narrat Ludolf. in comment. hiſt. Æthyopiæ, ac quidam Presbyter e Provincia Zeva Regni Æthyopiæ, & Monachus Ordinis S. Antonii, in declaratione coram ampliſſimis Cardinalibus facta ann. 1594. interrogatus, *an Æthyopes celebrent in pane fermentato, vel in azymo; & quid ſentiant de celebrante in azymo? Reſpondit, Æthyopes in fermentato celebrant, & illi, qui in azymo celebrant, conficiunt etiam. Et nos in tota Æthyopia feria quinta in cœna Domini ſingulis annis in hujus rei memoriam in azymi celebramus.*

Chaldæi, qui in Malabaria ſunt, ex quo Latini in illas regiones penetrarunt, azymum adhibere ſolent. In Concilio Diamperienſi an. 1599. ſtatutum fuit, ut in azymo tantum conſecrarent, ac etiam antea. teſte Joſepho Indo *navig. novi orbis c.* 144. dum id conſequi poſſent, azymo utebantur, hoc eſt, dum in Latinorum Eccleſiis celebrarent, ut ſcribit Aſſem. tom. 3. Bibl. Orient. p. 2. pag. 250. Ex Græcis Monachi Cryptæ Ferratæ, & Presbyteri Collegiatæ S. Mariæ *de Graſca* nuncupatæ ex pontificia diſpenſatione azymum panem adhibent.

Apud Armenos, & Maronitas azymorum uſus vetuſtiſſimus eſt. Non deſunt Auctores, qui cenſeant per plura ſæcula, tum in Occidente, tum in Oriente promiſcuum fuiſſe azymi ac fermentati uſum, ac Armenos, & Maronitas ex iis eſſe, quibus ab antiquo placuit azymum potius ad Chriſti imitationem, quam fermentatum adhibere. Sed, ut ut ſe res habeat, certum eſt, Armenos, & Maronitas a mille & amplius annis azymum adhibere. Galanus tom. 1. Conc. Eccl. Armen. de Joanne Armenorum Patriarcha ſcribit: *Hic juſſu Homaris Saracenorum Ducis, & auxilio Caliphæ Babylonis Synodum congregavit in urbe Menaſcherti in confinibus Halicaniæ Provinciæ: ubi convenientibus cum Armenis ſex Aſſiriis Epiſcopis definita fuit in Chriſto una natura, una voluntas, & una operatio, fueruntque a ſacris ablata myſteriis fermentum & aqua.* Conſtat vero Homarum Saracenorum ducem regnare cœpiſſe an. 634. atque occupata Arabia, Damaſco, Hieroſolyma, ac tota Aſſiria, obiiſſe an. 644. quamobrem jure atque merito conjicimus, circa an. 640. antedictam Synodum fuiſſe coactam. Igitur pluſquam quinquaginta annos ante Trullanum Concil. an. 692. celebratum, decretum de uſurpandis azymis ab Armenis editum fuit. Brunus vero opinatur ſex illos Aſſirios Epiſcopos, qui Synodo ſupranominatæ interfuere, uſum conſecrandi in azymo apud Maronitas ſtatuiſſe. Quamquam in Trullana Synodo can. 32. damnati ſunt Armeni, quod aquam cum vino in ſacro calice non miſcerent; tamen ob azymi uſum non fuere reprehenſi, vel quia Patribus illis exploratum erat plures alias Eccleſias azymum tunc conſuevisse uſurpare, vel quod norint facile reſpondere potuiſſe Armenos, id ſe ſtatuiſſe, ut Chriſtum, qui in azymo Euchariſtiam inſtituit, imitarentur, ut ait Brunus differt. de Liturgia Armenorum. Neque id mirum videri iis poterit, qui animadvertant Photium, qui multo leviora Latinis objecerat; nullam circa azyma moviſſe litem. Nam ex Rabano Mauro qui ante Photianum ſchiſma, quod cœpit an. 866. e vivis exceſſit, ſcilicet an. 856. & ex Alcuino, qui eodem ſæculo vixit, exploratum eſt, Latinam Eccleſiam Photii ætate azymo pane uti conſueviſſe. Photius vero id in Latinis non reprehendit, quod ea, qua pollebat antiquitatum Eccleſiaſticarum eruditione, apprime cognoſceret, antiquam hanc Latinorum conſuetudinem graviſſimis fuiſſe rationibus obnoxiam, ac totius Eccleſiæ judicio & Chriſti exemplo comprobatam.

Sed poſt duo circiter ſæcula Græci rerum Eccleſiaſticarum imperiti odio illo, quod in dies in eiſdem erga Latinos creſcebat, incitati, azymorum uſum damnare cœperunt. Michael Cærularius Patriarcha Conſtantinopolitanus omnium primus Latinorum azyma

*ter Epiſcopum Diœceſanum reconciliare poteſt, nec fas eſt id muneris demandare Presbytero, quamquam cum aquam ab Epiſcopo benedicta. Si tamen Eccleſia non fuerit conſecrata, ſed tantum benedicta, facultas dari poteſt, ut per ſimplicem ſacerdotem, adhibita tantum aqua luſtrali, Eccleſia polluta reconcilietur. Lambertinus* de Syn. Diœc. lib. 23. c. 15. §. 2. nov. edit.

ma damnavit, ineptamque eſſe Euchariſtiæ materiam conſtituit; atque eodem fere tempore duo illa adverſus Armenos prodiere ſcripta, quæ refert Cotelerus in actis ad Conſtit. Apoſtol. lib. 11. c. 14. & lib. 5. cap. 13. quorum alterum, quod ſancto Niconi tribui ſolet, inſcribitur, *de impia peſſimorum Armenorum Religione*: alterum vero *Renunciatio Hæreticorum Armenorum, quomodo debeant anathematizari, cum ad fidem Orthodoxam redeunt*, in quibus operibus Armeni ob azymorum uſum damnantur. Si conjecturis uti velimus, haud difficile nobis erit, hujuſmodi Græcorum erroris originem detegere, atque explicare. Cum can. 70. ex iis qui Apoſtolorum nomine circumferuntur, can. 11. Trullanæ Synodi, aliiſque Orientalis Eccleſiæ canonibus, Orthodoxi azyma a Judæis accipere, ac Judæorum azyma comedere prohibeantur, ab hujuſmodi prohibitione Græci rerum Eccleſiaſticarum imperiti, dum immoderato quodam ſtudio reprehendi ac damnandi Latinos ferrentur, occaſionem nacti ſunt damnandi azymorum uſum, ac ſtatuendi, azyma ineptam eſſe Euchariſtiæ materiam. Liquet id ex nota, quam XI. Trullanæ Synodi canoni adjecit Matth. Blaſt. Quamquam ea quæ expoſita ſunt ſatis ſuperque oſtendere videantur, utramque Eccleſiam conſuluiſſe ſemper aptam eſſe Euchariſtiæ materiam triticeum panem, ſive is azymus ſit, ſive fermentatus: tamen ut clarior fiat orthodoxa hac de re fides in Florent. Synodo inculcata, per hæc verba, *definimus in azymo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici: Sacerdoteſque in alterutro ipſum Domini Corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem*, paucis demonſtrabimus adverſus Photianos ac Syros Neſtorianos nonnullos, etiam panem azymum aptiſſimam eſſe hujus Sacramenti materiam.

Primum, quia panis ille, quem univerſa Eccleſia ſemper habuit pro apta Euchariſtiæ materia, aptiſſima eſt hujus Sacramenti materia. At ita ſe habet azymus panis; ipſius enim uſus antiquus eſt in nonnullis Orientalibus Eccleſiis, ut ſupra oſtendimus, antiquior vero in Eccleſia Latina; non ſolum enim conſtat ex Rabano Mauro, & Alcuino ſupra citatis ante 8. ſæculum omnium Latinorum Eccleſias in Azymo celebraſſe; ſed Leo Papa IX. in Epiſtola ad Michaelem Conſtantinopolitanum Archiepiſcopum ſcripta an. 1054. cap. 5. ſcribit: *Ecce jam poſt mille ac ferme viginti a Paſſione Salvatoris Noſtri annos incipit per vos diſcere Romana Eccleſia, qualiter memoria paſſionis ſit recolenda*; & Cardinalis Humbertus, *Veſtra duplicitas ſuo fermento contenta Romanæ, & Latinæ ſimplicitati azymum extorquere nequit*; & infra *a prima ſcilicet Eccleſia ad hæc moderna tempora, ſicut ab Apoſtolis accepit, fideliter retinuit*. Similia habent Greg. VII. & Innoc. III. de Myſt. Miſſæ cap. 3. ubi ait, *ab ipſis ergo Beatis Apoſtolis Petro & Paulo, quos & vivos habuit, & defunctos cuſtodit, hunc Sacrificii ritum accepit Romana Eccleſia, quem haſtenus inviolabili cultu ſervavit*. Nec ante Michaelem Cærularium, qui furore potius incitatus, quam ratione ductus, azyma damnavit. Scriptorem invenire eſt aut Latinum, aut Græcum, qui azymorum uſum improbaverit: quod quidem argumentum eſſe videtur luculentiſſimum, ante Michaelem utramque Eccleſiam azymi ac fermentati uſum juxta Eccleſiarum conſuetudinem approbaſſe.

Deinde quis neget, panem, quo uſus eſt Chriſtus, dum Euchariſtiam inſtituit, aptiſſimam eſſe hujus Sacramenti materiam? Conſtat vero Chriſtum in azymo conſecraſſe ex ipſa circumſtantia, in qua Sacramentum inſtituit: ad veſperam enim primi menſis diei 14. dum Judæi Paſcha celebrant, nefas erat fermentatum panem uſurpare. Nam Exodi 12. v. 15. hæc habentur: *Septem diebus azyma comedetis; in die primo non erit fermentatum in domibus veſtris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illius de Iſrael, a prima die uſque ad diem ſeptimum*. atque aliunde ex Evangelio liquet Chriſtum Paſcha celebraſſe ut Legem adimpleret. Negari autem nequit, Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam in cœna illa, quam habuit cum diſcipulis prima die azymorum ad veſperam: nam Marci 14. v. 12. *Primo die azymorum, quando Paſcha immolabant*, ſive ut legit Syriaca verſio, *quando ſacrificabant Judæi Paſcha, dicunt ei diſcipuli: quo vis eamus & paremus tibi, ut manduces Paſcha?* Et v. 24. *manducantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedixit, & dedit eis*, & ait, *ſumite: Hoc eſt Corpus meum*. Lucas vero c. 22. v. 7. ait: *Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*, & poſtea ſubdit, *cum facta eſſet hora*, hoc eſt juxta Legis præſcriptum, *diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo*, ac deinde, *& accepto pane gratias egit, & fregit &c.* Igitur Chriſtus panem accepit, voluitque eſſe corpus ſuum, quem Judæi adhibebant, dum die prima azymorum Paſcha celebrarent; panis autem hujuſmodi erat azymus, ut eſt ex Scriptura manifeſtum.

Denique Chriſtus Dominus Euchariſtiæ materiam voluit eſſe panem; panis autem nomine venit tum azymus, tum fermentatus. Nam ut omittam quod pluribus probatum eſt ex Cornelio Celſo, Plinio, Galeno, aliiſque antiquis profanis Scriptoribus, illis temporibus communem & vulgarem panem fuiſſe ſive azymum, ſive fermentatum; Ex ipſa Scriptura patet, nomine panis tum azymum tum fermentatum venire: ſic Geneſeos 18. verſ. 6. & 19. verſ. 3. panes, quos apud Abraham & Loth dicuntur Angeli comediſſe, quique infermentati erant, appellatos legimus, *panes ſubcinericios* ἄρτος ἄρτος. Ac paſſim eadem Scriptura panes propoſitionis commemorat, eoſque græca voce ἄρτους deſignat, quod ex Levitici 24. v. 5. conſtat fuiſſe abſque fermento: ita Exodi 25. v. 30. & Matth. 12. v. 4. Hinc Theodoretus jam ſuo tempore ad v. 4. c. 10. Danielis, inſcitiæ eos arguit, qui panem azymum, panis nomen mereri negant, & ſubjicit: *panis enim vocatur & fermentatus, & infermentatus*. Ergo ſi Chriſtus panem eſſe voluit Euchariſtiæ materiam, ſive azymus ſit, ſive fermentatus, apta erit ad Euchariſtiam perficiendam materia.

Opponunt Photiani nonnulla ſophiſmata. Primum ex Græco vocabulo ἄρτος, quod azymum panem exprimere nequit: nam *artos*, inquit Cærularius, *interpretatur elevatus, & ſurſum portatus a fermento, ex ſale calorem & elevationem habens*. Deinde, quod azyma, cum inſipida ſint, vivificum Euchari-

stiæ



ſtiæ effectum ſignificare non poſſint, & cum ſymbola ſint triſtitiæ, & doloris, quæ Judæis ſemel in anno uſurpanda erant in memoriam miſeriarum, quas in deſerto paſſi fuerant, in Euchariſtia adhiberi nequeunt, quæ eſt lætitiæ ſignum. Præterea, quod Melchiſedech, cujus Sacrificium Euchariſtiæ figura erat, non azymum, ſed fermentatum panem obtulerit. Demum, quod Eccleſia, ut ex ſupra citatis canonibus liquet, ſemper Judæorum azyma prohibuerit, quodque Evangelio promulgato Judæorum cæremoniæ, inter quas uſus azymorum recenſetur, prorſus abolitæ ſint. Hæc ſunt Photianorum ſophiſmata, quibus probare contendunt azymum eſſe ineptam Euchariſtiæ materiam.

Sed videamus, quam inepta & imbecilla ſint. Ad primum quod ſpectat, in hunc modum Card. Humbertus reſpondit: *Illud quoque, quod azymum negantes panem eſſe, per etymologiam ejus nominis, quod eſt artos, conamini nos vincere, ſciatis omnino vanum, & pueriſe, quia & a linguarum peritis diverſæ etymologiæ dantur ex uno nomine ſecundum humanum placitum magis, quam ſecundum naturam rerum*. Accedit etiam, quod aliam hujus nominis explicationem tradant Euſtatius, Hallandius in Bibliotheca Photii, Svicerus, & alii, nec unum reperire eſt eruditum virum, qui Cærularii etymon probet. Præterea jam ſupra oſtendimus vocabulum ἄρτος in Scriptura adhiberi ad ſignificandum quoque azymum panem, idque confirmari poteſt ex iis, quæ habentur Lucæ 24. verſ. 40. ubi panis, quem fregit Chriſtus coram diſcipulis euntibus in Emmaus, qui erat procul dubio azymus, ἄρτος appellatur.

Ad alterum dicimus, inter materiam ex qua Sacramenta conſtant, & effectum quem producunt, debere utique analogiam aliquam intercedere, ſed neceſſe non eſſe ut in ſingulis materiæ qualitatibus analogia hæc reperiatur. Panis autem ſive azymus ſit, ſive fermentatus, corpus alit, ac vires auget; quod & Euchariſtia in anima efficit.

Deinde azyma fuere Judæis doloris ſignum, ſed etiam gaudium indicabant: ut etiam dolores ſignificabant, quos fuerant in deſerto perpeſſi, ita & gaudium, quo afficiebantur ex memoria ſuæ e manibus Ægyptiorum liberationis. Non abſimili ratione Euchariſtia cum ob fidelium oculos ponat Chriſti mortem, quidpiam triſte præteritum ſignificat, lætitiæ vero eſt ſymbolum, ut gratiam indicat, quæ per ipſam donatur, & ut eſt certum futuræ gloriæ pignus.

Ad tertium non negamus convenire Chriſti ſacrificium cum eo, quod Melchiſedech obtulit, quod in utroque, ſubſtantiæ panis & vini materiæ loco fuerint. At ut neceſſaria non fuit convenientia accidentaria in vino, quod Melchiſedech obtulit cum eo, quo uſus eſt Chriſtus, ſicut Photiani fatentur; ita neceſſarium non fuit, ut in pane accidentaria convenientia eſſet; panis vero azymus accidentarie tantum a fermentato diſſidet.

Quod ultimo loco opponunt, cum id ſit unde Photianus error oriri videtur, paullo diligentius expendemus. Canon 70. Apoſtolorum hæc habet: *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex Clericorum catalogo, jejunat cum Judæis, vel cum ipſis feſtos dies agit, vel ab ipſis xenia accipit (ut v. g. azima, aut quid tale) deponatur. Si vero ſit Laicus, ſegregetur*. Canon vero 9. Concilii Trullani hic eſt. *Nemo eorum, qui in ſacerdotali ordine enumerantur, vel Laicus Judæorum azyma comedat, vel ullam cum eis familiaritatem ineat, vel in morbis accerſat, vel ab eis medicinas accipiat, vel una cum eis in balneis omnino lavetur. Si quis autem hoc facere aggreſſus fuerit, ſi ſit quidem Clericus, deponatur: ſi autem Laicus, ſegregetur*. Et Canon 38. Concilii Laodiceni habet: *quoniam non oportet a Judæis azyma accipere, aut communicare impietatibus eorum*. En Canones, ex quibus Photiani azymorum prohibitionem deducunt.

Quis vero eſt, qui non videat ibi non azyma omnino, ſed Judæorum tantum azyma prohiberi? Notares eſt Judæos azyma conficere eaque Religionis cauſſa adhibere. In iis conficiendis non raro lac, & ova adhibent, addito quoque ſaccaro, ex quo dilicatulos panes *Mazabbaſchira*, azyma dicta, pro ægris, & amicis etiam Chriſtianis efformant. Hæc ſunt azyma, quæ canones prohibent; hæc vero a Judæis accipere atque comedere non modo Græcis, ſed etiam Latinis ac Romanis ipſis vetitum eſt; refert Papadopoli ex Riciullo de jure Perſon. l. 11. c. 39. n. 20. & ſeq. *vetitum eſſe Romæ ne vel ſub benevolentiæ quidem ſpecie Judæi Chriſtianis azyma largiantur ſua*. Nec opus eſt pluribus verbis ad id oſtendendum. Nam canones de iis aperte loquuntur; vetantque tantum eam azymorum conceſſionem, per quam cum Judæorum impietatibus communicemus. At azyma quibus Euchariſtia a Latinis perficitur, non ſunt Judæorum azyma: neque enim vi Moſaicæ legis, ſed ad indicandam factam per Chriſtum Euchariſtiæ inſtitutionem, & non ut Judæorum cæremonia, ſed ut Ritus a Chriſto Domino uſurpatus adhibentur.

Præterea Canones ſupra relati omnem cum Judæis familiaritatem, & communionem prohibent, ut ex Trullano canone liquet: prohibent ergo Judæorum azyma accipere, atque comedere, non ſolum, ut ſunt Hebrææ gentis cæremonia, ſed etiam ut ab iis dantur in amicitiæ conteſtationem. At Azyma, quæ a Chriſtianis fiunt, nec accipere, nec comedere vetant. Quis enim dicat nefas eſſe *Chriſtiano placentam ſibi parare, officiis diem frangere, tentare cruſtulis?* ut inquit Papadopoli rep. x I v. ſeſſ. 5. Quis damnabit Apoſtolum dicentem, *epulemur non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ, ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis*: quæ verba ad litteram uſum azymorum citra Judaicam ſuperſtitionem commendant? Ergo azymorum uſus nonniſi ut Judaica cæremonia eſt, interdicitur.

*Quæres*, quænam ſit myſtica ſignificatio azymi, & fermentati, ut in Miſſæ ſacrificio adhibetur?

*Reſp.* Plura ſunt, quæ Eccleſia Azymorum uſu fidelium memoriæ offert. 1. Chriſti exemplum, qui in azymo conſecravit. 2. Azymis indicat tum corporis, tum animæ puritatem, quæ ad digne ſuſcipiendum Chriſti Corpus deſideratur juxta Apoſtoli verba 1. ad Cor. 5. ſupra relata, *Epulemur &c.* 3. Azymis, quibus nihil eſt corruptionis admixtum, eximiam repræſentat carnis Chriſti, quæ offertur, ſanctitatem; cum azyma ex grano, hoc eſt ipſius ſarina, aqua, & igne fiant, granum Chriſti Corpus, a-

qua,

qua Animam, & ignis Verbum divinum denotat, quod humanitatem ex anima, & corpore coaleſcentem aſſumpſit. Cardinalis Humbertus cauſſam quoque affert, ob quam Latina Eccleſia azyma fermentato pani antepoſuerit, quia in ſacris litteris azyma nunquam in malam partem ſumuntur, immo commendantur potius, tum a Paulo loco ſupra citato, tum alibi; ſecus vero fermentatum. Chriſtus enim ait, *cavete a fermento* Phariſæorum, & Paulus *expurgate vetus fermentum &c.*

Nec deeſt in fermentato, quod Orientalis uſurpat Eccleſia, ſignificatio, quæ ad Dei cultum fovendum [illegible] conferat. 1. Fermenti uſu ſignificatur, illum qui celebret mentem ad Cœlum attolli oportere, ut ſpiritualia, & cœleſtia contempletur. 2. Incarnatio ſive unio hypoſtatica Verbi cum humanitate, quod Verbum hac unitione ita ſeſe naturæ immiſceat humanæ, quemadmodum farinæ fermentum, quod totam acrimonia ſua pervadit. 3. Fermentati uſu Græci ſeſe deteſtari profitentur Ebionæos, Nazaræos, aliosque Hæreticos, qui primis Eccleſiæ ſæculis in Oriente præſertim fuere, ac legalia una cum Evangelio ſervanda eſſe contendebant. Atque hinc factum eſſe arbitror, ut Orientalis Eccleſia ab antiquis temporibus fermentatum azymis præpoſuerit.

*Nota*. Fermenti nomen apud antiquos Eccleſiæ Patres non ſignificat panem fermentatum, ſed Euchariſtiam, quæ ab Epiſcopo conſecrata ad Presbyteros mittebatur, ut ii illius participatione ſe ab Epiſcopi communione neutiquam ſeparatos demonſtrarent, ut ſcribit Innoc. I. in Epiſt. ad Decentium c. 5. Ita enim Euchariſtia appellabatur, tum ut hoc obſcuriori vocabulo myſterium occultaretur; tum etiam quia Euchariſtia Eccleſiis ad quas mittebatur ex quocunque pane confecta eſſet, fermenti vicem præſtabat, eiſque unionis inter ſe vinculum eſſet, ſicut fermentum maſſæ, cui commiſcetur, ut inquit P. Syrmundus c. V. diſſer. de azymo.

*Quæres*, utrum Latinis fermentatum, & Græcis azymum indifferenter conſecrare liceat?

Lutherani, & Calviniani, cum Eccleſiæ præcipiendi, ſive ferendi leges auctoritatem adimant, liberum cuique eſſe docent, azymo aut fermentato uti, ac fermentatum azymo præferunt, quod antiquitus uſurpatum arbitrentur: vera autem hujus prælationis cauſſa eſt, quia Latina ac Romana Eccleſia, cujus judicio damnati ſunt, azymum adhibet, ac præcipit unicuique Eccleſiæ ut ſuum morem ſequatur.

Horum errorem funditus evertimus iis argumentis, quibus in Eccleſia ineſſe ferendarum legum poteſtatem demonſtravimus. Hic ergo Eccleſiæ præceptum unice proferemus. In Florentinæ Synodi definitione hæc habentur: *Sacerdotes in altari ipſum Domini Corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem*. Igitur adeſt Eccleſiæ præceptum, quo Latini in azymo; Græci vero in fermentato conſecrare jubentur. Nec ulla eſt hac de re inter Catholicos controverſia; ſed cum Latinus ſpectari poſſit prout verſatur in Orientalium partibus, & Græcus ut moram facit in Latinorum locis, ubi non ſunt proprii Ritus Eccleſiæ.

*Quæri* ulterius ſolet, num Sacerdos Latinus in locis Græcorum, ac Græcus in Latinorum Urbe poſſit Euchariſtiam juxta loci Ritum conſecrare?

Reſponſio ex iis, quæ de obligatione manendi in ſemel ſuſcepto ritu diſputavimus, facile patet. Nam ſi Latinus etiam in Oriente, qua ratione poteſt, tenetur proprium ritum ſervare; & ſi Græcus in Latinorum locis eamdem obligationem retinet, quin ritum inconſulta Apoſtolica Sede mutare poſſit; palam eſt, Græcum in Latinorum locis, ac Latinum in locis Græcorum teneri ad proprium Ritum ſervandum, dum Euchariſtiam perficit. Neque enim, ut ibi oſtendimus, a loco pendet lex illa Eccleſiæ, quæ proprium cuique Ritum ſervare jubet. Sed circa obligationem ſervandi proprium ritum in celebratione Euchariſtiæ, peculiares quoque adſunt Eccleſiæ leges. Præter ea, quæ ex Florent. Synodo attulimus, adeſt S. Pii V. Conſtit. incip. *Romani Pontificis* 13. Kal. Sept. 1566. in qua hæc leguntur verba: *Quibuſvis Presbyteris tam Græcis, quam Latinis in virtute ſanctæ obedientiæ inhibemus, ne deinceps Presbyteri Græci, præcipue uxorati, Latino more, & Latini Græco ritu, ſub hujuſmodi licentiarum, aut facultatum, aut quovis alio prætextu Miſſas, & alia divina officia celebrare, aut celebrare facere præſumant*. Et Bened. XIV. Conſt. *Etſi Paſtoralis*, §. VI. n. 12. Prædeceſſorum, ac Florentinæ Synodi legem inculcans, *diſtrictius*, inquit, *inhibemus, etiam ſub pœnis perpetuæ ſuſpenſionis a divinis, ne Presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco ritu, ſub quovis licentiarum, & facultatum Miſſas, & alia divina officia, Græci Latino more, & Latini Græco ritu celebrandi, ab Apoſtolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam majori Pœnitentiario pro tempore exiſtente obtentarum prætextu, Miſſas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præſumant*. Denique prohibet ne Latinus Parochus Pyxidem in Ciborio cum Particulis ſub ſpecie fermentati pro communione Græcorum, aut Parochus Græcus ſub ſpeciei azymi pro communione Latinorum *in quacumque Eccleſia ſua Altari retineat*, jubetque *ut unuſquiſque Sacerdos nonniſi in ſuo ſive Græco ſive Latino ritu Euchariſtiam fidelibus porrigat*. Præterea ne Laici Latini Communionem ſub ſpecie fermentati a Presbyteris Græcis recipiant omnino interdicit; Græcis tamen Laicis permittit, *ut ubi propriam Parochiam non habent, poſſint, ſi velint in Eccleſia Latina Euchariſtiam ſub ſpecie azymi a Sacerdotibus Latinis ſumere*. Hæc pro Græcis in Italia degentibus ſtatuta ſunt.

Atque hinc patet, *Primo* errare *Ledeſmam* a Vericello citatum, qui cenſet teneri Latinum per Græcorum regionem tranſeuntem Græco more celebrare, ac Græcum Latino ritu in locis Latinorum: Nam antedictæ Conſtitutiones ſunt pro Græcis, qui ſub Latinis Epiſcopis degunt, atque adeo in Latinorum locis. *Secundo* errare *Suareſium*, *Vaſqueſium*, aliosque, apud Verricellum Tit. VIII. q. 185. qui aſſerunt Sacerdotem Græcum, qui perpetuum inter Latinos domicilium ſtabilierit, teneri ad celebrandum Latino ritu; nam Eccleſia præcipit, proprium ritum ſine Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione mutare non poſſe, jubetque etiam eos, qui in Italia ſub Latinis Epiſcopis fixum domicilium habent, proprio more Miſſas aliaque divina officia celebrare debere. *Tertio*, errare quoque *Verricellum* ipſum, dum loco citato ait, poſſe Latinum Græco more, Græcum vero La-

tino



tino ritu celebrare in locis, in quibus proprii Ritus Eccleſiæ non adſint, quod poſſint ſeſe loci conſuetudini accommodare. Nam Eccleſia præcipit cuique proprium ritum ubique ſervare, ut diximus cap. XV. ac diſtrictius jubet, Sacerdotem quemque juxta propriæ Eccleſiæ conſuetudinem ubique terrarum Miſſas celebrare debere. Neque Auguſtini conſilium, quod habetur Epiſt. 118. ad Januar. quoque mores eorum quibuſcum vivimus ſequi monemur, ad rem facit. Nam ſi quiſque morem ſequi poſſet Eccleſiæ in quam deveniat, poſſet pro libitu ritum ſemel ſuſceptum deſerere, illumque amplecti, quem Eccleſia teneat, in quam venit: Id vero Apoſtolicæ Sedis auctoritate prohibitum eſt. Deinde Auguſtini regula ad conſuetudines legeſque illas ſpectat, quæ a loco pendeant, quibus ſubjici debet quicumque in loco ubi vigeant, verſetur. At obligatio in ſuſcepto ritu, illumque ſervandi qua ratione poſſit, & celebrandi Miſſas, & officia juxta propriæ Eccleſiæ morem, perſonas afficit, quæ ſuſcipiendo Baptiſma, vel Ordines, ex Eccleſiæ lege adſtricti ſunt ad perſeverandum in ſuſcepto ritu, ac more propriæ Eccleſiæ celebrandum. Vide in c. XV. quæ diximus de obbligatione, quam quiſque habet manendi in ſemel ſuſcepto ritu.

Ex iis optime concludit Verricellus, non licere Sacerdoti Latino uti fermentato in Eccleſia Græca, nec Græco in Eccleſia Latina azymo, etſi Populus diu deberet Sacrificio privari, & proximus abſque Viatico decedere. Quia utilitas communis privatorum commodis præferenda eſt; ad communem vero utilitatem pertinet Eccleſiæ ſervare præſcriptos ritus: &, quia præceptum ſumendæ Euchariſtiæ in articulo mortis, & audiendi Sacri in diebus feſtis non obligat niſi dum Sacrum celebrari poſſit, ſervatis legibus, ac ritibus ab Eccleſia ſtabilitis. Igitur, ut Sacerdos non jejunus celebrare nequit pro communicando moribundo, vel ut populus audiat Sacrum die feſto; ita Sacerdos Latinus nequit in fermentato conſecrare contra Eccleſiæ præceptum, ut populus Sacrum audiat, vel ut morti proximus Euchariſtiam ſumat.

In parando fermentato pane ad altaris Sacrificium deſtinato magna eſt Orientalium cura & diligentia. De Græcis ſcribens Chriſtophorus Angelus homo ritus Græcanici peritus libello, quem Græce vulgavit, de præſenti Eccleſiæ ſuæ ſtatu, *panem*, inquit, *accipit Sacerdos, quem vir, vel mulier aliqua, modo purus idem, mundaque eadem fuerit, die antecedente paravit .... antequam vero panis ille excoquatur, ſignaculum illi prius ligno aliquo cui litteræ hæ inſcriptæ, Jeſus Chriſtus vincit, imprimunt.* Nec minor eſt apud Ruthenos diligentia, ut teſtatur Guagninus, Æthyopes etiam mirabili quadam arte, & cura panem hunc præparant, teſte Franciſco Alvares, Peregrinationum Æthyopiæ c. 11. Jacobitæ denique, & Neſtoriani non ſecus ac Græci, Syrique Melchitæ magno ſtudio oblatitios fermentatos panes parare ſolent; fabulantur vero Neſtoriani vetus fermentum, quod ad panem hunc præparandum utuntur, ſe ex majorum traditione ab Apoſtolis accepiſſe. Ad figuram quod ſpectat, Græci ut plurimum non rotundam, ſed in quatuor ramos ad modum Crucis extendunt, inquit Allatius; Orientales reliqui peculiari ſolent ac myſtica hunc panem figura donare.

Plerique ſolent oleum cum ſale fermentato pani admiſcere; qua quidem mixtione ſi oleum panis naturam non mutet, inepta materia non fit. Conſuetudo hæc apud Neſtorianos, & Jacobitas ex eo orta videtur, quod oleo uti comperint, ut facilius maſſæ ſigillum imprimerent, eamque coctam felicius e frixorio extraherent; ſed progreſſu temporis ab imperita gente, fortaſſe etiam ut ritus ſacer hæc olei admixtio habita eſt. Extat hac de re decretum Cong. particularis de P. F. quod ſequitur: *Relata inſtantia Adeodati Archiepiſcopi Damaſci, & ejuſdem nationis Jacobitarum, pro facultate celebrandi Miſſam Ritu Chaldaico cum Miſſali Maronitarum: & una ex Liturgiis, quæ in eodem Miſſali fuerunt a Sede Apoſtolica approbatæ, introductoque in Congregationem prædicto Archiepiſcopo, & mediante interprete de pluribus circa materiam Sanctiſſimæ Euchariſtiæ interrogato: Congregatio cenſuit, ſi Sanctiſſimo placuerit, facultatem petitam eſſe Oratori concedendam, injuncto illi præcepto, ne oleum adhibeat, cum durior fieri poſſit maſſa, in eaque ſine oleo, ut Græci faciunt, formam, ſeu ſigillum cum crucibus, punctis duodecim Apoſtolorum, & LXXII diſcipulorum ſignificantibus imprimi, & in clibano coqui in loco frixorii, in quo Jacobitæ ſuas ſolent hoſtias oleo litas coquere. Præterea Congr. juſſit, ut dictus Archiepiſcopus præſentibus Magiſtro Sacri Palatii, & Secretario Ingolo cum maſſa fermentata & oleo more ſuæ nationis, hoſtiam conficeret, ut poſſet experimento comprehendi, an oleum dictam maſſam ingrediatur, quod ſequenti die idem Archiepiſcopus fecit. Nam delata maſſa fermentata, oleo ſiniſtram manum unxit, ut poſſet ab ea libere ſeparari, & formam ligneam ſimiliter unxit, in qua erant prædictæ cruces & puncta pro ſigillo imprimendo, ex quibus actionibus idem Magiſter Sac. Palatii manifeſte cognovit, oleum non ingredi maſſam, & a Jacobitis adhiberi ob ſolas duas rationes, ut ſcilicet imprimi poſſit ſigillum, & maſſa in frixorio coqui; cenſuit tamen idem Magiſter ſtandum eſſe in decretis, ut ſine oleo maſſa durior effecta, fiat ab Archiepiſcopo hoſtia nam ſigillum facile imprimi poterit, ſi maſſa modice aſpergatur farina, & deinde in clibano coquatur.* Sac. Cong. de P. F. 22. Junii 1633. Atque hinc patet merito doctiſſimum P. Berti de Theol. diſc. lib. 33. c. 5. Theſi 2. reprehendere Jacobitas ob olei in oblatione mixtionem, non vero eos, qui parum ſalis pani admiſceant, tum ad conciliandum eidem ſaporem, tum alias ob myſticam aliquam ſignificationem; nam mixtio ſalis, panis naturam non mutat, nec quidpiam Sacramenti venerationi contrarium ſecum fert: quamobrem tolerari debet, ubi ex antiquo tempore uſurpari ſoleat: dummodo hanc mixtionem neceſſariam non habeant.

Altera materiæ Euchariſtiæ pars eſt vinum de vite: ſive album, ſive rubrum, ſive alterius coloris ſit, apta materia eſt, cum non color ſed ſubſtantia liquoris ex uvis vitis expreſſi a Chriſto Domino ſtabilita ſit hujus Sacramenti materia. Quod quidem notandum duxi, ut quiſque intelligat Moſcovitas in manifeſto verſari errore, ſi credant, ut Auctores nonnulli referunt, ſolum vinum rubrum aptam eſſe Eucha-

cha-

chariſtiæ materiam. De vino duo diſcutienda efferet dubia Orientalis Eccleſia, alterum ſcilicet conſuetudo, quæ in Æthyopia, & apud Syros nonnullos viget, de adhibendo, ob vini penuriam, liquore ex uvis paſſis expreſſo; alterum vero Armenorum error, qui cenſent nefas eſſe vino modicum aquæ miſcere; quibus & tertium addemus, de aqua fervente, quam Græci peracta jam conſecratione in calicem mittunt.

*Quæres* 1. Utrum liquor ex uvis paſſis, & zebibo expreſſus licite, ac valide in Euchariſtia perficienda uſurpetur.

*Nota* 1. Fagundez præcept. 3. lib. 2. c. 3. ita ſcribit: *Scio in Æthyopia ex defectu vini aſſumere Catholicos, & Patres noſtræ Societatis uvas paſſas, & eas aqua ſuperinfundere, quoadusque lenteſcant, & poſtea exprimunt, ex quibus fit vinum, in quo conſecrant, ſatis generoſum, & primus Auctor hujus rei fuit ſanctiſſimus Vir Andreas de Ovido Patriarcha ejuſdem Æthyopiæ.*

*Nota*. 2. Ann. 1703. die 14. Februarii propoſitum fuit dubium a P. Joſepho de Hieruſalem Ord. Min. Strict. Obſ. ac Miſſionibus Æthyopiæ Præfecto, an liceat Miſſionariis celebrare cum vino ex *zebibo*, vel uvis paſſis expreſſo, ut in Regionibus illis fieri ſolet: *Sanctiſſimus auditis votis Eminentiſſimorum mandavit exquiri prius per R. P. D. Aſſeſſorem a dicto P. Joſepho, quo practice modo conficiatur vinum ex uvis paſſis, vel zebibo (in Æthyopia) & poſtea iterum formari, & proponi idem quæſitum cum dicta expreſſione vel declaratione ante DD. Conſultores, & ſucceſſive in Congregatione coram Sanctitate ſua habenda.* Reſponſum deinde fuit a ſupra dicto P. vinum hujuſmodi in hunc fieri modum: ſumuntur e. gr. 4. lib. zebibi, franguntur, atque in apto vaſe tunduntur, ac deinde totidem frigidæ aquæ libræ in idem vas infunduntur, eaque in infuſione ſervantur per ſex, octo, vel ad ſummum decem horas; extrahitur poſtea zebibi vel uvæ paſſæ materia, eaque ab exteriori aqua purgata, aut panno ſtringitur, vel torculari premitur. Liquor inde expreſſus vinum eſt, quo ſine ulteriori diligentia utuntur, dum celebrant. Hac præmiſſa explicatione fuit iterum propoſitum dubium, *ac lectis quoque relationibus, & rationibus P. Joannis Damaſceni Conſultoris, nec non variis experimentis factis pro eruendo dicto vino, Sanctiſſimus auditis votis Eminentiſſimorum* dixit, *licere, dummodo liquor extrahendus a zebibo vel uvis paſſis ex colore, odore & guſtu dignoſcatur eſſe verum vinum.* S. C. S. Off. 22. Julii 1706.

*Reſp.* Iis præmiſſis, ubi vinum deſit, ut revera deeſt in Regionibus illis, in quibus hoc utuntur liquore, valide, ac licite uſurpatur, ſi tamen ex colore, odore, atque ſapore cenſeri poſſit verum vinum. Nam liquor ex uvis de vite extractus eſſet, atque iis qualitatibus deprehenderetur, uvas illas paſſas, vel zebibum ex decoctione non mutaviſſe uvæ naturam. Quamobrem probare non poſſum Verricelli reſponſionem, qui negative reſpondendum cenſet, *quia zebibum eſt adeo decoctum ab igne, non poſſit ex eo confici ſimpliciter vinum, ſed vinum ſecundum quid, cum addito, nempe vinum coctum, ſeu ſapa*: nam zebibum uva eſt; ignis vero, vel ſolis calore exſiccata, ſi poſt infuſionem in aqua, liquorem exprimat, qui colorem, odorem, saporemque ſervet vini: non video, cur verum vinum cenſeri nequeat, quod accidentario tantum ab alio differat.

*Quæres* 2. An loco vini in utraque purificatione, ubi magna ſit vini penuria, licite adhiberi poſſit tantum aqua.

*Reſp.* Sac. Congreg. S. Off. 14. Julii 1707. ad hujuſmodi quæſitum propoſitum ab Epiſcopo Quebecenſi, reſpondit, *citra maximam vini penuriam ſervandas eſſe pro viribus Rubricas Miſſalis Romani, præſertim in purificatione, ſeu prima ablutione.* Dum vero tanta ſit vini penuria, ut niſi Sacerdotes aqua tantum uterentur in purificatione, coacti eſſent pluries ad non celebrandum, adhiberi poſſe ſolam aquam; declaravit Congr. de P. F. in reſponſione ad dubia propoſita a Miſſionariis Sinenſibus die 23. Januarii 1665.

Vino parum aquæ miſcet, tum Occidentis, tum Orientis Eccleſia. In Occidente id omittunt Lutherani, Calvinianique, quod conſuetudo ſit non a Chriſto, ſed ab hominibus orta, quodque præceptum, quod orthodoxa inculcat Eccleſia, Evangelicæ puritati, ac libertati adverſetur. In Oriente vero aquæ mixtionem rejiciunt Armeni. Ii in Conciliabulo ſupra citato Monophyſitas illos imitati ſunt, quos Brunus appellatos fuiſſe cenſet Julianitas, & Gajanitas, qui ut Anaſtaſius Sinaita renunciatus Antiochiæ Patriarcha an. 561. ſcribit, *vinum merum ſine aqua offerunt, ut exinde deprehendantur confiteri Chriſtum nuda, & ſimplici Deitate conſtare.* Facile autem eſt demonſtrare Eccleſiam ad Chriſti imitationem Apoſtolorum ætate ſtatuiſſe, ut vino parum aquæ miſceretur, idque habitum ſemper fuiſſe, ut Eccleſiæ præceptum. Chriſtum Dominum vino parum aquæ miſcuiſſe ex eo liquet, quod dum Paſcha celebraret more Judæorum, Euchariſtiam inſtituerit; ut etiam Armeni, ac alii Hæretici fatentur. At Judæi calicem paſchalem aqua temperare ſolebant, ut conſtat ex Miſna jod benedictione 7. ex Rabi Maimonide, aliiſque, & ex vulgari eorumdem antiquo more Proverbiorum c. 9. & Apocalypſeos c. 18. Deinde Chriſtum Dominum aqua calicem temperaſſe, teſtatus eſt Irenæus circa medium II. ſæculi lib. IV. adv. hæreſ. c. 57. inquiens. *Accipiens Dominus panem, ſuum eſſe corpus confitebatur, & temperamentum calicis ſuum ſanguinem confirmavit*: lib. autem 5. c. 2. *temperamentum calicis mixtum calicem vocat*, inquit Maſſuetus; & Cyprianus Epiſt. 63. ad Cæcilium III. ſæculo ſcripſit, *invenimus calicem mixtum fuiſſe, quem Dominus obtulit*, hoc eſt in calice vino aquam fuiſſe mixtam, ut ipſe ibidem explicat. Ergo primis ſæculis Eccleſia credebat, Chriſtum aqua vinum temperaſſe. Morem autem hunc fuiſſe imitatum, teſtatur Juſtinus Apologia 2. *Deinde*, inquiens, *ei qui Fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ, & vini*, teſtatur quoque Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. c. 12. de Chriſto dicens, *ſimiliter calicem miſcuit ex vino, & aqua, ſanctificavit &c.* Et ut mittam alios PP. omnes antiquæ Liturgiæ, Jacobi, Chryſoſtomi &c. hujus mixtionis ritum præſcribunt, illumque ſervandum præcepere Concilia, Carthaginienſe III. anno 397. celebratum, Trullanum ſupra citatum, Florentinum, & Tridentinum, quod ſeſſ. 22. cap. 7. ait: *Monet deinde ſancta Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent, tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypſi B. Joannis Populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto unio repræſentatur.* Cum res ita ſe habeant, palam eſt, Eccleſiam conſueviſſe ſemper & ubique vino modicum aquæ miſcere, idque non pro re indifferenti, ſed præcepta habuiſſe.

Græci præter frigidam aquam, quam ante conſecrationem ſolent vino miſcere, ante Euchariſtiam ſumptionem ferventem aquam infundunt in calicem, *ut ſcilicet ſanguis, & aqua quæ fluxerunt a ſancto latere Domini, & Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti tempore ſalutaris paſſionis ejus, vivifica eſſe conſtet, veluti ex vivifico deificato corpore vivificata*, ait Balſamon in Reſp. ad quæſita Marci Patriarchæ Alexandrini. Mixtio hæc damnari non poteſt: tum quod antiqua ſit, ac a Sanctis Patribus commendata: Nam præſcribitur in Liturgiis Baſilii, & Chryſoſtomi, ac laudatur a Nyſſeno orat. catech. c. 37. a Theodoreto dialogo primo inſcripto, *Immutabilis*, a Damaſceno lib. IV. c. 14. atque ab aliis Patribus; Tum etiam, quia Conſt. *Etſi Paſtoralis* §. VI. n. 2. Græco-Italis *permittitur, facta jam conſecratione, antequam Sacerdos communicet, juxta ritum in Liturgia præſcriptum, aquam ferventem ſeu tepidam in ſacrum calicem infundere.* Quamquam id Græcis permiſſum eſt, tamen errore non carent Photiani, qui Latinos, ac Orientales mixtionem hanc omittentes erroris accuſant; Nam ritum omittendo, particulari Eccleſiæ præſcriptum, non negant, nec improbant id quod Eccleſia per illum ritum ſignificare contendit, ut illi perperam arbitrantur.

### §. II. *De Forma.*

De forma Euchariſtiæ ex Orientalium Liturgiis Miſſionariorum gratia diſputaturus, plura, quæ ſunt a noſtro Auctore prætermiſſa, quæ in vulgaribus Theologis deſiderantur, proponere, atque explicare cogor. Primum enim Chriſti verba quibus unice Euchariſtia conficitur, & quorum ne unum quidem ſine gravi culpa omittere fas eſt, aliter in illis Liturgiis ſe habent, ac in noſtra latina, & in pleriſque verba nonnulla deſunt ex iis, quæ nos in Calicis conſecratione uſurpamus. Deinde in illis poſt Evangelica, & Chriſti verba, invocatio habetur Spiritus Sancti, quæ preces in omnibus Liturgiis connexas habet, quibus Sacerdos Deum rogat, ut ſuper oblata dona mittat Spiritum Sanctum, qui ſuper illa deſcendens, panem in Corpus, vinum in Chriſti Sanguinem tranſmutet. Denique tres apud Syros Jacobitas Liturgiæ reperiuntur, in quibus Chriſti verba deſiderantur, quarum prima eſt, quæ Petro Apoſtolorum Principi tribui ſolet, altera Xiſti Papæ, ac tertia Dionyſii Metropolitæ Adimeni, dicitur. Atque hinc tria oriuntur dubia, 1. Num Orientales omnes Chriſti verba ad conſecrandam Euchariſtiam





neceſſaria exiſtiment? 2. Num neceſſariam ſaltem putent una cum Chriſti verbis invocationem, ut Euchariſtia perficiatur? 3. Num Orientales Chriſti verba teneantur recitare, ac in Liturgiis ponere, ea ratione, qua in canone Latinorum reperiuntur? Hujus autem quæſtionis neceſſitas ex eo pendet, quia communis apud Theologos noſtros opinio eſt, non poſſe ſine gravi culpa ex verbis illis vel unum omitti: & quia nonnulli Thomiſtæ putant, omnia quæ in Calicis conſecratione nos adhibemus verba eſſe ad conſecrandum neceſſaria. Acceſſit etiam fuiſſe nonnullos, qui hac de cauſſa non ſolum Orientales reprehendere, ſed earum Liturgias ſua corrigere auctoritate auſi ſint.

Inter Orientales circa hujuſmodi controverſiam, minora fuere, ac inter Latinos diſſidia. Nam omnes ſemper faſſi ſunt ac etiam nunc fatentur, Chriſti verba: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus &c.* eſſe ad Euchariſtiam conſecrandam neceſſaria; & ſine ipſis perfici non poſſe. Item unanimi ſemper conſenſu docuerunt, præter Chriſti verba preces quoque nonnullas in Euchariſtia conficienda ſemper adhibitas fuiſſe, ac ſine precibus fieri non poſſe; quæ quidem ſententia ab omnibus Patribus, ac Theologis omnibus probata eſt; cum nec unquam hujuſmodi ſacrificium ſine precibus fieri conſueverit, nec fieri licite in ullo caſu poſſit. At Nicolaus Cabaſilas, & poſt ipſum Marcus Epheſinus, aliique pauci non ſolis Chriſti verbis, ſed etiam invocatione Spiritus Sancti, ſive precibus ea comprehenſis, Euchariſtiæ Sacramentum confici tradiderunt; En Marci Epheſini verba: *Divina munera*, inquit, *non ſolum recitatione verborum Dominicorum ſanctificantur, ſed & Sacerdotis quæ ſequitur precatione & benedictione per virtutem Spiritus ſancti.* Scilicet verba Chriſti ut ipſe exponit *per modum narrationis ſunt, noſque ad memoriam rei quæ tunc geſta fuit, revocant, & vim quaſi immittunt in dona propoſita, ut transformentur: precatio vero quæ poſtea conſequitur, & benedictio Sacerdotis revera tranſmutat, quæ jam erunt dona in ipſum prototypum Corpus & Sanguinem Domini.* Huic opinioni occaſionem dedit invocatio, quam in Orientalium Liturgiis Evangelica, & Chriſti verba conſequi aſſeruimus, & nonnullæ haud bene intellectæ Patrum ſententiæ, quæ per Chriſti verba & orationem hujuſmodi Sacramentum fieri pronunciant.

Duo quoque apud Latinos fuere XVI. ſæculo viri eruditione, & doctrina celebres, qui in Cabaſilæ abiere opinionem, alter e Dominicanorum, e Franciſcanorum familia alter. Scilicet, Ambroſius Catharinus Ord. Præd. & Chriſtophorus a Capite fontium Ordin. Min. Generalis Magiſter ac poſtea Archiepiſcopus Cæſarienſis. Ii enim ut Novatorum circa verba Chriſti cavillationes & argutias devitarent ac penitus everterent, planioremque facerent Catholici dogmatis de Euchariſtiæ conſecratione explicationem, & intelligentiam, rati ſunt, Euchariſtiam Chriſtum benedictione prius conſecraſſe, ac benedictione illa, pane in corpus ſuum tranſmutato, accepiſſe illud in manibus, ac dediſſe diſcipulis, dicendo: *Hoc eſt Corpus meum*; atque eadem ratione calicem conſecraſſe. Sacerdotes vero deinceps Euchariſtiam confeciſſe docuere per orationem evangelicis verbis præ-

præmiſſam in Latinorum Liturgiis, quæ incipit, *quam oblationem, tu Deus &c.* evangelica vero, & Chriſti verba, narrative tantum proferre, non ſignificative & effective, licet ex Chriſti mandato neceſſario ſint pronuntianda. *Fit ergo*, inquit Catharinus, *Chriſti Corpus, propter orationem præmiſſam, & ex vi pacti, & ſic defenditur mos Græcorum.* Pactum vero in eo ſitum arbitrabatur, quod Chriſtus promiſerit toties ſe præſentem in Euchariſtia adfuturum, quoties Sacerdos verba ſua: *Hoc eſt Corpus meum &c.* ea ratione, ac ordine, & modo pronunciaverit, quo ipſe pronuncianda conſtituerit. Itaque ut Chriſtus benedictione conſecravit, ita oratione conſecrat Sacerdos, qua rogat, ut panis fiat Corpus Chriſti, & vinum Sanguis; & ut Chriſtus dicendo: *Hoc eſt Corpus meum*, corpus ſuum id eſſe demonſtravit, illudque diſcipulis præbere oſtendit; ita Sacerdos faciat. Hoc autem diſcriminis Chriſtophorum inter ac Catharinum interceſſit, quod hic interna tantum, ille vero externa quoque benedictione ac miniſterio ſacerdotali, Chriſtum conſecraſſe aſſeruerit.

Horum opiniones, damnatis ab Apoſtolica Sede Opuſculis, quibus tradebantur, veluti ſepultæ jacuere, ſed hoc eodem ſeculo a Gallis nonnullis excitatæ, magno argumentorum apparatu expoſitæ, ac propugnatæ fuere a Petro *Le Brun* in expoſitione Liturgiæ Armenorum, & ab Antonio Auguſtino *Touttee* diſſ. 3. præmiſſa operibus ſancti Cyrilli. Ii vero in hanc ſe abiiſſe opinionem teſtati ſunt, ne dogma Catholicorum de *Tranſubſtantione*, validiſſimo illo argumento privaretur, quod ex invocatione deſumitur, quæ in Orientalium Liturgiis reperitur. Fuere ii ex profeſſo confutati a P. Bougantio Jeſuita, ab Urſio, Merario, Georgio Aſſemano juniore, aliiſque. Hæc quantum ad opinionem a Cabaſila excogitatam.

Inter Latinos vero aliæ quoque occurrunt hac de re opiniones, quas recenſere, ac refutare neceſſe eſt, ut ſyſtema hac de re abſolutum exhibeamus. Innocent. III. in opere de Myſteriis Miſſæ, quod ante Pontificatum ediderat, lib. 4. c. 6. ait: *Dici poteſt, quod Chriſtus divina virtute confecit, & poſtea formam expreſſit, ſub qua poſteri benedicerent. Ipſe namque per ſe virtute propria benedixit, non autem ex illa virtute, quam indidit verbis.* In eamdem ſententiam abiere Durandus Mimatenſis lib. 4. de divinis officiis, aliique, quos Catharinus, & a Capite Fontium laudant ac veluti propriæ opinionis aſſertores proponunt.

Ajunt nonnulli Scotum in 4. diſt. 8. q. 2. ad 2. docuiſſe, hæc verba, *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus* ad conſecrationem non ſufficere, ſed præcedentia neceſſario addenda eſſe, alioqui verba illa ad perſonam loquentis, non ad Chriſtum cujus nomine proferuntur, referrentur; ſed Maſtrius, Fraſſenius, Hennius aliique celebriores Scotiſtæ, Scotum a communi ſententia non receſſiſſe, demonſtraverunt.

Rurſus quamplures Theologi ſunt qui contendant, S. Thom. omnia verba, quæ a Latinis in Calicis conſecratione recitantur, neceſſaria exiſtimaſſe ad conficiendum hoc Sacramentum, pro qua opinione pugnant Gonetus, Capiſuccus, Natalis Alexander, aliique Thomiſtæ.

Armacanus ait lib. 9. q. Armenorum cap. 3. hæc eſſe in conſecratione Calicis neceſſaria: *Hic eſt Calix ſanguinis mei, novi, & æterni teſtamenti*, non vero reliqua. Alii, Marſilio teſte, addendum putant, *myſterium fidei*. Hæc quantum ad opinionum hiſtoriam. Antequam ad rem definiendam deſcendamus, operæ pretium eſſe arbitror, Evangelica, & Chriſti verba referre, qua ratione in probatis Liturgiis recitantur, ut inde facilius intelligamus, quæ fuerit hac de re Eccleſiæ a primis temporibus ſententia. Mitto vero tres illas Liturgias, quas ſupradixi, in quibus Chriſti verba deſunt. Cum enim omnium ſit, ac fuerit ſemper Orientalium ſententia, hæc eſſe omnino ſaltem ex Chriſti præcepto ad conſecrandum neceſſaria, omiſſio illa, vel amanuenſium incuriæ tribuenda eſt, vel ea de cauſſa fuere in iis illa prætermiſſa verba, quod ea Sacerdotes memoria tenerent, ac recitarent.

En itaque verba juxta formulas a Martenio collectas. In Liturgia Jacobi ita forma hæc exprimitur: *Hoc eſt Corpus meum; quod pro nobis frangitur & datur in remiſſionem peccatorum. Hic eſt Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Addit Liturgia S. Marci poſt pronomen *Hoc*, & *Hic* particulam *enim*. In Conſt. Apoſt. l. VIII. c. 17. hæc forma reperitur: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro multis frangitur in remiſſionem peccatorum. Hic eſt Sanguis meus, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* In Liturgiis SS. Baſilii, & Chryſoſtomi poſt *ſanguis meus*, additur; *novi teſtamenti*: ac ſimilis eſt Liturgia Cyrilli. Æthyopes utrique formulæ addunt, *Amen*. Mozarabes hac utuntur, *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic eſt Calix novi teſtamenti in meo Sanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* In Libris Sacramentorum, qui præ ſe Ambroſii nomen ferunt, ita legitur: *Hoc eſt enim Corpus meum quod pro multis confringetur. Hic eſt enim Sanguis meus.* Sacramentarium denique Gregorii Magni, Miſſale Romanum, Ambroſianum, & Indorum (hic addendum erat poſt correctionem) hanc habent formam: *Hoc eſt enim Corpus meum. Hic eſt enim calix Sanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* In Liturgia communi, ſive canone univerſali Æthyopum habetur. *Hic panis eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum, Amen. Hic eſt Calix Sanguinis mei, qui pro vobis effundetur pro redemptione multorum, Amen.* Iidem fere verbis aliæ Orientalium Liturgiæ eamdem exhibent formam. Facile vero patet undenam eorum ſit orta varietas, ſi ea obſerventur, quomodo ob Evangeliſtis recenſeantur. Apud Matth. legitur, *Hoc eſt enim Corpus meum. Hic eſt enim Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Apud Marcum utroque in loco omittitur particula *enim*. Apud Lucam: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur; Hic calix novum teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Paulus autem I. Corinth. 11. ita illa refert: *Hoc eſt Corpus meum: Hic Calix novum teſtamentum eſt in meo Sanguine.*

Has ego formas recenſui, eaſque cum Chriſti verbis comparavi, quæ apud Evangeliſtas leguntur, ut inde clare appareat, non poſſe Orientales reprehendi,



quod in forma eorum deſit particula *enim*, & quod in conſecratione calicis non omnia adhibeant verba, quæ apud nos uſurpantur. Atque inde duo quoque alia certo inferenda videntur: Primum Chriſti verba, quæ in Orientalium Liturgiis leguntur, eſſe ab Evangeliſtis deprompta, quod ſane ſatis ſuperque eſſe poteſt ad illorum Theologorum detegendam imperitiam, & temeritatem, qui corrigere, & ea augere propria ac privata auctoritate ſua conati ſunt. Quis enim ſine temeritate verba ex Evangelio deprompta, Patrum auctoritate commendata, & Liturgiarum uſu a primis ſeculis comprobata, emendare, ac mutare audeat? Deinde rite ac licite Orientales per illa verba conſecrare, nec cogi poſſe ad alia, quæ in liturgia noſtra reperiuntur addenda. Quibus accedit etiam ex iis nos poſſe tuto concludere, non aliis eſſe inditam vim conſecrandi verbis, quam iſtis, *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus*, vel *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, non ſolum ob communem Theologorum ſententiam Trid. Conc. auctoritate comprobatam, quod verba Sacramentorum formam conſtituentia efficere docet, quid ſignificant, ut eſt etiam a noſtro Auctore probatum; ſed præterea, quia hæc unice ſunt verba, quæ a Patribus omnibus commendantur, ac in omnibus reperiuntur liturgiis; quod argumentum eſt, fuiſſe hæc ſemper, & ubique veluti neceſſaria ad conſecrandum reputata; alia vero hiſtorice, & ex præcepto tantum Eccleſiæ adhibita. Hic tamen moneo præceptum hujuſmodi, cum de re graviſſima ſit, gravem obligationem inducere, quo fit, ut graviter peccet, qui vel unum ex iis, quæ in jam probatis Liturgiis habentur, libere prætermittat. Venio nunc ad noſtrum hac de re ſyſtema per propoſitiones explicandum.

## PROPOSITIO I.

*Chriſtus verbis uſus eſt, non interna tantum benedictione dum Euchariſtiam conſecravit.* Primum hæc aſſertio inde probari poteſt quod Sacerdotes ea ratione conſecrent, qua Chriſtus hujuſmodi Sacramentum in inſtitutione perfecit; Is enim, quod prior ipſe feciſſet, deinceps facere præcepit, cum dixit. *Hoc facite in meam commemorationem.* Sacerdotes vero per verba conſecrant; & quidem ita conſecrant ut verba Chriſti, Chriſti nomine, ac veluti illius perſonam gerentes, pronuncient, dicendo, non *Hoc eſt Corpus Chriſti*, ſed *Hoc eſt Corpus meum*. Hinc quid noſtra conſecratio eſt, inquiebat Chryſoſt. hom. 83. in Matth. niſi illius repetitio, quam Chriſtus peregit?

Deinde Chriſtus Sacramentum inſtituens, qua Deus: & conficiens, qua homo erat, ſacramentalem ritum inſtituere, ac adhibere debuit, ſcilicet materiam, & formam adhibere, junctis ſcilicet pani verbis; *accedens enim verbum ad elementum fit Sacramentum*, inquit Aug. tract. 80. in Joan. Accedunt præterea auctoritates Sanctorum Patrum, quas infra recenſebimus. Hinc Trid. Syn. ſeſſ. 13. c. 1. ita de Euchariſtia loquitur: *Hoc admirabile Sacramentum in ultima cœna inſtituit, cum poſt panis vinique benedictionem, ſe ſuum corpus præbere, ac ſuum ſanguinem diſertis verbis teſtatus eſt, quæ verba a ſanctis Evangeliſtis commemorata, a Divo Paulo poſtea repetita ſunt.* Satis indicant Tridentini Patres poſt benedictionem panis vinique, verba proferendo inſtituiſſe, ac perfeciſſe Euchariſtiam.

At inquiunt, benedictio idem ac conſecratio eſt, quam ob rem Paulus I. ad Cor. 10. v. 16. *Calicem benedictionis*, vinum conſecratum appellavit: & dum Chriſtus dixit, *Hoc eſt Corpus meum*, jam antea panem in ſuum fuiſſe Corpus tranſmutatum ſignificavit: ergo per præmiſſam benedictionem ab Evangeliſtis commemoratam, dum dixere: *accepit panem, benedixit &c.*

Sed levis eſt momenti hæc conjectura. Cum enim Chriſtus Sacramentum inſtituerit, & confecerit, illudque nobis ad ſui intentionem perficiendum mandaverit, & verba adhibuiſſe, ut Sacramenti natura expoſcit, & verba talia, quæ rem ſignificatam efficerent, præſumendum eſt. Quæ ſola præſumptio plus quam illa conjectura valet. At præterea verba ipſa ab Evangeliſtis commemorata habemus, quæ id ſignificant, quod in Euchariſtia fit, quæ ſemper fuere a Sacerdotibus uſurpata, quæque adhibuiſſe Chriſtum, teſtantur veteres Patres, ac omnium Eccleſiarum traditio comprobat. Itaque benedictio, & gratiarum actio ritus fuere a Chriſto inſtitutioni Euchariſticæ præmiſſi, non conſecratio: id oſtendit vox aoriſtica in Evangelica hiſtoria uſurpata εὐλογήσας, id eſt, *cum benedixiſſet*, & εὐχαριστήσας, ſcilicet, *cum gratias egiſſet*, quæ præteritum tempus ſignificant; liquet etiam ex eo, quia Chriſtus in ultima cœna ritus ſervavit Judæorum, qui cœnæ benedictionem præmittebant, & panem cum gratiarum actione frangebant. Hinc Eſtius, aliique viri graviſſimi improbabilem omnino putant opinionem, quæ benedictione Chriſtum conſecraſſe autumat, & in I. ad Cor. c. 2. poſt Janſenium obſervat, Jeſum magna aggreſſurum miracula in Cœlum oculos elevare, ac Patri gratias agere conſueviſſe, ut præſtitit ſuſcitaturus Lazarum, & panes multiplicaturus. Rurſus non deſunt, qui eiſdem verbis benedictionem & conſecrationem a Chriſto peractam putent, quod paſſim Patres conſecrationem, & *myſticam benedictionem* indiſcriminatim accipiant: ut S. Th. 3. p. q. 78. art. 1. ac alii poſt ipſum; & revera, quod conſecratur, cœleſti benedictione repletur. Si autem iis opponas fuiſſe benedictionem conſecrationi præmiſſam, reſpondent, non ſemper Evangeliſtas res narrare, quo geſtæ ſunt ordine, ut pluries obſervavit Auguſt. l. *de conſenſ. Evang.* Ad tollendam vero æquivocationem neceſſe eſt duplicem diſtinguere benedictionem, alteram pro oratione uſurpatam ſacris muneribus conſecrandis facta, quam Chriſtum more Judæorum Paſche celebrando præmiſiſſe puto, & quam a conſecratione diverſam habeo; alteram vero, quæ myſtica dona immutat, redditque ſancta, benedicta, vivifica, quæ ipſa conſecratio eſt, quam innuit Paulus loco ſupra laudato.

*Nota.* Etſi vera eſt hæc noſtra ſententia, ut ego arbitror, præſertim ob Tridentini ſupra relata verba, ac Conc. Florent. decretum, quo verba, quibus *Chriſtus hoc Sacramentum confecit*, hujus Sacramenti forma declaratur; tamen nulla Eccleſiæ aperta definitio adeſt, quæ oppoſitam opinionem proſcripſerit. Id teſtantur Ambroſius Catharinus in fine opuſculi 2. Alphonſus Salmeron, circa finem tract. 13.

Juvenin, Tournely, Du-Hamelius, Berti, aliique. Nec eſt veriſimile Eccleſiam voluiſſe damnare opinionem, ad facilius refutandos Hæreticos excogitatam, & quam Innoc. III. ſupra citatus probabilem aſſeruerat, ac propugnant Guido Bononienſis, Durandus, aliique a Catharino, & a Capite-fontium recenſiti.

## PROPOSITIO II.

Euchariſtiæ forma Chriſti verbis continetur, *Hoc eſt &c. Hic eſt Calix &c.*

Hæc propoſitio, quæ paucos ex Orientalibus, ex Latinis vero minores adverſarios habet, poteſt primum ex eo demonſtrari, quod verba, quibus Sacramenta fiunt, a Deo qui vim ipſis indidit, ſunt inſtituta: At præter verba illa *Hoc eſt &c.* ubi ſunt verba, quæ Deus pro Euchariſtia conficienda determinaverit? Hoc ſolum ſacri Scriptores commemorant, hæc unice Chriſti ac divina verba eſſe tradidere Patres, ac ea tantum ex iis, quæ conſecrationi neceſſaria habentur ſacræ Liturgiæ a Chriſto determinata aſſerunt. Quis enim eſt, qui Spiritus Sancti invocationem, preceſque, a Chriſto adhibitas, inſtitutas, commendatas ſcripſerit? Eccur potius preces illas ab Eccleſia humana inſtitutas auctoritate non dicimus? Diſcurre per officia Sacramentorum omnium cum Orientalis, tum Occidentalis Eccleſiæ, in omnibus reperies invocationes preceſque, quibus Miniſtri rogant ut Deus per Spiritum Sanctum ſuum, gratiam illam conferat, quam per illa ſe collaturam promiſit Sacramenta. In iis preces illæ ab Eccleſia inſtitutæ generatim creduntur, ac a forma Sacramentorum omnino diverſæ habentur, immo & vere perfici Sacramentum ſine illis firmiſſime creditur. Cur ergo uni Euchariſtiæ hæ preces neceſſariæ putantur? Verum eſt Euchariſtiam, quæ neceſſitatis Sacramentum non eſt, non poſſe, ut Baptiſma, & Pœnitentia, in ullo caſu licite ſine illis confici; quo ſenſu eſt a Patribus nonnullis aſſertum ſine precibus non fieri. At inde nefas eſt concludere formam conſtituere. Sed videamus, quid utriuſque Eccleſiæ Patres, quid traditio Eccleſiarum, quidve Liturgiæ ipſæ nos doceant.

Incipio a Latinis. Tertul. lib. IV. contra Marcionem c. 40. ait: *Accepit panem, & diſtributum diſcipulis Corpus illum ſuum fecit dicendo: Hoc eſt Corpus meum.* Apud Cyprianum Auct. ſerm. de cœna Dom. ait: *Ex quo a Domino dictum eſt, hoc facite in meam commemorationem: Hæc eſt Caro mea: Hic eſt Sanguis meus, quotieſcumque his verbis, & hac fide actum eſt, panis ille ſubſtantialis, & Calix ſolemni benedictione ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutemque proficit.* Ambroſius l. de Myſt. c. 9. n. 52. *Quod ſi tantum*, inquit, *valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi verba ipſa Domini Salvatoris operantur?* & n. 54. ſequitur, *Ipſe clamat Dominus Jeſus: Hoc eſt Corpus meum. Ante benedictionem verborum cæleſtium alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem Corpus ſignificatur.* Eadem vel ipſe, aut quiſquis eſt Auctor Libror. de Sacram. qui Ambroſii nomine circumferuntur, lib. 4. cap. 4 n. 14. ait, ſcribens, *ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentum*, & n. 19. *fit Sanguis conſecratione verbi cæleſtis*, tom. 5. n. 23. *antequam conſecretur, panis eſt, ubi autem verba Chriſti acceſſerint, Corpus eſt Chriſti.* Ne autem putent orationem ab Ambroſio verba Chriſti nuncupari, audi ipſum loc. cit. de Myſt. ita loquentem. *Ipſe clamat Dominus Jeſus, Hoc eſt Corpus meum*, & IV. de Sacr. cap. 5. n. 21. *Illa verba Evangeliſtæ ſunt uſque ad Accipite. Inde verba Chriſti.* N. vero 14. *Conſecratio autem, quibus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini Jeſu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur in ſuperioribus, a Sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris. Ubi venitur, ut conficiatur Venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus utitur Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti.* S. Auguſtinus ſerm. de diverſ. 227. alias 83. inquit, *Panis ille quem videtis in Altari, ſanctificatus per verbum Dei, Corpus eſt Chriſti. Calix ille, immo quod habet Calix ſanctificatum per verbum Dei, Sanguis eſt Chriſti*: Verbum autem Dei eſt ſermo ille Chriſti, *Hoc eſt &c.* ut ex Ambroſio, aliiſque Patribus aperte conſtat. Hic notare juvat Ambr. loc. cit. de Myſter. c. 6. dicere, per benedictionem panem conſecrari, ſive illius *naturam mutari*; & Aug. l. 3. de Trin. c. 4. aſſerere, *Euchariſtiam prece myſtica conſecratam*, ubi uterque verbis Chriſti precum, vel benedictionis nomen tribuit. Euſebius Emiſſenus Homil. in Ramis palmarum, *dixit*, inquit, *Chriſtus, tunc per ſe & modo per ſuos Miniſtros, Hoc eſt Corpus meum: & tanta eſt ejus verbi virtus & efficacia, ut ſtatim fiat, quod dicitur.* Ita Auctor quoque loquitur ſermonis 28. *de verbis Domini*, qui Auguſtino tribuitur, & ſerm. 5. de Paſchate, qui nomine Euſebii Emiſſeni circumfertur. Quibus addimus Paſchaſium l. *de Corpore & Sanguine Domini*, c. 12. & c. 15. Remigium Antiſſiodorenſem, Stephanum Eduenſem, alioſque a Martenio citatos; ex quibus ſufficienter probamus univerſalem Patrum Latinorum cujuſque ætatis ſententiam, ſatis etiam ſignificatam, & explicatam in Conciliis Florent. & Trid. occaſionem dediſſe Rubricæ juſſu Pii V. Miſſali Romano præmiſſæ, quæ tit. *de defectu panis*, hæc habet: *Si celebrans ante conſecrationem, advertit hoſtiam eſſe corruptam, aut non eſſe triticeam, remota illa hoſtia, aliam ponat, & facta oblatione, ſaltem mente concepta, proſequatur ab eo loco ubi deſivit. Si advertit poſt conſecrationem, etiam poſt illius hoſtiæ ſumptionem, poſita alia, faciat oblationem ut ſupra, & a conſecratione incipiat, ſcilicet illis verbis: Qui pridie &c. Quod ſi hoc contingat poſt ſumptionem ſanguinis, apponi debet rurſus novus panis, & vinum cum aqua, & facta prius oblatione ut ſupra, Sacerdos conſecret, incipiendo ab illis verbis: Qui pridie &c.* Quæ ſane innuunt ſine precibus, & invocatione, Latinæ Eccleſiæ judicio Euchariſtiam conſecrari. Venio nunc ad Græcos Patres: Primo loco afferemus Juſtinum Martyrem. En verba ex Apol. 2. circa finem deprompta, ubi Euchariſtiam conſecrari ait: δι' εὐχῆς λόγου per orationem Verbi; nomine autem εὐχῆς non effuſam deprecationem, ſed expreſſam a Chriſto Dei Verbo, animi ſententiam, verbis deſignat, cum paullo poſt, Verbi orationem ſive deprecationem illam fuiſſe afferat, quæ in Evangelio reperitur, nempe, *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus.* Atque hic notent velim Adverſarii, ἡ εὐχὴ, ſeu *precationem*, vel orationem Græcos Patres illam Chriſti orationem vocare, qua dixit, *Hoc eſt Corpus meum*, ſive quod vox illa quamlibet animi ſententiam verbis expreſſam ſignificare quoque valeat, ut nonnulli cenſent; ſive quod eo animo verba illa prolata quo Chriſtus eadem pronunciavit, eam præ ſe mentis humiliationem, ac deſiderium, voluntatemque ferant, quæ proferentem vere precantem conſtituat. Irenæus, qui paullo poſt Juſtinum ſæculo II. ſcripſit, lib. IV. adv. Hæreſ. c. 30. in edit. vero Maſſuet. 17. n. 5. aperte ait, Dominum vertiſſe in Corpus ſuum creaturam panis, dum dixit: *Hoc eſt Corpus meum.* Et lib. V. c. 2. n. 3. de pane, & vino, inquit, *& percipientia Dei verbum Euchariſtia fiunt.* Vides ergo Irenæum verbum Dei appellare verba Chriſti ſupra relata, quæ verba lib. IV. cap. 33. antiquæ Edit. *Invocationem Dei ... eſt Euchariſtia.* Sed audiamus Gregorium Nyſſenum, qui clarius exponit, quid hic *verbi* nomine veniat apud antiquos Patres Græcos: Orat. Catech. cap. 37. de pane ita loquitur, *ſtatim per verbum in Corpus mutatur, ut dictum eſt, a Verbo, Hoc eſt Corpus meum.* Origenes quoque in Matth. ad hæc verba, *quod intrat in os &c.* Euchariſtiam vocat *Cibum per verbum Dei & precationem ſanctificatum ſeu conſecratum*, ubi ſane totam Liturgiam deſignat, quæ preces complectitur, & verbum Dei ſeu Chriſti verba, quæ hoc nomine deſignantur. Nazianz. Orat. 2. de Paſch. ait, prolatis verbis a Sacerdote, *Hoc eſt Corpus meum, qui non credit eſſe Corpus Chriſti, certe fidem derogat.* Epiph. in Ancorato, *voluit*, inquit, *Chriſtus per gratiam dicere, Hoc eſt Corpus meum, & nemo non habet fidem ſermoni.* Ne vero nimis in longum orationem protraham, tres tantum addam ex Græcis Patribus. Chryſoſtomus magni apud Orientales nominis, hom. 2. in 2. epiſt. ad Tim. demonſtrat, eamdem eſſe oblationem Chriſti, ac Sacerdotum, quia iiſdem ii utuntur verbis, ac Chriſtus eſt uſus: *Quemadmodum*, inquit, *verba quæ protulit Chriſtus, eadem ſunt, quæ Sacerdos nunc quoque pronuntiat, ita & oblatio eadem eſt.* Et l. de Proditione Judæ, habet, *Hoc meum eſt Corpus, inquit Sacerdos; Hoc verbum propoſita in aliam formam convertit:* accedit etiam pluries Chryſoſtomum dixiſſe, Sacerdotes Euchariſtiam conficientes ita ſe gerere, *tamquam Chriſti perſonam induti, & quaſi ipſe eſſet, qui diceret, & faceret.* Quare? Quia nomine Chriſti dicunt, *Hoc eſt Corpus meum*, & Chriſti virtute ſemel verbis illis conceſſa Euchariſtiam perficiunt. Similia habet Damaſcenus lib. 4. de Fide Orth. c. 13. ait enim: *In principio dixit*, Deus, *producat terra herbam virentem, & ad hanc uſque diem accedente imbre, divino præcepto impulſa, & roborata, fœtus ſuos profert. Dixit perinde Deus, Hoc eſt Corpus meum, &, Hic eſt Sanguis meus, & hoc facite in meam commemorationem: idque omnipotenti ejus præcepto, donec veniat efficitur.* Ubi explicat fieri hæc per inviſibilem Spiritus Sancti operationem, quam per invocationem Eccleſia ſignificat, ut nos infra oſtendemus. Joannes Phurnes apud Allatium de Conſ. Occ. & Orient. Eccl. cap. XV. in Epiſt. de Ritibus in communione immutatis, ait, *Panem benedictionis videmus ab Apoſtolis ſanctificatum illis tantummodo verbis, Hoc eſt &c.* En Græcos Patres.



Diſcurramus nunc per univerſas Orientis Eccleſias, quarum unanimis hac de re conſenſus rem poteſt extra controverſiam omnem collocare. Ad Syros, quod ſpectat, ſive Neſtorianos, ſive Jacobitas, ſive Orthodoxos, ſupervacaneum duco, eorum in medium proferre teſtimonia, quorum longam ſeriem videre eſt apud Aſſemannum in Biblioth. Orientali, ejuſque Nepotem, qui eruditam de hoc argumento diſſertationem edidit, ac doctiſſimum P. Societatis Jeſu in diſſertatione præfixa ſecundo Operum S. Efrem Tomo. Ii enim oſtendunt penes hujuſmodi gentem inauditam eſſe Cabaſilianam opinionem; ac Auctores omnes, dum verba deſignant, quibus hoc fit Sacramentum, Chriſti verba recenſere, licet plures ex iis ſint, qui dum velint in *Miſſa* Euchariſtiam confici ſignificare, ſoleant quandoque aſſerere, per Chriſti verba, & Sacerdotum preces, aut invocationem perfici; quod nemo negat. Quo ad Armenos attinet, quos tanto ſtudio Brunus in ſuam trahere conatur ſententiam, adeſt Concilium ab iis coactum an. 1342. in quo palam omnes profeſſi ſunt, hujus Sacramenti formam eſſe Chriſti verba, ut legere eſt apud Martene Tom. VII. Collect. Anecdot. Adſunt præterea Fidei confeſſiones quæ tom. 5. de perpetuitate fidei circa Euchar. recenſentur, in quibus ſolis Chriſti verbis vim conſecrandi tribuitur. Harum altera ab eorum Patriarcha, quatuor Epiſcopis, & nonnullis Presbyteris Aleppi edita fuit an. 1668. altera vero Romæ a Patriarcha Hariadour. Similia exponunt aliæ fidei Profeſſiones in eodem recenſitæ opere, nempe profeſſio fidei Eccleſiæ Damaſcenæ, & Matthæi Patriarchæ Alexandrini Cophtorum, in cujus fidei confeſſione Ægyptiorum, atque Æthyopum omnium ſententia declaratur de conſecratione ſolis Chriſti verbis perficienda. Græcorum quoque in eodem inſunt opere fidei profeſſiones, idem declarantes, ſcilicet; Metropolitæ Gazæ, nonnullorum Moſcoviticæ Eccleſiæ Presbyterorum, Nicolai Spadarii, aliorumque, qui in toto Moſcoviæ imperio iſtam conſecrandæ Euchariſtiæ rationem explicari declararunt. Mitto Georgium Coreſium, Gabrielem Philadelphiæ formam hujus Sacramenti Chriſti verba ſtatuentem, & Photianos quamplurimos, quos Papadopoli recenſuit. Unum ſufficiat Palamiticum Concilium, cujus acta Jaſſis in Moldavia recuſa fuere an. 1695. In eo novitatis accuſatur atque damnatur Cabaſiliana opinio, per hæc verba: *Damnatur novitas opinionum, quas invexit in Eccleſiam Nicolaus Cabaſila, qui tribuit conſecrationem ſacrorum donorum precibus, quod nec dictum fuit ab aliquo SS. PP. nec ab ullo canone ordinatum, nec conſentit cum placitis Eccleſiæ, quæ implorat adventum Spiritus Sancti precibus, non ad panem Corpus, & vinum Sanguinem omnino efficiendum, ſed ut redundet in utilitatem noſtram.* Sed ut appareat ante Nicolaum Cabaſilam inauditam fuiſſe, in medium proferamus Græcos Patres, qui Florentino interfuere Concilio. Archiepiſcopus Nicænus ſuo, & aliorum Eccleſiam Orientalem repræſentantium Patrum, nomine, coram Eugenio P. M. ac tota Synodo: *volumus*, inquit, *adhærere ſententiis Sanctorum Patrum, & rationibus, ſpretis humanis in-*

*inventis*. Cabaſiliana ſcilicet opinione, de qua diſputatur. Et Julianus Cardinalis S. Sabinæ referens Patribus, quæ poſt diſceptationem Græcos inter atque Latinos a ſex deputatis pro expoſitione illorum, quæ definienda eſſent, ſtabilita fuerant, de Conſecrationis Euchariſtiæ forma dixit: *Græci confeſſi ſunt auditis noſtris rationibus, quod ſemper tenuerunt, quod ſolis verbis Dominicis conſecretur, & quod putarent anathema, qui aliud crederet.* Fuit inſtitutum ut hoc poneretur in definitione, *dixerunt, quod non erat neceſſarium, immo ſi hoc poneretur, Eccleſia ipſorum reciperet ignominiam, ac ſi hactenus tenuiſſet aliud. Unde cum ſemper fuerimus concordes in hoc, definitio non debet fieri, niſi dubiis, & ſumus parati confiteri, quod tenemus ſicuti vos quod in verbis ſolis Dominicis conficitur.* Si hæc, quæ Græci in Florentina Synodo expoſuerunt, cum iis conferantur, quæ ſupra indicavimus, ſatis notum eſſe arbitror, non minus in Occidente, quam in Oriente veluti Novatores habitos eſſe Cabaſilianæ opinionis propugnatores. Ex Orientalibus allata jam monumenta probant; quod vero ad Latinos attinet, addere quoque poſſumus Catharini, & a Capite-fontium opera, fuiſſe ſtatim Sedis Apoſtolicæ auctoritate proſcripta. Touſtæum vero, atque Brunum novitate opinionis plures commoviſſe in Gallia, & in Italia, qui ex profeſſo eorum opinionem, ut novam, ac etiam temerariam, ut Aſſemannus junior publice Romæ aſſeruit & propugnavit, refutaverunt. Hæc ſane rem maxime ſuſpectam faciunt. Quid vero, ſi Patrum addantur ſupra relatæ auctoritates?

Sed, inquit Brunus, Antiqui Patres uno fatentur ore, per verba Chriſti ac per preces Euchariſtiam conſecrari, & Liturgiæ omnes Spiritus Sancti invocationem habent, qua Deus rogatur ut panem vinumque tranſmutet, quæ apud Orientales ſequitur verba Chriſti, apud Latinos vero præmittitur, habeturque in oratione illa, quæ incipit, *Quam oblationem tu Deus &c.* Opinio ergo illa, inquit, de ſolis dominicis verbis Euchariſtiam conficientibus recens eſt, & poſt undecimum ſæculum ſcholaſticorum cerebro conficta, qui traducto ex Arabum philoſophia in Theologiam materiæ, ac formæ vocabulo, ac juxta a ſe excogitatum ſyſtema res metientes formæ nomen ad ſola Chriſti verba reſtrinxerunt. Sed quis hominem tam inepte philoſophantem ferat? Nam credibile non eſt in re tanti momenti, & quæ Presbyteris omnibus ignota eſſe non poterat, quamque Epiſcopi omnibus ſtatuere debemus omnino exploratam, potuiſſe ſcholaſticos novam opinionem excogitare, quæ partem tollendo neceſſariæ formulæ, potuiſſet eo tandem ut nullum conficeretur Sacramentum, nemine penitus reclamante. Ac multo minus credibile eſt tam brevi tempore hanc fuiſſe per Occidentem, & Orientem ita ſparſam, ut eam apertis ulnis amplexi ſint omnes. Itane Græcos erga Latinos affectos fingamus, ut in ipſo Schiſmatis fervore, ſtatim ac a Latinis nova, ac eorum majoribus contraria de Euchariſtiæ confectione, ſententia excogitata fuit, eam omnes amplexi ſint, nullo penitus contradicente? Tam tardi erant Sacerdotes, tam ſtupidi Epiſcopi, ut paſſi ſint omnes ſine contradictione, in ſcholis tradi, ac palam doceri opinionem, quæ oppoſita eſſet ſententiæ, quam illi didicere dum ſacrum ſuſcepere Presbyteratum; & quam iſti docere debuerant eos, qui ad ordinem hunc promoverentur? neque enim præſumi poteſt Presbyteros, ac multo minus Epiſcopos, id ignoraſſe. Immo cum per plura ſæcula circa Sacramentorum formulas diſciplina viguerit arcani, ut Schelſtratius, aliique viri docti demonſtraverunt, potius ex tradita ore ab Epiſcopis, Presbyteriſque doctrina, forma Sacramentorum, & præſertim Euchariſtiæ, quod quotidie ab ipſis conficiendum erat, quam ex ſcripto traditis monumentis, colligenda videtur. Quamobrem, cum poſtquam propriis vocabulis hujus, & cujuſque Sacramenti forma deſignari cœpit, verba tantum Chriſti hoc nomine appellata ubique fuerint, præſumendum eſt, hanc fuiſſe traditam a Majoribus ſententiam.

Sed expendamus ſophiſmata. Primum vero ſtatuo, Euchariſtiam in Miſſa confici, quæ verbis Chriſti, & precibus conſtat; quam ob rem, ut dici ſolet in Miſſa, conſecratur Euchariſtia, ita poteſt aſſeri per Orationem fieri, & verba Chriſti, quia verba Chriſti ſine reliquis Orationibus nunquam in Euchariſtia perficienda adhibentur. Deinde, Formæ Sacramentorum, invocationis, orationis, & precum nomine a Patribus deſignantur: Tertullianus, Cyprianus, & Ambroſius invocationis nomine donarunt verba quibus conficitur Baptiſma: Irenæus, & Firmilianus invocationem dixerunt verba Chriſti quibus in Euchariſtia, eademque Origenes appellavit preces, ut Huetium in Origenianis obſervat. Immo quæ Latini verba Sacramenti vocant, Græci paſſim nominant orationem & invocationem: Hinc Gabriel Philadelph. inquit: *Forma Baptiſmi eſt invocatio SS. Trinitatis.* Atque hinc liquet, Patres aliquando invocationis precumque nomine ipſa Chriſti verba deſignaſſe; quandoque vero innuere voluiſſe ea quæ Chriſti verba, quibus unice vim tranſmutandi ineſſe docuerunt, in ſacra Liturgia vel præcedunt, vel ſubſequuntur.

Quoniam vero ad invocationem nos provocat, quæ in Liturgiis reperitur; Principio, ajo, non conſtare invocationem fuiſſe a Chriſto Domino inſtitutam atque præceptam. Nam cum conſtet; invocationes, quæ in aliorum Sacramentorum adminiſtratione adhibentur, fuiſſe omnes Eccleſiæ auctoritate inſtitutas, id quoque de hac invocatione præſumendum eſt. Et jure atque merito; miſſa enim Gregorii magni auctoritate, ex qua colligunt nonnulli Apoſtolos ſola Evangelica hiſtoria, cum Chriſti verbis, & Dominica oratione conſecraſſe, doctiſſimus Maſſejus ex Irenæi fragmento probat ſecundo Eccleſiæ ſæculo non fuiſſe invocationem hanc in omnibus Eccleſiis receptam, atque in Miſſalibus Gallicanis a Mabillonio editis deſiderari, ac in antiquis nonnullis liturgiis deeſſe. Quid ergo præſidii habet in illa invocatione Cabaſiliana opinio? Expendamus vero Liturgias ipſas Orientalium. In iis præſcribitur, ut Sacerdos, cum ad evangelica verba pervenerit, recitata ſubmiſſa voce & curſum inſtitutionis hiſtoria, Chriſti verba diſtincte, & elata voce proferat, ut populus magnum opus effici moneatur; Immo in ea, quæ Marci dicitur, Diaconus populum hortatur, ut enixe oret; ac refert Maſſejus ex viris fide dignis, Orientales, dum ea proferuntur, caput demittere, & venerari, atque eos, qui rem magis cognoſcunt, ſecum ipſis Chriſtum

ſtum



ſtum præſentem fieri profiteri. Quod quidem vel in ipſis Cophtorum Liturgiis præſcriptum videtur, quæ populo acclamandum præcipiunt; *Amen*. Hanc autem acclamationem inſtitutam ab Eccleſia fuiſſe, ut Fideles Euchariſtiam ſuſcipiendo, eam Chriſti corpus eſſe profiterentur, docuere Cornelius Papa in Epiſt. ad Fabium Antiochenum, Cyrillus Catech. 23. Hieronym. Epiſt. ad Pamach. & Ambroſius, qui refert a Fidelibus adhiberi quoque conſueviſſe ad ſignificandum jam fuiſſe conſecrationem peractam; ſed quid illa apud Ægyptios acclamatio ſignificet, non opus eſt ex antiquis monumentis argumentari; Æthyopes enim qui ex Ægyptiis diſciplinam, ac Liturgias accepere; quique ſimpliciorem antiquam ſervavere fidem, ita ſolent acclamationem exprimere. Poſtquam populus acclamaverit: *Amen*. Poſt Chriſti verbi prolationem, ſubdit, *credimus, certo ſcimus, laudamus te Domine Deus noſter, Hoc eſt vere, & ita credimus, Corpus tuum.*

Ut vero appareat, nil ex illa nos poſſe invocatione argumentari, hic obſervare juvabit, nullum reperiri nequidem apud Orientales Sacramentorum officium, in quo præter formam, qua Sacramentum fit, preces non occurrant, etiam poſt Sacramenti confectionem recitandæ, in quibus Deus rogatur pro gratia, quam per illud Sacramentum confert. In Baptiſmo Deum orant, qui Severi Antioch. ordine utuntur, ut ſanctificet hominem, etiam poſtquam baptizatus, & ſanctificatus eſt. In Confirmatione oratur, ut Confirmatum Deus confirmet, & perficiat; idem occurrit in Ordinato, in quo rogatur Deus, ut illi auctoritatem & poteſtatem conferat; & in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ poſtquam per abſolutionem peccata remiſſa creduntur pœnitenti, Sacerdos orat, *ut paſſio Chriſti &c. proſit illi in remiſſionem peccatorum &c.* Item in oratione pro defunctis Eccleſia rogat, ne abſorbeat eorum animas Tartarus. Sicut ergo hæ invocationes, preceſque ex inſtitutione Eccleſiæ ad momentum referuntur, vel in quo confertur Sacramentum, aut tranſitus hominis ex hac vita: cur invocatio illa, quæ poſt conſecrationem in Liturgiis Orientalium recitatur, ad illud inſtans referri non poterit, quo per Chriſti verba ſacra dona tranſmutantur? Accipe verba Epiſcopi Oſtunenſis in ſcholiis in Conſtit. Apoſtolicas. *Conſtans & perpetua fuit omnium Patrum ſententia verbis Domini tantum myſterium adminiſtrari, quod vero hoc loco dicitur* (loquitur de invocatione) *ad ſuperiora verba reſpectum habet, & ad illa referri debet. Ut enim quæ ante conſecrationem dicuntur, ad oblationem Corporis, & Sanguinis Chriſti dirigenda ſunt; ſic quæ poſt conſecrationem myſtice precatur, & facit Sacerdos, ad unum peracta conſecrationis actum tribuuntur. Sacerdos ante conſecrationem tenens manu Patenam & Calicem dicit ſe offerre Hoſtiam immaculatam pro peccatis, & Calicem ſalutaris. Quæ actio reſpondet oblationi Corporis & Sanguinis faciendæ tunc anticipatione quadam Sacerdotis mente, atque propoſito conceptæ. Ita poſt conſecratam Euchariſtiam, invocatur Spiritus Sanctus illorum munerum Sanctificator, & peracti operis una cum Patre, & Filio effector. Quæ invocatio non eſt ſeparanda a prima actione, qua Sacerdos verba Domini proferens, panem & vinum conſecravit; ſed ad eumdem actum revocari debet. Immo ad idem temporis momentum, quo illa admirabilis converſio facta eſt: Nam cum omnia ſimul, atque uno tempore fieri non poſſint, ordine ac temporis intervallo diſponuntur. Quæ vero ſermone, & tempore dividuntur, cogitatione, & intelligentia ſunt in unum conjungenda.* Dici quoque poteſt per invocationem illam, quam Græci Patres Conc. Florent. reſpondere dixerunt Latinæ preci incipienti *jube hæc perferri per manus &c.* Deum rogari, *ut ſic Chriſti Corpus communicantibus in purgationem animæ*; ut Græci illi Patres faſſi ſunt, & ut etiam in Liturgiis nonnullis indicatur; in quibus dicitur ut panis *Chriſti Corpus ſuſcipientibus fiat*, hoc eſt, proſit tamquam verus ſpiritualis, ac divinus cibus.

Quod ſpectat ad argumentum ex voce *Antytipa* deſumptum, ajo, in Liturgia Baſilii poſt Chriſti verba, ſed ante invocationem Spiritus Sancti, oblata dona appellari *Antytipa* Corporis & Sanguinis Chriſti, hoc eſt, figuram Corporis & Sanguinis Chriſti. Sed inde Cabaſiliani non recte deducunt non eſſe per Chriſti verba in Corpus & Sanguinem Chriſti tranſmutata. Nam certo conſtat a Patribus ſpecies panis, & vini poſt conſecrationem appellari *Antytipa Corporis & Sanguinis Chriſti*, quod ſpecies illæ ſint ſymbola Corporis Chriſti, non abſentis, ſed præſentis, & ſub iiſdem latentis, & quod figura ſint Corporis Chriſti, ut fuit in Cruce. Ita Cyrillus Catech. 5. Nazianzenus orat. 11. Macarius, aliique ab Arcudio & Allatio relati. Deinde in Baſiliana Liturgia dum Sacra dona *Antytipa* vocantur, ad tempus illud referuntur in quo ante Chriſti verborum prolationem oblata fuere: Ita enim latine reddita ſunt a græcæ linguæ peritis Baſilii verba: *Et nos qui propoſuimus Antytipa Corporis, & Sanguinis tui*, hoc eſt, qui obtulimus panem & vinum, quæ figura ſunt Corporis & Sanguinis tui.

Huic ſolutioni favent etiam Damaſcenus Joannes & Epiphanius, qui, ut ait Tournelius de Sacr. Euchar. art. 8. nobis ſignificant, vocem illam *Antytipa*, referendam eſſe ad tempus antecedens prolationem verborum Sacramentalium, licet poſt illam ordine collocetur in Liturgia.

*Nota*. Orientales nonnulli Scriptores præſertim Syri cauſſam quoque afferunt, ob quam invocatio Spiritus Sancti in Orientalium Liturgiis poſt Euchariſtiæ inſtitutionis hiſtoriam, & Chriſti verba, collocata ſit; licet per eam poſtuletur, ut id fiat, quod divina virtute per Chriſti verba fieri debet; cenſent enim ibi eſſe poſita, ut in ſacra Liturgia divinas perſonas invocando, ordo habeatur, quem invicem ſervant. Hinc primum Æterni Patris ut Creatoris, & rerum omnium Conſervatoris, deinde Æterni Filii, qui homo factus Euchariſtiam inſtituit, cujuſque verbis a Sacerdote ejus gerente perſonam prolatis, Euchariſtiam conſecratur; ac poſtremo loco Spiritus Sancti mentio, & invocatio occurrit, cui ſecreta actio, in qua prolatione Chriſti verborum tranſmutantur oblata, & Sacramenti effectus tribuuntur.

*Nota*. Quamquam erroris notam vitare nequeunt, qui Chriſti verba nullo modo ad Euchariſtiæ conſecrationem pertinere arbitrantur; & ſine ipſis quoque Euchariſtiam fieri poſſe docent: tamen noſtrum non eſt damnare opinionem illorum, qui præter illa verba,

ba,

ba, etiam invocationem neceſſariam eſſe cenſent, ut Sacramentum fiat. Nam horum opinionem, quam Brunus, Toutæus, ac nonnulli alii Catholici tuentur, Eccleſia nondum proſcripſit.

## PROPOSITIO III.

HÆc tantum verba ſunt conſecrationi neceſſaria, & eſſentialia: *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt Sanguis meus*: vel *Hic eſt Calix Sanguinis mei*.

Hujus propoſitionis demonſtratione clarius fiet, nil in Orientalium deeſſe Liturgiis, quod ſit ad Euchariſtiam conficiendam neceſſarium, ac non poſſe Miſſionarios, Theologos, atque etiam Epiſcopos ea propria auctoritate Liturgiis addere, quæ in noſtra Latina in Calicis conſecratione recitantur. Neque nova ſunt afferenda monumenta, ut demonſtratio pateat; nam relatæ ſuperius Patrum auctoritates rem extra controverſiam ponunt. Omnes enim vim conſecrandi Chriſti verbis inditam a Deo fuiſſe aſſerunt, quæ verba a Sacerdote in ipſius Chriſti perſona prolata, id efficiunt, quod ſignificant. Ita Juſtinus, Irenæus, Chryſoſtomus, Epiphanius, Damaſcenus; & ex Latinis Tertullianus, Ambroſius, Auguſtinus, aliique. Significant vero Chriſti Corpus, & Sanguinem verba, quæ nos expoſuimus, dum nomine Chriſti, ac veluti in perſona ipſius a Sacerdote proferuntur, ut eſt exploratum. Accedit etiam, Patres, quos nominavimus, aperte aſſerere per illa tantum verba conſecrari, cum illa tantum recenſeant, dum ea referunt quæ Euchariſtiam perficiunt. Idemque Florentinum Concil. indicaſſe, cum dixit, fieri Euchariſtiam Chriſti verbis, & Tridentinum, dum docuit, vi verborum in Hoſtia Corpus Chriſti reperiri, Sanguinem vero concomitanter, in Calice vero *Sanguinem*, & concomitanter Corpus &c. Quæ ſane verba perſpicue oſtendunt, Chriſti verba *aſſertive* pronunciata id efficere, quod ſignificant. Rurſus illa verba, *Qui pridie &c. Accipiens Calicem &c.* non Chriſti, ſed Evangeliſtarum ſunt; & particula *enim* nexum tantum orationis deſignat. Illa vero alia *accipite & comedite* uſum Sacramenti commemorant, ſicut alia *quod pro vobis frangetur*, vel *effundetur* Sacramenti effectum repræſentant, & Chriſti paſſionem; alia denique *novi & æterni &c.* in pleriſque Liturgiis deſunt.

Quis ergo dicat, Evangeliſtarum verba, ac alia, quorum nulla apud Patres mentio eſt, & quæ in pleriſque Liturgiis deſunt, ad eſſentiam conſecrationis pertinere? Nemo enim non videt Evangeliſtarum verba ad hiſtoriam rei geſtæ ſpectare; quæ ex gravi præcepto ſunt adhibenda, quia oſtendunt, Sacerdotem Chriſti perſonam gerere, ejuſque nomine conſecratoria verba proferre, ſed ad rem perficiendam, quæ verbis ſignificetur, neutiquam pertinere.

Neque vero dicant Scotiſtarum nonnulli eſſe illa Evangeliſtarum verba omnino neceſſaria, quia hac unica ratione oſtendi poteſt, Chriſti perſonam gerere Conſecrantem; & quia aliquin non Chriſti, ſed ſuum Corpus deſignaret; dum ait, *Hoc eſt Corpus meum*. Nam ſi Sacerdos eo animi propoſito ac voluntate verba a Chriſto, pro hoc conficiendo Sacramento, ſtabilita proferat, ut velit id efficere, quod Chriſtus perfecit, fierique a Sacerdote ejus nomine agente, mandavit, ſi in Chriſti perſona cujus miniſterium gerit, dicere contendat, *Hoc eſt Corpus meum*, quid aliud neceſſarium eſt ad determinandum ut non de proprio, ſed de Chriſti Corpore loquatur, dum ait, *Hoc eſt Corpus meum*? Verba enim a Chriſto Sacramentorum formulæ conſtituta, dum a Miniſtro eo animo applicentur, ut facere velit, quod Chriſtus inſtituit, & quod facit Eccleſia, ſatis ſunt ad Sacramenta conficienda juxta decretum Synodi Florentinæ. Quare ergo verba Chriſti hac ratione prolata non ſufficiunt ad conſecrandum? Patres enim tandem iſtis verbis, ac formæ aliorum Sacramentorum vim perficiendi Sacramentum tribuerunt. Itaque ſicut in aliis Sacramentis, ita & in hoc *intentio* Miniſtri, qua conſecrare vult, quaque nomine Chriſti *aſſertive*, & *ſignificative* illa verba profert, ſatis ſuperque eſt ad Sacramentum perficiendum, & ad ſignificandum non propriam, ſed Chriſti perſonam gerere, dum dicit, *Hoc eſt corpus meum*. Non negamus in Rubrica *de defectibus Miſſæ* ſupra a nobis relata præſcribi, ut defectus materiæ panis, qui peracta jam conſecratione cognoſcatur, ita ſuppleatur, ut adhibita apta materia, Sacerdos conſecrationem a verbis, *Qui pridie*, exordiatur. Jubet id Eccleſia fortaſſe ea quoque de cauſa, ut etiam per verba Evangelica exprimatur Sacerdotem Chriſti perſonam gerere. At nunquam docuit, verba illa, vel ad formæ eſſentiam pertinere, aut ex Chriſti mandato, neceſſario eſſe pronuncianda, ut conſecratio fiat, ſed ſemper docuit, ſolis verbis Chriſti, hujus Sacramenti formam contineri.

Supereſt modo, ut difficultatem explicemus, quam Thomiſtarum opinio ſuggerit de Calicis conſecratione; neque enim hæc tantum verba, *Hic eſt Sanguis meus*, aut ſimilia, ad conſecrandum ſufficere autumant, ſed omnia neceſſaria eſſe, quæ in canone noſtro leguntur. Quia S. Thom. lect. 6. in c. 11. Epiſt. 1. ad Corinth. ait, per illa tantum verba probabilius eſſe non fieri conſecrationem. Et quia S. Pius V. e Cajetani operibus aſſertionem huic Thomiſticæ opinioni contrariam juſſit expungi.

At hæc tanti momenti non ſunt, ut dubiam ac ſuſpectam reddant aſſertionem noſtram; Primum, quia opinio hæc neceſſaria quoque putat verba illa *Myſterium fidei*, quæ ab Evangeliſtis, & pleriſque Liturgiis maximæ auctoritatis omittuntur. Deinde, quia Patres, dum verba recenſent conſecrationis Calicis, hæc tantum commemorant: *Hic eſt Sanguis meus*, vel *Hic eſt Calix Sanguinis mei*: demum, quia Tridentini Patres dum decrevere in Calice vi verborum ineſſe Sanguinem Chriſti, communem ſequi viſi ſunt Theologorum aſſertionem, quæ ſtatuit verba Sacramenti *ſignificativa* eſſe, ac efficere, quod ſignificant. Ex quo jure meritoque conjicimus ſola illa verba, quæ perfectam & completam Sanguinis Chriſti præſentis ſignificationem exhibent, non ſecus ac illa alia, *Hoc eſt Corpus meum* Chriſti Corporis, ad Calicis conſecrationem ſufficere.

Dicimus vero S. Pium V. juſſiſſe a Cajetani operibus aſſertionem expungi, quæ S. Th. injuriam irrogabat, cum aſſereret opinionem illam S. Th. contrariam eſſe, de hoc vero *nihil curandum*, ut ex Gotti refert P. Berti. Ad S. vero Doctorem quod attinet, quem plures in noſtram trahunt ſententiam,





ajo, vel de formæ eſſe integritate loquutum, ut loquitur etiam Catechiſmus Romanus; vel aſſerere voluiſſe, verba illa *Novi & æterni teſtamenti &c.* eſſe de *eſſentia formæ*, non ut ſubjecta materia conſecraretur, ſed ad exprimendam Sanguinis effuſionem, atque paſſionem Chriſti, ut doctiſſimus P. Berti obſervavit.

*Nota*. Diximus ſæpe in ſuperioribus propoſitionibus verba Chriſti *ſignificative*, & *aſſertive*, non hiſtorice tantum eſſe proferenda, ſecus ac Novatores arbitrantur. Hinc autem animadvertere neceſſe eſt, antiquam Patrum, ac Orientalis Eccleſiæ conſuetudinem verba illa alta voce pronunciandi, aſſertioni noſtræ neutiquam adverſari. Nam alta voce antiquitus proferebantur, ac nunc etiam apud Orientales, ut populus reſpondendo, *Amen*, fidei confeſſionem de Corporis Chriſti præſentia exprimat, ut Ambroſius exponit lib. de Myſt. c. 9. Addo Orientalem Eccleſiam Evangelica verba ſubmiſſa, elata vero Chriſti verba voce pronunciare, ut hac ſeparatione doceat, ſe conſecrationis verba, ut *efficientia* id quod ſignificant, proferre. Verba itaque Chriſti *narrative* ſeu hiſtorice Sacerdos profert, quatenus hiſtoriam commemorat inſtitutionis; *ſignificative* vero, prout Chriſti induens perſonam, ipſius Chriſti nomine atque vice eadem proferendo ſuprema virtute præſens fieri Corpus Chriſti demonſtrat.

### §. III. *De Euchariſtia, ejuſque Miniſtro, & ſubjecto.*

EUchariſtia Sacramentum eſt Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini. Hoc eſt, panis & vinum per verba a Sacerdote, Chriſti perſonam agente, prolata, in Chriſti Corpus & Sanguinem tranſmutantur, nihilque remanet ſubſtantiæ panis, & vini. Quæ noſtris ſenſibus panem & vinum exhibent, a Lateranenſi, Florentina, & Trid. Synodo appellantur ſpecies panis & vini, a Conſtantienſi Synodo, ac Theologorum pleriſque accidentia panis & vini; a Patribus apparentiæ, umbræ, figuræ, & velamina panis & vini: immo Theodoretus, & Gelaſius panis naturam appellavere, quod inſtar principii ſit, ex quo motus oriuntur, qui in noſtris ſenſibus fiunt. Hæ appellationes ſunt Latinis, Orientalibuſque communes. Quid vero ſint ſpecies & apparentiæ, ſive accidentia hujuſmodi, quæſtio eſt, quæ ad Philoſophos potius, quam ad Theologos ſpectat. Nobis ſat eſt indicare, Deo, qui omnipotenti virtute ſua per verba Chriſti panem in Corpus & vinum in Sanguinem tranſmutat, non deeſſe modum vel conſervandi ſpecies panis & vini, aut eorumdem accidentia, vel efficiendi in nobis alio modo ſenſationem panis & vini.

Quum fides Orthodoxa doceat, ſub hujuſmodi ſpeciebus divinum eſſe Chriſti Corpus & Sanguinem, manifeſtum eſt, Sacramentum iſtud maximam a nobis exigere venerationem; atque adeo decenter eſſe aſſervandum, cuſtodiendum, deferendum ad infirmos, ac ſuſcipiendum. Hinc Apoſtolica Sedes etiam Orientalibus inculcat, quæ ad iſtius Sacramenti venerationem ſpectant Conciliorum decreta. Et cum acceperit vigere nonnullos apud Græcos abuſus, præcepit, 1. ut Sacerdotes frequenter ad pœnitentiæ Sacramentum accedant, cum præſertim divinum ſacrificium ſint peracturi; nec communicandos eſſe pueros rationis uſu pollentes, ac altari ſervientes, niſi præmiſſa Sacramentali confeſſione: 2. tollendum eſſe abuſum tundendi, vel exſiccandi ſpecies Euchariſticas, ut Sacramentum aſſerveтur: 3. Euchariſtiam, quæ aſſervatur pro infirmis, octo, vel ſaltem ſingulis quindecim diebus eſſe renovandam: 4. Non aſſervandam toto anno, & quæ aſſervata fuerit, ſumendam. 5. Ne Monachi iter agentes Euchariſtiam ſecum ferant, neque eam vitandi periculi cauſſa in privatis domibus aſſervent: 6. Ut unuſquiſque Sacerdos in aureo, vel argenteo ſolum, aut ſaltem ſtanneo Calice ſacrificet, habens Thronos, ſeu corporale de lino, candidum, & nitidum, & Altare mundis veſtimentis opertum, vel decenti paratu ornatum: idem dicito de ſacris Sacerdotis veſtibus: 7. Ne mulieres Altari ſervire permittantur. Conſtit. *Etſi Paſtoralis*. Ut ii, quos dixi, abuſus tollendi omnino ſunt, ex Apoſtolicæ Sedis decreto; ita & mores, ſive conſuetudines aliæ, ſi quæ ſint in Orientali Eccleſia, quæ cum debita Euchariſtiæ, ſive Corporis, & Sanguinis Domini veneratione minime cohæreant, ſunt omnino removendæ, ut v. gr. mos, qui in Iberia ſive Mengrellia viget tundendi Euchariſtiam, eamque oleo Baptiſmatis miſcendi, quo deinceps a Patrino totum Baptizati Corpus ungitur, & iis ſimiles, illis Eccleſiæ legibus, quibus prohibentur conſuetudines debitæ Sacramenti venerationi contrariæ, ac præcipitur, Sancta ſancte, ac decenter tractanda eſſe, cenſeri debent proſcripti. Cavendum vero Miſſionariis, aliiſque ſacris Miniſtris omnino erit, ne temere mores damnent, qui ſint Latinis contrarii, quique apud Latinos pro indecentibus haberentur. Cujus quidem rei nonnulla afferemus exempla.

Primo, Græci, Rutheni, Æthyopes, aliique Orientales ſacram facturi ſacra dona parant, eaque Græci præſertim & Rutheni, in minori Altari, quod iis *Protheſis* dicitur, præparant, ex hoc, Græci dum hymnus Cherubicus canitur, alii vero juxta propriæ Eccleſiæ ritum ſtatuto tempore, ad Altare majus deferunt accenſis cereis, cum thuribulo, ac veneratione magna totius populi, qui pronus oblata adorare videtur. Non defuere ex noſtris, qui hanc cæremoniam ſuperſtitionis, ac idololatriæ inſimulaverint; quod crederent gentem illam veluti Sacramentum oblatum panem, vinumque venerari. At injuria; nam ii fatentur non alium ſe cultum exhibere, quam eum, qui debetur materiæ Deo oblatæ, pro ſacrificio præparatæ, ſanctæ menſæ addictæ, a Sacerdote benedictæ, & quæ neceſſario converti debeat in Chriſti Corpus remanentibus ipſius ſpeciebus; monentque dandum ei non eſſe latriæ cultum. Hæc autem eſt cæremonia & uſu comprobata, & cultum relativum tantum præſefert, qui donis debetur, quæ *Antytipa* ſunt Corporis, & Sanguinis Chriſti. Nil ergo in hoc reprehendi poteſt; ſed Gens rudis eſt inſtruenda, ne dona illa, ut Chriſti Corpus, & Sanguinem veneretur.

Secundo; Græci, ut auctor eſt Gabriel Philadelphienſis, ex traditione majorum particulas in ſacro diſco reponunt; eaſque non conſecrant, ſed conſecratam hoſtiam tangere curant, atque offerunt in honorem B. M. V. S. Joan. Bapt. &c. Hac etiam de

cauſſa ſuperſtitionis damnati fuere a Latinorum nonnullis. Injuria tamen: Etenim has nec conſecrari credunt, nec ut Dominicum Corpus diſtribuunt, ſed quod Deo fuerint in Sanctorum honorem oblatæ, quodque ſacram tetigerint Euchariſtiam, per participationem quamdam ſanctitatem accipere, ac devoto animi affectu ſuſcipiendas eſſe, docent: Neque id adeo facile privatus ante Eccleſiæ judicium damnare poteſt, cum nullam præ ſe ſuperſtitionem ferat.

Sed ut omnia quæ ad rem hanc pertinent ex Orientali diſciplina exponamus, ea hic addimus, quæ a S. M. Bened. XIV. in explicatione tertii moniti Græcorum Euchologio præmiſſis expoſita ſunt. Duos, inquit, habet Græcorum Liturgia ingreſſus, alterum majorem, minorem alterum nuncupatum. Minor eſt ille, quo ſacri Evangelii codex infertur; major autem ille eſt, quo ſacra dona, nimirum panis & vinum, non adhuc conſecrata a parvo Altari ſeu menſa, quæ *Protheſis* dicitur, ſuper quam præparata fuerant, ſupplicationis ordine inſtructo, ad ſacrum Altare deferuntur. In majori ingreſſu ritus hujuſmodi obſervatur, ut panis in patena obtectus velo ſupra caput deferatur, vel a Diacono, vel a Sacerdote: a Diacono ſcilicet, quando ſollemne officium Miſſæ celebratur, cum aſſiſtentia & miniſterio Diaconi; tunc enim hic ſiniſtra manu patenam cum pane ſupra caput ſuſtinet, dextera vero Sacerdotem thurificat, qui Calicem cum vino utraque manu geſtat; ſi vero Sacerdos ſine Diacono celebret, tunc a Lectore thus adoletur. Sacerdos autem ſupra caput ſuum ſiniſtra manu ſuſtinet, dextera autem ſacrum Calicem ad pectus defert. Ad hunc igitur majorem ingreſſum contingit, ut populus inclinetur, ſeu, pro vario regionum more, in terram procumbat, ac fronte humum feriat, perinde ac ſi ſub ſpeciebus panis & vini, licet nondum conſecrati, Corpus & Sanguis Chriſti Domini contineretur: *Populus paſſim, in Græcia quidem valde demiſſe ſe inclinat, neque enim genua flectere vult, ne imitari videatur Latinos, quamvis extra diem Dominicum: in Ruſſia vero proſternit ſe, terram fronte percutit, ac veluti præſentem in ea oblatione Cælorum Regem alloquitur, & adorat.* Ait Arcud. lib. 3. c. 19. Chriſtianus Lupus par. 3. ſuorum operum ſup. Concil. ritum deſcribit majoris ingreſſus, quando Patriarcha, aut Metropolita celebrant. Magri in vocabulario Eccl. verbo, *Protheſis*, ſigillatim deſcribit quæcumque fiebant ab Imperatore ſacræ Synaxi adſtante, eo die, quo imperii coronam aſſumebat. Goarius in not. ad Liturg. Chriſt. n. 100. totam actionem ingreſſus majoris accuratiſſime exponit. Idemque fit a Bona. Quæcumque vero ea occaſione a Græcis fiunt, eadem ſimiliter aguntur ab Armenis, Cophtis, Æthyopibus, ac Syris Jacobitis, ut Brunus, Renaud. aliique referunt. Quin etiam in hac Romana urbe in feſto S. Athanaſii, videre eſt Græcos in ſua Eccleſia, ea omnia facientes, quæ ſupra recenſuimus.

Perſpectum eſt Græcos ad normam can. 52. Trullani, *in omnibus ſanctæ quadrageſimæ jejunii diebus, præter quam Sabbato, & Dominica, & Sancto Annunciationis die, ſacrum facere Præſanctificatorum Myſterium*: Dum Miſſam itaque Sacerdos in quadrageſima celebrat diebus, quibus celebrare liceat, unam quidem hoſtiam conſecrat, & ſumit: alteram vero conſecratam reponit, quam quidem in tot particulas dividit, quot numerantur ſubſequentes dies, quibus præſanctificatorum Miſſa celebranda eſt, in qua ſeipſum, & alios, ſi qui ſint communicantes, Euchariſtico pane antea conſecrato Sacerdos communicat: ut rem deſcribit Allatius in proleg. ad Gabriel. Naudæum *de Miſſa Præſanct.* Hac etiam occaſione per Eccleſiam ſollemni ritu proceditur, Diacono ſacram Pyxidem, in qua Sacramentum ſub ſpecie panis continetur ſupra caput deferente, Sacerdote autem manibus geſtante Calicem, cum vino aqua mixto, non quidem conſecrato, ſed tantum benedicto. Et quoniam non ſemper a Sacerdote Miſſa cum aſſiſtentia Diaconi celebratur, ſi ſolus Sacerdos celebret, ipſe ſiniſtra manu defert Pyxidem capiti impoſitam, dextera autem Calicem ſuſtinet; atque ita a parvo Altari ad Aram majorem progreditur, uti teſtatur Arcud. l. 3. cap. 59. Tunc vero non omittit Populus genua flectere, pectus tundere; aliiſque idoneis actibus conſecratum panem delatum, ut ſupra dictum eſt, adorare. Ab hoc ritu nonnulli ortam putant ex ignorantia quadam adorationem, quæ fit in majori ingreſſu, quam ob rem eam damnavere Nicolaus Cabaſilas in exp. Liturg. Arcudius deinceps lib. 3. cap. 19. aliique. Immo Patres Concilii Zamoſciæ an. 1720. decr. de Cel. Miſſ. §. 4. non dubitavere interdicere, *ne fiant genuflexiones, ſeu capitis inclinationes dum transfertur panis oblationis a minori ad majus Altare, pro conſecratione tempore offertorii*, & voluerunt ut Parochi *Populum hac de re moneant, ne periculo Idololatriæ exponatur*. Horum Patrum decretum Pontifex non improbat, recenſet vero, quid ea de cauſſa in Congregationibus Romæ de Orientalibus cæremoniis habitis, determinatum ſit, ac ſtatuit excluſum fuiſſe eorum temperamentum, qui ritum hunc tollendum exiſtimaverunt: quum in Congreg. ſuper correctione Euchologii habita die 5. Septembris 1745. quæſtione propoſita, *an abolendus, ſeu emendandus foret Ritus ingreſſus majoris, omnibus mature diſcuſſis, conſtitutum fuerit, nihil eſſe innovandum. Idque ſubinde auctoritate noſtra firmatum extitit. Placuit tamen*, ſequitur Summus Pontifex, *conſilium prudenter adhibitum, ut monerentur Epiſcopi aliique curam animarum gerentes, ut rudem populum docere non prætermittant, quod dum ſacra dona a Protheſi ad Aram majorem transferuntur ſollemni ritu, cum ea nondum ſint conſecrata, ſub eorum ſpeciebus nequaquam exiſtit Corpus, & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, prout futurum erit poſt conſecrationem; ideoque exteriores illi venerationis actus, qui erga præfata dona nondum conſecrata adhibentur, non ea ratione peragantur, ut cultus Latriæ ſoli Deo debitus iiſdem præſtetur, ſed ut inferioris ſpeciei cultus exerceatur, cujus objectum eſt futura tranſubſtantiatio eorumdem donorum in Corpus & Sang. D. N. J. C.* Idquod a nobis ſupra expoſitum, & inculcatum fuerat, quod vel ipſe Pontifex paullo infra laudare non dedignatur.

Agit deinceps Pontifex Max. de panis diviſione, quam in minori menſa, ſeu Protheſi Orientales faciunt, cujus pars major, ut Deo Omnipotenti debitus adhibeatur cultus, offertur, reliquæ vero *minores* quæ *Merides* vocantur, Omnipotenti itidem offeruntur, ſed eorum una in honorem B. M. V. altera in



honorem S. Joannis Bapt., SS. Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum, quorum etiam nomina a Sacerdote recenſentur: alia pro vivis quorum etiam nomina recitantur, alia pro defunctis, qui pariter nominatim commemorantur; alia in honorem illius Sancti cujus feſtus dies celebratur; relicta cæteroquin Sacerdoti facultate offerendi ſpecialiter ſacrificium pro illo, aut illis, quos ipſe maluerit. Hujuſmodi Ritum jam diu viguiſſe probatur ex Dyptico Irænes Auguſtæ, edito a Patre Montfaucon Tom. I. Analect. Græc. c. 34. Si vero Epiſcopus, aut Presbyter primam celebrantis perſonam ſuſtinens cum aliis Sacerdotibus concelebret, & Diaconi quoque in officio miniſtrantes aſſiſtant, non modo quilibet Sacerdos, ſed unuſquiſque etiam ex Diaconis, Hoſtiam unam majorem offert, ſimulque minores particulas, ſeu *Merides*; ex quibus ſi quæ demum ſuperſunt a celebrante ſeu celebrantibus non conſummatæ, eæ diſtribuuntur adſtantibus, qui Euchariſticæ communionis participes fieri petunt. De hoc ritu quæſtio in Florent. Synodo inſtituta fuit, ſed cum Archiepiſcopus Mitylinenſis, propoſitis interrogationibus apte ſatis feciſſet, nil fuit innovatum. Simeon Theſſalonicenſis in ſuo Tractatu de Sacramentis viſus eſt dubitare de particularum conſecratione: ſed cum ſuper omnes eadem a Sacerdote proferatur verborum forma, dubitatio irrationabilis fuit.

Dubitatum inter catholicos fuit de Diaconali, quam diximus, oblatione: Atque Arcudius, aliique putavere eam tollendam omnino eſſe; quia Diaconis offerre ad Altare oblationem ſacri canones interdicunt. Sed etſi canones ſacram oblationem fieri prohibeant a Diaconis, quæ in ſacro Altari a ſolo Sacerdote fit; nunquam vero damnant oblationem, quæ in menſa, ſive *Protheſi* fieri ab antiquis temporibus etiam ab ipſis conſuevit. Hinc in Congr. pro Orient. ritibus habita 3. Januarii 1745. propoſita quæſtione, *Utrum tollenda eſſet oblatio, quæ a Diaconis fit ad Protheſim*, reſcriptum fuit, *nihil eſſe innovandum*: ac reſcriptum Pontificia auctoritate comprobatum fuit.

Tertio, Latina Eccleſia, ac Orientales pleræque venerationis cauſſa prohibent, ne Euchariſtia cooperto capite celebretur. At cum in Sinenſi, eique finitimis regnis *detecto capite manere, vel operari non ſit reverentia, & ſcandalum generet, non devotionem*, Romani Pontifices permiſere Miſſionariis, cooperto decenti pileo capite celebrare, ac Neophytis Euchariſtiam recipere; quoaduſque Gens illa ita edocta fuerit, ut ritus Romanæ Eccleſiæ non abhorreat. Ex Brevi Clement. X. 23. Decemb. 1673. & aliis. Quamobrem non adeo facile damnandi erunt, ſi qui ſint in Oriente Patriarchæ, vel alii, qui operto capite ſacram Euchariſtiam celebrent, vel diſtribuant. Nam in iis deeſſe poteſt irreverentia, cum ſit res indifferens. Hinc Aſſem. infert, injuria a Joſepho II. damnatos eſſe Patriarchas Neſtorianorum, quod cooperto capite Euchariſtiam, vel celebrent, vel recipiant, vel adminiſtrent. Nam ſcribit Balſamon l. 7. juris Orient. *Alexandrinum Patriarcham rem divinam facere mitra caput advolutum*, alios vero Orientales aperto capite. Et Monachi omnes S. Antonii abbatis, ſive Cophti, ſive Abiſſini, ſive Syri Maronitæ *cucullam monaſticam in Liturgia celebratione, & in ipſa Euchariſtiæ conſecratione, vel perceptione retinent*; idque ex præſcripto S. Pachomii Abbatis, Regula 51. eamque regulam refert Cl. Aſſem. diſſ. de Syr. Neſt. p. 306. par. 2. Bibl. Orient. Itaque, ubi viget uſus celebrandi, ac recipiendi Euchariſtiam detecto capite, ex Eccleſiæ præcepto id eſt ſervandum; a quo præcepto ſola Apoſtolica Sedes diſpenſare valet; ubi vero contraria vigeat ex majorum traditione conſuetudo, nihil eſt, niſi ex Apoſtolicæ Sedis decreto, immutandum.

Quarto, Thomas a Jeſu lib. VII. de Converſione omnium Gentium c. 2. inter errores, quorum Neſtorianos accuſat, hunc refert: *Clerici omnes apud Chaldæos, & etiam illi Laici, qui alios devotione excedunt, ſacram Dominici Corporis communionem in manibus propriis recipientes, ſub utraque ſpecie communicantur; ceteri vero laici Corpus Domini Sanguine intinctum aſſumunt.* At in iis nil eſt, quod reprehendere poſſit morem ſacram Euchariſtiam recipiendi in manibus: nam conſuetudo hæc in Eccleſia antiqua eſt, atque in aliis quoque Eccleſiis diu viguit. Dionyſius Alexandrinus in Epiſtola ad Xiſtum Papam apud Euſebium l. VII. hiſt. Eccl. c. 9. ait, *qui ad ſacram menſam adſtiterit, & manus ad ſuſcipiendum ſacrum cibum porrexerit*. Baſil. in Epiſt. ad Cæſariam Patriciam, *in Eccleſia* inquit, *Sacerdos particulam tradit, detinet autem eam cum omni libertate is, qui ſuſcipit, ac ita ori admovet manu propria*. Cyril. Catech. 5. Damaſc. l. 4. de Fide Orth. c. 14. aliique Græci Scriptores tradidere, communem fuiſſe Eccleſiæ Græcæ morem tradendi Dominicum Corpus in communicantium manibus uſque ad octavum ſæculum, a quo tempore adhiberi cœpit cochlear, quo communicantibus vivificum alimentum elargiuntur. Apud Neſtorianos vero antiquus uſus viget porrigendi in manu Euchariſtiam, & Calicem ori admovendi: *rarus vero, & a recentioribus quibuſdam Preſbyteris, Miſſionariorum hortatu, uſurpatus mos eſt, communionem Corporis in os communicantium tradendi*, inquit Aſſem. loco cit. Quamobrem injuria hac de cauſſa damnantur.

At multo minus damnari debent ob Communionem ſub utraque ſpecie, quæ Latinæ quoque Eccleſiæ per plura ſæcula communis fuit, quæque in univerſo Oriente viget. Immo & iis, qui in Italia ſunt, Græcis, in illis locis, in quibus ejuſmodi ritus introductus eſt, & ad præſentem uſque diem ſervatur ac viget, permittitur: *ita tamen, ut ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, utrumque Sacramentum ſumi firmiter credant, ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia ad ſalutem neceſſaria eos fraudari, qui unam ſpeciem ſolam accipiunt; ubi vero præfatus ritus conſuetudine hactenus receptus non eſt, Epiſcopis, quorum juriſdictioni* Græci ſubjiciuntur, *curæ ſit, ne in poſterum admittatur*, inquit S. M. Bened. XIV. Conſtit. *Etſi Paſtoralis*.

*Nota*. Circa Communionem ſub utraque ſpecie cavendum eſt, ne Orientales errent, aut credendo ſub una tantum ſpecie integrum Chriſtum non ſuſcipi, aut damnando Latinæ Eccleſiæ morem, aut tenendo divinum adeſſe præceptum de communicando ſub utraque ſpecie.

Quinto, Orientales etiam pueris ante rationis uſum,

ſtim, immo ſtatim poſt Baptiſma diſtribuunt. Conſuetudo hæc, ut ſupra notavi, viguit olim & in Latina Eccleſia; atque Apoſtolica Sedes in iiſdem Orientalibus, iis exceptis, qui ſub Latinis Epiſcopis degunt, permittit, ac tolerat. Cavendum vero quam maxime, ne in puerorum communione quidquam occurrat, quo Sacramento injuria fiat, eaque hæreſis e nonnullorum Orientalium mentibus eliminanda eſt, qua credunt, ſine Euchariſtiæ ſuſceptione baptizatos pueros æternam aſſequi non poſſe beatitudinem.

Hinc ex Encyclica ſæpe laudata, hæc addimus. Quibuſdam Eccleſiæ ſæculis uſus obtinuit, ut poſt Baptiſmum illico pueris Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtraretur; non quod id neceſſarium crederetur, ſed mero ritu, ac vigente conſuetudine, ut ex Trident. Conc. eruitur Seſſ. 21. cap. 4. & magis etiam comprobatur ex eo, quod damnatum Armenorum errorem a Bened. XII. etiam Raynaldus recenſeat, quo putabant ad æternam puerorum ſalutem, & Baptiſmi iis collati validitatem, poſt Confirmationis Sacramentum, Euchariſtiam etiam iiſdem eſſe adminiſtrandam. In Occidentali Eccleſia a quadringentis & amplius ab hinc annis hæc conſuetudo ceſſavit. Apud Orientales vero Melchitas, Syros Armenos, & Cophtos viget adhuc; atque etiam apud Græcos hæc diſciplina ſervatur, inquit Arcudius lib. 5. de Sacr. Euchar. cap. 12. ſed aliqui ex ipſis paulatim eam deſeruerunt, propter incommoda, quæ in præbenda pueris poſt Baptiſmum Euchariſtia ſequebantur. In Synodo etiam habita in monte Libano 18. Sept. an. 1556. a Patriarcha Maronitarum Sergio, can. 7. decretum fuit, ut caverent deinceps Sacerdotes univerſi, *ne quemquam ante rationis uſum ad communionem Euchariſticam admitterent*. Idemque ſtatuere PP. Concilii Zamoſciæ, an. 1720. §. 3. de Euchariſtia, & Concilii Maronitarum in Monte Libano celebrati an. 1736. Quod etiam inculcatur Italo-Græcis Conſt. *Etſi Paſtoralis &c.*

De Communione quoque ſub utraque ſpecie, nonnulla habet, quæ eruditionis cauſſa addimus. In Collegio Græcorum Romæ a Gregorio XIII. erecto, in quo Græcus ritus ſervatur juxta Collegii Conſt. ab Urbano VIII. confirmatas, Alumni debent quintadecima quaque die, necnon feſtis diebus ſollemnibus, & ſingulis Adventus, & Quadrageſimæ Dominicis, Latino ritu ſervato: in feſtis vero ſollemnioribus, videlicet Paſchatis, Pentecoſtes, & nativitatis Domini, jubentur Euchariſtiam Græco ritu ſuſcipere, hoc eſt in fermentato, Sanguine intincto, ad quam rem perficiendam Sacerdos utitur parvo cochleari, quod infert in os ſuſcipientis Euchariſtiam: qui Ritus ſervatur etiam cum Græcis reliquis, qui prædictis diebus ad ſollemne miſſæ ſacrificium conveniunt, aut qui aliis per annum diebus in Eccleſia Græci Collegii ſibi Euchariſtiam ritu græco adminiſtrari depoſcunt. Italo vero Græcis in ſæpe cit. Conſt. *Etſi Paſtoralis*, ſolum in illis locis Communio ſub utraque ſpecie permittitur, in quibus Ritus adhuc viget, in reliquis vero prohibetur. Gregor. XIII. Maronitarum Patriarchæ reſcripſit, *Laici a Communione ſub utraque ſpecie pedetentim arcendi ſunt, totus enim Chriſtus ſub una ſpecie continetur, & in uſu Calicis magnum eſt periculum effuſionis*, ut refert Th. a Jeſu *de Conv. Omn. Gen.* 486. Hinc in Libanen. Conc. an. 1736. part. 2. n. 21. hujuſmodi conſilio inhærentes decrevere: *Ne Laico, vel Clerico in minoribus Ordinibus conſtituto communio ſub utraque ſpecie tradatur, ſed ſub una tantum, panis nimirum. At Diaconis, ut Hoſtiam Sanguine intinctam a Sacerdotibus, in ſollemni præſertim Miſſa accipere poſſint, & valeant*, permiſerunt, *modo abſit cochlearis uſus, quem omnino abrogandum ſtatuerunt*.

Sexto, cum in Trid. Synodo ſeſſ. XIII. c. 8. ſtatutum ſit, *ut Laici a Sacerdotibus communionem accipiant, Sacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicent*, id ſervari debet in utraque Eccleſia, ubi hæc conſuetudo jam vigeat; ſicubi vero antiquo more a Diaconis, jubente Epiſcopo vel Presbytero, aut Euchariſtia, vel Calix fidelibus tribui ſoleat, ut ab Orientalibus nonnullis fieri ſolere fertur, ii damnandi non ſunt, cum hæc conſuetudo ab antiquis Patribus trahat originem.

### §. IV. *De Sacra Liturgia, ſive Miſſa*.

HAbes ex Auctore, quid Miſſæ nomine veniat, & ex iis, quæ nos de Orientalium rituum varietate diſputavimus, facile intelliges, idem eſſe apud Orientales Liturgiam, ac penes Latinos Miſſam. Plura ibi de Orientalium circa Miſſam diſciplina expoſuimus; ſed hic in gratiam præſertim Miſſionariorum nonnulla addimus, quæ ſcitu neceſſaria videntur, quæque per varia quæſita exponemus.

*Quæres* 1. Utrum Sacerdos carens Miſſali lingua ſui ritus exarato, alterius linguæ Miſſali uti poſſit, proprio tamen ritu ſervato?

*Reſp.* 1. Id neutiquam licere; obligatione enim illa, qua quiſque propriæ Eccleſiæ ritum ſequi tenetur, adſtringitur etiam ad ſervandam in ſacris faciendis linguam, quæ propria ſit ritus, quem tenet. Hinc Sac. Congr. de P. F. die 30. April. 1631. petentibus Miſſionariis Georgiæ facultatem celebrandi Miſſam ritu latino in Idiomate Georgiano vel Armeno, reſpondit, *illam pro nunc concedendam non eſſe, niſi eſſet medium ad convertendos Georgianos potiſſimum*. Ex quo manifeſtum fit, ſine Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione nefas eſſe aliena lingua ſacrum celebrare; prudenter vero ſe gerere Miſſionarios, ſi facultatem hanc petant, dum ex ea plurimum prodeſſe poſſe ſperent animarum ſaluti, vel Hæreticorum converſioni. Quamobrem, *Petentibus Fratribus Carmelitis diſcalceatis, ut Sacerdotibus ſui Ordinis, qui in Regno Perſiæ exiſtunt, & in futurum exiſtent, liceat Miſſam in lingua Arabica celebrare: Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Noſter divina Providentia Urbanus Papa VIII. auditis Fratrum ſuorum S. R. E. Card. Congreg. de P. F. ſententiis, ad conſolationem populorum, qui in eo regno Catholicam Fidem nuper ſuſceperunt, Sacerdotibus prædictis licentiam petitam conceſſit cum infraſcriptis conditionibus, videlicet: ut Ritus Latinus in celebratione Miſſarum retineatur: ut Miſſale Romanum in lingua Arabica litterali tranſlatum in Urbe prius approbetur; & denique ut ſemel tantum ſingulis diebus in unaquaque illius Regni Eccleſia, in prædicta lingua celebrare liceat, non obſtantibus, &c.* S. Cong. de P. F. die 17. Aprilis 1624.





*Reſp.* 2. Contra Carolum Franciſcum a Breno ne quidem neceſſitate urgente, ſcilicet ne infirmus ſine Viatico decedat, aut populus die feſto Miſſa careat, licere vulgari aut alieno idiomate ſacrum facere. Eccleſia enim vulgaris linguæ uſum in ſacris faciendis prohibet, ac unumquemque proprio ritu ſacra celebrare jubet. Publicum autem Eccleſiæ bonum exigit, ut ipſius leges, quibus præſertim modus ſacrificandi præſcribitur, a ſacris Miniſtris religioſe ſerventur. At privati commodum eſt, vel ſacrum Viaticum ſuſcipere, aut ſacrum die feſto audire, ut 2. §. ex Verricello diximus, ubi addidimus etiam, præceptum audiendi Sacri, aut recipiendi Viatici non obligare Fideles, niſi dum Sacrificium juxta præſcriptos ab Eccleſia ritus perfici poſſit. Ecquis dicat, poſſe publicam Eccleſiæ legem contemni, quæ ſcilicet ad publicum miniſterium ſpectet, ut privati eorum obligationi ſatisfacere poſſint?

*Quæres*. 2. Utrum Miſſionariis liceat in Hæreticorum & Schiſmaticorum Eccleſiis celebrare?

*Reſp.* 1. *Negative, quia datur Miſſionariis uſus altaris portatilis, & facultas benedicendi paramenta, ideo non eſt neceſſe ut ipſi in præfatis Eccleſiis celebrent, vel Schiſmaticorum veſtibus utantur*; ita cenſuerunt Theologi cujuſdam particularis Congregat. habitæ Romæ 7. Maji 1631. ſuper dubiis Miſſionariorum Cappuccinorum Orientis in Palatio Em. Pamphilii. Vide append. *de Commun. in divinis cum Hæreticis*.

*Reſp.* 2. In Eccleſiis Catholicorum ab Hæreticis occupatis, id licere conſtat ex decreto Cong. Sup. Inquiſit. die 23. Junii 1534. quo *affirmative* reſponſum fuit ad dubium, quod ſequitur: *An in Eccleſiis Catholicorum Rethiæ ab Hæreticis occupatis, Miſſionarii poſſint ſua exercitia continuare?* Ac certis conditionibus licet etiam cum diſpenſatione in aliis Hæreticorum Eccleſiis, ut liquet ex ſequenti decreto: *Sanctiſſimus Dominus Noſter D. Clem. divina Providentia Papa XI. in particulari audientia mihi Commiſſario S. Officii data dixit, quod ad facilius promovendam Schiſmaticorum, & Infidelium converſionem, illoſque alliciendos ad Fidem Catholicam amplectendam ſacrarum Cæremoniarum intuitu, benigne induſit Patri Præfecto, ſeu Vicepræfecto Miſſionariorum pro tempore in Æthyopia exiſtentibus, ut pro eorum arbitrio, & conſcientia diſpenſare poſſint cum iiſdem Miſſionariis, eiſque facultatem concedere celebrandi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium Catholico Romano ritu ſuper Altari in Templis Hæreticorum, ſeu Schiſmaticorum in Æthyopia; ita ut eadem Altaria non inſerviant, niſi pro nudis tabulis, & more Catholicorum diſponantur cum ſacrato Lapide, Mappis, Sanctiſſimi Miſſæ Sacrificii Ritu prædicto: nunquam tamen generaliter, ſed in caſibus particularibus, in quibus alia loca commodiora non ſuppetant, ut urgens ſit neceſſitas ad facilius dictam converſionem promovendam, & inſuper ad Catholicorum conſolationem, aliiſque juſtis, & urgentiſſimis de cauſis, indicandis ab eiſdem Patre Præfecto, ſeu Vicepræfecto Miſſionariorum, ſuper quibus eorum conſcientiam oneravit*. Die 12. Aprilis 1704.

*Quæres* 3. An Miſſionariis, quibus conceſſus eſt altaris portatilis uſus, licitum ſit in privatis domibus celebrare?

*Reſp.* Ex decreto Sac. Cong. de P. F. ſuper rebus Sinarum, & Indiarum Orientalium die 14. Dec. 1661. non licere celebrare in domo infirmi, ſi Viaticum ſaltem occulte ad infirmum deferri valeat; licere vero ſi nec publice, nec occulte deferri poſſit, vel in domo infirmi, vel ſaltem in viciniori domo ſacrum peragere, *ſi locus decens ſit, ne infirmus Viatico privetur*. Dum autem Eccleſia careat, vel in propria domo oratorio ſive cappella, licere iis ſentio in privatorum domibus ſacrum peragere, dum locus decens ſit, & cum eorum facultas limitata non ſit, ſive reſpectu particularis loci ſublata; quod ex facultatibus quas habent, metiri debent.

*Quæres* 4. An vigore illius facultatis celebrandi Miſſam in quocumque loco decenti, Miſſionariis conceſſæ, poſſit licite ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium ab ipſis celebrari, ſicut a quibuſdam ipſorum, ſingulis diebus Dominicis, & feſtis celebratur ſuper Mare in navibus prope litus appulſis, abſque præſentia alterius Sacerdotis, qui Calicem poſt Conſecrationem firmum cuſtodiat ad penitus evitandum effuſionis periculum, ut Doctores opinantes requirunt?

*Reſp. Nullo modo licere Cappuccinis, nec Minoribus Obſervantiæ, neve quibuſcumque aliis celebrare, vel mandare, & permittere celebrari Miſſam in navibus, quia omnino eſt prohibitum*. Sac. C. particularis de P. F. die 29. Januarii 1667.

*Nota*. Orientales, ut diximus c. 122. pag. 477. antiquam conſuetudinem ſervant, hoc eſt, unicum in Eccleſia Altare habent, unicumque in eo ſacrum in die celebrant. Ex iis, quæ ibi diximus, exploratum eſt ab hac conſuetudine, ſive ab orta inde obligatione nonniſi ex Romani Pontificis diſpenſatione liberari poſſe; quam diſpenſationem, uti ibi oſtendimus, Græco-Melchitæ ex parte obtinuerunt, ampliorem vero Græco-Itali.

Orientales omnes vel Altaria conſecrata, vel quæ ſaltem ſuperimpoſitum habent ſacrum lapidem ſervant, cujus defectu Græci uti ſolent *Antimenſio*. Super *Antimenſion* nefas eſt Latinis ac alterius quoque ritus gentibus, qui hunc morem non habeant, ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, celebrare. Nulli autem vetitum eſſe arbitror ſuper ſacrata Orientalium Altaria celebrare, dummodo tamen lex ſervetur de uno ſuper unico Altari celebrando ſacro, ac etiam ſi fieri poſſit, juxta celebrantis ritum ornetur, ut in Conſt. pro Italo-Grecis exprimitur. At ſicubi paramentorum [illegible]atio ſcandalo eſſe poſſit, vel habeatur pro Orientalis ritus contemptu, non dubito, quia valide celebretur a Latino quoque in Altari, Orientalium more parato.

Habent etiam Orientales circa tempus celebrandi peculiarem diſciplinam. Maronitæ jejunii tempore in quadrageſima Miſſam ad tres horas poſt meridiem celebrare ſolent, moremque ipſorum imitari permiſit Miſſionariis Cappuccinis ibidem degentibus Sac. Cong. 22. Aprilis 1682. Neſtoriani feria v. in Cœna Domini poſt ſolis occaſum celebrant, & Sabbatis, ac Dominicis quadrageſimalibus poſt horas veſpertinas. Modo univerſæ Eccleſiæ legem de præmittendo ſacræ communioni jejunio ſervent, reprehendi nequeunt, ſicut nec Armeni, & ſi quis ſint alii Orientales, qui celebrent in ſabbato ſancto, vel aliis diebus poſt ſolis

lis occaſum, cum antiquam conſuetudinem ſequantur. Sicut quiſque rite ſequitur propriam circa horam celebrandi conſuetudinem, quæ probata ſit, ita contra conſuetudinem, ac Eccleſiæ legem celebrationis tempus immutando ac pervertendo, Sacerdotes peccant. Neque circa hoc diſpenſare poteſt, niſi ſummus Pontifex, qui juſtis de cauſſis facultatem conceſſit Miſſionariis Sinenſibus celebrandi tribus ante auroram horis contra Latinæ Eccleſiæ diſciplinam, 15. Novembris 1665. Scilicet, ut Fideles, quos Magiſtratus Gentiles Religionem exercere prohibebant, poſſent confiteri, Euchariſtiam ſumere, ac deinceps antequam dies eluceſceret ad proprias domos tuto redire.

*Quæres* 5. An liceat Sacerdoti Catholico eleemoſynam a Schiſmaticis, vel Hæreticis accipere pro Miſſa juxta eorum intentionem celebranda?

*Reſp.* Non licere. Primum, quia nefas eſt cum iis in divinis communicare, ut alibi a nobis eſt demonſtratum, & ut decernitur a Conc. Later. V. ſeſſ. XI. §. *Statuimus inſuper*. Sacerdos vero cum iis communicat, pro quibus Miſſæ ſacrificium applicat, quos ſacrificii participes eſſe vult, atque ii qui eleemoſynam dant, ſacrificium ſibi communicari cupiunt, eo modo, quo fieret, ſi ſacrum faciendum committerent Sacerdotibus propriæ ſectæ, cum quibus communicare contendunt. Deinde Sacerdos dum juxta offerentis eleemoſynam voluntatem ſacrificium celebrat, ut publicus Eccleſiæ Miniſter ſe gerit, ac Eccleſiæ nomine pro iis orat, qui eleemoſynam ſint elargiti, ejuſque illis ſuffragia impertitur: Eccleſia vero hanc ſuffragiorum communionem Schiſmaticis Hæreticis, & excommunicatis omnino prohibet, cap. *A nobis* de ſent. excom.

*Quæres* 6. An Presbyteri Orientales conjugati dum celebraturi ſint, abſtinere debeant ab uxoribus, & quamdiu?

*Nota*. Eſſe omnino abſtinendum non ſolum nocte antecedente ſacri celebrationem, ſed inſuper aliquot dies juxta cujuſque Eccleſiæ Canones & diſciplinam, cujus tranſgreſſio nunquam gravi culpa caret. Circa dierum numerum quiſque propriæ Eccleſiæ ritum ſervare tenetur. Quod ſpectat ad Armenos, en dubium Sac. Cong. propoſitum a Carmelitis Diſcalceatis Miſſionariis in Perſia, ejuſque reſponſio. *An Presbyteris Armenis conjugatis moderandum ſit tempus abſtinentiæ ab uxoribus; quadraginta ſcilicet dierum ante, & totidem poſt Miſſæ celebrationem ab eorum Ritu præfixum & determinatum? Reſp. Nihil eſſe innovandum, & Epiſcopus curet pro ſui Paſtoralis Officii munere, ut Presbyteri conjugati catholici Armeni ritum ſuum obſervent*, S. C. Off. die 14. Maji 1705. Pro Græco-Italis Clemens VIII. ac deinceps Bened. XIV. Eccleſiæ Græcæ Canones inculcando, habent: *Presbyter Græcus conjugatus antequam ad ſacrum ſacrificium, ſeu ſanctam Miſſam celebrandam accedat, vel per hebdomadam, vel per triduum ab uxore curet abſtinere*. Si ſpectentur canones Eccleſiæ Orientalis nihil in iis frequentius inculcatur, quam continentia iis, qui Euchariſtiam ſuſcipere, vel ſacra tractare debeant, ac etiam quadrageſimalis jejunii tempore; ſed quot dies ab uxore abſtinere debeat Presbyter, qui ſit celebraturus, in iis expreſſum non legimus. Balſamon vero refert *a ſanctiſſimo Patriarcha Luca de hoc interrogato Synodaliter fuiſſe pronunciatum, tribus ante diebus a corporali congreſſu abſtinere debere conjuges, qui ſunt divinorum Sacramentorum futuri participes. Quin & ſponſos, qui ipſo nuptiarum die, poſt ſanctam communionem congrediuntur, pœnæ ſubjecit*. Vid. expoſ. can. 4. Conc. Carthag. juxt. Ordinem, quem habent can. in collectione Eccl. Orient. Ex hoc perſpicuum fit, juxta Orientalis Eccleſiæ diſciplinam, Presbyterum ad minus tribus diebus ante celebrationem a conjugali congreſſu abſtinere debere, ut licite celebret, quam abſtinentiam illius Eccleſiæ canones etiam in Laicis olim exigebant. Hinc Balſamon ipſe notat in expoſitione alterius canonis, compati non poſſe uxoris uſum cum quotidiana Sacri celebratione ſecundum Orientalis Eccleſiæ Canones. ✠

TRA-



*Sacrificium Deo Spiritus Contribulatus Ps. 50.*

# TRACTATUS
## DE POENITENTIÆ
## *SACRAMENTO.*

POEnitentia ſumitur vel pro virtute, vel pro Sacramento. Sumpta pro virtute, eſt virtus inclinans peccatorem ad dolorem ac deteſtationem de peccato commiſſo, quatenus eſt offenſa Dei, & ad efficax propoſitum vitandi peccatum, & ſatisfaciendi juſtitiæ divinæ. Eſt aliqua juſtitiæ commutativæ ſpecies: nam qui per ſuum peccatum injuriam Deo intulit, debet eam per ſatisfactionem compenſare, ſi non ad æqualitatem, cujus eſt incapax: ſaltem quantum poteſt, & Deus exigit. Actus virtutis Pœnitentiæ ſunt contritio, & ſatisfactio, de quibus infra.

Pœnitentia ſumpta pro Sacramento, ut hic ſumitur, eſt Sacramentum a Chriſto inſtitutum ad peccata poſt Baptiſmum commiſſa remittenda per actus pœnitentis, & abſolutionem Sacerdotis. Eſſe neceſſariam neceſſitate medii in re, vel in voto, conſtat ex Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata &c.* & ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. 2. ibi: *Eſt autem hoc Sacramentum pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.*

### CAPUT PRIMUM.

*De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.*

DUplex eſt, remota, & proxima. Materia remota, & circa quam deſtruendam verſatur, ſunt omnia peccata poſt Baptiſmum admiſſa. Materia proxima, & ex qua componitur, ſunt actus pœnitentis, nempe contritio perfecta vel imperfecta, confeſſio, & ſatisfactio; quæ partes materiales dicuntur, ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. can. 4. *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur, anathema ſit.* Differt tamen ſatisfactio actualis ab aliis, quod ſit tantum pars integralis. Nam datur abſolutio, & hoc Sacramentum conficitur, & confert gratiam juſtificantem ante ſatisfactionem impletam: at nulla res poteſt eſſe ſine tota ſua eſſentia. Contritio vero, & confeſſio ſunt partes eſſentiales. Satisfaciendi tamen propoſitum neceſſario requiritur in contritione.

Ar-

lis occaſum, cum antiquam conſuetudinem ſequantur. Sicut quiſque rite ſequitur propriam circa horam celebrandi conſuetudinem, quæ probata ſit, ita contra conſuetudinem, ac Eccleſiæ legem celebrationis tempus immutando ac pervertendo, Sacerdotes peccant. Neque circa hoc diſpenſare poteſt, niſi ſummus Pontifex, qui juſtis de cauſſis facultatem conceſſit Miſſionariis Sinenſibus celebrandi tribus ante auroram horis contra Latinæ Eccleſiæ diſciplinam, 25. Novembris 1665. Scilicet, ut Fideles, quos Magiſtratus Gentiles Religionem exercere prohibebant, poſſent confiteri, Euchariſtiam ſumere, ac deinceps antequam dies eluceſceret ad proprias domos tuto redire.

*Quæres* 5. An liceat Sacerdoti Catholico eleemoſynam a Schiſmaticis, vel Hæreticis accipere pro Miſſa juxta eorum intentionem celebranda?

*Reſp.* Non licere. Primum, quia nefas eſt cum iis in divinis communicare, ut alibi a nobis eſt demonſtratum, & ut decernitur a Conc. Later. V. ſeſſ. XI. §. *Statuimus inſuper.* Sacerdos vero cum iis communicat, pro quibus Miſſæ ſacrificium applicat, quos ſacrificii participes eſſe vult, atque ii qui eleemoſynam dant, ſacrificium ſibi communicari cupiunt, eo modo, quo fieret, ſi ſacrum faciendum committerent Sacerdotibus propriæ ſectæ, cum quibus communicare contendunt. Deinde Sacerdos dum juxta offerentis eleemoſynam voluntatem ſacrificium celebrat, ut publicus Eccleſiæ Miniſter ſe gerit, ac Eccleſiæ nomine pro iis orat, qui eleemoſynam ſunt elargiti, ejuſque illis ſuffragia impertitur: Eccleſia vero hanc ſuffragiorum communionem Schiſmaticis Hæreticis, & excommunicatis omnino prohibet, cap. *A nobis* de ſent. excom.

*Quæres* 6. An Presbyteri Orientales conjugati dum celebraturi ſint, abſtinere debeant ab uxoribus, & quamdiu?

*Nota.* Eſſe omnino abſtinendum non ſolum nocte antecedente ſacri celebrationem, ſed inſuper aliquot dies juxta cujuſque Eccleſiæ Canones & diſciplinam, cujus tranſgreſſio nunquam gravi culpa caret. Circa dierum numerum quiſque propriæ Eccleſiæ ritum ſervare tenetur. Quod ſpectat ad Armenos, en dubium Sac. Cong. propoſitum a Carmelitis Diſcalceatis Miſſionariis in Perſia, ejuſque reſponſio. *An Presbyteris Armenis conjugatis moderandum ſit tempus abſtinentiæ ab uxoribus; quadraginta ſcilicet dierum ante, & totidem poſt Miſſæ celebrationem ab eorum Ritu præfixum & determinatum? Reſp. Nihil eſſe innovandum, & Epiſcopus curet pro ſui Paſtoralis Officii munere, ut Presbyteri conjugati catholici Armeni ritum ſuum obſervent*, S. C. Off. die 14. Maji 1705. Pro Græco-Italis Clemens VIII. ac deinceps Bened. XIV. Eccleſiæ Græcæ Canones inculcando, habent: *Presbyter Græcus conjugatus antequam ad ſacrum ſacrificium, ſeu ſanctam Miſſam celebrandam accedat, vel per hebdomadam, vel per triduum ab uxore curet abſtinere.* Si ſpectentur canones Eccleſiæ Orientalis nihil in iis frequentius inculcatur, quam continentia iis, qui Euchariſtiam ſuſcipere, vel ſacra tractare debeant, ac etiam quadrageſimalis jejunii tempore; ſed quot dies ab uxore abſtinere debeat Presbyter, qui ſit celebraturus, in iis expreſſum non legimus. Balſamon vero refert *a ſanctiſſimo Patriarcha Luca de hoc interrogato Synodaliter fuiſſe pronunciatum, tribus ante diebus a corporali congreſſu abſtinere debere conjuges, qui ſunt divinorum Sacramentorum futuri participes. Quin & ſponſos, qui ipſo nuptiarum die, poſt ſanctam communionem congrediuntur, pœnæ ſubjecit.* Vid. expoſ. can. 4. Conc. Carthag. juxt. Ordinem, quem habent can. in collectione Eccl. Orient. Ex hoc perſpicuum fit, juxta Orientalis Eccleſiæ diſciplinam, Presbyterum ad minus tribus diebus ante celebrationem a conjugali congreſſu abſtinere debere, ut licite celebret, quam abſtinentiam illius Eccleſiæ canones etiam in Laicis olim exigebant. Hinc Balſamon ipſe notat in expoſitione alterius canonis, compati non poſſe uxoris uſum cum quotidiana Sacri celebratione ſecundum Orientalis Eccleſiæ Canones.





*Sacrificium Deo Spiritus Contribulatus Ps. 50.*

# TRACTATUS
## DE POENITENTIÆ
## *SACRAMENTO.*

POEnitentia ſumitur vel pro virtute, vel pro Sacramento. Sumpta pro virtute, eſt virtus inclinans peccatorem ad dolorem ac deteſtationem de peccato commiſſo, quatenus eſt offenſa Dei, & ad efficax propoſitum vitandi peccatum, & ſatisfaciendi juſtitiæ divinæ. Eſt aliqua juſtitiæ commutativæ ſpecies: nam qui per ſuum peccatum injuriam Deo intulit, debet eam per ſatisfactionem compenſare, ſi non ad æqualitatem, cujus eſt incapax: ſaltem quantum poteſt, & Deus exigit. Actus virtutis Pœnitentiæ ſunt contritio, & ſatisfactio, de quibus infra.

Pœnitentia ſumpta pro Sacramento, ut hic ſumitur, eſt Sacramentum a Chriſto inſtitutum ad peccata poſt Baptiſmum commiſſa remittenda per actus pœnitentis, & abſolutionem Sacerdotis. Eſſe neceſſariam neceſſitate medii in re, vel in voto, conſtat ex Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata &c.* & ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. 2. ibi: *Eſt autem hoc Sacramentum pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.*

### CAPUT PRIMUM.

#### *De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.*

DUplex eſt, remota, & proxima. Materia remota, & circa quam deſtruendam verſatur, ſunt omnia peccata poſt Baptiſmum admiſſa. Materia proxima, & ex qua componitur, ſunt actus pœnitentis, nempe contritio perfecta vel imperfecta, confeſſio, & ſatisfactio; quæ partes materiales dicuntur, ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. can. 4. *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur, anathema ſit.* Differt tamen ſatisfactio actualis ab aliis, quod ſit tantum pars integralis. Nam datur abſolutio, & hoc Sacramentum conficitur, & confert gratiam juſtificantem ante ſatisfactionem impletam: at nulla res poteſt eſſe ſine tota ſua eſſentia. Contritio vero, & confeſſio ſunt partes eſſentiales. Satisfaciendi tamen propoſitum neceſſario requiritur in contritione.

ARTICULUS PRIMUS.

*De Contritione.* (1)

Quæſt. I. Q*Uid eſt Contritio, & quotuplex?*

*Reſp.* 1. Contritio generice ſumpta eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero. Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 4. Ut autem valeat ad remiſſionem mortalium, ſive intra, ſive extra Sacramentum, neceſſario debet eſſe interna, ſupernaturalis, univerſalis, efficax, & appretiative ſumma.

*Reſp.* 2. Dividitur in perfectam, & imperfectam. Contritio perfecta eſt ea, quæ concipitur ex actu, ſeu motivo caritatis perfectæ; unde eſt dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cetero propter Deum ſuper omnia dilectum pro-

(1) *Quoniam Auctor ſententiam ſuam circa graviſſimam controverſiam* de dolore perfecto, & imperfecto, *variis explicat aſſertionibus ſparſim jactis in præſenti Articulo, qui ſeptem Quæſtiones complectitur, idcirco, ut univerſa ipſius doctrina commode apprehendatur unico veluti intuitu, juvat hic eam ſummatim exhibere contextam ſequentibus ex membris.*

1. Quilibet actus caritatis perfectæ, quem contritio perfecta includit, abſolute ſufficit extra Sacramentum ad juſtificationem (q. 2.) *Caritatem perfectam intellige in* genere *amorum, quibus diligi poteſt Deus: hoc eſt, quæ involvit amorem purum propter Deum, atque creatis omnibus Deum anteponit. Caritas enim, qua Deus ſuper omnia diligitur, quia in ſe bonus,* perfectiſſimus eſt amor *juxta Rom. Catechiſmum (par. 2. tit. de Pœnit. n. 28.) & ideo contritionem conſtituit, quæ* vehementiſſimum animi dolorem conjunctum habet: *Id olim perſpicue docuere S. Th. & Richardus de Mediavilla. Primus enim in Scripto ad Hanibaldum Cardinalem tit. SS. XII. Apoſt. (in 4. ſent. diſt. 17. qu. 2. art. 1.) ſic ait:* Dicendum, quod in contritione duplex eſt dolor. Unus in voluntate, qui non eſt aliud, quam diſplicentia peccati, & in hoc conſiſtit eſſentia contritionis: alius in ſenſualitate, qui cauſſatur ex primo dolore. Primus dolor ſecundum intenſionem debet eſſe maximus in genere, ſcilicet comparatione aliorum dolorum; quia quanto aliquid debet magis placere, tanto ejus oppoſitum debet magis diſplicere. Non tamen oportet, quod ſit maximus in ſpecie hujus doloris: ſicut quilibet amor caritatis eſt maximus in genere, ſed non in ſua ſpecie. Secundum durationem vero oportet, quod ſit maximus, quia per totum tempus præſentis vitæ durare debet in habitu, ſed non in actu ..... Secundus dolor non oportet, quod ſit maximus intenſive, quia non requiritur ad contritionem de neceſſitate, ſed de perfectione; nec extenſive, ut ſi nimis duret, homo in deſperationem labatur. *Secundus vero hæc habet (in 4. ſent. diſt. 17. art. 1. q. 6.)* Cum contritio dicat actum pœnitendi caritate formatum, & quantumcumque modica caritas ſufficiat ad remiſſionem quantorumcumque & quorumcumque peccatorum mortalium; quantumcumque parva contritio ſufficit pro quantocumque magno peccato. *Quid clarius?*

2. *Proinde* ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam non requiritur contritio caritate perfecta (*Reſp. 4. qu. 6.*) *ſeu contritio, quæ ſit informata actu caritatis mox explicatæ. Siquidem apud DD. in confeſſo nunc eſt, minus requiri intra, quam extra Sacramentum.*

3. *Hinc autem ſit, ut* contritio perfecta, & imperfecta differant ſpecie, cum habeant diverſa motiva (*Reſp. 2. q. 1.*) *adeoque utriuſque diſcrimen non ſit repetendum a variis dumtaxat perfectionis gradibus unius ejuſdemque caritatis, remiſſæ ac intenſæ, uti S. Thom. de Villan. (ſerm. in Dom. de Paſſ.) expreſſe notavit.* Solus dolor ille contritio eſt, qui eſt propter Deum. Unde attritio, & contritio non tam differunt, quia contritio eſt dolor intenſus, & attritio eſt dolor remiſſus, ſed magis quia contritio eſt dolor perfectus propter Deum, & attritio dolor imperfectus, & mixtus cum aliis reſpectibus.

4. Ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam requiritur, ut contritio imperfecta includat aliquem Dei amorem, non tamen qui extra Sacramentum juſtificet; *ſeu* qui non ſit *caritas* perfecta (*Reſp. 2. q. 6.*) *Ex quo ſequitur, purum putumque gehennæ metum minime ſufficere.*

5. *Ejuſmodi amor, qui Sacramentalem attritionem informare debet*, eſt amor ſpei, ſeu concupiſcentiæ, quo peccator adultus non ſolum avertitur a creatura, ſed etiam convertitur ad Deum, ipſum ſuper omnia amando, ut ſuum ſummum bonum, & ſuam beatitudinem (*Reſp. 2. qu. 6.*) *Dicitur amor* ſpei, *non quia ſolius ſpei actus ſit, ſed quia* cauſſatur ex ſpe *juxta Doct. Angelicum (1. 2. q. 40. art. 7.) Appellatur etiam* concupiſcentiæ, *non qualiſcumque, ſed* in finem recte ordinatæ *juxta D. Seraphicum (in 3. ſent. diſt. 27. art. 2. q. 2.) quæ nimirum tendit non in ſolam* formalem *beatitudinem, ſed principaliter in* objectivam: *hoc eſt, in ipſum Deum beantem. Unde amor iſte vocari poteſt* mercenarius ſimpliciter, *non* mercenarius ſerviliter. *S. Franciſcus Saleſius (lib. 3.* de Carit. *par. 1. c. 17.) eum perbelle deſcribit.* Hic amor, qui dicitur ſpei, amor eſt concupiſcentiæ, per quem non Deum ad nos trahimus, ſed ipſi unimur tamquam noſtræ finali felicitati. Per hujuſmodi amorem nos cum Deo amamus, ſed ipſi non præferimur, nec ipſi æquamur. Amor noſtri miſcetur cum illo Dei, ſed amor Dei vincit. Amor noſtri partes obtinet ſuas; ſed tamquam motivum dumtaxat, non tamquam finis. Amor noſtri aliquem obtinet locum, ſed Deus principalem obtinet ſedem. *Alia plura ibidem profert S. Præſul perquam apta convellendo craſſo illorum errori, qui* concupiſcentiæ *amorem ante repudiant, quam rite intellexerint: utpote non diſtinguentes (quemadmodum cetteroqui par eſt, atque ex prælaudato D. Bonavent. facile addiſci poteſt) amorem concupiſcentiæ* mercenarium ſimpliciter, *&* mercenarium ſerviliter, *juxta tritam apud Ethnicos omnes diſtinctionem beatitudinis* objectivæ, & formalis.

6. Ceterum quoad praxim, Pœnitentes ſemper adducendi ſunt ad eliciendam contritionem perfectam (*in*



propter ſe, hoc eſt, propter infinitam amabilitatem ſuam. Imperfecta, quæ attritio dicitur, eſt ea, quæ ex alio motivo ſupernaturali, quam caritatis concipitur, ut ex peccati turpitudine, vel ex gehennæ & pœnarum metu. Concilium Tridentinum *ſupra*. Quare differunt ſpecie, cum habeant diverſa motiva: differunt etiam ex parte effectus, nam perfecta Deo reconciliat extra Sacramentum cum ejus voto; non imperfecta: quoad cetera conveniunt.

Quæſt. II. *An contritio perfecta ſemper juſtificat extra Sacramentum, per modum ſcilicet diſpoſitionis ultimæ, licet non ſine voto Sacramenti?*

*Reſp.* Affirm. (1) *Prob.* 1. ex Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam &c. vita vivet.* 2. Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4. docet, *etſi contritionem hanc aliquando caritatem perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare prius, quam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* 3. Quia S. Pius V. & Gregorius XIII. damnavit hanc Baji propoſitionem: *Per contritionem etiam cum caritate perfecta, & cum voto voto percipiendi Sacramentum, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.*

Immo quilibet actus caritatis perfectæ, quem contritio perfecta includit, & qui dicitur contritio virtualis, abſolute ſufficit extra Sacramentum ad juſtificationem ſine dolore & propoſito formali, ut conſtat. 1. Ex Script. Prov. 8. *Ego diligentes me diligo.* Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo: & ego diligam eum &c.*

2. Ex Patribus id paſſim afferentibus.

3. Quia damnatæ ſunt hæ Baji propoſitiones.

31. *Caritas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.* 70. *Homo exiſtens in peccato mortali, poteſt habere veram caritatem.*

4. Quia perfecta Dei dilectio eſt perfecta converſio ad Deum. Tamen actus caritatis perfectæ non reconciliat hominem Deo ſine voto contritionis & Sacramenti, quod in illo virtualiter & implicite includitur; nec ſine obligatione eliciendi poſtea contritionem formalem de iiſdem mortalibus jam remiſſis, & eadem confitendi.

Quæſt. III. *An contritio eſt neceſſaria?*

*Reſp.* 1. Contritio formalis, vel virtualis ſufficiens ad remiſſionem peccati mortalis eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem. *Prob.* 1. Ex Luc. 13. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Et Act. 3. *Pœnitemini, & convertimini; ut deleantur peccata veſtra.* 2. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. & c. 4. Ratio eſt, quia ſine illa, etiam inculpate omiſſa, obtineri nequit remiſſio peccati mortalis; nec proinde ſalus. Contritio autem ſufficiens ad remiſſionem mortalium eſt contritio perfecta, vel attritio ex amore Dei inchoato, ſeu imperfecto cum Sacramento, ut infra dicam.

Dixi, *vel virtualis*. Quia actus caritatis perfectæ ſufficit ad juſtificationem, etiam ſine dolore formali; & eſſe poteſt in eo qui non cogitat de peccatis; eſtque pœnitentia virtualis, quia efficaciter ad contritionem movet eum, qui de peccatis cogitat, & habet vim reconciliandi cum Deo extra Sacramenta.

*Reſp.* 2. Contritio formalis eſt etiam neceſſaria neceſſitate præcepti. Nam 1. extat præceptum ſpeciale divinum eliciendi contritionem formalem; ut conſtat ex Matth. 4. & Act. 2. *Pœnitentiam agite.* 2. Omnia media ad ſalutem neceſſaria, directe & ratione ſui a Deo præcipiuntur: ſed contritio formalis eſt medium a Deo conſtitutum, ut neceſſarium ad reconciliationem cum eo, ut docet Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4. *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.* 3. Ratione ſui præcepta eſt lege cujuſdam juſtitiæ ad Deum, ex qua tenemur, quantum in nobis eſt, reſarcire injuriam Deo illatam, modo ex natura rei convenienti, & a Deo inſtituto; qualis eſt dolor & propoſitum efficax. Hinc peccator, qui elicuit actum caritatis perfectæ, tenetur adhuc contritionem formalem elicere; & omiſſio contritionis præceptæ eſt ſpeciale peccatum contra virtutem Pœnitentiæ.

*Obſerva.* Contritio, quæ neceſſaria eſt neceſſitate tum medii, tum præcepti, debet reconciliare peccatorem cum Deo: ac proinde eſt Contritio perfecta extra Sacramentum, & ſaltem attritio conjuncta cum amore Dei imperfecto ſeu amore ſpei, in Sacramento. Nam contritio non exigitur, niſi ad placandum Deum, ad divinam injuriam, quantum fieri poteſt, compenſandam, & ad reconciliandum hominem cum Deo.

Quæſt. IV. *Quandonam præceptum contritionis obliget?*

*Reſp.* Tenemur jure divino & naturali ad non differendam ſaltem notabiliter contritionem ſufficientem ad juſtificationem poſt mortale admiſſum; ita ut notabilis ejus dilatio ſit novum peccatum mortale. *Prob.* 1 ex Eccl. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Item Chriſtus, Matth. 24. & 25. Marc. 13. Luc. 18. jubet nos ſemper vigilare & paratos eſſe ad mortem. Sed hoc præceptum violat qui notabili tempore manet in ſtatu peccati: nam non vigilat, nec paratus eſt. 2. Ex Patribus, qui paſſim longam Pœnitentiæ dilationem graviter increpant. 3. Notabilis dilatio contritionis, quæ a Deo ſtatuta eſt ad ſatisfacien-

(*in fin. q. 6.*) *quia nempe varias ob cauſas id utilius, tutiuſque. Hæc ſunt genuina Auctoris ſenſa, cui nunc aſſentiuntur & numero & ſapientia præſtantes Theologi, quibus placet via media incedere inter extremas aliorum opiniones.*

(1) *Hæc theſis eſt contra Guilielmum Eſtium, qui ſic ſtatuit (in 4. Sent. diſt. 17. §. 2.)* Neque ordinarie, neque frequenter, ac multo minus ſemper, ſed raro fit, ut ante actualem Sacerdotis abſolutionem peccator ſit abſolutus coram Deo, *ſupple, prævia cordis contritione perfecta. Qui ejuſdem Theologica Commentaria notis Critico-Theologicis illuſtravit, veriſſime advertit,* ſententiam iſtam noſtris temporibus ſingularem eſſe appellandam, cum ab ea fere omnes receſſerint.

ciendum ejus offenſæ, ejuſque amicitiam recipiendam, eſt graviter injurioſa Deo; nam eſt violatio juris divini exigentis reparationem injuriæ Deo illatæ, ſine notabili mora. Idem quippe jus obligans ad compenſationem injuriæ, ſimul obligat ad illam non differendam ſaltem notabiliter, ut patet in injuriis humanis. Præterea tempore notabili non curare de reconciliatione cum Deo ineunda, & permanere voluntarie in inimicitia Dei, dum ab eo ſollicitaris ad redeundum in gratiam, eſt ſecundum æſtimationem prudentum, virtualiter amicitiam divinam contemnere. 4. Gravis eſt inordinatio voluntarie notabili tempore ſejungi, & habitualiter averti a fine ultimo, ut rem magis ex morali quodam judicio, quam ex ſubtili diſquiſitione expendenti facile patebit. 5. Per talem dilationem peccator exponit ſe periculo labendi in novum peccatum; nam ex communi Patrum & Doctorum doctrina, homo non poteſt diu in peccato mortali verſari, quin iterum in novum mortale incidat. *Peccatum quod pœnitentia non diluit, ipſo ſuo pondere mox ad aliud trahit*, ait S. Greg. lib. 23. mor. c. 9. Hinc illud Eccl. 3. *Peccator adjiciet ad peccandum*. Et vero (ut ait Delugo) hæc eſt voluntatis natura, ut quiſque operetur juxta id quod amat & intendit, nec diu eligere poſſit media difficilia ad finem alium, quem minus amat.

Quare [1] notabilis dilatio contritionis eſt peccatum mortale contra virtutem Pœnitentiæ, & contra caritatem, vetantem contemptum quemlibet divinæ amicitiæ. Quænam autem dilatio notabilis cenſeatur, ut ſufficiat ad mortale, ex morali judicio æſtimandum eſt, opportunitate, periculis, tentationibus, & aliis circumſtantiis ſpectatis.

Ceterum ſecundum omnes contritionis præceptum obligat per ſe in quovis probabili periculo mortis: quia cum poſt mortem obſervari nequeat, homo ſe committeret periculo illud non obſervandi. Per accidens vero obligat quoties qui Sacramentum aliquod vult miniſtrare, vel ſuſcipere, quia ex virtute religionis tenetur ſancta ſancte tractare, & proinde ſibi comparare ſtatum gratiæ. Item quando neceſſaria judicatur ad ſuperandam tentationem, vel avertendam calamitatem publicam.

*Reſp.* 2. Quiſque tenetur lege naturali divina elicere contritionem perfectam in articulo mortis. Ita communius. Quia recta ratio dictat in negotio ſalutis æternæ, eo tempore, quo exacto, defectus ſit irreparabilis, adhibendam eſſe viam tutiorem, & omnem ſecuritatem moraliter poſſibilem, qualis eſt omni adulto contritio perfecta. Nam nemo certo ſcit ſe immunem eſſe ab omni mortali, nec ſe liberandum dum eſſe per contritionem imperfectam cum Sacramento; quia poteſt tibi deeſſe Baptiſmus, ſine quo nemo eſt capax alterius Sacramenti; poſſet Confeſſarius non eſſe rite ordinatus, caruiſſe intentione neceſſaria &c. Nec ſatis eſt elicere amorem Dei perfectum, dum occurrunt animo peccata, nam tunc ex præcepto elici debet contritio formalis, ut dixi.

Quæſt. V. *An ad remiſſionem venialium, etiam in juſto, requiratur aliqua pœnitentia ſeu diſplicentia, ac retractatio vel formalis, vel ſaltem virtualis?*

*Reſp.* Affirm. Ita communiter cum S. Tho. 3. par. q. 85. art. 1. *Prob.* 1. ex Script. quæ aſſerit indiſtincte & generaliter contritionem eſſe neceſſariam ad remiſſionem peccatorum. 2. Ex S. Auguſt. ep. 48. *Nec quemquam putes a quocumque ſeu magno ſeu parvo peccato ad correctionem ſine pœnitentia poſſe tranſire*. Et ſerm. 1. in pſal. 18. *Iniquitas omnis, parva magnave ſit, puniatur neceſſe eſt aut ab ipſo homine pœnitente, aut a Deo vindicante; nam & quem pœnitet, punit ſeipſum .... Non poteſt impunitum relinqui peccatum*. 3. Sapientiæ & juſtitiæ divinæ plane convenit, ut omnis Dei offenſa, propria voluntate admiſſa, ſine retractatione ac diſplicentia ſaltem virtuali non remittatur. Ergo recte creditur Deus, qui connaturalem rerum exigentiam ac convenientiam ſemper ſervat, ſtatuiſſe, ut peccata etiam venialia non condonarentur ſine aliqua eorum Pœnitentia ſaltem virtuali: quæ conſiſtit in actu ſupernaturali virtutis alicujus, vi cujus diſpliceret illud peccatum ſi memoriæ occurreret.

Quæſt. VI. *Quænam contritio requiritur & ſufficit ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ?*

*Reſp.* 1. Ad valorem & effectum Sacramenti requiritur contritio formalis, interna, ſupernaturalis, univerſalis reſpectu mortalium, efficax, & appretiative ſumma. Itaque debet eſſe, 1. Formalis, qualis generatim deſcripta eſt, nempe quæ ſit animi dolor ac deteſtatio formalis de peccatis commiſſis, cum propoſito non peccandi de cetero, ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 4. Nam contritio eſt pars neceſſaria Sacramenti, ex can. 4. Item ſaltem in praxi requiritur, præter dolorem, etiam propoſitum formale & expreſſum; nam non eſt certum ſufficere virtuale: immo Conc. Florent. explicando contritionem requiſitam, expreſſe commemorat dolorem & propoſitum, & illa tamquam duo requirit. Et a Conc. Trid. contritio definitur: *Animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero*. At definitur per partes eſſentiales, alioqui dolor & deteſtatio non eſſent etiam partes eſſentiales: nam a Conc. non

(1) *Gravis obligatio non differendi diuturno, ſeu* notabili *tempore converſionem ad Deum, emanat potiſſimum ex alia gravi obligatione diligendi Deum* frequenter, *ſicuti (N. 373.) indicavimus. Ad dignoſcendam autem* notabilem dilationem *in utroque & caritatis, & pœnitentiæ negotio, præ oculis habeantur, quæ hanc ipſam ad rem ſcribit Eximius Suarezius (Diſp. ſect. 5. Comment. in 3. par. Div. Tho.)* Illud tempus, ſi non ſit poſitiva lege præſcriptum, prudenti arbitrio ipſius hominis, vel alterius, qui ejus cognita conſcientia poſſit auxilium præſtare committendum eſt, ut penſatis circumſtantiis omnibus judicet, an incipiat nimia eſſe dilatio. Neque aliquam regulam certiorem, aut magis particularem aſſignare poſſum tam in hoc præcepto, quam in aliis affirmativis, præſertim circa actus, qui ad Deum ordinantur, ſola ac nuda naturali ratione perſpecta: *quales nimirum ſunt actus credendi, ſperandi, amandi, orandi &c. qui ſatis crebro ſub præceptum venire intelliguntur, vel eo ipſo, quod illorum eliciendorum tempus noluerit Deus in Scripturis Sacris exerte patefacere*.



non requiritur ſimpliciter propoſitum; & particula cum ſignificat conjunctionem &c. Hinc non ſufficit perfecta dilectio, quia non eſt contritio formalis, ſed ſolum virtualis.

2. Interna, ex Joel. 2. *Scindite corda veſtra*: nam eſt animi dolor, alioqui non eſſet contritio, ſed merum ſimulacrum contritionis, quo Deus, qui intuetur cor, decipi non poteſt. At non neceſſe eſt, ut contritio ſit ſenſibilis: nam ex Concil. Trid. eſt animi dolor. Animus autem mentem & voluntatem, non appetitum ſenſitivum ſignificat. Sæpe tamen ſenſibilis eſt, quia ſæpe ex ea oritur motus appetitus ſenſitivi.

3. Supernaturalis, hoc eſt, facta ex motivo ſupernaturali per auxilium gratiæ. Ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit*. Et vero diſpoſitio debet eſſe proportionata formæ, & ejuſdem ordinis cum illa: forma autem, nempe gratia ſanctificans, eſt ſupernaturalis; ergo contritio, quæ eſt diſpoſitio ad illa, debet quoque eſſe ſupernaturalis. Quare peccator humilibus ac crebris precibus contritionis gratiam a Deo per Chriſti merita petat his verbis, Jer. 31. *Converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus*.

4. Univerſalis, ita ut dolor ſe extendat ad omnia mortalia admiſſa, & adſit propoſitum omnia omnino mortalia inpoſterum vitandi, propter motivum omnibus etiam oblitis commune, ex Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, vita vivet*. Nam unum mortale non poteſt remitti ſine omnibus aliis, cum per quodlibet avertamur a Deo, & nullum remittatur ſine infuſione gratiæ ſanctificantis, quæ eſt incompoſſibilis cum omni mortali. Ergo ut contritio valeat ad remiſſionem mortalium, debet valere ad remiſſionem omnium. Non poteſt autem valere ad remiſſionem omnium mortalium, niſi virtualiter ſaltem & implicite ad omnia ſe extendat, per rationem omnibus communem, ut patet. Hinc Conc. gener. Later. II. c. 27. ait: *Falſam pœnitentiam eſſe conſtat, cum ſpretis pluribus, de uno ſolo pœnitentia agitur ... Unde ſcriptum eſt: Qui totam legem obſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus, ſcilicet quantum ad vitam æternam; ſicut enim ſi peccatis eſſet omnibus involutus, ita ſi in uno tantum maneat, æternæ vitæ januam non intrabit &c.*

5. Efficax & abſoluta, ita ut excludat omnem affectum ad quodvis mortale, & contineat propoſitum firmum ſervandi omnia mandata, & ad mandatorum obſervationem neceſſaria, cujuſmodi ſunt deſtructio cauſſarum peccati, fuga occaſionis proximæ, cupiditatum ac ſenſuum mortificatio, oratio crebra &c. Nam Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 4. requirit propoſitum non peccandi de cetero, hoc eſt, nunquam peccandi; ideoque ſemper ſervandi omnia mandata ſaltem graviter obligantia. Præterea vera Pœnitentia, ſeu contritio eſt vera converſio cordis ad Deum, quæ non poteſt eſſe ſine odio efficaci peccati, & amore efficaci juſtitiæ, ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 4. *Declarat. S. Synodus hanc contritionem* (neceſſariam quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum) *non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, juxta illud* Ezech. 18. *Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum & ſpiritum novum*. Certe contritio, quæ cor novum & ſpiritum novum facere debet, eſt maxime efficax.

Ad efficaciam contritionis pertinet etiam voluntas faciendi quidquid Deus requirit ad deſtructionem peccati, nempe confitendi, ſatisfaciendi &c.

6. Appretiative ſumma, ita ut homo oderit ac deteſtetur peccatum ſupra omnia alia mala, ſitque paratus omni bono carere, & quodvis malum pati, potius quam peccare mortaliter, & Dei amicitiam rebus omnibus præferat. Nam contritio neceſſaria ad juſtificationem eſt converſio ad Deum ex toto corde, totalitate [1] appretiationis, juxta illud Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro*. Et Deut. 4. *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ*. Enim vero ſicut Deus eſt ſummum bonum, ideoque ſupra omnia diligendus; ita peccatum, quod eſt Dei offenſa, & ejus amicitia privat hominem, eſt ſummum malum, ideoque ſumme deteſtandum ac vitandum.

7. Ut ſit cum ſpe veniæ conjuncta. *Vide* Concil. Trid.

Porro contritio debet eſſe talis reipſa & non ſolum opinione. Nam ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. & can. 4. eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ. Sed pars Sacramenti realis & veri, debet eſſe vera & realis, & non tantum exiſtimata; noſtra enim exiſtimatio nihil ponit in re. Cum ergo res eſſe nequeat ſine omnibus ſuis partibus eſſentialibus veris, nec etiam Pœnitentiæ Sacramentum poteſt eſſe ſine aliqua contritione vera, qualis a Deo requiritur.

*Reſp.* 2. Ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam requiritur inſuper, ut talis contritio includat [2] aliquem Dei amorem, non tamen qui

(1) *Totalitas ejuſmodi, ad dolorem, amoremque perfectum neceſſaria, a Seraphica Doct. (n. 131.) explicatur*.

(2) *Vid. N. 184. & ſeq. ubi produximus ratiocinium gravium DD. contendentium, dolorem cujuſvis omnino amoris expertem non excludere, uti par eſt,* voluntatem peccandi. *Hic adde, nec eſſe proprie dolorem de peccato, quatenus eſt* offenſa Dei, *quod ex doctrina Angelici (in Nota ad fin. art. 1. c. 3. Tract.* de Act. Human.) *elicere pronum eſt. Recte propterea ex Gamatio ſcribit Sylvius (Concl. 3. qu. 3. ad Supplem. 3. par. qu. 1. art. 1.)* Conſtat, attritionem non eſſe ex ſolo metu, ſed aliquid etiam divini amoris neceſſario includere; alioqui ſi nullus omnino Dei amor neque explicite actu, aut virtute includatur, non eſt tunc vera attritio, nec attritionis nomen promeretur. *Inde eſt, ut cum in Tridentino decreto Seſſ. VI. primitus delineato nulla occurreret mentio dilectionis, Claudius Jajus Soc. Jeſu, aliique Concilii Patres poſtularint, ut adde*-



re-

qui extra Sacramentum juſtificet. *Prob.* 1. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. ubi agens de diſpoſitionibus ad juſtificationem in Baptiſmo requiſitis, ſic ait: *Illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet.* Quanto magis talis amor requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, quæ ex Conc. Trid. eſt laborioſus Baptiſmus? 2. Ex auctoritate Cleri Gallicani, an. 1700. ita docentis: *Et quidem de dilectione Dei ſicut ad Sacramentum Baptiſmi in adultis, ita ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ eſt laborioſus Baptiſmus, requiſita, ne neceſſariam doctrinam amittamus, hæc duo in primis ex S. Synodo Tridentina monenda, & docenda eſſe duximus: Primum, ne quis putet in utroque Sacramento requiri ut præviam contritionem eam, quæ ſit caritate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, antequam actu ſuſcipiatur, hominem Deo reconciliet. Alterum, ne quis putet, in utroque Sacramento ſecurum ſe eſſe, ſi præter fidei & ſpei actus, non incipit diligere Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem. Neque vero ſatis adimpleri poteſt utrique Sacramento neceſſarium vitæ novæ inchoandæ ac ſervandi mandata divina propoſitum, ſi pœnitens primi & maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat; nec ſit ſaltem animoſita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, ſe ſe excitet ac provocet.* 3. Quia ex Scripi. Patribus, & Conc. Trid. ad juſtificationem omnem adulti requiritur vera converſio ad Deum; vera autem converſio ad Deum includit aliquem Dei amorem. 4. Homo per peccatum mortale avertitur a Deo, & convertitur ad creaturam, ponendo in ea ſuam beatitudinem ſeu ſuum finem ultimum. Ergo ut ſe ad Deum vere convertat, & peccati remiſſionem obtineat, debet non ſolum averti a creatura, ſed etiam converti ad Deum, ipſum ſuper omnia amando, ſaltem ut ſuum ſummum bonum, & ſuam beatitudinem. Præterea homo non poteſt eſſe ita diſpoſitus, ut nullum bonum appetat & amet, in quo ultimo conquieſcat & ſuam beatitudinem ponat. Ergo ſi jam non amat, nec expetit bonum creatum, in quo ultimo conquieſcat & beatitudinem ſuam ponat, ut exigit vera converſio ſecundum omnes, neceſſe eſt ut in Deo tamquam ſine ultimo ſuam beatitudinem ponat, ideoque Deum ut ſuum ſummum bonum ſuper omnia amet. 5. Diſpoſitio ad reconciliationem in Sacramento requiſita, debet eſſe medium huic obtinendæ accommodatum, quod non præſupponat neceſſario effectum Sacramenti. Sed talis eſt attritio cum aliquo Dei amore appretiative ſummo, qui non ſit caritas perfecta, cum hæc ſola reconciliet extra Sacramentum. 6. Ubi agitur de valore Sacramenti, non licet ſequi opinionem probabilem tantum, relicta tutiore. At ſententia aſſerens neceſſitatem amoris Dei non per ſe juſtificativi, eſt ſaltem tutior, ut patet; & negans non eſt certa, ut conſtat tum ex dictis, tum quia Alexander VII. æque vetuit utramque cenſura notari, impugnaturque a multis. Ergo in praxi non licet opinionem negantem ſequi.

Porro amor ille ſpei, ſeu concupiſcentiæ neceſſitate quadam naturali conjunctus eſt cum aliquo benevolentiæ affectu & amore erga Deum propter ſe, quamvis non appretiative ſummo ex motivo caritatis: nam Deus amari ſuper omnia non poteſt ut ſummum noſtrum bonum, ſeu ut nobis ſumme bonus, quin etiam aliquatenus ametur propter ſe, ſeu ut eſt in ſe bonus, licet non ſuper omnia ex hoc motivo, ſed præciſe ex motivo ſpei, ſeu concupiſcentiæ.

✠ Circa controverſiam de Attritione, vel Contritione Confeſſioni præmittenda, lege c. 15. lib. 7. laudati Operis de Synodo Diœceſana, ubi hujuſce quæſtionis hiſtoria luculenter deſcribitur, eaque præmiſſa, concluditur. *Cum itaque verſemur in quæſtione ab Eccleſia hactenus non definita, jure & merito Alexander VII. die 9 Maji 1667. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Sedi Apoſtolicæ reſervata præcepit* „ Cunctis, & ſingulis Fidelibus . . . ut ſi deinceps de materia Attritionis ſcribent, vel libros, aut ſcripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo Pœnitentes, aut Scholares, ceteroſque erudient, non audeant alicujus Theologicæ cenſuræ, alteriuſque injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei, in præfata Attritione, ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec a Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum ". *Caveant proinde Epiſcopi, ne in ſua Synodo, aut in Inſtructione Sacerdotum, quam Synodis quandoque attexunt, aliquid decernant, aut de Attritione mere ſervili ad Sacramentum Pœnitentiæ ſufficienti, aut de amoris ſaltem initialis neceſſitate. Adhuc quippe ſub Judice lis eſt: adhuc impune pro una, & altera ſententia dimicatur. Paucis ante annis Cardinalis Gottus* Theol. tom. 3. in 3. par. D. Thomæ, qu. 4. de Contritione; dub. 4. §. 1. *ſententiam pro-*

retur, teſte Card. Pallavicino (lib. 8. Hiſt. cap. 13.) Quod & factum eſt unanimi omnium conſenſu, ut liquet ex verbis, quæ in eodem decreto nunc leguntur. Hinc porro prudens quiſque intelligit, præſtructæ neceſſitati inchoati cujuſpiam amoris nihil obeſſe, quod laudati Patres illum poſtea in Decreto Seſſ. XXV. expreſſe non memorarint, dum differentes* de attritione, quæ peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit, *eam dixere* ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipi. *Hoc namque decretum alio ſuperiore collatum non niſi alterutrum ex iſtis duobus ſenſibus præferre poteſt. Nimirum attritio concepta ex metu pœnarum diſponit ad Sacramentalem gratiam,* non proxime, *ſed* remote: *vel, ſi proxime diſponit, ſolum prout adjunctam habet initialem aliquem* amorem *erga Deum. Idque ſatis colligitur ex priſtina forma hujuſce poſterioris decreti, in quo juxta citatum Hiſtoricum dicebatur attritionem conceptam ex pœnarum metu* ſufficere ad Sacramenti conſtitutionem, cum ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix queat.



*pugnavit non requirentem in Pœnitente amorem Dei, nec initialem quidem, ad juſtificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ aſſequendam. Hac ipſa in Urbe opera & Cura P. Caroli Jacobi Romilii Ord. Min. Convent. Generalis Magiſtri, typis recuſum eſt opus Claudii Fraſſen inſcriptum:* Scotus Accademicus, *cujus Auctor* tom. 10. pag. 553. *ſtrenue defendit Attritionem ex ſolo metu pœnarum, & gehennæ, atque ex amore concupiſcentiæ, ſeu affectu ſpei, conceptam, modo ſupernaturalis ſit, omnemque excludat voluntatem peccandi, eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad Sacramenti Pœnitentiæ fructum in ſe derivandum. Contra vero Cardinalis Denhoff Epiſcopus Ceſenatenſis,* in ſua inſtructione Paſtorali, Pœnit. Sacram. pag. 33. *aliqualem amorem in Attritione requirit, ut ſit ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ materia; Franciſcus Maria Campioni anno 1698. doctam elucubravit diſſertationem Theologico-Scholaſticam, in qua totis viribus conatus eſt demonſtrare neceſſitatem aliqualis amoris Dei, ſaltem imperfecti, & initialis, ad impetrandam gratiam in Sacramentis, quæ dicuntur* Mortuorum; *& laudatus Petrus Lambertus le Drou, Epiſcopus Porphyrienſis, Apoſtolici Sacrarii Præfectus, cum per Urbem evulgatam vidiſſet diſſertationem a Bartholomæo Rivio, ejuſdem ſui Auguſtiniani Inſtituti Theologo, exaratam, in qua Auctor decertat pro ſufficientia Attritionis, omnis Caritatis expertis, ad valide, & cum fructu recipiendum Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, eidem ſtatim contradictorem ſe præbuit, aliiſque editis diſſertationibus, ſanctæ mem. Clementis XI. nuncupatis, nullum non adhibuit argumentum, quod aptum putaverit ad prædictam opinionem refellendam; contendens Attritionem mere ſervilem, ne a Sacramento quidem vires ſortiri, quibus valeat hominem proxime diſponere ad Dei gratiam, vel primo obtinendam, vel amiſſam recuperandam. Hinc recte intulit Berti* Theolog. tom. 7. lib. 34. c. 3. *nihil hactenus a Sede Apoſtolica de hac quæſtione deciſum, ſed libertatem cuique datam, ex præfatis opinionibus eam eligendi, & docendi, quam maluerit.*

*Sed non ideo prohibentur Epiſcopi Confeſſarios monere, ut Pœnitentes ad veram, & perfectam Contritionem hortentur & excitent; id ſiquidem faciendum ſuadent, etiam præcipui Auctores, qui pro ſufficientia doloris, ex ſolo metu gehennæ, ſteterunt, uti Suarez, Gamachæus, Comitolus, quorum teſtimonia ſupra retulimus. Et quod magis eſt, ita fieri præcipit Rituale Romanum, juſſu Pauli V. editum, Confeſſario injungens, ut audita Pœnitentis Sacramentali Confeſſione, ejuſque peccatis diligenter expenſis* „ opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paterna caritate adhibeat, & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conetur „. *Cui conſonat Rituale Argentinenſe, editum a Cardinali de Rohan* tit. de Pœnitent. §. 1. *ubi hæc habentur:* „ Cæterum Pœnitentes ſuos admonere non ceſſent Confeſſarii, ne ſe putent ſecuros in Sacramenti Pœnitentiæ perceptione, ſi præter Fidei, & Spei actus, non incipiant diligere Deum, tamquam omnis juſtitiæ fontem, ut loquitur ſacroſancta Tridentina Synodus. )

*Reſp.* 3. Contritio neceſſario debet elici ante abſolutionem: alioqui abſolutio, quæ forma eſt, non applicaretur materiæ eſſentiali, quæ ſunt contritio & confeſſio; & ſic Sacramentum nullum eſſet, & abſolutio inanis: nam ſine pœnitentia non remittuntur peccata. Immo monendi ſunt pœnitentes, ut contritionem confeſſioni ſemper præmittant: tum quia alioqui periculum eſſet, ne ante abſolutionem non eliceretur: tum quia ſecundum aliquos confeſſio manare debet ex contritione, ut ſit accuſatio doloroſa, alias futura mera peccatorum hiſtorica narratio; & ut reddat contritionem ſenſibilem. Unde monent pœnitentem, qui ſine contritione confeſſus fuiſſet, debere poſt contritionem elicitam dicere: Ego me accuſo de peccatis declaratis; vel confeſſario quærenti, anne ſe iterum accuſet de peccatis illis, reſpondere: *Ita*. Nam ubi agitur de Sacramentorum valore, tenemur ſequi partem tutiorem, quamvis eſſet minus probabilis. Ob hanc rationem in praxi elici debet contritio ex intentione confeſſionis, vel abſolutionis; & qui nihil cogitans de confeſſione contritionem elicuit, debet aliam denuo elicere. Quia eſt tutius, & probabile eſt id requiri, ut aliqui docent: tum quia pars debet referri ad compartem, & illi moraliter uniri, ut totum cum illa conſtituat: tum quia contritio ſine relatione ad Sacramentum non eſſet actio Sacramentalis. Et quamvis forte contrarium, quod docet De-lugo, eſſet probabilius, tamen non eſt omnino certum.

*Nota*. In praxi requiritur nova contritio, quoties datur nova abſolutio: quia oppoſitum non eſt omnino certum, & nova forma exigit novam materiam proximam. Quare ſi quis ſtatim poſt abſolutionem recordans mortale, illud addat, debet ante novam abſolutionem renovare contritionem.

*Reſp.* 4. Attritio concepta ex metu gehennæ includens amorem Dei appretiative ſummum, etſi non perfectum, cum ſpe veniæ, ſufficit abſolute ad juſtificationem in Sacramento impetrandam, ſi habeat alias conditiones ſupra requiſitas.

*Prob.* Quia non requiritur contritio caritate perfecta, quæ ſemper juſtificat extra Sacramentum; nam ſi requireretur, Sacramentum Pœnitentiæ in re ſuſceptum, nunquam peccatores reconciliaret; immo nec reconciliare poſſet, ſed ſemper reconciliatos exigeret; cum contritio perfecta ſemper reconciliet. At abſurdum eſt, quod Sacramentum in re *pro fidelibus Deo reconciliandis a Chriſto inſtitutum*, qualis eſt Pœnitentia, ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 1. nunquam reconciliare poſſit, ſed ſemper exigat & ſupponat jam reconciliatos. Nam abſurdum eſt, inſtituere medium ad aliquem finem obtinendum, quod ſemper neceſſario præſupponat jam conſecutionem finis. Præterea Sacramentum Pœnitentiæ non eſſet Sacramentum niſi vivorum. (1) (*)

Ce-

(1) *Hac poſtremo loco Auctor quæſtionem obiter attigit, quam probe exploratam eſſe oportet iis, qui ſe comparant ad diſcutiendum alteram quæſtionem nunc valde celebrem, de eſſentia ſeu motivo formali attritionis Sacramentalis. Quod enim præſenti ætate DD. priorem quæſtionem expedientes ſtatuant*

con-

Ceterum quoad praxim, pœnitentes ſemper adducendi ſunt ad eliciendam contritionem perfectam: tum quia eſt actus Deo gratior & pœnitenti utilior, & qui ſupplebit defectus, qui poſſent eſſe ex parte miniſtri, vel ſui, ut ſi non eſſet vere baptizatus: tum quia actus caritatis ſæpiſſime in vita ex præcepto eliciendus eſt.

Quæſt. VII. *An eſt mortale confiteri ſola venialia ſine contritione formali & efficaci ſaltem de aliquo?*

*Reſp.* Affirm. *Ita communiter*. Quia tunc redditur forma nulla, & Sacramentum nullum ac ſine effectu, defectu materiæ eſſentialis: Contritio enim vera & efficax eſt pars materialis & eſſentialis Sacramenti. Eſt autem grave ſacrilegium, reddere voluntarie Sacramentum nullum & ſine effectu; & gravis irreverentia, facere ut verba Chriſti ab eo inſtituta, & ejus nomine debite prolata, qualia ſunt verba formæ, applicentur fruſtra, & quaſi irriſorie. Non eſt tamen mortale, non habere contritionem de omnibus venialibus, quæ in confeſſione dicuntur, modo habeatur de aliquo; quia id non eſt neceſſe ad valorem & effectum Sacramenti, cum unum veniale poſſit remitti ſine alio, & gratia ſanctificans poſſit ſubſiſtere cum venialibus. Nec tum gravis irreverentia infertur Sacramento, cum aliunde ponatur materia valida; quamvis ſit aliqua irreverentia & mendacium, confiteri aliquod veniale, de quo non doleas: nam ut ait Suarez, confitens peccatum, hoc ipſo exercite dicit, ſe dolere de eo, & velle ab eo abſolvi.

## ARTICULUS II.

### *De Confeſſione.*

NOta. Confeſſio Sacramentalis eſt propriorum peccatorum accuſatio, facta Sacerdoti legitimo judici, ad eorum remiſſionem virtute clavium Eccleſiæ obtinendam. Cujus dotes ſexdecim recenſentur his verſibus.

*Sit ſimplex, humilis Confeſſio, pura, fidelis,*
*Atque frequens, nuda & diſcreta, lubens, verecunda,*
*Integra, ſecreta, & lacrymabilis, accelerata,*
*Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.*

Quæſt. I. *An jure divino præcepta ſit confeſſio Sacramentalis omnium & ſingulorum mortalium poſt Baptiſmum commiſſorum?*

*Reſp.* Affirm. Fide conſtat, 1. Ex Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quibus verbis Chriſtus confert Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus judiciariam poteſtatem remittendi peccata, & illa retinendi, exercendam recte, & prudenter. At hæc poteſtas non poteſt recte, & prudenter exerceri, niſi audita prius cauſſa per confeſſionem; nec poſſent peccata retineri abſolute, ſi fideles non tenerentur comparere in eorum judicio. Unde præceptum divinum confeſſionis includitur in ipſa Sacramenti inſtitutione. 2. Ex perpetua traditio-

*conſenſu fere unanimi, aſſumi debet loco principii quaſi certi in definienda poſteriore: ita ſcilicet, ut ſi ex doctrinis Concilii Trid. (ſeſſ. 14. cap. 4.) Rom. Catechiſmi (par. 2. tit. de Pœnit. num. 46.) Romanæ Synodi Bened. XIII. (in Append. Inſtruct. 19. par. 3.) nec non Cleri Gallicani (in Comit. general. an. 1700.) plana, legitimaque conſecutione deducitur, ad obtinendam in Sacramento juſtificationem opus non eſſe eo ipſo dolore perfecto ac viviſicante, qui juſtificationi extra Sacramentum comparandæ inſervit (quemadmodum olim ſuſtinebant Sentent. Magiſter, aliique multi, obtendentes Lazari exemplum, quem Chriſti Domini voce viviſicatum ſolverunt Diſcipuli) jam fatendum ſit, attritionem Sacramentalem minime concipiendam ex motivo illius virtutis, cujus actio ubi dolorem informat, ipſum* vehementiſſimum *reddit ex Catechiſmo Rom. (vid. Notam 1. ad iſtum Tract.) adeoque juſtificantem. Porro autem prædictam illam veterum Magiſtrorum opinionem, pro neceſſitate perfecti doloris Sacramentalis decertantium, jamdiu Scotus, utpote acutum cernens, maſcule aggreſſus eſt, atque argumentis impugnavit, quæ hic ab Auctore producuntur. Sic enim ait (in 4. ſent. diſt. 14. q. 4. §.* Quantum ad tertium). Sed iſtud videtur nimis derogare Sacramento Pœnitentiæ. Nam ſecundum hoc nunquam deleretur peccatum per Sacramentum Pœnitentiæ: ſed neceſſe eſſet prius deleri per contritionem, ad hoc ut digne ſuſciperetur Sacramentum; quia nullus digne oſtenditur mundus a peccato niſi prius ſit immunis ab eo. Sequeretur ulterius aliud inconveniens, quod nunquam Sacramentum Pœnitentiæ eſſet ſecunda poſt naufragium tabula; quia nunquam per ipſum, ut Sacramentum eſt, poſſet recuperari ſecunda gratia amiſſa, ſed tantum per contritionem tamquam per diſpoſitionem completivam.

(*) *Benedictus XIV.* de Synodo Diœceſ. Lib. 7. Cap. 13. per totum *ait, attritionem de peccatis ſufficere quidem ex mente Tridentini ad diſponendum pœnitentem, ut Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtineat; ſed quænam ſit iſta attritio non ſatis liquet; poteſt enim eſſe cum aliquo Dei amore conjuncta, ſed debili, tenui, & remiſſo. Poteſt etiam eſſe dolor propter Deum, non quatenus eſt ſumme bonus, ſed quatenus eſt bonus nobis: poteſt inſuper eſſe dolor de peccatis unice conceptus propter eorum turpitudinem, aut ſolum metum pœnarum, & gehennæ abſque ulla Dei dilectione. Hæc tamen poſtrema attritio poteſt etiam excitari ex metu gehennæ, ut conjungatur cum aliquo Dei amore initiali, quatenus ita peccata odio habentur propter ſupplicia, ut ſimul animus feratur in Deum, ut objectum diligibile. Quæſtio eſt anceps inter Theologos, num ſufficiat attritio ſervilis, quæ elicitur ex unico metu gehennæ, & pœnarum, nullo vel initiali Dei amore adjuncto: vel requiratur ſaltem conjunctus amor Dei initialis. In hac quæſtione nihil decidendum ab Epiſcopo in Synodo ſua monet, Pontifex: ſuadet tamen ut doceantur Confeſſarii; æquum eſſe hortari pœnitentes ad veram, & perfectam contritionem, quod & in Rituali juſſu Pauli V. edito monetur.*



tione. 3. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. *Univerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam etiam eſſe a Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere &c.* Immo confeſſio illa eſt neceſſaria neceſſitate medii in re vel in voto, quatenus eſt pars Sacramenti ſic neceſſarii. (1)

Quæſt. II. *Quandonam hoc præceptum obligat?*

*Reſp.* Obligat per ſe, 1. In quovis mortis periculo, ut gravi morbo, difficili partu, navigatione periculoſa, inſtante conflictu &c. Concil. Mediol. V. ſub S. Carolo. Nam alioqui homo ſe committeret periculo nunquam ſervandi tale præceptum. Præterea in mortis periculo adhiberi debent media omnia ad ſalutem neceſſaria, qualis eſt confeſſio poſt lapſum in mortalem culpam. 2. Etiam ſæpe per vitam extra mortis periculum, tum quia peccator per ſe, & independenter a mortis periculo tenetur ad Pœnitentiam ſecundum leges a Deo inſtitutas; tum quia Sacramentum Pœnitentiæ a Deo inſtitutum eſt non ſolum ad remittendum peccata commiſſa, ſed etiam ad præcavenda & impedienda futura. Ergo Chriſtus voluit, ut peccatores illud ſæpius in vita reciperent. Præterea qui præcipit aliquid, nec determinat tempus, vult illud non differri nimis diu, nec expectari tempus extremum.

Obligat vero per accidens, ſeu ratione alterius præcepti, 1. Quoties Euchariſtia ſumenda eſt. 2. Quando eſt medium neceſſarium moraliter ad ſuperandam tentationem aliquam, vel ad vitanda peccata.

*Sed an obligat ſtatim poſt mortale admiſſum, data videlicet prima opportunitate?*

*Reſp.* Plurimi negant; quia Eccleſia, quæ determinavit præceptum divinum confitendi, obligat tantum ad confeſſionem annuam, & alias obligando tantum ad ſemel per annum confitendum, dediſſet occaſionem tranſgrediendi præceptum divinum. Quare volunt poſſe expectari tempus Communionis paſchalis. *Differre confeſſionem uſque ad hoc tempus* (Paſchæ) *per ſe loquendo licitum eſt: ſed per accidens poteſt fieri illicitum, puta ſi immineat aliquis articulus, in quo confeſſio requiratur*, ait S. Thom. quodl. 1. ar. 11. & Sylvius id confirmat: quia, inquit, Catechumeni non tenentur ad ſtatim ſuſcipiendum baptiſmum. Immo Eccleſia olim vetuit, ne unquam adulti extra caſum neceſſitatis urgentis baptizarentur, niſi in vigilia Paſchæ, vel Pentecoſtes.

Alii cum S. Bonavent. in 4. diſt. 17. q. 2. docent, hoc præceptum obligare, quando opportune poteſt impleri, moraliter loquendo, & major opportunitas temporis, loci, & Sacerdotis ad confitendum expectari prudenter non poteſt. 1. Quia præcepta affirmativa, quæ per ſe ſæpe obligant in vita, obligant ſaltem pro temporibus ex prudenti judicio determinandis. At obligatio præcepti confitendi determinatur prudenter ad tempus, quo opportune impleri poteſt, & major opportunitas expectari nequit. 2. Pœnitentiæ Sacramentum eſt remedium ad peccata tollenda, & præcavenda, a Chriſto inſtitutum ac præceptum. Prudentia autem dictat remedia, quæ aliquando neceſſaria ſunt, adhibenda eſſe tum, cum adhiberi opportunius nequeunt. Dicunt autem Eccleſiam non intendiſſe determinare adæquate omne tempus, quo præceptum divinum obligat per ſe, nec dare licentiam differendi, ſed ſolum prohibere negligentiam & dilationem ultra annum, & ideo addidiſſe in ſuo præcepto, *ſaltem ſemel in anno*: ſicut etiam cum prohibet, ne quis ultra annum in excommunicatione maneat, non dat licentiam in illa toto anno permanendi. (2)

Quæſt.

(1) *Acrem Catholicorum DD. controverſiam, quam ſæculo XIV. exarſiſſe conſtat ex Gratiano (par. 2. Decr. can. 13. diſt. 1. de* Pœnit.) *ad neceſſitatem Sacramentalis Confeſſionis refert Dallæus Calvinianus Miniſter: at vel ſupina ignorantia, vel ſubleſta fide. Siquidem ex integra ſerie cit. Diſtinct. pronum eſt colligere, diſſidium illud dumtaxat fuiſſe de* diſpoſitione *præmittenda ipſi Confeſſioni; num ſcilicet perfecta contritio requireretur in Pœnitente, aut ſufficeret etiam imperfecta.*

(2) *In hac quæſtione probe attendatur duplex reſpectus, ſub quo conſiderari ſolet Pœnitentia, nempe quatenus &* virtus moralis, *&* Sacramentum novæ legis eſt: *Probatiores TT. modo unanimiter ſtatuunt, præceptum Pœnitentiæ (prout ea virtus eſt: & alio nomine* contritio *dicitur) non obligare* ſtatim *poſt admiſſum peccatum grave; etiamſi opportunitas occurrat ejuſdem facile concipiendæ: obligare tamen ad illam non* diu *differendam, ita ut omnis dilatio, quæ prudenti judicio* diuturna *cenſetur, non vacet lethali culpa omiſſionis, quemadmodum ſuperius (q. 4. art. 1.) fuit abunde demonſtratum. Exinde vere inferunt, a peccato ſaltem veniali eum minime excuſari, quem præcedentis flagitii non pœnitet, quoties in memoriam illud venit. Nam dum ejuſdem ſeria cogitatio obverſatur animo, vel ipſe delectatur, vel angitur, vel nec angitur, nec delectatur. In primo caſu novo reatu gravi procul dubio implicatur; in ſecundo jam convincitur pœnitentiam agere: in tertio peccare videtur ſaltem hoc nomine, quod reluctetur divinæ gratiæ ingerenti patrati ſceleris agnitionem, & ad pœnitentiam vocanti. Quod ſi Pœnitentia ſpectetur ſecundum notionem* Sacramenti, *adeoque quatenus contritio jungitur exteriori confeſſioni, tunc præſens Auctoris quæſtio locum habet, in eaque duæ vigent oppoſitæ DD. opiniones ab ipſo deſcriptæ. Olim D. Bonaventuram (in 4. ſent. diſt. 17. art. 2. q. 2.) magis propendiſſe in ſecundam, palam eſt legenti. Non tamen indubitanter, ac præfracte illam tutatus eſt; quippe ambabus commemoratis ſubdit:* Quæ autem iſtarum opinionum verior ſit; dubium eſt, & difficile judicare. *Priori opinioni, quæ nunc apud TT. magis recepta videtur, adhæſit inter alios veteres Scholaſticos Ricardus de Mediav. ita ſcribens (in 4. ſent. diſt. 17. art. 3. q. 6.)* Ille, qui commiſit peccatum mortale, non ſtatim tenetur de neceſſitate confiteri, habita Confeſſoris opportunitate; ſed ſufficit, quod ſemel in anno, ſicut ſtatuit Concilium generale; niſi in quatuor caſibus. Unus eſt ratione Sacramenti, alius ratione periculi, tertius ratione conſcientiæ, quartus ratione du-

Quæſt. III. *An ex præcepto divino teneamur confiteri mortalium numerum, ſpecies, & circumſtantias?*

*Nota*. Circumſtantia (1) moralis eſt affectio, ſeu conditio actus humani, ad ejus bonitatem vel malitiam conducens. Circumſtantiæ ſeptem recenſentur hoc verſu:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Aliæ mutant ſpeciem, hoc eſt, dant actui novam ſpeciem peccati: uti ſi percutiatur Clericus, circumſtantia perſonæ addit injuſtitiæ peccato malitiam ſacrilegii, ob oppoſitionem cum religione. Huc etiam pertinent circumſtantiæ, quæ efficiunt peccatum mortale, quod alioqui fieret veniale, ut circumſtantia patris in contumelia, quæ in alium illata cenſeretur levis culpa: item quantitas materiæ. Nam mortale & veniale ſunt diverſæ ſpeciei Theologicæ, etiamſi ſint ejuſdem ſpeciei moralis, ut grave & leve furtum. Aliæ vero non mutant ſpeciem, ſed peccatum infra eamdem ſpeciem notabiliter aggravant, vel minuunt, ut major, vel minor quantitas moralis, duratio, intenſio &c. Aliæ denum multiplicant peccatum infra eamdem ſpeciem, ut numerus perſonarum, quas læſeris &c.

Porro circumſtantia mutat ſpeciem, cum propter illam actus habeat diſconvenientiam cum natura rationali & lege divina notabiliter diverſam, vel oppoſitionem cum diverſis ſpecie præceptis, aut virtutibus, vel modum oppoſitionis cum eadem virtute notabiliter diverſum.

*Reſp.* 1. Poenitens jure divino tenetur confiteri diſtincte omnia & ſingula mortalia, quoad numerum, ſpecies, & circumſtantias peccati ſpeciem mutantes, prout ſunt in conſcientia. Fide conſtat, ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant . . . anathema ſit.*

Dixi *ſpecies*. Nam ex loco cit. omnia & ſingula mortalia exprimi debent. Tò *omnia* indicat ſpecies, & tò *ſingula* numerum. Item circumſtantiæ ſpeciem mutantes declarandæ ſunt; ergo a fortiori ipſæ ſpecies propter quas illæ declarari debent. Ratio eſt, quia peccatum aperiendum eſt ob malitiam; ergo diſtinctæ ſpecie malitiæ, etiam diſtincte declarari debent.

*Nota*. Qui non poteſt determinare præciſe numerum ſuorum peccatorum, tenetur exprimere eorum numerum cum aliqua latitudine veroſimiliore, dicendo, v. gr. Commiſi hoc peccatum decies, plus minus. Quod ſi propter lapſuum multitudinem nequidem poſſit ſic numerum exprimere, interrogandus eſt ex quo tempore talem conſuetudinem habuerit, & quoties circiter per diem, vel hebdomadam, vel menſem conſueverit talem culpam admittere, ut ſic, quantum fieri poteſt, numerus peccatorum confeſſario innoteſcat; an non etiam aliquo tempore frequentius, alio rarius illa commiſerit. Qui vero aliquamdiu in aliqua mala voluntate, v. gr. hominem occidendi remanſit, tenetur exprimere quantum moraliter fieri poteſt, numerum actuum intra illud tempus iteratorum; nec ſatisfacit dicendo, habitualiter perſeveraſſe per mentem in voluntate occidendi, fornicandi. Quare confeſſor ab eo quærere debet, an & quoties ſingulis diebus, hebdomadis malam illam voluntatem iterarit, & quæſierit modum illam exequendi?

*Reſp.* 2. Numerus perſonarum, quæ ſunt objectum peccati, & quantitas materiæ, debet in confeſſione exprimi. Quia ſunt aliquid ſe tenens ex parte objecti peccati, & ad illud pertinens, & conſtituens actum in ſuo eſſe individuali: ideoque aperiri debet, ut cognoſcatur ſubſtantia actus individua: nec peccatum poteſt ſufficienter exprimi, non expreſſo toto objecto. Immo numerus perſonarum multiplicat numerum peccatorum. Hinc declarandus eſt numerus perſonarum, quas uno actu oderis, uno actu læſeris, aut dicto ſcandalum præbueris, vel de quibus uno ſermone detraxeris &c.

*Reſp.* 3. Poenitens tenetur etiam declarare circumſtantias, quæ intra eamdem ſpeciem aggravant notabiliter (Vid. N. 296. & 298.) peccatum, ſeu malitiam moralem illi addunt; Suarez, Sanchez, & alii communius. *Prob.* 1. Ex cap. *Conſideret*, de poenit. diſt. 1. & ex Catechiſmo Romano, & ex S. Carolo, in Inſtruct. Confeſs. 2. Ex praxi Eccleſiæ, quæ aliquando reſervat peccata propter circumſtantiam aggravantem, ut conſtat ex multis Poenitentialibus, & Ritualibus tum antiquis, tam recentioribus. Non reſervantur autem, niſi ea, quæ ſunt de neceſſitate confeſſionis. 3. Quia rationes, quas affert Concil. Trid. ſeſs. 14. c. 5. pro obligatione confitendi circumſtantias ſpeciem mutantes, nimirum, *quod ſine illis peccata ipſa, neque a poenitentibus integre exponantur, nec judicibus innoteſcant; & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & poenam quam oportet pro illis poenitentibus imponere*: valent etiam pro circumſtantiis aggravantibus; unde Conc. Trid. implicite & virtualiter docet, illas aperiri debere. Nam ſine his neque peccatum integre exponitur, nec innoteſcit Sacerdoti, cum ſupprimatur malitia moralis, quam illæ addunt, & per quam peccatum fit virtualiter ac æquivalenter duplex numero, vel triplex. Neque etiam Sacerdos poteſt ſine illis recte cenſere de peccatorum gravitate, nec poenam proportionatam imponere; cum non cognoſcat gravitatem malitiæ moralem, quam peccatum habet ex circumſtantia, ob quam eſt multo majori poena dignum, & quæ notabiliter variat judicium Confeſſoris. Igitur rectitudo & æquitas judicii illius a Chriſto requiſita, circumſtantiæ aggravantis confeſſionem exigit. 4. Ex Conc. Trid. can. 7. omnia & ſingula mortalia etiam intra eamdem ſpeciem declaranda ſunt. At circumſtantiæ mortaliter aggravantes ſunt multa peccata virtualiter & æquivalenter, ſive actus cum ſua circumſtantia moraliter aggravante eſt multiplex virtualiter peccatum intra eamdem ſpeciem: nam circumſtantia moraliter aggravans, addit actui gradum malitiæ mortalis. In moribus autem multiplicitas virtualis & phyſica perinde ſe habent.

dubii . . . Quod autem peccator non teneatur regulariter ſtatim confiteri, patet. Quia ad hoc non obligatur ex jure naturæ, nec divina lege, nec jure poſitivo, ſed tantum ad ſemel in anno, ut dictum eſt.

(1) *Vid. N. 288. uſque ad 299. item textum Auctoris, art. 2. c. 3. Tract.* de Act. Human.



Ratio autem horum a priori eſt voluntas Chriſti inſtituentis hoc peccatorum remedium per modum judicii primario reconciliativi ac ſanativi, & ſecundario punitivi, cujus rectum exercitium ejuſmodi confeſſionem exigit.

*Dices*. Si hoc ita eſſet, Conc. Trid. id definiſſet expreſſe. *Reſp.* Nego. Quia Concilium voluit ſolum damnare expreſſe errores hæreticorum, contra quos doctrina eſt accurata. Sed in illorum damnatione multa docuit, ex quibus colligitur quid ſit ſentiendum circa quæſtiones inter Catholicos controverſas, licet eas expreſſe definire noluerit.

*Nota*. Pœnitens debet etiam declarare circumſtantias neceſſarias ad cognoſcendum ſuum ſtatum, ſuam diſpoſitionem & neceſſitatem ſpiritualem, ut ſi ſit implicatus conſuetudine peccandi, vel in occaſione peccati verſetur. Nam hæc cognitio neceſſaria eſt Confeſſario, medico ejus ſpirituali, ut remedia apta ſuggerat.

*Reſp.* 4. Pœnitens tenetur etiam declarare circumſtantias notabiliter minuentes gravitatem peccati, ſive efficiant ne peccatum ſit mortale, ſive ne mortale habeat novam malitiam mortalem: quia alioqui Confeſſor deciperetur in re gravi, & non poſſet recte judicare de gravitate peccati, & pœnæ imponendæ.

*Nota*. Peccata debent ſic aperiri, ut Confeſſor ea intelligat: nam ex Conc. Trid. Deus jubet peccata declarari eo modo, quo Sacerdos poſſit de iis recte judicare, & ſatisfactionem convenientem, ac remedia opportuna præſcribere. Et ſic præcipitur confeſſio, quæ a Sacerdote diſtincte intelligatur, alias inanis eſſet. Quare ſi intelligas Confeſſorem ob diſtractionem, vel ſurditatem, vel quamlibet aliam cauſſam, non percepiſſe aliqua peccata prout illa noſti, teneris illa repetere. Quod ſi neſcias, quænam ſint illa, debes confeſſionem totam repetere, cum de ſingulis prudenter poſſis dubitare.

Quæſt. IV. *An actus externus exprimi debeat?*

*Reſp.* Affirm. (Vid. N. 313.) *Prob.* 1. Ex communi ſenſu Doctorum, & praxi fidelium. 2. Actus externus facit moraliter cum actu interno unum actum completum, & unum peccatum totale, & reipſa prohibetur per legem. Chriſtus autem voluit explicari totum peccatum, completum in genere moris. 3. Sine confeſſione actus externi, non ſatis declaratur actus interni efficacia, intentio, extenſio, duratio, nec proinde tota ejus gravitas innoteſcit. 4. Niſi declaretur actus externus, Sacerdos non poteſt, ut par eſt, fungi officio ſuo. Nam non ſatis cognoſceret ſtatum pœnitentis, remedia danda, quæ ſatisfactiones, vel obligationes imponendæ eſſent: actus enim externus obnoxius eſt cenſuris, irregularitati, & variis obligationibus, quibus immunis eſt actus mere internus. Actus externus ſcandalum parit, non internus. 6. Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem: *Qui habuit copulam cum ſoluta ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens: commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.*

Quæſt. V. *An exprimi debeat effectus malus, qui ex actu externo ſecutus eſt?*

*Reſp.* Affirm. Quia talis effectus ſequitur ex actu externo libere poſito, & merito imputatur ad culpam ei, qui cauſſam libere poſuit, & in qua fuit prævíſus, vel prævideri potuit. Præterea pertinet quodammodo ad objectum peccati, eſtque liber & malus a libertate & malitia voluntatis, a qua procedit. Adde quod ejus declaratio ſæpe neceſſaria eſt, ut Confeſſor cognoſcat ſtatum pœnitentis, & an contraxerit aliquam cenſuram, vel irregularitatem, vel obligationem reſtituendi &c. Hinc qui propinavit alteri venenum, ex quo mors ſecuta, tenetur declarare mortem inde ſecutam eſſe.

Quæſt. VI. *An pœnitens aliquando tenetur detegere in confeſſione complicem?*

*Nota*. Conſtat id non licere, ſi pœnitens poſſit aliter peccatum ſuum ſufficienter exprimere; vel ſine gravi incommodo poſſit adire confeſſarium, cui complex ſit ignotus, vel peccatum alias ſit rite confeſſus, & tum faciat confeſſionem generalem; quia in his caſibus ſine juſta cauſſa proximum infamaret, quod nunquam licet. Quare confeſſor tenetur prohibere pœnitentem, quem animadvertit ad id paratum eſſe, & arguere, cum revelat peccatum alterius ſine juſta cauſſa. Item pœnitens debet per aliquod tempus, ſi commode poteſt, differre confeſſionem, ut habeat alium confeſſarium, cui complex ſit ignotus, niſi urgeat præceptum confitendi, vel communicandi. Non tamen tenetur differre per longum tempus, præſertim ſi ſit in peccato mortali, vel ſi omiſſio cum aliqua nota (*) foret; vel interruptio communionis ei gravis eſſet: quæ dilatio ex prudenti judicio definienda eſt.

*Reſp.* Pœnitens tenetur manifeſtare complicem, ſeu ſocium criminis, dum aliter non poteſt peccati proprii ſpeciem, vel gravitatem moralem aperire, nec poteſt differre commode confeſſionem, nec adire confeſſarium, cui complex ignotus ſit. Ita S. Bern. de forma honeſtæ vitæ, SS. Tho. Bonav. & Antonin., Suar., Vaſquez, & alii. Quia 1. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. Chriſtus integram peccatorum confeſſionem ſecundum ſuas ſpecies, & totam ſuam gravitatem moralem univerſalem præcipit. Ergo ad eam tenetur pœnitens, non obſtante infamia ſive propria, ſive alterius, quæ per ſe apud eumdem confeſſorem ſequitur ex confeſſione neceſſaria: nam qui vult aliquid, illud vult etiam non obſtante incommodo, quod per ſe ex eo ſequitur, vel ei conjunctum eſt. Et vero pœnitens, ad integritatem illam tenetur cum propria infamia; ergo & cum infamia alterius, cum ejus peccati declaratio neceſſaria eſt ad integre proprium confitendum; nam ex natura rei plus requiritur ad obligandum aliquem ut ſeipſum infamet, quam ad obligandum ut alterius crimen aperiat; aliquando enim poſſum patefacere crimen alienum ad vitandum ali-

(*) *Nota, ex qua ſcandalum timeatur, &c.*

aliquod malum meum temporale injuſtum, licet ideo non obligarer ad crimen meum detegendum.

Ratio propter quam ex Conc. Trid. cit. Chriſtus præcepit integram peccatorum confeſſionem, ſcilicet ut Sacerdos poſſit prudenter judicare, punire, curare &c. non minus probat integritatem confeſſionis fieri debere cum notitia complicis ad hos fines neceſſaria, quam cum propria infamia pœnitentis. Præterea inter Chriſtianos complex ſuo facto tacite renunciat juri, quod habet ad ſervandam famam, ſciens neceſſitatem confitendi peccata.

Hinc pœnitens, qui cum unica ſorore ſua nota confeſſario commiſit inceſtum, tenetur confiteri inceſtum in tali gradu.

In eadem hypotheſi pœnitens tenetur detegere perſonam, quæ fuit objectum peccati, licet inculpabiliter, ex quo tamen in illam redundat aliqua infamia apud confeſſarium, ut ſi quis ſorori, quamvis omnino invitæ & reluctanti, ſtuprum intuliſſet. Nam hic eadem ratio valet; præceptum enim integritatis confeſſionis obligat pœnitentem ad detegendum defectum aliquem occultum proprium infamem, licet inculpabilem, ſi id neceſſarium ſit ad exprimendum ſufficienter ſuum peccatum, ut ſi occulto illegitimus ſit, & ſine diſpenſatione ſuſceperit Ordines.

*Obſerva*. Licet etiam patefacere complicem, quando hoc neceſſe eſt, ut media idonea ſuggerantur pœnitenti, quibus a proxima occaſione peccati liberetur, vel ut pœnitens doceatur, qua ratione ſatisfacere poſſit obligationi juſtitiæ, aut caritatis, qua tenetur avertere grave malum imminens communitati, vel complici, vel alicui tertio. Quia tunc ſubeſt rationabilis cauſſa detegendi; & quia alteri aperire peccatum occultum proximi extra confeſſionem notum, non eſt malum, niſi dum ſit ſine juſta ac rationabili cauſſa, vel ex intentione illud infamandi.

✠ De Sacramento Pœnitentiæ, quod eſt ad Complices in peccatis, duæ occurrunt SS. D. N. Benedicti XIV. Conſtitutiones. Prior, quæ incipit *Suprema omnium Eccleſiarum*, extat in Vol. 1. Bullarii p. 535. Altera cujus initium eſt, *Ubi primum*, habetur in Vol. 11. pag. 54. Utramque expoſuit, & commentariis illuſtravit vir Cl. Ludovicus Antonius Muratori. Ex quo & regulas Confeſſariis præſcriptas, & nonnulla, quæ clare Pontificias Conſtitutiones declarant, excerpſimus, atque Auctori, qui hac in re ob nimiam brevitatem eſt obſcurus, addidimus.

I. Inquirere nomen Pœnitentis non licet, neque ejus habitationem, aliaſve ejus qualitates, & circumſtantias, quæ perſonam illius detegant ſine ulla rationabili cauſſa. Recte reſpondit quædam mulier de ſuo nomine interrogata: nomen meum peccatum non eſt. Ob hujuſmodi curioſitatem proculdubio peccaret Sacerdos.

II. Non licet pœnitentibus nomen complicis revelare; ejus enim eſt peccata ſua, non aliena, accuſare. Peccato non caret, eoque interdum gravi, qui famæ proximi ſine ulla neceſſitate detrahit. Nam tu æquo animo ferres, ſi quis infamiam tuam alteri proderet? Tu ergo præſta erga alios id quod ab aliis erga te præſtitum cupis.

III. Si quis ſponte, ex ſimplicitate tamen, & ignorantia, complicis nomen in confeſſione detegit, ut rudibus e vulgo hominibus interdum evenit, non peccat. Monendus tamen eſt, ut in poſterum abſtineat.

IV. Quicumque juſto aliquo titulo ſponte complicem in confeſſione revelat, nullum incurrit peccatum. Juſtus exempli cauſſa titulus eſt, ut petatur conſilium ad diſrumpendam pravam aliquam conſuetudinem, ad conſulendum famæ propriæ, cui minatur inſultum complex, ſi a peccando deſiſtatur, atque aliæ hujuſmodi cauſſæ. Prior eſt enim tutela conſcientiæ & famæ noſtræ, quam alterius.

V. Nomen complicis ſibi ſive per ignorantiam, ſive juſto titulo revelatum, ſub ſigillo confeſſionis Sacerdos retinere debet.

VI. Inter Theologos anceps diſputatio eſt, an oblata ſponte a pœnitente licentia revelandi complicis, ea uti Confeſſarius poſſit ad correctionem ejuſdem complicis, atque ad alia officia in utilitatem illius, aut Pœnitentis derivanda. Et quidem tot hic diverſi caſus occurrere poſſunt, in quibus tam prudenter, quam imprudenter ejuſmodi licentia uti Confeſſarius poteſt, ut certa ſtatui hic regula nequeat. Sed infra hac de re ſermo recurret.

VII. Ad integritatem confeſſionis licite poteſt, ac debet Sacerdos pœnitentem interrogare de complice, quum videlicet occurrere poſſit circumſtantia aggravans, & ſpeciem peccati mutans. Neque enim exempli cauſſa ſufficit confiteri commiſſum carnale peccatum, ſed ſimul aperiendum eſt, an adulterium, aut ſacrilegium, aut inceſtus interceſſerit.

VIII. Confeſſarius in hoc caſu interrogans, ſi nomen quoque, aut domum, aut alia ſigna exquireret a pœnitente, per quæ ſibi perſona complicis revelaretur, graviter peccaret. Suo enim debito ſatis pœnitens fecit, aperiendo circumſtantiam peccati; & dum cetera rite concurrant, abſolvendus eſt. Ulterior Confeſſarii interrogatio ad peccaminoſam curioſitatem eſt referenda, neque ad eam reſpondere pœnitens tenetur; immo ex complurium Theologorum ſententia peccaret, ſi revelaret, ob præceptum non infamandi proximum,

IX. Ubi ex neceſſitate integritatis confeſſionis pœnitens animadvertit, fieri non poſſe, quin Confeſſarius complicem cogniturus ſit, puta ſi res fuit cum ſorore, aut uxore fratris; tunc ex ſententia quorumdam gravium Theologorum obligatur ad quærendum, & adeundum alium Confeſſarium, cui ignotus ſit complex. Verum graves alii Theologi ſentiunt, conſilium hoc eſſe, non vero præceptum.

X. Accidere interdum poteſt, ut adigendus ſit pœnitens ad revelandum complicem, quum nempe agitur de gravibus malis vitandis, quæ in perniciem Reipublicæ vergere poſſunt, ſicuti accideret, ſi Principis vita periclitaretur, ſi aqua mortifera populo propinaretur, aut ex farina, cui gypſum mixtum foret, panis publicus conficeretur. Ut impediatur, ſi fieri poteſt, hoc malum, obligatur pœnitens ad exquirendum conſilium Confeſſarii, qui pro ſua prudentia aut per ſe, aut per ipſum pœnitentem remedia conquirat. Niſi revelare velit pœnitens, minime eſt abſolvendus; nam ex lege non minus juſtitiæ, quam caritatis, tenetur ille pro virili curare, ut in tuto ſit publica ſalus. De damno vitando, quod privatæ alicui perſonæ imminere poteſt, non loquor;





nam fere ſemper ſuppreſſis Complicum nominibus, conſilium præbere poteſt Sacerdos.

XI. Graviter peccat Confeſſarius, qui aut blandis artibus, aut minis haurire, aut extorquere a pœnitentibus nomina complicum abſque juſta neceſſitate velit. Gravius etiam delinquit, ſi ob negatam revelationem abſolvere pœnitentem recuſet. Non enim licet infamiam proximi ex legibus detractionis inveſtigare; neque ad eam prodendam obligatione ulla conſtringitur pœnitens; immo, ſi, præciſa neceſſitate, revelaret, ex multorum ſententia reum ſe peccati faceret.

XII. Neque gravis peccati reatum effugeret Sacerdos, ſi revelationem complicis exigeret, ut per operam ſuam correptio, & correctio illius præſtaretur. Nam Confeſſarii munus tantummodo eſt curare vulnera pœnitentis, non vero aliena; exquirere peccata pœnitentis, non aliena. Neque is tenetur ad eos corripiendos, qui crimina ſua ſibi revelare nolunt; immo cavere debet a corripiendo ob ſcandala, quæ inde facile conſequerentur.

Quod attinet ad primam Conſtitutionem; In primis, *inquit*, animadvertendum eſt, quod hic damnatur omnis Confeſſariorum curioſitas, quæ neceſſaria, aut utilis non ſit pœnitentibus. Hoc eſt, eis interdicitur quacumque arte exquirere nomen & habitationem complicis, & præcipue puniendus dicitur, qui minis, & negata abſolutione notitiam hanc exculpere conatur. Itaque perverſa, & pernicioſa decernitur Confeſſariorum illorum praxis, *qui a Pœnitentibus, ſocii hujuſmodi, ſeu complicis nomen exquirunt, atque ad illud ſibi revelandum non inducere modo ſuadendo conantur, ſed quod deteſtabilius eſt, denuntiata quoque, niſi revelent, abſolutionis Sacramentalis negatione, prorſus adigunt, atque compellunt; immo etiam complicis ejuſdem nedum nomen, ſed habitationis inſuper locum ſibi exigunt deſignari*. Quibus verbis praxis eorum proſcribitur, qui nullum juſtum titulum habentes Complicum nomina ſcrutantur, & indebitæ curioſitatis reos ſe ſtatuunt. Neque enim Sapientiſſimus Pontifex damnationem ad eos caſus extendit, in quibus aut integritas confeſſionis, aut publica neceſſitas, aut pœnitentis ipſius conſcientia exigit, ut Pœnitens complicem revelet. Quod quum accidit, ipſum pœnitentem hortari, interdum etiam adigere poteſt ad revelandum, omiſſo tamen nomine, & loco habitationis, ſi fieri poteſt. At quandoquidem nonnulli cauſſam hanc interrogandi de complice præferebant, videlicet ut ipſum poſtea corriperent, atque in ejus utilitatem hujuſmodi revelatione uterentur; caſum hunc præcipue diſertis verbis ſe damnare Pontifex profitetur, ita ut in poſterum, quamvis etiam non palliata, ſed in bonum finem excogitata ea cauſſa adhiberetur, nulli Confeſſario liceat inquirere nomina complicum. Sunt verba Decreti: *Quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procurandæ complicis correptionis, aliorumque bonorum colligendorum ſpecioſo prætextu colorare, tum emendicatis quibuſdam Doctorum opinionibus defendere non dubitant*. Quod ſane decretum, quam juſtum ſit, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ conforme, nemo non intelligit. Ecquando enim ſine neceſſitate infamiam alterius occultam prodere fas eſt? Immo aut incaute, aut malitioſe detectam reſarcire, ſi per nos commode licet, jubemur. Deinde quum Sacerdotes teneantur monere pœnitentes, ut ſua quidem, non vero aliena crimina confiteantur; quid eſt quod ipſi poſtea ſibi poteſtatem uſurpent extorquendi a pœnitentibus aliorum peccata? At hoc, inquiunt, recta intentione exquiritur, atque ut complicem quoque ad meliorem frugem deducamus. Sed nulla tibi eſt obligatio corripiendi, niſi quos confeſſio reos in ſacro Tribunali ſtatuit. Contra tibi obligatio eſt ſervandi ſub ſigillo, quæ tibi in confeſſione revelantur, ſive pœnitentis ſint, ſive aliorum. Præterea indebitis hiſce interrogationibus pœnitentes a Sacramento deterres, dum eos prodere cogis id quod ipſi a detegendo abhorrent, neque ulla obligatione detegendi, tenentur. Gravioris etiam peccati reum te facis quotieſcumque ob negatam Complicis revelationem pœnitenti abſolutionem negas. Dum ſuo munere functus fuerit pœnitens, & peccata ſua deteſtatus, eadem plene fuerit confeſſus cum propoſito non peccandi, neque agitur de recidivis, de occaſione proxima, aut de pœnitentibus diu in cœno gravium peccatorum voluntatis, id juris ad abſolutionem pœnitens acquiſivit, ut ſine gravi injuria, & contemptu, atque abuſu Sacramenti Confeſſarius denegare eamdem non poſſit. Ad hæc, quiſquis ex notitia complicis in confeſſione habita, quamquam licentia pœnitentis confiſus complicem corrigendum ſuſcipit, ſcandalis non paucis obnoxius eſt. Indignatur enim quicumque ſecreta ſua crimina detecta videt, ſuæque famæ vulnus illatum apud Confeſſarium. In querelas igitur is facile erumpet, & ſigillum Sacramentale fractum ſuſpicabitur, & ſacerdotem veluti proditorem tanti Sacramenti habebit, quæ certe in perniciem Religionis vergere poſſunt. At quanto graviores tragœdias excitabit complex, ubi reſciverit, non ſponte factam, ſed extortam fuiſſe in confeſſione revelationem ſui nominis, atque licentiam revelatione illa utendi? Nam ſine hac licentia fracti ſigilli reus foret Sacerdos. Igitur intolerandæ imprudentiæ, & zeli ſine ſcientia facinus hic habes. Deinde tametſi ſine dolo malo, & in bonum tantummodo finem complicis nomen Confeſſarius detegendum curaret, fieri non poſſet, quin hominum malitia id tentatum arbitraretur in pravum aliquem finem, ex quo non levis invidia, atque odium adverſus ipſum Sacramentum conciperetur. Et ſane quum inter tot probos Eccleſiæ Miniſtros vix fieri poſſit, quin aliquis interdum a concupiſcentia in tranſverſum agatur, & in venenum convertere poſſit, quæ Chriſtus Dominus in medicinam noſtram inſtituit; ſatis ejuſmodi periculum foret, ut omnino præcluderetur in poſterum aditus ejuſmodi interrogationibus minime ad Sacramentum neceſſariis, & tam facile ſcandala, & perniciem animarum parituris. Propterea ſapientiſſime Summus Pontifex in Decretali addidit: *Nec fieri potuit, quin ea de cauſſa & oblocutiones, & ſcandala, & non Miniſtrorum tantum, ſed ſacri etiam ipſius Miniſterii odium, & animarum ingens perturbatio in populo fideli exorta ſint*.

In alterius vero Conſtit. Comment. iterum, *ait*, conficitur quæcumque perverſa Confeſſariorum curioſitas, ac præcipue negantium abſolutionem renuentibus revelare complicem, eoſque a Sacra Inquiſitione

puniendos S. Sedes decernit: *Dummodo tamen hujuſmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumſtantiis conjunctus ſit ac conveſtitus; quæ ſic agentem Confeſſarium de adhæſione ad prædictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate ſuſpectum reddant*. Si ejuſmodi circumſtantiæ deſint, deferendus non erit ille ad Inquiſitionis Tribunal. Non deſunt ſane Confeſſarii ſimplicitate laborantes, qui melius conſcientiæ pœnitentis ſe proſpicere poſſe aliquando putent, ſi nomen complicis audiant. Fieri poteſt, ut nulla malitiæ ſuſpicio in ipſos cadat: quod non difficile proſpici poteſt. Quum exempli cauſſa de furtis, de fraudibus, de periclitante alicujus honore agitur: tum bonus Confeſſarius (imprudenter fortaſſe) exquirit complicis nomen, conſilium, ut ſibi videtur, opportunum daturus. Hic tamen illius error ad cognitionem Inquiſitorum non pertinet. Idem infra aliis diſertis verbis inculcat Pontifex inquiens: *Quod ſi Confeſſarii de complicis nomine perperam interrogantis, abſolutionemque, ni ſibi detegatur actum denegantis contingat ejuſmodi eſſe, ut quamvis imprudens, & malus, ſimplex tamen quidam, & nudus actus fuerit, ideſt iis circumſtantiis deſtitutus, quæ de prava credulitate, vel de mala adhæſione ad praxim in ſæpe dicto noſtro Brevi reprobatam tamquam illicitam, eumdem Confeſſarium ſuſpectum reddant: tunc ejuſmodi delictum, neque denuntiationis oneri, neque Sancti Officii prædicti cognitioni ſubjectum erit, ſed de illo cognoſcere, atque in delinquentem Confeſſarium per ſuſpenſionem ab audiendis confeſſionibus, vel alias canonicas, & legitimas pœnas pro delicti modo animadvertere ad locorum Ordinarios in ſua cujuſcumque diœceſi omnino ſpectabit*. Rectiſſime hæc, nam ea, quæ errorem, aut ſuſpicionem erroris contra dogmata Fidei, aut opiniones ſcandaloſas, & perniciosas, a Sede Apoſtolica damnatas, minime continent, ab Inquiſitionis juriſdictione ſemota ſunt. Æquiſſimus vero Pontifex nihil voluit imminutum de ordinaria juriſdictione Epiſcoporum, quam tamen læſam ab Inquiſitore Generali iidem, ut ſupra vidimus, expoſtulabant.

Itaque ſi quis cognoverit, quemquam e Confeſſariis deliquiſſe modis in Pontificio Brevi expreſſis, obligatur ad illum denuntiandum Sancto Officio intra terminum triginta dierum, tunc ſolum quum circumſtantiæ occurrunt, quæ indicent, aut juſtæ ſuſpicioni locum præbeant, Confeſſarium credere licitam hujuſmodi interrogationem quæ intrinſece illicita ſit, niſi forte legitima aliqua cauſſa interrogandi, de qua ſupra egimus, intercedat. Ad hoc etiam, ut denunciatio facienda ſit Sancto Officio, exigit Pontifex, ut Confeſſarius Sacramentalem abſolutionem pœnitenti denegarit. Exceptionem alteram nunc accipe. *Verum tamen*, ſubdit Pontifex, *ab hujuſmodi mere juſtis de cauſſis eximi volumus, & eximimus perſonam ipſam Pœnitentem duntaxat in cauſſa propria, ideſt in caſu, quo ſuum peccatum confitens, a Confeſſario adigatur ad ſibi manifeſtandum nomen complicis in eodem peccato; tunc enim pœnitentem hujuſmodi ab obligatione eumdem Confeſſarium denuntiandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum eſt, confeſſione, noverit, Confeſſarium aliquo ex ſuperius enumeratis, & Sancto Officio denuntiandis modis deliquiſſe; tunc eum & ipſe denuntiare ex ipſa aliunde habita notitia teneatur*.

Quæſt. VII. *An peccata dubia debeant aperiri in confeſſione?*

*Reſp.* Affirm. Si dubium ſit cum fundamento, ſive dubites an mortaliter peccaveris, ſive an confeſſus fueris peccatum, quod certo ſcis eſſe mortale. Ita Suar., Sanch., De lugo, Valent. &c. Et videtur communis ſententia. *Prob.* 1. Ex ſenſu & praxi fidelium, cujus initium dignoſci nequit: quare ab ipſis Apoſtolis a Chriſto, vel Spiritu Sancto edoctis manavit: 2. Ex ipſa natura Sacramenti per modum Tribunalis inſtituti, in quo cum Chriſtus inſtituerit Sacerdotes tamquam Vicarios Dei pro remiſſione peccatorum obtinenda, voluit ut ea omnia peccata ad eos deferrentur, pro quibus præcepta erat contritio perfecta, qualia ſunt non ſolum mortalia certa, ſed etiam dubia. 3. Non confitendo illa, exponis te periculo non confitendi omnia mortalia contra præceptum divinum. 4. Poſſeſſio ſtat pro lege confitendi, a qua Conc. Trid. ſola venialia excipit. 5. Ex Conc. Trid. peccata, quæ ſunt in conſcientia debent declarari: at dubia, ut dubia, ſunt in conſcientia, & remitti debent ſaltem ut dubia: & proinde cognoſci ut talia. Confirmatur ex S. Thom. q. 6. Supplementi art. 4. ad 3. ubi ait: *Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an ſit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente. Quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat eſſe peccatum mortale, peccat mortaliter, diſcrimini ſe committens. Et ſimiliter periculo ſe committit, qui de hoc quod dubitat eſſe mortale, negligit confiteri. non tamen debet aſſerere illud mortale eſſe, ſed dubitative loqui, & judicium Sacerdotis expectare, cujus eſt diſcernere lepram & lepram*.

Porro lex confeſſionis non eſt odioſa, ſed favorabilis; cum ſit a Chriſto inſtituta ad ſalutem animarum, & ad peccata commiſſa delenda, ac futura præcavenda.

Hinc 1. Qui certo judicat ſe peccaſſe mortaliter, ſed dubitat an peccatum illud confeſſus fuerit, tenetur illud confiteri: quia non poteſt prudenter judicare ſe certæ obligationi confitendi integre ſatisfeciſſe.

Hinc 2. Qui ſcit ſe commiſiſſe peccatum aliquod, ſed dubitat ſit ne mortale, an veniale, tenetur hoc peccatum confiteri. Nam non poteſt prudenter judicare, ſe non peccaſſe mortaliter: ac proinde omittens confeſſionem illius peccati, exponeret ſe periculo non faciendi confeſſionem integram.

Hinc 3. Qui poſt diligens examen dubitat an aliquod peccatum, quod ſcit eſſe mortale, admiſerit, tenetur illud confiteri. Nam is non poteſt judicare prudenter, ſe non admiſiſſe tale peccatum; ac proinde ſi illud non confiteatur, exponit ſe imprudenter periculo non faciendi confeſſionem integram. Item is non vult ſufficienter, & quantum eſt in ſe, ſatisfacere obligationi confitendi omnia mortalia.

*Obſerva* 1. Peccata dubia declaranda ſunt ut dubia, ſicut certa ut certa. Qui mortale ut dubium confeſſus eſt, ſi poſtea certo norit illud a ſe commiſſum eſſe, tenetur iterum illud confiteri ut certum; quia ex inſtitutione Chriſti pœnitens tenetur omnia mortalia confiteri prout ſunt in ejus conſcientia; & eo modo, quo Sacerdos recte cenſere poſſit de eorum gravitate, & pœna convenienti imponenda. E contra qui peccatum ut dubium confeſſus eſt, quod poſtea cognoſcit ſe non commiſiſſe, non tenetur in ſequenti confeſſione id aperire: quia carentia peccati non eſt materia confeſſionis. 2. Qui non habet peccata niſi dubia, tenetur confiteri peccatum aliquod certum; ſaltem veniale, licet antea remiſſum, ne exponatur Sacramentum periculo nullitatis.



Quæſt. VIII. *An peccata mortalia ex oblivione, vel ob juſtam aliam cauſſam omiſſa, debeant declarari in ſequenti confeſſione?*

*Reſp.* Affirm. Quia 1. Ita eſt generalis fidelium perſuaſio, & praxis. 2. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. neceſſarium eſt jure divino, confiteri omnia & ſingula mortalia poſt baptiſmum commiſſa, quorum memoria habeatur. 3. Ex S. Thom. in 4. diſt. 21. qu. 1. art. 1. ad 2. quodlibet mortale debet ſubjici ſententiæ Sacerdotis, ut pro eo imponat ſatisfactionem convenientem. 4. Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem. *Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans vitæ periculum, aut ob aliam cauſſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere*.

Item qui tantum confuſe, & generice mortalia peccata confeſſus eſt, eo quod diſtinctum eorum numerum & ſpeciem non recordaretur, tenetur poſtea in ſequenti confeſſione, ſi recordetur, eorum numerum diſtinctum & ſpeciem confiteri. Quia eſt præceptum divinum confitendi diſtincte omnia, & ſingula mortalia quoad numerum & ſpeciem, quod is nondum obſervavit.

Quæſt. IX. *An qui aliquam circumſtantiam in confeſſione aperiendam oblitus eſt, teneatur poſtea confiteri iterum peccatum, ad quod illa circumſtantia pertinet?*

*Reſp.* Affirm. Si tota malitia hujus circumſtantiæ nequeat exprimi ſine declaratione peccati; quia tunc hujus declaratio per ſe neceſſaria eſt ad circumſtantiam aperiendam.

Quæſt. X. *Quænam integritas ad valorem, et effectum Sacramenti requiratur?*

*Nota*. Duplex diſtinguitur confeſſionis integritas, materialis, & formalis. Confeſſio materialiter integra, eſt accuſatio omnium mortalium commiſſorum quoad numerum, ſpecies, & circumſtantias declarandas. Confeſſio formaliter integra eſt accuſatio eorum duntaxat mortalium, quæ pœnitens poteſt & debet declarare in iis circumſtantiis, in quibus verſatur.

*Reſp.* 1. Per ſe loquendo integritas confeſſionis ad valorem Sacramenti requiſita exigit, ut quantum moraliter fieri poteſt, declarentur: 1. Omnia peccata mortalia tam occulta, & interna, quam externa & publica, etiamſi aliunde eſſent nota Confeſſario, neque enim notitia Confeſſarii, ſed confeſſio pœnitentis eſt pars Sacramenti. 2. Eorum numerus. 3. Omnes ſpecies morales. 4. Omnes circumſtantiæ, tum quæ ſpeciem mutant, tum quæ ſolum addunt malitiam mortalem ejuſdem ſpeciei. 5. Ipſi actus externi, & affectus mali ac damna inde ſecuta. 6. Peccatum complicis, & perſona quæ fuit objectum peccati, dum aliter proprium peccatum ſufficienter exponi nequit. 7. Omnia mortalia dubia. *Prob.* Quia ut probavi, horum omnium declaratio præcepta eſt a Chriſto, qui inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii reconciliativi & punitivi; in quo videlicet non ſolum reus abſolvatur, ſed etiam convenienter puniatur, & contra relapſum præmuniatur. Talis autem judicii rectitudo & æquitas exigit cognitionem adæquatam cauſſæ, quantum moraliter haberi poteſt.

Hinc qui ſine juſta cauſſa aliquod mortale, vel circumſtantiam neceſſariam ſcienter celat, facit confeſſionem nullam & ſacrilegam, ex Conc. Trid. c. 5. ibi; *Qui ſcienter aliqua reticent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt*. Quare non ſolum illud mortale ſacrilegium, ſed etiam omnia alia mortalia, quæ confeſſus eſt, tenetur iterum ſingillatim confiteri: nam ex præcepto Chriſti omnia peccata ſubjici debent validæ abſolutioni.

*Reſp.* 2. Integritas materialis non requiritur abſolute; quia ſæpe eſt impoſſibilis cognitio omnium omnino mortalium, etiam poſt diligens examen. At ex Concil. Trid. c. 5. *Impium eſt, confeſſionem, quæ præcipitur, impoſſibilem dicere, aut carnificinam conſcientiarum appellare*.

*Reſp.* 3. Abſolute ſufficit integritas formalis. Quia confeſſio formaliter tantum integra, eſt ea, in qua ex gravi juſta cauſſa, vel oblivione inculpabili omittuntur aliqua peccata. At talis confeſſio ſufficit; nam ſecundum Doctores omnes, variæ ſunt cauſſæ excuſantes a confeſſione omnium mortalium, quæ generatim ad impotentiam phyſicam & moralem revocantur, quia Chriſtus noluit, ut Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum in gratiam Fidelium lapſorum, & ut medium ad juſtificationem neceſſarium, foret illis non ſolum abſolute, ſed etiam moraliter impoſſibile, ob damnum aliquod valde grave confeſſioni extrinſecum.

Hinc a confeſſione integra materialiter excuſantur. 1. Qui ex oblivione inculpabili, vel ignorantia invincibili, aliquod mortale omittunt. 2. Muti, ſi per geſtus, ſcripturam, vel alia ſigna nequeant omnia declarare. 3. Qui verſantur in periculo moriendi ante abſolutionem, niſi mox detur; tunc enim auditis aliquot, abſolvendi ſunt. 4. Cum in naufragii periculo imminenti, vel inſtante pugna, nequeunt omnes integre confiteri; tunc ſufficit confeſſio confuſa, quia omnes ſimul ſignificant ſe peccaſſe, dolere de peccatis, & velle abſolvi. Immo tunc poterunt ſimul abſolvi, ſi neceſſe ſit, per hanc formulam: *Ego vos abſolvo ab omnibus cenſuris & peccatis*. Si tamen unuſquiſque poteſt ſaltem aliquod peccatum in particulari confiteri privatim, ad id tenetur. 5. Ii, quorum idioma non niſi ex parte intelligi poteſt a confeſſario, ſi nequeant alteri confiteri, ſitque neceſſitas confitendi, vel juxta aliquos urgeat præceptum annuæ confeſſionis. 6. Sacerdos, dum peccatum ſuum confiteri nequit abſque fractione ſigilli confeſſionis. 7. Quicumque confiteri nequit aliquod peccatum ſine gravi damno confeſſioni extrinſeco, temporali, vel ſpirituali, ſive proprio, ſive etiam alieno; nam lex caritatis obligat ad diligendum proximum ſicut nos ipſos, & proinde ad vitandum ejus damnum; ut ſi prudenter timeas, ne con-

confeſſarius, qui ſolus haberi poteſt, frangat ſigillum, vel ex tua confeſſione ſumat occaſionem peccandi, vel graviter nocendi proximo. Sed tunc requiritur juſta cauſſa confitendi hic & nunc tali confeſſario, ut præceptum confitendi, vel neceſſitas celebrandi ad vitandum grave ſcandalum, aut infamiam: alioqui adeundus eſt alius confeſſor, vel differenda confeſſio, ſi commode differri queat. Item ſi infirmi vires periclitentur in accuratiori peccatorum declaratione, vel ſi integra confeſſio laborantis morbo valde contagioſo a longe audiri nequit, nec prope ſine periculo maximo mortis confeſſoris, tunc audito uno, aut altero peccato poteſt abſolvi. At magnus populi concurſus, dies Indulgentiæ, vel feſtivitatis magnæ, ut Paſchatis, per ſe præciſe non excuſat ab integritate confeſſionis: quia tunc non adeſt ſufficiens neceſſitas dimidiandæ confeſſionis: & maximi inde abuſus ac magna incommoda orirentur. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem: *Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiate confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis, ver. gr. poteſt contingere in die alicujus magnæ feſtivitatis, aut indulgentiæ.*

Porro ſemper remanet obligatio confitendi peccata omiſſa, ſublato impedimento.

Dixi, *Confeſſioni extrinſeco*: Nam incommodum confeſſioni velut intrinſecum, ſeu natum ſequi ex ipſa confeſſione, ut confuſio pœnitentis, vel jactura bonæ opinionis apud confeſſarium, non excuſat: alias nullum eſſet præceptum confeſſionis, nec per ſe obligaret.

*Reſp.* 4. Ad valorem Sacramenti requiritur confeſſionis integritas reſpectu ejuſdem Sacerdotis & ejuſdem abſolutionis: ita ut omnia mortalia, quæ ſunt in conſcientia, neceſſario declaranda ſint eidem Sacerdoti, & in ordine ad eamdem abſolutionem. Eſt de fide, & conſtat. *Prob.* I. Ex perpetua Eccleſiæ praxi, quæ nunc cernitur, & cujus initium cum ignoretur, nec oſtendi poſſit, ab ipſius Chriſti præcepto repetendum eſt. 2. Ex Conc. Later. IV. c. *Omnis* 3. Ex Conc. Floren. in Decreto, docentibus omnia peccata eidem Sacerdoti declaranda eſſe; & in hoc jus divinum duntaxat explicant. 4. Ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. declarante confeſſionem, in qua pœnitens aliquod peccatum Sacerdoti reticet, eſſe nullam: *Qui ſcienter*, inquit, *aliqua reticent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt*: Non dicit *Sacerdotes*. Ratio eſt voluntas Chriſti, qui omnia peccata ſubjecit judiciali ſententiæ Sacerdotis. Sententiæ autem æquitas ac rectitudo exigit cognitionem adæquatam cauſſæ, in quam fertur. Unde cum ſententia abſolutionis feratur in omnia peccata mortalia (nam unum ſine alio remitti nequit) prærequirit, quantum fieri poteſt, cognitionem omnium mortalium.

Quæſt. XI. *An pœnitens tenetur diligens examen præmittere confeſſioni?*

*Reſp.* Affirm. *Prob.* 1. Ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. dicente, præcipi confeſſionem omnium mortalium: *Quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent .... & a pœnitentibus exigi, ut poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum mortaliter offendiſſe meminerit.* 2. Qui præcipit actum, ſimul præcipit etiam media ad illum neceſſaria. At diligens examen eſt neceſſarium ad confitenda omnia peccata. Ea autem diligentia adhiberi debet, *quam in rebus graviſſimis ponere ſolemus*, ait Catech. Roman. & quæ moraliter ſufficiat ad cognoſcenda peccata commiſſa, conſideratis capacitate, & memoria poenitentis, diuturnitate temporis ab ultima valida confeſſione tranſacti, multitudine & qualitate negotiorum, occaſionum, & conſuetudine peccandi, aliiſque circumſtantiis. Quare non æquale in omnibus requiritur examen, ſed in aliis brevius, in aliis longius.

Quæſt. XII. *Quandonam iterari debet Confeſſio?*

*Reſp.* Quoties fuit nulla, ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter; ſive ex parte poenitentis defectu doloris, vel propoſiti ſufficientis, & integritatis formalis, vel ob notabilem negligentiam in excutienda conſcientia, niſi confeſſor eam ſuppleverit: ſive ex parte confeſſarii defectu poteſtatis aut intentionis requiſitæ. Quia in his caſibus Sacramentum fuit nullum, & ſic peccata non fuerunt per illud remiſſa. Omnia autem peccata mortalia debent ſubjici poteſtati clavium, & remitti per Sacramentum Poenitentiæ, idcoque per confeſſionem, & contritionem debitam, & abſolutionem validam. Idem dic, ſi dubium ſit, an confeſſio irrita fuerit: nam præcepto certo non ſatisfit per dubiam executionem, & in dubio pars tutior eligi debet.

*Sed an is qui fecit confeſſionem aliquam invalidam, tenetur cum illa omnes ſubſequentes iterare?*

*Reſp.* Tenetur, ſi eas fecit cum conſcientia confeſſionis invalidæ, quia revera ſunt omnes invalidæ, ob defectum eſſentialem. At ſi poſt unam confeſſionem invalidam, poſtea fecit alias cum debita diſpoſitione, & bona fide procedens, præcedentis defectus nullam habens memoriam; non tenetur, inquit Sylvius, has repetere, ſed ſolum illam, vel illas, quas fecit cum conſcientia defectus: quia illæ aliæ fuerunt validæ, cum habuerint omnia neceſſaria ad bonam confeſſionem.

Quæſt. XIII. *An eſt mortale mentiri in confeſſione?*

*Reſp.* 1. Mortale ſacrilegum eſt omne mendacium in materia confeſſionis neceſſaria, ut ſi poenitens falſo neget, ſe commiſiſſe mortale nondum legitime confeſſum, vel circumſtantiam neceſſariam; vel ſi neget aliquid aliud grave, quod interrogatus a confeſſario tenetur aperire, qualis eſt peccandi conſuetudo, diſpoſitio præſens &c. Nam tunc in re gravi ad Sacramentum, vel ejus rectam adminiſtrationem pertinente, decipit judicem ſuum, & medicum a Chriſto inſtitutum, ut ſecundum cognitionem per confeſſionem partam, & poenas peccatis proportionatas imponat, & remedia opportuna præſcribat. Idem dic, ſi contra conſcientiam falſo aſſerat ſe commiſiſſe mortale: quia judicem ſuum in re gravi ad judicium Sacramentale pertinente & neceſſaria decipit, & per illam additionem in re gravi ejus judicium pervertit. Secus, ſi verum putat.

Item mortaliter peccat, qui in confeſſione generali falſo aſſerit, ſe jam peccata aliqua mortalia confeſſum fuiſſe. Quia in re gravi & neceſſaria decipit Confeſſarium, qui putat mortalia illa jam declarata & remiſſa fuiſſe, nec jam eſſe materiam neceſſariam Sacramenti; unde non poteſt prudenter pœnam convenientem pro illis ſtatuere: nam non eadem pœna pro peccatis mortalibus nondum ſacramentaliter remiſſis, quæ pro peccatis ſic jam remiſſis, imponi debet.



*Reſp.* 2. Mendacium in materia non neceſſaria, hoc eſt, quæ non ſit ſub mortali declaranda, ut ſunt peccata venialia, vel mortalia jam legitime confeſſa & remiſſa, quorum cognitio non eſt neceſſaria ad recte adminiſtrandum Sacramentum, eſt ex communi ſententia ſolum veniale. Quia tunc non decipitur graviter judex in ordine ad debitum judicium, cum materia non ſit neceſſaria, nec ſpectet ad ſubſtantiam judicii neceſſarii; eſt tamen veniale gravius ob irreverentiam Sacramenti. Eſſet autem mortale, ſi aliunde non daretur materia valida Sacramenti; nam tunc irrita redderetur abſolutio.

Quæſt. XIV. *An peccata venialia ſunt materia ſufficiens confeſſionis, licet non neceſſaria?*

*Reſp.* Affirm. Ita Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. *Venialia quamquam recte & utiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat: taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt.* Nam Chriſtus dedit ſacerdotibus poteſtatem remittendi generatim omnia peccata, quæ remitti poſſunt, Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Porro extra caſum neceſſitatis non ſunt confitenda venialia tantum in genere, ſed debet alioquin addi in ſpecie, ut v. gr. aliquod mendacium, tum quia eſt contra praxim fidelium, tum quia accuſatio & judicium per ſe loquendo fieri debent circa materiam in ſpecie determinatam. Ita Suarez, & alii communius.

Quæſt. XV. *An quævis peccata jam remiſſa per abſolutionem, ſunt ſemper materia ſufficiens novæ confeſſionis?*

*Reſp.* Affirm. *Communis & certa ſententia eſt*, inquit Suarez. *Prob.* 1. Ex extravag. Bened. XI. de privil. ubi ait, eadem peccata iterato confiteri ſalubre eſſe. 2. Quia peccata jam remiſſa poſſunt eſſe materia contritionis & confeſſionis, atque poſſunt adhuc remitti remiſſione priorem confirmante per novam gratiam: & Chriſtus remittendi poteſtatem non reſtrinxit ad unum actum remiſſionis, propter majorem utilitatem animarum. 3. Ex piorum ac doctorum hominum uſu Eccleſiæ noto, nec reprehenſo, quæ probatio valet: nam hanc adhibet Conc. Trid. ſupr. cit. ad probandum valorem confeſſionis venialium.

*Nota.* Confeſſor dubitans, an ea, quæ pœnitens confitetur, ſint peccata etiam venialia, non poteſt eum abſolvere. Quia non licet applicare formam materiæ dubiæ, alioqui exponeretur Sacramentum periculo nullitatis; ſola autem peccata ſunt materia remota poenitentiæ. Quare ut detur materia certa, curare debet, ut poenitens confiteatur peccatum certum jam alias remiſſum, & illud in contritione includat.

Quæſt. XVI. *An confeſſio neceſſario fieri debeat voce?*

*Reſp.* 1. Id non eſt de eſſentia Sacramenti; ſed confeſſio poteſt valide fieri nutibus, geſtibus, vel ſcripto, ſi deſit facultas loquendi. Conſtat, 1. ex praxi Eccleſiæ, quæ mutos, & moribundos vocis uſu deſtitutos, per nutus vel alia ſigna confitentes abſolvit. Et ex Rituali Romano docente moribundum vocis uſu deſtitutum abſolvendum eſſe. 2. Quia Chriſtus ſolum præcipit confeſſionem, qua peccata declarentur Sacerdoti ut judici; quod ſufficienter fieri poteſt per nutus, vel ſcripturam.

*Reſp.* 2. Non licet abſque neceſſitate aliter quam voce confiteri. Conſtat, 1. Ex communi Theologorum conſenſu. 2. Ex conſuetudine Eccleſiæ vim legis obtinente, & obligante graviter, utpote de re ſpectante ad convenientem modum perficiendi Sacramentum; nam verba ſunt aliis ſignis longe aptiora ad ſignificandum, & ex S. Auguſt. tenent in ſignificando principatum. 3. Ex Conc. Florent. requirente confeſſionem oris, & ex Bened. XI. in Extrav. *Inter cunctas*, de privil. ibi. *Niſi articulus neceſſitatis occurrat, Sacerdoti facienda oris confeſſio exigitur.* Et vero alia ſigna non ſunt inducta, niſi in ſupplementum verborum vocalium. *Ex inſtitutione Eccleſiæ tenetur homo, qui poteſt, ut verbo confiteatur: non ſolum propter hoc, ut ore confitens magis erubeſcat, & qui ore peccavit, ore purgetur: ſed etiam quia ſemper in omnibus Sacramentis accipitur id, cujus eſt communior uſus. Unde & in manifeſtatione peccatorum convenit uti verbis, quibus homines communius & expreſſius ſuos conceptus ſignificare conſueverunt.* Ita S. Thom. Quodl. 1. qu. 6. art. 1.

*Reſp.* 3. Qui voce non poteſt, tenetur aliis ſignis etiam ſcripto confiteri, etiam extra mortis periculum. Quia præceptum confitendi obligat ſaltem, cum ſine gravi damno confeſſioni extrinſeco obſervari poteſt. Sed hic modus confitendi nullum damnum, ſaltem grave, affert. Neque ſcriptura eſt per ſe inſtrumentum publicationi obnoxium, & poteſt ſtatim comburi, vel lacerari.

Quæſt. XVII. *An excuſetur a confeſſione, qui confiteri nequit, niſi per interpretem?*

*Nota.* Ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. neque eſt neceſſarium jure divino, ut confeſſio publice fiat, ſed valet confeſſio ſecreta & auricularis, neque a Chriſto prohibitus eſt modus publice confitendi. Unde ex communi ſententia valet confeſſio, ſive ſecreto, ſive publice fiat; nam ad valorem Sacramenti ſolum requiritur accuſatio peccatorum facta Sacerdoti ut judici: hæc autem poteſt eſſe utroque hoc modo.

*Reſp.* Multi docent, neminem ex vi præcepti confeſſionis obligari ad confitendum per interpretem, licet recte poſſit, eo quod Chriſtus nos non obligarit ad declaranda peccata, niſi ſoli Sacerdoti abſolutionis miniſtro; nec ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. Chriſtus præcepit, ut peccata declararentur publice, id eſt, coram aliis. Præterea Conc. Later. IV. præcipit ſolum, ut poenitens omnia ſua ſolus peccata confiteatur Sacerdoti.

Tamen S. Th. in 4. diſt. 17. qu. 3. art. 4. qu. 3. poſtquam dixit: *In eo, qui uſum linguæ non habet, ſicut mutus, vel qui eſt alterius linguæ, ſufficit quod per ſcriptum, aut nutum, aut interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus quam poſſit:* ait generatim, *Quando non poſſumus uno modo, debemus ſecundum quod poſſumus confiteri.* Certe ad id

id tenemur ſaltem ex præcepto caritatis propriæ, ſi aliqui diu abſtinendum eſſet a confeſſione. Quia tunc periculum eſſet diu permanendi in peccato, cum difficile ſit, nec ita frequens, habere contritionem perfectam; hæcque obligatio maxime urget in periculo mortis, ubi tenemur omnia media tutiora adhibere ad ſalutem conſequendam. Non pauci autem dicunt, ſufficere tunc confiteri per interpretem aliquod dumtaxat peccatum, accuſando ſe de ceteris in generali: nam integra peccatorum confeſſio præcepta eſt, dum moraliter fieri poteſt ſoli Sacerdoti. Sed Delugo docet, præceptum divinum obligare ad confitendum in articulo mortis omnia mortalia per interpretem, eo quod manifeſtatio peccati apud duos ſigillo obſtrictos non ſit detrimentum ita grave, ut propter illud præceptum divinum confitendi omnia mortalia prorſus omittatur, & non tantum difforatur. Neque talis confeſſio poteſt cenſeri publica, ſicut neque eſt publica confeſſio, qua idem peccatum reſervatum manifeſtatur ſuperiori & inferiori. Addique ob eamdem rationem nos teneri in articulo mortis confiteri omnia mortalia, etiamſi ſciremus Sacerdotem aliquod revelaturum alteri, ſi nullum aliud malum timeatur, niſi mera notitia peccati manens in uno alio, qui tali notitia in nullius præjudicium poſſit uti. Et hoc puto ſervandum in praxi.

Quæſt. XVIII. *An confeſſio Sacerdoti præſenti neceſſario fieri debeat?*

*Reſp.* Affirm. *Prob.* 1. Ex uſu totius Eccleſiæ. 2. Ex Concil. Trid. ſeſs. 14. c. 2. Chriſtus eos, qui ſe poſt baptiſmum crimine aliquo contaminarint, *ante hoc Tribunal* (Sacramenti Pœnitentiæ) *tamquam reos ſiſti voluit*. Ergo ex inſtitutione Chriſti ad validam abſolutionem requiritur, ut pœnitens coram Sacerdote judice ſiſtatur, & perſonaliter compareat. 3. Ex Decreto Clem. VIII. dato an. 1602. quo hanc propoſitionem, ſcilicet *licere per litteras, ſeu internuntium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere*, ad minus uti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnavit, ac prohibuit. Quod intelligendum eſt non ſolum conjunctim, nempe quoad confeſſionem & abſolutionem ſimul, ſed etiam diviſim, nempe quoad alterutram, ut poſtea declaravit ipſe Clemens, & Paulus V. 4. Quia debita hujus Sacramenti adminiſtratio per ſe loquendo id exigit. Nam ut Sacerdos pœnitentem abſolvat per ſe loquendo, debet habere moralem certitudinem de integritate confeſſionis, & debita diſpoſitione ac contritione pœnitentis. Hanc autem certitudinem habere non poteſt, niſi poenitentem confitentem audiat. Dico *per ſe loquendo*, quia per accidens, nempe in articulo mortis confeſſio facta Sacerdoti abſenti eſt licita & valida, quando aliter fieri non poteſt. Nam Sacerdos poteſt & debet abſolvere moribundum ſenſibus deſtitutum, qui ipſo abſente abſolutionem petiit.

Quæſt. XIX. *Quænam obſervanda ſunt circa præceptum Eccleſiaſticum confeſſionis?*

*Reſp.* Sequentia. 1. Hoc præceptum obligat omnes fideles adultos ad confitendum ſaltem ſemel in anno, ex Conc. gener. Later. IV. c. 21. ibi: *Omnis utriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti*. Idque ſub mortali, ut patet, tum ex gravitate materiæ, tum ex poena adjuncta: *Alioquin et vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, et moriens chriſtiana careat ſepultura*. Nomine proprii Sacerdotis intelligitur quidem Parochus, ſed ſine excluſione Epiſcoporum, & Sacerdotum ab iis delegatorum. Nam Epiſcopi eamdem & longe majorem juriſdictionem habent in parochianos, ſuntque paſtores ipſorum parochianorum: quare hic canon intelligitur ſalvo jure Epiſcoporum.

2. Præcipitur confeſſio valida, ſacramentalis, & apta ad reconciliationem cum Deo, ideoque per abſolutionem validam terminata. Nam ex Conc. Trid. cap. 5. Eccleſia id præcipit, ut præceptum divinum confeſſionis ſaltem ſemel in anno impleatur; ac proinde non aliam confeſſionem præcipit, quam Deus; at Deus præcipit confeſſionem validam, ac doloroſam, quam ſequatur abſolutio. Hinc Alexand. VII. damnavit hanc propoſitionem: *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*.

3. Qui toto anno confeſſionem omiſit, tenetur confiteri prima die anni ſequentis, ſi poteſt; aut prima data opportunitate, & continue, donec impleverit: alioqui peccat deinceps, & toties quidem, quoties poteſt commode confiteri, & omittit. Nam Eccleſia abſolute præcipit confeſſionem annuam primario propter ſe, prohibetque ejus dilationem ultra annum; ita ut annus deſignetur non ad finiendam, ſed ad ſollicitandam obligationem jure divino impoſitam, & ut terminus ultra quem remaneat obligatio; ut patet ex iis verbis Concil. Trid. *Saltem ſemel in anno*: lex enim Eccleſiæ lata fuit, ut fideles non nimium differrent obſervationem præcepti divini. Ergo qui elapſo anno ſtatim non confitetur, violat præceptum, & continuo tenetur confiteri; perinde ac qui non ſolvit cenſum annuum, ſolvere continue tenetur, tranſacto anno.

Item ex vi hujus præcepti tenentur fideles anticipare confeſſionem in quavis parte anni, ſi prævident, fore ut, omiſſa illa occaſione, nequeant poſtea toto illo anno confiteri, v. gr. ex longa navigatione, vel peregrinatione per terras infidelium. Quia hoc præceptum non terminatur ad finem anni, ſed obligat ad confitendum ſaltem ſemel in anno: quæ obligatio currit toto anno, ideoque in illo complenda. At ſi homo poſitus in illa occaſione non confiteatur ſtatim, non implebit præceptum in anno, ſeu obligationem annuam.

4. Quamvis hoc præcepto certum anni tempus confitendi non ſtatuatur, tamen conſuetudo invaluit confitendi intra Quadrageſimam, vel quindenam paſchalem, approbata a Concil. Trid. Quare juxta multos annus pro ſervando hoc præcepto computatur ab una quindena Paſchali ad aliam; & ita fert fidelium praxis, & reipſa ſolum eo tempore paſtores confeſſionem a fidelibus exigere ſolent.

5. Poena interdicti a Conc. Later. ſtatuta in omittente annuam confeſſionem, vel paſchalem communionem, eſt ſolum ſententiæ ferendæ, uti verba indicant. Quare ad eam imponendam requiritur auctoritas Ordinarii, cum Parochi careant juriſdictione in foro externo.

*Sed an tenentur hoc præcepto, qui ſolius culpæ venialis ſibi conſcii ſunt?*

*Reſp.*



*Reſp.* Multi negant, quia 1. Conc. Later. & Trid. præcipiunt confeſſionem omnium peccatorum: ergo non loquuntur de venialibus. 2. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 5. Eccleſia ſolum ſtatuit, ut divinum præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus obſervaretur; at præceptum divinum non obligat ad confitendum venialia, ex eod. cap.

Affirmant Richard. Alenſis, & S. Bonav. Sylveſt. Fagnan. & aliqui recentiores: quia alioqui minæ interdicti per canonem intentatæ inutiles forent, nam fideles cenſarentur ſe ſibi non eſſe conſcios mortalium: unde ut præceptum divinum ab omnibus religioſe ſervaretur, Eccleſia præcepit, ut omnes & ſinguli, licet ſibi ſolorum venialium conſcii, ſemel in anno confiterentur.

S. Thomas hanc opinionem ita amplectitur, ut oppoſitam non rejiciat: nam, in 4. diſt. 17. qu. 3. art. 1. qu. 3. ad 3. Sic ait: *Dicendum, quod ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, ſed ex inſtitutione Eccleſiæ, quando non habet alia, quæ confiteatur. Vel poteſt dici ſecundum quoſdam, quod ex decretali prædicta non obligantur niſi illi, qui habent peccata mortalia: quod patet ex hoc quod dicit, quia debet omnia peccata confiteri, quod de venialibus intelligi non poteſt ... ex hoc etiam ille, qui non habet mortalia, non tenetur ad confeſſionem venialium: ſed ſufficit ad præceptum Eccleſiæ implendum, ut ſe Sacerdoti repræſentet, & ſe oſtendat abſque conſcientia mortalis eſſe, & hoc ei pro confeſſione reputatur*. (1)

## ARTICULUS III.

### *De ſatisfactione.*

Quæſt. I. *AN, & qualem ſatisfactionem imponere tenetur Confeſſarius?*

*Nota* 1. Satisfactio hic ſumitur pro voluntaria ſui ipſius punitione, ad compenſandam injuriam Deo per peccatum illatam. Duplex eſt, nempe Sacramentalis, de qua hic agitur, & non Sacramentalis, quæ fit non ſolum piis ac laborioſis operibus ſponte ſuſceptis, ſed etiam malis ac ærumnis hujus vitæ a Deo inflictis, & patienter toleratis, ut docet Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 9.

*Nota* 2. Satisfactio Sacramentalis eſt poenitentia, ſeu actio una, vel multiplex, bona & poenalis, a Sacerdote judice legitimo impoſita, ad puniendam ac reparandam injuriam Deo illatam, vel etiam ad præcavendam futuram. Cum autem homini carnali & ad malum propenſo opus quodlibet bonum ſit poenale, utpote ejus naturæ corruptæ contrarium; ideo omnis actus virtutis etiam mere internus, in ſatisfactionem imponi poteſt. Satisfactio Sacramentalis alia eſt vindicativa, quæ datur præciſe ad præterita peccata vindicanda, & alia medicinalis, quæ datur præcipue ad præcavenda futura in poſterum. Sæpe autem eadem actio utrumque præſtare poteſt.

Porro cum ſatisfactio a confeſſario impoſita ſit pars integralis Sacramenti, & in ea operetur vi clavium, *amplius valet ad expiandum peccatum, quam ſi proprio arbitrio homo faceret idem opus*. S. Thom. Quodlib. 3. qu. 13. ob uberiorem meritorum Chriſti applicationem. Item plus, aut minus poenæ temporalis ex opere operato remittit, prout gravior, vel levior eſt, & majore, vel minore devotione peragitur.

*Reſp.* 1. Confeſſarius tenetur ſatisfactionem imponere poenitenti valenti illam exequi. Conſtat 1. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. & ex Traditione ac perpetua praxi Eccleſiæ. 2. Quia ſatisfactio eſt pars integralis Sacramenti, ex Conc. Trid. can. 4. At miniſter quantum poteſt tenetur procurare integritatem Sacramenti. 3. Ut judex æquitatem ſervare debet; unde cum judicet inter Deum & hominem, ſicut debet abſolvere hominem recte diſpoſitum, ita curare debet, ut homo ſatisfaciat Deo; & ut medicus tenetur curare vulnera poenitentis. Quare gravis eſt obligatio ſatisfactionem aliquam imponendi pro mortali: immo etiam juxta multos pro ſolis venialibus, aut mortalibus jam alias confeſſis; quia gravis videtur irreverentia, Sacramentum voluntarie privare ſua integritate, ſeu parte integrali.

Dixi *valenti &c.* Nam abſolutio ſine impoſitione poenitentiæ danda eſt moribundo, qui inter confitendum ſenſuum uſu & cognitione privatur, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ.

*Reſp.* 2. Confeſſarius tenetur imponere ſatisfactiones convenientes & ſalutares, tum vindicativas, tum medicinales, proportionatas numero ac gravitati peccatorum, & poenitentis facultati ac diſpoſitioni. Conſtat ex Patribus, & multis Conciliis, & præſertim ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8. ibi: *Debent Sacerdotes quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere; ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem: nam claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed et ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres, et credunt et docent*. Ratio eſt, quia confeſſarius a Chriſto inſtitutus eſt, tum ut judex non ſolum ſolvens, ſed etiam ligans ſeu vindicans, ſervata æquitate, ut ibi docet Conc. Trid. ac proinde debet ſervare æquitatem in poenis præſcribendis: tum ut medicus, qui poenitentis morbos ac vulnera curet, & morborum cauſſas tollat, ut conſtat ex Patribus, Conciliis variis, ac præſertim ex Concil. gener. Later. IV. cap. *Omnis*, ubi ait: *Sacerdos ſit diſcretus et cautus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum, et oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens peccatoris circumſtantias, et peccati, quibus prudenter intelligat, quale illi debeat præbere conſilium, et cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanan-*

dum

(1) *Etiam non commiſſa gravi cauſſa præceptum annuæ confeſſionis obligat, ut quis ſe peccatorem ſaltem ſemel quotannis recognoſcat*. Inſt. Eccl. 18. §. 4.

*dum ægrotum*. Hinc patet, hanc obligationem eſſe ex genere ſuo gravem, cum ad integritatem Sacramenti, officium confeſſarii, & pœnitentis emendationem ac profectum, ac divinæ offenſæ reparationem pertineat.

*Obſerva* 1. Salutares & convenientes ſatisfactiones, quas juſtitia divina exigit, generatim ſunt, ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 8. illæ, quæ *magnopere a peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent, cautioreſque ac vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt . . . & quibus Christo Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, conformes efficimur, certiſſimam inde arrham habentes, quod ſi compatimur, & conglorificabimur*.

2. Satisfactiones medicinales convenientes ſunt eæ, quæ peccatorum cauſſas ac radices reſecant, malos habitus tollunt, pravas cupiditates coercent, occaſiones peccandi removent, vitia curant, & pœnitentis emendationem ac profectum pariunt. Tales ſunt actus virtutum interni, & externi vitiis pœnitentis oppoſiti: contraria enim contrariis curantur. Quare Rituale Rom. ait: *Contrarias peccatis pœnitentias injungat, velut avaris eleemoſynas, libidinoſis jejunia vel alias carnis afflictiones, ſuperbis humilitatis officia, deſidioſis devotionis ſtudia &c.* Item crebra oratio, ſed præſertim matutina & ſerotina quotidiana, examen quotidianum conſcientiæ, auditio quotidiana Miſſæ, meditationes, præſertim paſſionis Chriſti; & extremorum; lectiones librorum ſpiritualium, auditio concionum; frequens confeſſio; cura ſingularis vitium capitale emendandi, fuga otii, occaſionum peccandi, voluptatum, & delectationum inutilium; utilis collocatio temporis ſuo ſtatui congruens, & ordo actionum cujuſque diei ſuis obligationibus accommodatus; ſenſuum & cupiditatum mortificatio; crebri actus fidei, ſpei, caritatis, contritionis, & aliarum virtutum, vitiis & pravis cupiditatibus contrarium; cogitatio præſentiæ Dei, omnia ubique & ſemper inſpicientis; devotio ſingularis erga B. Virginem, quæ conſiſtat tum in ejus invocatione, tum in imitatione mirabilium ejus virtutum; confeſſio generalis annua; ſeceſſus per aliquot dies ad vacandum exercitiis ſpiritualibus ſecundum rationem a S. Ignatio traditam &c. Menſura autem ſatisfactionum medicinalium eſt neceſſitas & infirmitas pœnitentis; nec unquam imminui debent, cum ſatisfactiones illæ ſint remedia ad peccatorum fugam, pœnitentis emendationem ac profectum neceſſaria: unde in his integritatem, & ſeveritatem adhibere debet confeſſarius, ait Suarez. Quare confeſſarius naturam & cauſſam, ſeu radicem ac motivum peccatorum pœnitentis prius inveſtiget & inquirat, ut remedia eorum emendationi apta apponat.

3. Satisfactiones vindicativæ ſeu pœnales, ut ſint ſalutares & convenientes, debent eſſe proportionatæ non ſolum multitudini, & gravitati peccatorum, ſed etiam facultati, conditioni & diſpoſitionibus pœnitentis; ita ut in iis imponendis habeatur ratio ejus infirmitatis, valetudinis, laboris, ſtatus, officiorum, paupertatis, & prout prudentia, & caritas ſuggerent. Neque enim ſalutares ſunt pœnitentiæ tam graves ac diuturnæ, ut ſpectata pœnitentis fragilitate, periculum ſit, ne eas omittat: nam tunc in ejus exitium verterentur: in hoc autem Sacramento magis intenditur emendatio & ſalus pœnitentis, quam ſatisfactio pro pœna. Si ergo expediat ad bonum ſpirituale pœnitentis, poteſt imponi levior poena, quam mereatur, idque tandem cedit in majorem Dei gloriam, qui vult præcipue curationem poenitentis. Quare S. Antonin. 3. par. tit. 16. c. 21. ait: *Debet confeſſarius dare talem pœnitentiam, quam credat veriſimiliter illum implere: ne ipſam violando, deterius ei contingat*. Et S. Carolus in Inſtruct. confeſſ. monet, non debere imponi tam gravem ac diuturnam ſatisfactionem, ut poenitens ei obſequi recuſet, aut acceptatam integre non impleat, nec ordinarie injungenda eſſe jejunia iis, qui vitæ ſubſidia labore manuum parant. Confeſſarius igitur poenitentem interroget, *an poſſit pœnitentiam ſibi injunctam peragere: alioquin eam pro ſua prudentia immutet, aut minuat*, ait Rituale Pariſienſe. Tunc autem monendus eſt, leviorem poenitentiam imponi quam mereantur ejus peccata, ut ipſe moveatur vel ad majorem petendam, vel ad alias ultro ſumendas, cum melius diſpoſitus erit.

Porro menſuram poenæ ex judicio Eccleſiæ peccatis debitæ indicant canones Poenitentiales, quos proinde ſcire debet Sacerdos. Nam licet poenæ per illos ſtatutæ, ſpectata facultate & infirmitate poenitentis, minuendæ ſint; tamen ſæpe poenitentibus proponenda ſunt, quo magis criminum gravitatem cognoſcant, indeque fiant ad poenitentiam acceptandam promptiores. Ita S. Carolus in Inſtruct. confeſſ.

4. Satisfactio ante abſolutionem imponenda eſt, tum ut exploretur debita poenitentis diſpoſitio, & voluntas faciendi fructus dignos poenitentiæ. tum quia ordo judicii & juſtitiæ vindicativæ poſtulat, ut prius poenitens ſatisfactionem ſpondeat & acceptet, quam abſolvatur. Si tamen forte Sacerdos ante abſolutionem prætermiſiſſet, tenetur eam poſtea injungere.

*Sed an Confeſſarius debet habere diſtinctam ſingulorum peccatorum memoriam, dum imponit ſatisfactionem?*

Reſpondet Sylvius, ſatis eſſe ſic audire, & intelligere omnia, quando dicuntur, ut in ſatisfactione injungenda ſufficienter meminerit ſtatus poenitentis, ad eam competenter injungendam. Et vero ſæpe impoſſibile eſt, ſaltem moraliter, ut confeſſarius diſtincte ſingula tunc meminerit.

Quæſt. II. *Quænam opera in pœnitentiali imponenda ſunt?*

*Reſp.* Ex Patribus, ex Concil. Florent. & Trid. ſeſſ. 6. c. 14. tria ſunt præcipua, ad quæ cetera revocantur, nempe jejunia, eleemoſynæ, orationes: nam hæc ſunt ſatisfactiones poenales ſimul & medicinales. Per jejunium intelligitur omnis corporis afflictatio, & voluptatum ſenſuum etiam licitarum privatio; nam ſpecies ibi ponitur pro genere; per eleemoſynam omne opus miſericordiæ tum ſpiritualis, tum corporalis; per orationem omnis actus religionis, & pietatis in Deum, ut Dei laudes, piæ meditationes ac lectiones, auditio Miſſæ & concionum, ſuſceptio Sacramentorum, examen conſcientiæ, oblatio actionum ſuarum Deo facta ad ejus gloriam, actus fidei, ſpei, caritatis, contritionis &c.

Quæſt. III. *An imponi poſſunt opera aliunde præcepta?*

*Reſp.* Non poſſunt ſola licite imponi, ſi poenitens poſſit alia præſtare. *Prob.* Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. *Satisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem*.

At opera jam aliunde præcepta nequeunt eſſe ad vindictam & caſtigationem peccatorum præteritorum: nam etiamſi nulla peccata commiſiſſet poenitens, teneretur illa præſtare, nec illis iterum impoſitis puniri cenſetur. Idcirco reſtitutio injuriæ, & damni compenſatio, fuga occaſionis peccandi, non ſunt ſatisfactiones vindicativæ.

Porro confeſſarius cenſendus eſt impoſuiſſe opus non aliunde præceptum, niſi aliud exprimat, vel ex circumſtantia colligi queat; nam hæc eſt rationabilis ejus intentio. Quare ſi ſimpliciter imponat jejunium, poenitens non ſatisfacit jejunando uno die, in quo ex præcepto Eccleſiæ, vel ex voto tenetur.

Quæſt. IV. *An imponi debet pœnitentia publica?*

*Reſp.* 1. *Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifeſtam pœnitentiam non imponat*, ait Rit. Rom. Nam eſſet improportionata, & contra uſum Eccleſiæ, & quodammodo infamativa poenitentis.

*Reſp.* 2. Imponenda eſt poenitentia publica pro peccatis publicis. Ita Concil. Trid. ſeſs. 24. cap. 8. *Apoſtolus monet publice peccantes palam eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe non dubitandum: huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam. Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire*. Nec tunc, inquit S. Tho. confeſſarius, ſed poenitens ipſe ſatisfactionem implendo, manifeſtat ſuum peccatum, jam alias notum, & inducitur tantum ad id, quod ex ſe facere debet ad ſcandalum tollendum.

Sine tamen Epiſcopi conſilio & auctoritate imponi non debet poenitentia publica cum certa ſolemnitate peragenda, ut ſtandi ad fores Eccleſiæ cum cereo accenſo &c. Sed quivis confeſſarius poteſt & debet injungere ſatisfactiones, quæ ſine ſolemnitate peraguntur coram iis qui ſcandalum paſſi ſunt, dum aliter tolli nequit, & jubere ut retractent ſermones contra fidem, & bonos mores, religionem, vel calumnias coram iis, qui audierunt &c. Nam ſcandalum neceſſario tolli debet.

Quæſt. V. *An confeſſarius poteſt in pœnitentiam medicinalem imponere pœnitenti aliquid, ex quo oriatur ſuſpicio vel etiam notitia peccati pœnitentis?*

*Reſp.* Suarez, diſp. 33. ſect. 7. ſi medium illud ſit neceſſarium ad vitandum relapſum, poſſe ſacerdotem illud præcipere poenitenti, v. gr. ut dimittat tale officium, vel hanc domum, aut aliquid ſimile; & ipſum poenitentem teneri obedire; quod ſi noluerit, dimittendum ſine abſolutione. Quo in caſu nulla eſt ſigilli fractio; quia ſi aliquid ſit, totum eſt ex conſenſu & voluntate poenitentis. Neque eſt gravamen aut onus contra ſigillum, quod ille conſenſus per præceptum vel per comminationem negandi abſolutionem extorqueatur; quia ſuppoſita vera neceſſitate, illud præceptum non tam imponitur a confeſſario, quam declaratur poenitenti obligatio, quam in ſe ipſo habet; & ideo comminatio illa juſta eſt: immo & neceſſaria, quia non poteſt aliter confeſſarius debito modo fungi ſuo munere. Ita Suarez. Neque tunc eſt revelatio confeſſionis, ſed ipſemet poenitens, ut ſuæ obligationi ſatisfaciat, ſeipſum voluntarie prodit.

Quæſt. VI. *An poteſt injungi ſatisfactio applicanda aliis, v. gr. defunctis?*

*Reſp.* Affirm. Quia tunc non applicatur aliis ſatisfactio ſecundum valorem quem habet ex opere operato, ſed ſecundum eum quem habet ex opere operantis. Præterea actus ipſe caritatis, quo quis applicat aliis ſatisfactionem ſui operis, habet vim ſatisfactivam: hanc enim habet omne opus meritorium.

Quæſt. VII. *An pœnitens tenetur acceptare & implere pœnitentiam rationabilem injunctam?*

*Reſp.* Affirm. 1. Quia Sacerdos habet poteſtatem judicialem non ſolum ſolvendi, ſed etiam ligandi ſeu obligandi per impoſitionem poenitentiæ, ex Concil. Trid. cap. 8. cit. Immo habet obligationem imponendi convenientem ſatisfactionem, ut oſtendi. At talis poteſtas & obligatio non poteſt eſſe in Sacerdote ſine obligatione in reo talem ſatisfactionem injunctam acceptandi & exequendi; hæc enim ſunt correlativa, & alioqui Sacerdotis poteſtas vindicativa eſſet inefficax. 2. Ex Conc. Later. cap. *Omnis*, ibi: *Omnia ſua peccata confiteatur fideliter, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere*. 3. Quilibet ſubditus tenetur obedire judici & ſuperiori juſtam ſententiam ferenti. At Sacerdos, cui poenitens per confeſſionem ſe ſubjecit, imponit poenitentiam, ut ſuperior & judex; & tunc fungitur vice Chriſti, ejuſque nomine ac auctoritate ligat, ſicut abſolvit. 4. Ex Concil. Trid. ſeſs. 14. can. 4. Satisfactio eſt pars Sacramenti, nempe integralis, & a Deo requiritur ad plenam ac perfectam peccatorum remiſſionem. Poenitens autem tenetur ſervare integritatem Sacramenti, præſertim cum ad illud concurrat. Quare hæc obligatio ex genere ſuo gravis eſt, cum ejus materia pertineat ad religionem & juſtitiam divinam.

Nec excuſatur poenitens, eo quod velit alium adire: nam non licet poenitenti ſine juſta cauſa Sacramentum inchoatum relinquere, & effugere Sacerdotis juſtum judicium, cui ſe jam ſubjecit. Poenitens quidem ante confeſſionem poterat alteri confiteri, ſed facta confeſſione tali Sacerdoti, hic jam fungitur vice Chriſti, ejuſque auctoritate ligat: *Nam claves Sacerdotum non ad ſolvendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas etiam antiqui Patres & credunt, & docent*, ait Conc. Trid. ſeſs. 14. c. 8.

Hinc mortaliter peccat, qui poenitentiam pro mortali impoſitam, vel notabilem ejus partem culpabiliter omittit: nam qui tenetur aliquid præſtare, ad id obligatur per ſe ſub mortali, ſi res gravis ſit. Quod ſi ſit levis, & impoſita pro ſolis venialibus, vel mortalibus jam alias confeſſis, ſecundum multos eſt duntaxat veniale illam omittere, ſecluſo contemptu & ſcandalo; quia completio integralis partis, per materiam levem non obligat niſi leviter pro ratione materiæ. Aliqui tamen putant eſſe mortale: quia gravis irreverentia Sacramento infertur, illud

privando tota ſua integritate & complemento non accidentali. Et quamvis hæc materia ſecundum ſe ſit levis, tamen gravis cenſetur reſpectu Sacramenti, cum ſit ejus tota pars integralis. Delugo fatetur, eſſe mortale omittere ſatisfactionem pro ſolis venialibus impoſitam, ſi hæc gravis ſit, verbi gratia, jejunium, quia obligatio eam implendi oritur a poteſtate judicis, & res præcepta eſt gravis, & capax præcepti gravis.

Immo ſi confeſſarius leviorem poenitentiam impoſuiſſet, poenitens tenetur ſupplere: nam lege divina tenemur ſatisfacere Deo in hac vita etiam pro poena temporali peccatis quoad culpam remiſſis debita, ut conſtat, 1. ex Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, in fletu, & in planctu.* Per jejunium intelligitur omne opus poenale. Item ex Matth. 3. *Pœnitentiam agite.* Et Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quæ duo ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 14. non ſolum contritionem & vitæ emendationem ſignificant, ſed etiam, *ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes, aliaque pia ſpiritualia vitæ exercitia pro pœna temporali, quæ non tota ſemper, uti in Baptiſmo dimittitur.* 2. Ex Patribus. Pro omnibus ſit S. Hieron. in cap. 2. Jerem. *Peccata gravia gravioribus tormentis indigent.* 3. Ex Præcepto naturali & divino virtutis poenitentiæ tenemur, quantum poſſumus, Deo plene ſatisfacere in hac vita pro injuriis ipſi illatis. Nam ipſa ratio dictat, Deo non minus, quam hominibus plene ſatisfaciendum eſſe, quam primum fieri poteſt moraliter. Hæcque obligatio gravis eſt pro mortalibus.

Porro ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 9. ſatisfacimus Deo non ſolum piis ac laborioſis operibus a Sacerdote injunctis, vel ſponte ſuſceptis; ſed etiam malis ac ærumnis hujus vitæ patienter propter Deum toleratis.

Dixi *rationabilem.* Nam ſi clavis erret, ut ajunt, hoc eſt, ſi imponatur ſatisfactio irrationabilis ob nimiam gravitatem & diuturnitatem, poteſt poenitens illam recuſare, & alium confeſſarium adire.

Quæſt. VIII. *Quandonam pœnitens tenetur implere pœnitentiam?*

*Reſp.* Tenetur tempore a confeſſario præſcripto: nam circumſtantia temporis in præcepto includitur. Dilatio tamen ſatisfactionis ad paucos dies, etſi ſine neceſſitate, poteſt eſſe tantum venialis, niſi ad finem injunctæ poenitentiæ magis referat, illam impletam eſſe tempore præfinito, v. gr. ad ſuperandas tentationes urgentes. Quod ſi confeſſarius nullum tempus determinavit, tenetur poenitens ſatisfactionem implere, quam primum commode poteſt; itaut peccet mortaliter, ſi illam ex gravi negligentia diu differat. Nam integritas Sacramenti, & ratio debitæ juſtæ ſatisfactionis ac medicinæ, & rationabilis intentio confeſſarii executionem celerem exigunt.

Qui autem poenitentiam quocumque modo diſtulit, tenetur eam poſtea quam primum poteſt perſolvere. Nam dilatio ſolutionis debiti ultra terminum non liberat debitorem onere illud ſolvendi, & intentio confeſſarii eſt, ut ſatisfactio abſolute fiat; tempus vero præfinitur ſolum ad non differendam ſolutionem.

Quæſt. IX. *Quomodo, & in quo ſtatu impleri debet ſatisfactio?*

*Reſp.* 1. Satisfactio impleri debet ex motivo pio ac ſupernaturali, & ſine affectu ad mortale. Quia ſatisfactio Sacramentalis eſt pars integralis Sacramenti, & actus virtutis pœnitentiæ præceptus ad compenſationem quamdam injuriæ divinæ: ergo debet eſſe actio moraliter bona, ſupernaturalis, elicita ſaltem ex motivo placandi Deum, ejuſque injuriam compenſandi. Quæ voluntas eſt incompoſſibilis cum affectu ad mortale.

*Reſp.* 2. Qui pœnitentiam in peccato mortali exequitur, peccat ſaltem venialiter. Quia Sacramenti partem indigne ſuſcipit, & ponit obicem effectui, nempe remiſſioni pœnæ temporalis, quæ eſt effectus ſecundarius, pendens a primario, nempe gratia ſanctificante. Tamen ex communiori ſententia talis non tenetur poſtea ſatisfactionem repetere, eo quod ſubſtantiam præcepti impleverit; & quia in Eccleſia veteri ſæpe exigebatur ſaltem magna ex parte executio ſatisfactionis ante abſolutionem, ac proinde ante remiſſionem peccatorum ſaltem ordinarie: nam perfecta contritio ſatis eſt infrequens. Immo juxta multos, ſicut pœnitentiæ ante abſolutionem implendæ juſſu confeſſarii reatum pœnæ temporalis tollunt, cum peccatum poſtea per abſolutionem remiſſum fuerit; ita pœnæ poſt abſolutionem peragendæ, etiamſi in peccato poſtea ſuperveniente impletæ fuerint, tamen ſublato per juſtificationem obice ſuum effectum aſſequentur.

Quæſt. X. *An pœnitentia a confeſſore impoſita poteſt in aliam mutari?*

*Reſp.* 1. Non poteſt a pœnitente propria auctoritate mutari, etiam in aliud opus melius: tum quia nulla ſatisfactio poteſt eſſe Sacramentalis, niſi imponatur a miniſtro Sacramenti: tum quia reus non poteſt mutare ſententiam judicis, nec ſubditus opus præſcriptum a ſuperiore. Item ab alio Sacerdote mutari nequit, ſi fuerit conveniens, nec nimis acerba: cum impoſita ſit, clave non errante, per actum poteſtatis ligandi.

*Reſp.* 2. Ob juſtam cauſſam mutari poteſt in aliam convenientem, 1. Ab ipſo confeſſario, qui illam impoſuit: nam hoc ſæpe poteſt expedire ad bonum animarum, ad quod hoc judicium ordinatur: & tunc non erit neceſſe repetere priorem confeſſionem, ſi tempus, a quo facta eſt, ſit adeo breve, ut moraliter cenſeatur idem judicium; & Sacerdos adhuc recordetur ſtatus pœnitentis; ſed hoc fieri debet in alia confeſſione, quia eſt actus judicialis, & uſus clavium, qui nonniſi in Sacramento exercetur. Quod ſi confeſſarius non recordetur amplius peccatorum, pro quibus priorem pœnitentiam impoſuit, requiritur nova eorum confeſſio: quia impoſitio alterius pœnitentiæ eſt actus juriſdictionis, qui fit a judice ut Judex eſt: ergo debet procedere cum notitia cauſſæ.

2. Id etiam poteſt quivis alius confeſſarius, ſi ſatisfactiones impoſitæ ſint irrationabiles, & contra prudentiæ regulas, & minime convenientes. Quia Sacerdos non habet poteſtatem tales injungendi, proinde ad eas obligandi pœnitentem; ideoque mutari poſſunt ab alio, qui in eodem tribunali idem poteſt ac prior judex, cui ſuccedit. Sed tunc neceſſe eſt, ut apud ipſum fiat nova confeſſio peccatorum, pro quibus impoſita eſt pœnitentia: quia pœnitentiæ commutatio eſt impoſitio pœnitentiæ loco prioris, ideoque



que actus judicii Sacramentalis; alioqui poenitentia mutata non eſſet Sacramentalis. At ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. tale judicium non poteſt niſi cauſſa diſtincte cognita, & in ſacro tribunali recte exerceri: neque enim Sacerdos habet poteſtatem ligandi, ſeu imponendi ſatisfactionem Sacramentalem, niſi prout exercet judicium & poteſtatem clavium, præcedente legitima accuſatione ſibi facta. Hinc confeſſarius pœnitentiam ab alio impoſitam commutare nequit ſine nova peccatorum abſolutione: nam non poteſt exercere judicium Sacramentale, quin totum Sacramentum conficiat; unde etiam ex parte poenitentis requiritur nova contritio. Ceterum ne prius Sacramentum ſua integritate privetur, relinquendum eſt aliquid ex priore poenitentia præſtandum.

Quæſt. XI. *An pœnitentia poteſt per alium perſolvi?*

*Reſp.* Neg. Quia 1. Satisfactio imponitur poenitenti per ipſum, non per alium perſolvenda. Nam ipſemet reus debet poenam debitam ſubire, & cum culpa ſit perſonalis, perſonalis quoque debetur pro ea ſatisfactio. 2. Ex Conc. Trid. materia & partes Sacramenti ſunt tres actus poenitentis; nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio: ergo ſatisfactio, quæ eſt pars materialis Sacramenti, debet eſſe actus ipſius poenitentis, non alterius; ſicut nec contritio, vel confeſſio alterius poteſt eſſe materia in hoc Sacramento. Hinc Alexander VIII. damnavit hanc propoſitionem: *Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.*

Quæſt. XII. *An neceſſe eſt ex præcepto, ſeu inſtitutione Chriſti, ut ſatisfactio ante abſolutionem ſemper impleatur?*

*Reſp.* Nego. *Prob.* 1. Ex uſu nunc in Eccleſia a pluribus ſæculis recepto. Eccleſia autem præſens, non minus quam antiqua a Spiritu Sancto regitur; nec unquam errare poteſt in rebus ad fidem, mores, diſciplinam generalem, & adminiſtrationem Sacramentorum pertinentibus, juxta illud Matt. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* 2. Ex uſu antiquæ Eccleſiæ, in qua poenitentes ante poenitentiam impletam abſolvebantur, ut quando imminebat perſecutio, aut aliud mortis periculum. 3. Ex Sixto IV. qui ut falſam & erroneam damnavit hanc Petri de Oſma propoſitionem: *Non peracta pœnitentia confitentes abſolvi non debere.* Et ex Alexandro VIII. qui tres has propoſitiones damnavit: 16. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex & præſcriptio, natura rei id quodammodo dictante.* 17. *Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus.* 18. *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.* Ratio eſt, quia ſatisfactio eſt tantum pars integralis, & complementum Sacramenti Poenitentiæ. Pars autem integralis non debet neceſſario præmitti eſſentiali ejuſdem rei; & ſine illa ſtat tota eſſentia compoſiti, ut patet in phyſicis: ſic dentes non naſcuntur infantibus, niſi aliquot poſt ortum menſibus; a fortiori in rebus moralibus.

*Sed num aliquando poteſt confeſſor obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam ſive ex parte, ſive ex toto ante abſolutionem?*

*Reſp.* Affirm. Nam nec Chriſtus, nec Eccleſia id prohibuerunt, quando prudentia dictat id expedire. Immo ad id obligari debet poenitens, quando eſt periculum, ne abſolutione accepta poenitentiam omittat: vel ſi hoc neceſſarium ſit, aut valde expediat curationi poenitentis, vel ſi Sacerdos nequeat aliter judicare de diſpoſitione poenitentis. Ita Suar. & Delugo, qui diſp. 14. ſect. 10. ſic ait: *Ex communi doctrina Theologorum poteſt aliquando obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam ante abſolutionem, per modum medicinæ, quando judicat id neceſſarium, vel utile poenitenti, ex eo quod ſoleat facile promittere poenitentias, vel ut confeſſarius certus ſit de poenitentia impleta, vel ob alios fines.*

## APPENDIX

*Referuntur præcipui Canones Poenitentiales ſecundum ordinem Decalogi, ex variis Conciliis, & libris pœnitentiariis collecti in Inſtruct. S. Caroli.*

### Circa I. Decalogi Præceptum.

*Qui a fide defecerit, pœnitentiam aget annis decem.*

*Qui auguriis & divinationibus ſervierit, quive cantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit annis ſeptem.*

*Reſpiciens furta in aſtrolabio, pœnitens erit annis duobus.*

*Si quis ligaturas, aut faſcinationes fecerit, pœnitens erit duos annos.*

*Qui magos conſuluerit, in pœnitentia erit annis quinque.*

### Circa II. Præceptum.

*Quicumque ſciens perjuravit, 40. dies in pane & aqua jejunet, & ſeptem ſequentes annos pœniteat, & nunquam ſit ſine pœnitentia: & nunquam in teſtimonium recipiatur; & poſt hæc communionem percipiat.*

*Qui perjurium in Eccleſia fecerit, pœnitentiam aget annos decem.*

*Si quis Deum, vel B. Virgin., vel aliquem Sanctum publice blaſphemaverit, præ foribus Eccleſiæ diebus Dominicis ſeptem, in manifeſto, dum Miſſarum ſollemnia aguntur, ſtet; ultimoque ex illis die, ſine pallio & calceamentis, ligatus corrigia circa collum; ſeptemque præcedentibus feriis ſextis in pane & aqua jejunet, Eccleſiam nullo modo tunc ingreſſurus: ſingulis item illis ſeptem diebus Dominicis tres, aut duos, aut unum pauperem paſcat, ſi poteſt; alioquin alia pœnitentia afficiatur. Recuſans Eccleſiæ ingreſſu interdicatur, in obitu Eccleſiaſtica careat ſepultura.*

*Qui votum ſimplex violaverit, pœniteat tribus annis.*

Cir-

### Circa III. Præceptum.

*Qui opus aliquod ſervile die dominica, feſtove fecerit, poenitentiam aget tres dies in pane & aqua.*

*Si quis jejunia a ſancta Eccleſia indicta violaverit, poenitentiam aget dies viginti in pane & aqua.*

*Qui in Quadrageſima jejunium violaverit, pro uno die poenitentiam aget dies ſeptem.*

*In Quadrageſima carne ſine inevitabili neceſſitate veſcens, in Paſcha non communicet, ac prœterea a carne abſtineat.*

### Circa IV. Præceptum.

*Qui parentibus maledixerit, 40. dies poenitens ſit in pane & aqua.*

*Qui parentes injuria affecerit, tres annos.*

*Qui percuſſerit, annos ſeptem.*

*Si quis contra Epiſcopum, Paſtorem, & Patrem ſuum inſurrexerit, in Monaſterio omnibus diebus vitæ ſuæ poenitentiam aget.*

*Si quis Epiſcopi, aut miniſtrorum ejus, vel Parochi ſui præcepta contempſerit, vel irriſerit, poenitentiam aget dies 40. in pane & aqua.*

### Circa V. Præceptum.

*Qui presbyterum occiderit, poeniteat 12. annis.*

*Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut ſororem occiderit, toto vitæ ſuæ tempore non ſuſcipiat Corpus Domini, niſi in obitu, abſtineat a carne & vino, dum vixerit, jejunet ſecunda, & quarta, & ſexta feria.*

*Si quis hominem occiderit, ad januam Eccleſiæ ſemper erit, & in obitu communionem recipiet.*

*Qui homicidii auctor fuit, ob conſilium quod dedit, poenitentiam aget 40. dies in pane & aqua, cum ſeptem ſequentibus annis.*

*Si qua mulier ſponte abortum fecerit, poenitentiam aget annos tres, ſi nolens, quadrageſimas tres.*

*Qui nolens filium oppreſſerit, poenitentiam aget dies 40. in pane & aqua, oleribus ac leguminibus: abſtinebit ab uxore dies totidem. Deinde poenitens erit tres annos per legitimas ferias: tres præterea quadrageſimas in anno obſervabit.*

*Qui ſceleris occultandi cauſſa filium necaverit, poenitentiam aget annos decem.*

*Si quis per iram ſubitam, aut per rixam hominem necarit, poenitentiam aget annos tres.*

*Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, poenitentiam aget uno anno per legitimas ferias.*

*Si quis ictum proximo dederit nec nocuerit, triduo poenitentiam aget in pane & aqua.*

### Circa VI. Præceptum.

*Si laicus ſolutus cum femina ſoluta concubuerit, poenitens erit tres annos.*

*Qui turpiloquio, aſpectuque polluitur negligens, poenitentiam aget 20. dies.*

*Qui cum uxore ſua turpiter concubuerit, poenitens erit 40. dies.*

*Qui cum duabus ſororibus fornicatus fuerit, aut filiam ſpiritualem violaverit, perpetuam poenitentiam aget.*

*Qui inceſtum fecerit* ( non ita enormem ) *poenitens erit 12. annis.*

*Qui moniales violaverit, poenitens ſit annis decem.*

*Si qua mulier ceruſſa, aliove pigmento ſe oblinit, ut aliis viris placeat, poenitentiam aget annos tres.*

*Si presbyter cognovit filiam ſuam ſpiritualem, quam ſcilicet baptizavit, vel quæ ſibi confeſſa fuit, debet poenitentiam agere duodecim annis. Et ſi crimen ſit manifeſtum, debet deponi, & peregrinando 12. annis poeniteat, & poſtea Monaſterium intret tota vita ſua moraturus ibidem.*

Pro adulterio, ſeptennii & decennii poenitentia imponitur. Pro oſculo, ſeu amplexu impudico triginta dierum poenitentia ſtatuitur.

### Circa VII. Præceptum.

*Si quis furtum de re minori fecerit, poenitentiam aget annum unum.*

*Qui furatus eſt aliquid de Eccleſiæ ſupellectili, theſauro, vel pecuniam Eccleſiaſticam, oblationeſve Eccleſiæ factas, poenitens erit annos ſeptem.*

*Qui decimam ſibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum reſtituet, & poenitentiam aget dies 20. in pane & aqua.*

*Qui uſuras accipit, rapinam facit, poenitentiam aget annis tribus, uno in pane & aqua.*

### Circa VIII. Præceptum.

*Qui falſo teſtimonio conſenſerit, poenitens erit annis quinque.*

*Falſarius in pane et aqua poenitentiam agat quamdiu vivit.*

*Si quis de proximo detraxerit, poenitens erit dies ſeptem in pane et aqua.*

### Circa IX. & X. Præceptum.

*Rem alienam nefarie concupiſcens, avaruſque, poenitens erit tribus annis.*

*Si quis concupiſcit fornicari, ſi Epiſcopus, poenitens erit annis ſeptem; ſi Presbyter, quinque; ſi Diaconus vel monachus, tres; ſi clericus aut laicus, annos duos.*

✠ *Nota.* 1. De origine & uſu canonum Poenitentialium S. M. Bened. XIV. lib. tertio de Synodo Dioeceſana cap. 62. hæc docet. „ Tanta diligentia Majores noſtri diſquirebant quæ unicuique peccato eſſet imponenda poenitentia, ut ſi enorme aliquod audirent perpetratum crimen, quod vel ratione adjectæ circumſtantiæ quamdam peculiarem, & graviorem redoleret nequitiam, & turpitudinem, ſimul ſtatim convenirent Epiſcopi ad deliberandum, quo poenitentiæ genere eſſet illud expiandum; reque mature diſcuſſa, ac tandem deliberata, ſingulis paroeciis ſuis, quod communi conſenſu ſtatutum fuerat, ſignificabant;



hujus vetuſtiſſimæ Eccleſiæ praxis locupletiſſimus teſtis eſt Cyprianus multis in epiſtolis, præcipue *epiſt. 14. 15. 55. & 62.* eamque pluribus monumentis comprobat doctiſſimus Morinus *de Pœnitentia l. IV. cap. 17. & l. VI. c. 14. & 15.* Tanti præterea momenti negotium æſtimabatur, ut peccatores dignam, ſuoque reatui æquam ſubirent pœnitentiam, ut interdum etiam Romani Pontificis ea de re exquireretur ſententia: & quandoque ad eumdem ipſe reus remitteretur dijudicandus, qua, & quanta pœnitentia a Deo, atque ab Eccleſia reconciliationem conſequi mereretur. Theodobertus Francorum Rex Vigilium Papam interrogavit, qua pœnitentia plectendus eſſet, qui fratris ſui uxorem duxerat, cui interrogationi Vigilius ſatisfecit epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, quam habemus *Tom. 1. Conc. Galliæ pag. 245.* In Conc. Lemovicenſi anni 1031. (*collect. Harduin. Tom. 6. pag. 1. col. 891.*) decretum eſt: *Si Epiſcopus Parochianum ſuum cum teſtibus, vel litteris Apoſtolicis ad pœnitentiam accipiendam direxerit, ut multoties pro graviſſimis fieri ſolet reatibus, in quibus Epiſcopi ad dignam hæſitant pœnitentiam exponendam, hic valit libenter a Papa remedium ſumere poteſt.* Ibidemque circa finem, factum narratur cujuſdam Militis Vaſconis, qui, jubente Vaſconum Duce Sancio, ſeniorem ſuum occiderat, ſed poſtea pœnitentia ductus Epiſcopum adiit, a quo hoc accepit reſponſum; *Neſcio tibi conſilium ferre pœnitentiæ, ſed vade quantocius ad Papam Romanum. Si tibi ille pœnitentiam concedit, & ego gaudeo, & confirmo: ſi te ille abjecerit, nec a me, nec ab aliquo invenies pœnitentiam.*

2. Quum autem, aut Epiſcopi, aut Pontifices Maximi certo crimini ſemel imponendam ſtatuerant pœnitentiam, in codicem referebatur, qui *Liber Pœnitentialis* eſt nuncupatus, ut deinceps regula eſſet ad quam inferiores Sacerdotes ſe conformarent: & ne quiſquam ab ea recederet, Epiſcopus in ſua Synodo, atque in Diœceſis viſitatione id potiſſimum inveſtigabat, an quilibet Presbyter librum haberet Poenitentialem, ſuæ Diœceſis proprium, & an ſecundum quod ibi præſcriptum erat pro eo modo culpæ poenitentiam injungeret. Diſcimus id ex Burchardo, apud quem *lib. 1. poſt c. 94.* inter ea, quæ Epiſcopi in Diœceſanis Synodis quærere debent, hoc *interrogat. XVIII.* continetur: *Eſt aliquis, qui modum pœnitentiæ ſibi injunctum non cuſtodierit?* Atque ex Reginone ſuam canonum collectionem a modo exordiente viſitandi Eccleſias, ubi *c. 89.* hæc ſingulis Presbyteris ab Epiſcopo, aut Archidiacono facienda proponitur interrogatio: *Si habent Pœnitentiale Romanum, vel a Theodoro Epiſcopo, vel a Ven. Presbytero Beda editum, ut ſecundum quod ibi ſcriptum eſt, interroget confitentes, ut Confeſſor modum pœnitentiæ imponat.*

3. Multi ex hiſce libris Pœnitentialibus ab Epiſcopis exarati perierunt, atque utinam ille extaret, quem accuratiſſime conſcripſerat Cyprianus, ut ipſemet *ep. 52. ad Antonianum* teſtatur; inde enim exactiſſimæ priſcorum Patrum in puniendis peccatis diligentiæ luculentum haberemus teſtimonium: ſed licet plures ex illis deſiderentur, plures tamen, ſapientiſſimo Dei conſilio, ad nos pervenerunt, ut ex illis diſcamus, quinam fuerit in Eccleſia Catholica veræ pœnitentiæ ſpiritus. Antonius Auguſtinus ad ſuam juris canonici epitomen antiquum attexuit Pœnitentiale Romanum, in novem titulos diſtributum, in quibus varia recenſentur criminum genera, atque ex Conciliis, Summorum Pontificum epiſtolis, ac Patrum ſententiis, pœnitentiæ deſcribuntur pro ſingulis imponendæ, & fortaſſe hic liber ille idem eſt, quem Nicol. I. ſe miſiſſe ſcribit ad Bulgaros in reſponſione ad eorum quæſita c. 75. *Judicium Pœnitentiæ, quod poſtulatis, Epiſcopi noſtri, quos in patriam veſtram miſimus, ſcriptum ſecum utique deferent aut certe Epiſcopus, qui in vobis ordinabitur, hoc, cum oportuerit, exhibebit* (*Tom. V. collect. Hard. col. 378.*) Poſt Gratiani Decretum, in editione Romana habentur canones poenitentiales, deſumpti ex Summa Aſtenſi, eoſdemque canones a mendis purgatos, qui Librariorum incuria in eos irrepſerant, laudatus Antonius Auguſtinus adjecit Poenitentialibus, Romano, Bedæ, & Rabani, opportunis & eruditis notis a ſe exornatis. Alios antiquos libros Poenitentiales in lucem protulit Morinus *in append. ad tract. de pœnit.* Alios evulgavit Martene *Tom. II. de antiquis Eccleſiæ ritibus.* Liber *de remedio peccatorum* Ven. Bedæ, & *Capitulare* Theodulphi Archiepiſcopi Aurelianenſis, publici juris fecit Baluzius *Tom. VII. Miſcellaneorum p. 12.* Muratorius binos Poenitentiales ex Italicis deprompſit bibliothecis, alterum ſcilicet ex codice Mſs. Capituli Canonicorum Veronenſium, alterum ex codicibus Mſs. monaſterii Bobienſis, atque ambos edidit *Tom. V. antiquit. Ital. med. ævi, diſſer. 68.* S. Carolus Borromæus non ſolum vulgatos canones Poenitentiales, ſed innumeros alios ex antiquis Conciliis, aliiſque libris Poenitentialibus in unum collegit, per decem diſtribuit Decalogi præcepta, eorumque lectionem ſummopere Sacerdotibus commendavit; eamdemque vero S. Caroli collectionem ad Sacerdotum Poenitentiæ Sacramentum adminiſtrantium inſtructionem, denuo typis Romanis imprimi juſſit Gaſpar Cardinalis Carpineus, tempore Pontificatus Innocentii XII. cujus erat in Urbe Vicarius.

4. Jam vero ſi Epiſcopus in ſua Synodo antiquos canones Poenitentiales renovaret, ſuiſque Conſtitutionibus annecteret, animo inducendi Confeſſarios ad Poenitentias imponendas, quæ pro unoquoque crimine ſunt in illis præſcriptæ, non ſolum rigidiſſimæ Ethices ſectatorem ſe oſtenderet, ſed rem plane impoſſibilem attentaret: etenim hac noſtra luculenta ætate, qua fideles a priſtino morum nitore, & ſanctitate defecerunt, tot interdum graviſſimis onerati criminibus ad Sacramentale forum quidem accedunt ut ſi iiſdem, ſecundum antiquos canones Poenitentiales, foret injungenda poenitentia, hæc ad tot annos eſſet protrahenda, qui integrum eorumdem vitæ curſum non exæquarent modo, ſed excederent, quod *in cit. diſſert.* bene ponderavit Muratorius.

5. At ſi Epiſcopus ſuis Synodalibus Conſtitutionibus canones inferat Poenitentiales, vel eorumdem ſtudium, & cognitionem Sacerdotibus ſuadeat, aut etiam præcipiat, non ut illos, jam a multis ſæculis obſoletos, ad uſum revocet, ſed duntaxat, ut eorumdem notitia Confeſſarii prodeſſe queat ad aliqualem proportionem ſervandam inter diverſas peccatorum ſpecies, & poenitentiam pro ſingulis imponendam; ac

ac præterea, ut iidem Confeſſarii inde argumentum deſumant ad aperiendam Poenitentibus admiſſorum ſcelerum gravitatem, quæ tam longa, tam aſpera, tamque formidanda vindicta etiam in hac vita ab Eccleſia coercebantur; ſi inquam, hoc tantum conſilio, id ab Epiſcopo fiat, ſtatim Conſtitutiones Synodales inclamare, turbas ciere, Clerum, & populum adverſum eas concitare, quod aliquando factum ſcimus, res plane intolerabilis eſt, atque a nullo cordato viro ferenda. Enimvero quam reprehenſionem meretur Epiſcopus, qui plurium & ſanctitate, & doctrina præſtantium Præſulum veſtigia premit? Quid a S. Carolo hac in re geſtum fuerit, jam audivimus; quid alii fecerint Antiſtites, mox ſubnectemus.

6. In famigeratis Conſtitutionibus Matthæi Giberti Epiſcopi Veronenſis, Eccleſiaſticæ diſciplinæ ante Tridentinam Synodum Inſtauratoris ſolertiſſimi c. 18. *tit.* 6. ſtatuitur. *Confeſſarii canones Poenitentiales quaſi quaſdam regulas ediſcant ... ut ſciant illos poſtea ſapienter, & diſcrete moderari, ſecundum peccati circumſtantias, & Contritionis qualitatem*. Joannes Franciſcus Bonhomius Vercellarum Epiſcopus, qui floruit poſt Trident. in ſuis generalibus decretis Eccleſiaſticæ reformationis *pag.* 213. loquens de Confeſſario, ait: *Canoneſque item Poenitentiales memoria teneat, ut ſingulis criminibus congruam ſatisfactionem injungere valeat, ſimulque ipſis Poenitentibus, ut promptius, ac libentius, quod juſſi erunt, ipſi præſtent, diligenter exponat, quam benigne hodie Eccleſia ſancta graviſſimas antiquorum canonum poenas in miniores commutandas eſſe cenſuerit*. Hoc ipſum a Catechiſmo Romano ad titulum *de Pœnit.* his verbis inſinuatur. *Ut Poenitentes ſuorum ſcelerum gravitatem magis agnoſcant, operæ pretium erit eis interdum ſignificare, quæ poenæ quibuſdam delictis, ex veterum canonum præſcripto, qui Poenitentiales vocantur, conſtitutæ ſint*. In Conc. Provinciali Florent. habito anno 1518. atque a Leone X. confirmato *pag.* 110. & *ſeq.* integri referuntur antiqui canones Poenitentiales, quibus hæc præfiguntur verba: *Hi ſunt Poenitentiales canones, quos hic in fine ſubnectendos duximus ad ſublevandum ſimplicium Clericorum imperitiam, ut cum viderint, certam a jure poenitentiam imponi, ipſi melius arbitrium ſuum informare poſſint, quomodo attentis confeſſione, ſtetu, lacrymis, & dolore, & diſpoſitione, & facultate confitentium, poenitentias ſalubriter moderari poſſint; nam qualitas temporum noſtrorum, in quibus non ſolum merita, ſed & corpora defecerunt, non patitur rigorem antiquorum canonum permanere; ſed neceſſe eſt illum a diſcreto Sacerdotis judicio temperari*. In Synodo Amerina habita an. 1595. ab Epiſcopo Antonio Maria Gratiano c. 196. legitur. *Poenitentialium canonum jure impoſitas ſingulis ſceleribus poenas, poenitentiaſque noſſe Confeſſoribus perutile fuerit, cum id ex iis ipſi melius, certiuſque ſtatuere valeant, quæ cuique peccato definienda poenitentia ſit, tum ut Poenitentes ipſi a Confeſſoribus de priſci moris ſeveritate edocti, quanto nunc benignius cum illis ſancta mater Eccleſia agat, intelligentes, hanc ſaltem ei gratiam referant, ut a peccatorum conſuetudine ob id diligentius abſtineant*. In Syn. Pragenſi celebrata anno 1605. & juſſu Cardinalis Epiſcopi de Harrac recuſa anno 1650. *tit. de Poenit.* dicitur. *Confeſſarii Canones Poenitentiales memoriæ mandent, ut ſingulis criminibus congruam ſatisfactionem injungant*. In Synodo Oſnabrugenſi anni 1628. *cap.* 17. habetur: *Requiritur in Sacerdote ſcientia canonum poenitentialium*. Similes Epiſcoporum Italiæ Synodales Conſtitutiones recenſentur a Genetto *Tom.* IV. *Theol. Moral. tr.* 6. *c.* 7. videlicet Coſmæ de Torres Epiſcopi Peruſini, Cardinalis Jacobi Sabelli Archiepiſcopi Beneventani, Cardinalis Joannis Baptiſtæ Leonii Epiſcopi Ferrarienſis, Ven. Servi Dei Cardinalis Pauli de Aretio Epiſcopi Placentini, Cardinalis Bonifacii Cajetani Archiepiſcopi Tarentini, Cardinalis Cybo, ſacri Collegii Decani Epiſcopi Veliterni, Cardinalis Jacobi Boncompagni Archiepiſcopi Bononienſis Deceſſoris noſtri.

7. Quæ autem hucuſque dicta ſunt de Poenitentialium canonum utilitate pluribus argumentis confirmat Cardinalis de Aguirre *ad can.* 11. & 12. Concilii Toletani III. *Tom.* 11. *collect. maxim. Concilior. Hiſp.* eaque nituntur etiam auctoritate D. Thomæ, qui *Quodl.* 3. *qu.* 13. *art.* 1. docet quidem, non eſſe nunc poenitentiam præſcribendam ad exactam normam antiquorum canonum, ſed ſimul expedire ait, ut Confeſſarius poenitenti ſignificet, quanta poenitentia pro ſingulis ab ipſo perpetratis flagitiis expiandis, eſſet olim ab Eccleſia definita: *Videtur ſatis conveniens, quod Sacerdos non oneret Poenitentem gravi pondere ſatisfactionis: quia ſicut parvus ignis a multis lignis ſuperpoſitis de facile extinguitur, ita poſſet contingere, quod parvus affectus Contritionis in Poenitente nuper excitatus propter grave onus ſatisfactionis extingueretur, peccatore totaliter deſperante. Unde melius eſt, quod Sacerdos Poenitenti indicet, quanta poenitentia eſſet ſibi pro peccatis injungenda, & injungat ſibi nihilominus aliquid, quod Poenitens tolerabiliter ferat, ex cujus impletione aſſueſcat, ut majora impleat, quæ etiam Sacerdos ſibi injungere non attentaſſet: & hæc, quæ præter injunctionem facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ, ex illa generali injunctione, qua Sacerdos dicit; Quidquid boni feceris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum*. ✠

## CAPUT II.

### *De forma Sacramenti Poenitentiæ, ſeu Abſolutione.*

I. CIrca modum abſolvendi ſic habet Rituale Romanum auctoritate Pauli V. editum: *Cum poenitentem abſolvere voluerit, injuncta ei prius & ab eo accepta poenitentia ſalutari, primo dicit*.

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.

*Deinde dextra verſus poenitentem elevata, dicit*:

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus. Amen.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat; & ego auctoritate ipſius te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, in quantum poſſum, & tu indiges, *Deinde*: Ego te abſolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.





Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Monet omittendam eſſe vocem *ſuſpenſionis*, ſi poenitens ſit laicus; & addit in confeſſionibus frequentioribus, & brevioribus omitti poſſe *Miſereatur &c.* & ſatis eſſe dicere, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus &c.* ut ſupra uſque ad illud *Paſſio Domini &c.* Urgente vero gravi aliqua neceſſitate, ut in periculo mortis, breviter dici poſſe: *Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris & peccatis, in nomine Patris &c.*

II. Forma abſolutionis conſiſtit in his verbis. *Ego te abſolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Quare preces & verba, quæ hanc formam antecedunt & ſubſequuntur, non ſunt de illius eſſentia, ut conſtat ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 3. Item quamvis omnia verba illa ex præcepto exprimi debeant, tamen aliqua non ſunt de eſſentia formæ, ut iſta *Ego, tuis, Amen.* Sed circa alia diſſentiunt Theologi, nam alii ad totam eſſentiam aſſignant hæc duo: *Abſolvo te*, quæ ſaltem ſecundum omnes requiruntur: quia neceſſaria ſunt ad ſignificandum effectum primarium Sacramenti, nempe abſolutionem. Abſolutio autem eſt ſententia judicialis, quæ neceſſario ad reum dirigitur; & ſic pronomen *Te* exprimi debet. Alii inſuper exigunt voces, *a peccatis*. Immo aliqui, pauci illi quidem, addunt etiam: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ſed falſo principio nixi, nempe quia putant formam Sacramenti eſſe deprecativam.

III. Abſolutio data ſub conditione de præſenti, vel de præterito valet, ſi illa ſit præſens, vel impleta: quia tunc Sacramentum, & effectus non ſuſpenditur: Sed ſic collata ſine neceſſitate, graviter eſt illicita; eſt enim contra reverentiam Sacramenti, & uſum Eccleſiæ. Item illicite apponitur conditio, quæ neceſſario præſupponi debet, ut ſi dicas; *Ego te abſolvo, ſi habeas veram contritionem*, vel *voluntatem reſtituendi; ſi habeo poteſtatem abſolvendi &c.* Quia conditio, quæ ſemper neceſſaria eſt, & ex natura Sacramenti præſupponi debet, inutiliter ac otioſe, ideoque contra reverentiam Sacramento debitam apponitur. Si autem dubitetur, utrum poenitens adhuc vivat, vel an Sacerdos verba abſolutionis protulerit, ſecundum multos danda eſt abſolutio ſub hac conditione: *Si tu es capax*, vel, *ſi non es abſolutus*, *Ego te abſolvo &c.* ut ſit in Baptiſmo.

Abſolutio autem data ſub conditione de futuro eſt nulla. Quia tunc intentio abſolvendi, & abſolutio non exiſtit abſolute, ſed ſuſpenditur, ac proinde nihil efficit; nam non eſt in poteſtate Sacerdotis ſuſpendere Sacramentum & ejus effectum, cum ſacramenta producant id quod ſignificant: & ſignificant gratiam præſentem dari. Hinc non valet abſolutio ſic data; *Si reſtitueris: ſi poenitentiam impleveris, abſolvo te.*

IV. Invalida eſt abſolutio data abſenti, ut conſtat. 1. Ex praxi Eccleſiæ, in qua nunquam moribundis abſentibus datur, etſi ſine ea morituris. 2. Ex forma abſolutionis, quæ ſubjectum per ly *te*, deſignat præſens, ideoque falſa eſſet, ſi foret abſens; & quia forma neceſſario verbis vocalibus conſtat; nemo autem ad abſentem utitur verbis vocalibus.

V. Mortale eſt, abſolvere aliquem a peccatis, antequam ſit abſolutus ab excommunicatione contracta: nam Eccleſia graviter prohibet, ne excommunicatus ullum Sacramentum recipiat. Quare is non eſt vere abſolutus ob carentiam contritionis, & ſacrilegium mortale, quod admittit recipiendo Sacramentum contra prohibitionem Eccleſiæ.

VI. Ad repetendam abſolutionem requiritur nova confeſſio: nam ſuper eadem confeſſione non poteſt abſque ſacrilegio repeti abſolutio: quia caderet ſuper materiam nullam, ideoque irrita eſſet. Poteſt tamen repeti ſuper diverſa confeſſione etiam eorumdem peccatorum; quia confeſſio eſt materia proxima; peccata autem remota; unde abſolutio cadet ſuper novam materiam proximam.

## CAPUT III.

### De Miniſtro Sacramenti Poenitentiæ.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### *De poteſtate requiſita in Miniſtro Poenitentiæ.*

Quæſt. I. *AN requiritur juriſdictio ad abſolvendum?*

*Nota* 1. Juriſdictio generatim eſt poteſtas regendi, ſeu ferendi ſententiam in ſubditos. Duplex eſt, nempe in foro interno & externo. Juriſdictio in foro interno ſeu poenitentiæ, de qua hic agitur, eſt poteſtas abſolvendi, ligandi, & obligandi ſubditos confeſſos in tribunali poenitentiæ ſacramentalis. Juriſdictio in foro externo eſt poteſtas ferendi leges ac cenſuras, imponendi poenas Eccleſiaſticas etiam publicas, vel ab iis diſpenſandi ac liberandi, & regendi ſubditos per hæc omnia, & quoad politiam externam. Utraque juriſdictio ſubdividitur in ordinariam, & delegatam. Juriſdictio in foro interno ordinaria eſt ea, quæ alicui competit ratione officii habentis annexam curam animarum, qualem habet Papa in omnes fideles, Epiſcopi in ſuos diœceſanos, parochi in ſuos parochianos, ſuperiores religioſorum in ſuos ſubditos.

Delegata eſt ea, quæ committitur Sacerdoti ab eo, qui habet ordinariam. Et acquiritur per expreſſam, vel tacitam conceſſionem: nam delegatio eſt unus ex actibus juriſdictionis ordinariæ. Ad conſenſum autem tacitum requiritur ſcientia ejus quod agitur: unde non eſt tacita conceſſio ſine notitia prælati.

*Nota*. 2. Juriſdictio delegata non expirat per delegantis mortem, aut dimiſſionem, ſi ſine ulla temporis limitatione ab illo data fuit, nec revocata ab eo, vel illius ſucceſſore, aut ſuperiore. Nam delegatio eſt gratia facta confeſſario, cui ſtatim acquiritur: at gratia facta non exſpirat per mortem concedentis; nam gratia ſeu beneficium ſuperioris debet eſſe manſurum. *Reg. jur.* 16. *in* 6.

*Nota*. 3. Qui habet poteſtatem delegatam, non poteſt eam ſubdelegare, niſi hoc ei ſpecialiter conceſſum ſit: quo caſu, non ſuo, ſed delegantis no-

mine cenſetur ſubdelegare. Quia delegatus eam ſolam poteſtatem habet, quæ ei conceditur: at conceditur ei ſolum quoad ſuam perſonam poteſtas exercendi juriſdictionem, non item alteri committendi, niſi aliud exprimatur; nam hæ duæ facultates diverſæ ſunt & diſtinctæ.

*Reſp.* Ad abſolvendum, præter poteſtatem ſacerdotalem requiritur juriſdictio. Conſtat ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. *Quoniam igitur natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe ſynodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.* Ratio eſt, quia abſolutio eſt ſententia judiciaria, ad cujus valorem requiritur juriſdictio in eo, qui judicat, & ſubjectio in eo, qui judicatur.

Quæſt. II. *An aliquando Eccleſia ſupplet defectum juriſdictionis in Sacerdote?*

*Reſp.* Affirm. Modo hæc duo ſimul adſint. 1. Titulus coloratus, hoc eſt, titulus habens ſpeciem veri tituli, cum tamen reipſa nullus ſit: qualis eſt collatio beneficii parochialis, ſed invalida propter occultum aliquem defectum; v. gr. propter occultam ſimoniam. 2. Error communis, itaut communiter ac publice quis exiſtimetur verum habere titulum & juriſdictionem; ſi enim ex errore unius aut alterius tantum putaretur Sacerdos habere juriſdictionem, quam non habet, invalida eſſet abſolutio; quia tunc non eſt ſufficiens ratio, ob quam Eccleſia cenſeatur conferre juriſdictionem: cum hoc non ſit neceſſarium ob bonum commune, quod non exigit, ut Eccleſia proſpiciat quibuſvis caſibus privatæ ſingulorum ignorantiæ.

Eccleſia autem ſupplet illum occultum defectum, concedendo extraordinarie Sacerdoti juriſdictionem tranſeunter pro ſingulis actibus: eo quod bonum commune id exigat ad impedienda multa gravia damna ac ſcandala, quæ ex invaliditate actuum orirentur, argumento ex *l. Barbarius, ſ. de offic. prætor.* Talis tamen miniſter peccat graviter, quia uſurpat juriſdictionem, quam ſcit ſe antecedenter non habere, & hoc eſt ei graviter prohibitum.

Quæſt. III. *An præter poteſtatem ordinis & juriſdictionis requiritur approbatio in confeſſario tam regulari, quam ſæculari non habente beneficium, cui animarum cura ſit annexa?*

*Reſp.* Affirm. Nam ita ſtatuit Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15. *Quamvis presbyteri in ſua ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant; decernit tamen S. Synodus nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur; & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus.*

Circa quod decretum obſervanda ſunt ſequentia.

1. Approbatio eſt conſenſus & facultas Epiſcopi, ut confeſſarii munus exerceat, quem ad id idoneum judicat. Senſus autem decreti Conc. Trid. eſt, quod ſine illa approbatione nullus poſſit non ſolum licite, ſed etiam valide audire confeſſiones, ut expreſſe declaravit Sacra Congr. Cardinalium, & conſtat ex ſenſu ac praxi Eccleſiæ atque ex ſcopo Concilii, & ex iis ejus verbis: *Nullum poſſe confeſſiones audire, nec ad id idoneum reputari.* Nam tò *poſſe* ſimpliciter & abſolute ibi dictum, intelligitur tum valide tum licite: & qui non reputatur idoneus ſimpliciter ad adminiſtrandum Sacramentum, is ſane non poteſt illud valide adminiſtrare. Porro Eccleſia id potuit ſtatuere: quia cum juriſdictio ad valorem abſolutionis neceſſaria tribuatur ab Eccleſia, potuit illa hanc conditionem apponere, ut neceſſariam ad juriſdictionem accipiendam, & valide exercendam: ita ut ſine approbatione Sacerdos non curatus ſit incapax juriſdictionis recipiendæ vel exercendæ, adeoque abſolvendi valide. (1)

2. Hoc habet vim etiam in Gallia: nam hoc ſtatutum in Gallia receptum & promulgatum fuit, ut conſtat ex multis Conciliis particularibus, & ex Comitiis generalibus Cleri Gallicani an. 1625. 1635. 1645. Præterea hæc propoſitio: *Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Epiſcopis, ut ſæcularium confeſſiones audire poſſint, neque ex illius Concilii auctoritate privilegia Regularium reſtringi poſſunt, cum in Gallia receptum non ſit, præter quam in deciſionibus fidei:* ab Alexandro VII. anno 1659. damnata fuit ut falſa, temeraria, ſcandaloſa; in hæreſim & ſchiſma inducens, Conc. Trid. & Sedi Apoſtolicæ injurioſa. Idem declaravit Clemens X. Conſt. *Superna*.

3. Non ſufficit approbatio petita, & injuſte denegata: quia Conc. Trid. requirit, ut obtineatur: & injuſta recuſatio approbationis non eſt approbatio. Nec jam amplius valent privilegia in contrarium allegata, cum Conc. Trid. & Summi Pontifices derogaverint privilegiis quibuſcumque huic decreto contrariis: Hinc Alex. VII. damnavit hanc propoſitionem: *Satisfacit præcepto confeſſionis annuæ, qui confitetur regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato.* Et iſtam, *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

4. Decretum Concilii Tridentini reſtringitur ad confeſſiones ſæcularium, etiam ſacerdotum, non religioſorum. Quare ad audiendas confeſſiones religioſorum non requiritur Epiſcopi approbatio; ſed illi poſſunt confiteri iiſdem, quibus ante Concil. Trid. per ſua ſtatuta, vel jus commune poterant; cum Conc. circa illos nihil innovet. Nunc tamen ad audiendas confeſſiones Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, requiritur Epiſcopi diœceſani approbatio, ex Conſt. Greg. XV. *Inſcrutabili*, & Conſt. 7. Clementis X.



(1) *Nemo unquam quodcunque privilegium obtinens audire poteſt confeſſiones ſecularium abſque approbatione Ordinarii, idque valet etiam pro Confeſſionibus venialium, & mortalium, quæ alias clavibus ſubjecta ſunt. Id etiam comprehendit eos, qui privilegium Bullæ Cruciatæ obtinuerant, ut ex Bullæ Benedicti XIII.* Inſt. Eccleſ. 84. §. 2.



Porro Religioſi unius ordinis non poſſunt audire confeſſiones religioſorum alterius ordinis ſine facultate ſuperiorum ipſius pœnitentis; quia Papa conceſſione ſua generali juriſdictionis in omnes fideles non intendit derogare ſtatutis religionum, ex quibus varii religioſi non poſſunt confiteri, niſi confeſſariis a ſuis ſuperioribus deſignatis. Quare religioſi a domo ſua abſentes intelligant ex ſuperioribus ſuis, vel ex ſtatutis religionis ſuæ, vel ex recepta conſuetudine, quibuſnam confiteri poſſint. Quod ſi circa hoc nec ſuperior, nec religio aliquid ſtatuerint, cenſetur permittere, ut confiteantur cuilibet Sacerdoti approbato, ſi non habeant ſocium ſui ordinis Sacerdotem.

5. Requiritur approbatio Epiſcopi loci, in quo audiuntur confeſſiones, ita ut approbatus in una diœceſi, non poſſit in alia audire confeſſiones ſine approbatione Epiſcopi diœceſani. Conſtat ex Eccleſiæ praxi, quæ eſt optima legum interpres: ex numero plurali, quo utitur Conc. Trid. ut ſignificet in diverſis diœceſibus diverſas requiri Epiſcoporum approbationes; ex Clemente X. Conſt. *Superna*, & ex Alexandro VII. qui oppoſitum damnavit anno 1659. Enimvero approbatio eſt actus juriſdictionis: at actus auctoritatis, & juriſdictionis non excedit ſphæram auctoritatis, nec proinde limites diœceſis.

6. Hoc decretum non ſpectat habentes beneficium, annexam habens curam animarum: nam cenſentur approbari hoc ipſo, quod tale beneficium eis confertur; ſed parochus reſignato ſuo beneficio jam neminem valide abſolvere poteſt ſine approbatione, quia jam non habet parochiale beneficium.

Quæſt. IV. *An ſufficit juriſdictio, vel approbatio ſub ratihabitione futura, vel præſumpta, ſeu interpretativa, cum nempe judicatur concedenda, ſi peteretur?*

*Reſp.* Neg. Quia ex Conc. Trid. ad valorem abſolutionis requiritur juriſdictio & approbatio actu & abſolute exiſtens, & jam obtenta, ad quam requiritur conſenſus actualis ſigno externo declaratus. Et vero juriſdictio & approbatio requiruntur ad ſubſtantiam ac valorem abſolutionis: at nulla res exiſtit, niſi actu exiſtant omnia, quæ ad ejus ſubſtantiam pertinent. Neque hic valet iſta regula juris in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.* Nam hæc regula ſolum habet locum in actibus, quorum valor in futurum ſuſpendi poteſt: at valor abſolutionis præſentis ſuſpendi nequit: valor enim Sacramentorum pendere nequit ab actione de futuro.

Quæſt. V. *An ſufficit juriſdictio & approbatio probabilis tantum?*

*Reſp.* Non ſufficit ad licite abſolvendum, ſed requiritur certa. Quia extra caſum neceſſitatis non licet adminiſtrare Sacramentum cum opinione tantum probabili eorum, quæ ad ejus valorem requiruntur: alioqui Sacramentum periculo nullitatis ſine neceſſitate exponeretur, quod eſt grave ſacrilegium. Immo neque ſufficit ad valide abſolvendum, ſi juriſdictio, vel approbatio reipſa non exiſtat: nam tunc deeſt aliquid ad valorem abſolutionis requiſitum. Nec tunc Eccleſia ſupplet hunc defectum, ſed ſolum dum titulus eſt coloratus, & error communis.

Quæſt. VI. *An confeſſor regularis approbatus in una diœceſi, poteſt abſolvere in ea ſubditos alterius diœceſis, pro qua non eſt approbatus?*

*Reſp.* Poteſt, etiam a caſibus ibi reſervatis, ſed non reſervatis in diœceſi, in qua eſt approbatus, niſi eos noverit in fraudem reſervationis ad alienam diœceſim migraſſe. Ita declaravit Clemens X. Conſtit. *Superna*, his verbis: *Poſſe autem regularem confeſſorem in ea diœceſi, in qua eſt approbatus confluentes ex alia diœceſi a peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa, ubi idem confeſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſdem pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe.* Idem dicunt de Sacerdote ſæculari approbato ob tacitum Epiſcoporum conſenſum communi conſuetudine confirmatum.

Hinc mercatores, litigantes, milites, peregrinantes &c. poſſunt abſolvi a confeſſariis loci, ubi confitentur: nam hi jure communi, vel ex conſuetudine tacite a ſuperioribus approbata, ſunt veluti ſubditi Epiſcopi loci, in quo verſantur, quantum ad ſacramenta, excepto Ordine. Quod ſi caſus non ſit reſervatus in diœceſi pœnitentis, ſed ſolum in diœceſi confeſſarii, hic non poteſt illum abſolvere; nam per reſervationem ei ſublata eſt poteſtas abſolvendi a tali peccato. Præterea reus debet judicari ſecundum leges & conſuetudines loci, in quo judicatur. Idque totum conſtat etiam ex recepta conſuetudine.

Quæſt. VII. *An parochus poteſt ſubditos audire, & abſolvere in aliqua diœceſi, in qua non eſt approbatus?*

*Reſp.* Ex communi ſententia, poteſt etiam licite, modo id fiat abſque ſcandalo. Quia habet ordinariam in proprium ſubditum juriſdictionem ab approbatione non pendentem: juriſdictio autem in foro pœnitentiæ, cum ſit voluntaria, non contentioſa, nec requirat ſtrepitum fori, exerceri poteſt extra proprium territorium.

Quæſt. VIII. *An ſæcularis vel regularis approbatus generaliter in una diœceſi, poteſt valide abſolvere in alia diœceſi ſubditum diœceſis, in qua eſt approbatus?*

*Reſp.* Neg. Ita Clemens X. Conſt. *Superna*, ubi decernit: *Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſua diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia diœceſi eas abſque Epiſcopi diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, a quo ipſi religioſi jam fuerant approbati.* Nam juriſdictio delegata pendet in ſui exercitio ab approbatione Epiſcopi loci, in quo audiuntur confeſſiones.

Quæſt. IX. *An parochus extra parochiam ſuam poteſt valide abſolvere ſubditos alterius parochiæ, cum facultate proprii talium parochi?*

*Reſp.* Non poteſt ſine licentia Epiſcopi expreſſa, vel tacita. Nam parochus unius parœciæ non fit parochus ſubditorum alterius parœciæ per delegationem proprii illorum parochi; & parochorum juriſdictio pendet ab Epiſcopo, qui poteſt iis auferre poteſtatem delegandi eos, quos judicat minus aptos audiendis quorumlibet confeſſionibus. Licentia autem expreſſa eſt, cum ſcripto, vel verbis conceditur: tacita vero cum Epiſcopus non contradicit conſuetudini, quam ſcit vigere circa auditionem ejuſmodi confeſſionum.

Quæſt. X. *An generaliter approbatus ad audien-*

*das confeſſiones ſæcularium, cenſetur approbatus pro audiendis confeſſionibus Monialium, ſive Ordinario, ſive Regularibus ſubjectarum, ſi non fuerint nominatim exceptæ?*

*Reſp.* Neg. Nam ita fert uſus, & ita declaravit Clemens X. Conſt. *Superna*, his verbis: *Et generaliter approbatos ab Epiſcopo ad audiendas perſonarum ſæcularium confeſſiones, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione: atque approbatos pro audiendis confeſſionibus monialium unius monaſterii, minime audire poſſe confeſſiones monialium alterius monaſterii. Itidem confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad monialium confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe expleta deputatione in vim approbationis hujuſmodi illarum confeſſiones audire, ſed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit.*

Quæſt. XI. *An regulares egent approbatione Ordinarii ad audiendas confeſſiones ſuorum famulorum ſæcularium?*

*Reſp.* Clemens X. conſtit. cit. declaravit: *In monaſteriis ac etiam collegiis, ubi juxta inſtituta regularia vivitur, poſſe tam Prælatos regulares quam confeſſores regularium eorumdem monaſteriorum ſeu collegiorum, audire confeſſiones illorum ſæcularium, qui inibi ſunt de familia, & continui commenſales: non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt.*

Quæſt. XII. *An Epiſcopus poteſt valide limitare approbationem quoad tempus, locum & perſonas?*

*Reſp.* Affirm. Conſtat 1. Ex praxi quotidiana. 2. Alexander VII. ann. 1659. in cauſſa Andegavenſis Epiſcopi, & Regularium, ut falſam & erroneam damnavit hanc propoſitionem: *Non poſſunt Epiſcopi limitare ſeu reſtringere approbationes, quas regularibus concedunt ad confeſſiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.* 3. Quia habens approbationem ejus injuſte reſtrictam ad tempus, locum, vel perſonas, revera caret approbatione pro alio tempore, loco, & pro aliis perſonis; unde non poteſt valide abſolvere in tali loco, tempore, & tales perſones, pro quibus non eſt approbatus. At ſine approbatione actu exiſtente invalida eſt abſolutio.

Quando autem ad tempus limitatum data fuit approbatio, ceſſat ſtatim per ſe exacto termino: nam approbatio durare nequit ultra tempus præſcriptum ab eo, a cujus voluntate pendet. Hinc nova opus eſt.

*Notæ.* Clerus Gallicanus ann. 1700. damnavit hanc propoſitionem. *In miniſtro pœnitentiæ requiritur etiam approbatio Ordinarii, quæ poteſt limitari, ſed non revocari ſine cauſſa.* (1)

Quæſt. XIII. *An Sacerdos non approbatus poteſt abſolvere a venialibus?*

*Reſp.* Non poteſt ſaltem licite, ex decreto Innocentii XI. edito ann. 1679. *Non permittant* (Epiſcopi) *ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti*

non

(1) *Apud Bened. XIV.* (Inſtit. Eccl. 86.) *multa occurrunt ſpectantia ad facultatem excipiendarum Confeſſionum, relate ad Sacerdotes tum Sæculares, tum Regulares. Idem Sum. Pontif.* (l. 13. de Syn. c. 9. nu. 22.) *poſtquam juxta doctrinam memoratæ Inſt. Eccl. vindicavit Epiſcopis facultatem* ſubjiciendi iterato examini Sacerdotes ſive Regulares, quibus facultas excipiendi Sacramentales Fidelium confeſſiones ad certum determinatum tempus data fuit: *mox hanc exceptionem pro Regularibus apponit.* Excipiendus eſt tamen caſus, quo poteſtas audiendi ſæcularium confeſſiones aliquibus Regularibus prævio examine per eoſdem Epiſcopos conceſſa fuerit ſine ulla temporis limitatione. Tunc enim illis ſic approbatis conceſſam poteſtatem adimere, aut ſuſpendere nequeunt, niſi forte contraria aliqua ſupervenerit cauſſa, & quidem ad ipſas Sacramentales Confeſſiones pertinens, juxta Innoc. X. Conſtitutionem, quæ incipit, *Cum ſicut accepimus*: de qua Nos ipſi mentionem fecimus in noſtra Conſtitutione ſuper Anglicanis Miſſionibus edita, cujus initium eſt, *Apoſtolicum Miniſterium*, data die 30. Maji 1753. *Porro Epiſcopi, quamvis interveniente gravi, legitimaque cauſſa ſuſpendere, aut revocare poſſint ſemel conceſſam Regularibus facultatem audiendi confeſſiones Sæcularium, maxime tamen contrairent Eccleſiaſticis Sanctionibus, ſi inconſulta Sac. Congreg. Romana eam facultatem adimere tentarent omnibus & ſingulis Confeſſariis Regularibus unius Monaſterii ſeu Conventus. Ita paſſim cordati omnes Auctores, præſertimque Generalis olim Vicarius Patavinæ Eccleſiæ Joan. Clericatus* (de Pœnit. *deciſ.* 39. n. 21.) *ac Bononienſis Eccleſiæ Pœnitentiarius Franc. Rotarius, qui* (*Tom.* 3. Theol. Mor. Regul. *lib.* 1. de Pœnit. *c.* 1. *punct.* 8. *num.* 5.) *propoſito hoc dubio:* An Epiſcopus poſſit ſimul ſuſpendere omnes Confeſſarios Regulares ejuſdem Monaſterii aut Conventus? *reſpondet negative, additque:* Satius clare fuiſſe deciſum a Sac. Cong. an. 1615. die 20. Nov. cujus Decretum refertur a Giribaldo. Quod etiam habetur in Conſtitutione Clem. X. *Superna.* Ex quibus juribus patet, non poſſe Epiſcopum ſimul omnes Confeſſarios Regulares ejuſdem Monaſterii ſuſpendere, inconſulta Sac. Congregatione. *Verba Conſtitutionis Apoſtolicæ Clem. X. apud Clericatum* (*loc. cit. n.* 31.) *legi poſſunt. Cur autem id Epiſcopo non liceat, rationem dat idem Rotarius.* Nam videtur in hoc caſu, quod dubitari poſſit de injuſtitia; & ideo judicium ſibi reſervat Sancta Sedes, abſque cujus judicio non licet Epiſcopo ad hanc univerſalem revocationem devenire.

*Proſp. Fagnanus* (*N.* 62. *Com. in c.* 12. Sane, *tit.* 29. *de Offic. & Poteſt. Judicis deleg. l.* 1. *Decr.*) *unicum indigitat caſum, in quo Epiſcopus id præſtare valet, ſcilicet ubi ob nimiam locorum diſtantiam commode conſuli nequit Apoſtolica Sedes. En ipſius verba.* Pro parte Religioſorum Societatis Jeſu propoſitum fuit dubium Sac. Congregationi. An Epiſcopi in partibus Indiarum poſſint ex integro totum unum Monaſterium, vel Collegium ab audiendis Confeſſionibus ſuſpendere? *Reſp.* Epiſcopos Indiarum poſſe quidem omnibus ſimul unius Monaſterii, vel Collegii Confeſſariis adimere facultatem audiendi Confeſſiones perſonarum ſæcularium, etiam inconſulta Sac. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium negotiis præpoſita, cum Decretum ab ea editum

tum



*non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Si confeſſarii etiam regulares, aut quicumque alii ſecus egerint, ſciant, Deo Opt. Max. rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum & Ordinariorum juſtam & rigoroſam animadverſionem in contra facientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu.* Immo neque etiam valide poſſe videtur, quia Sacerdos vi ordinationis non habet juriſdictionem, neque ſubditos etiam ſolorum venialium reos. Nemo autem poteſt abſolvere a peccatis ſine juriſdictione ordinaria, vel delegata, ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. cum abſolutio ſit actus judicialis, qui non poteſt exerceri, niſi in ſubditos; & juriſdictio delegata valide exerceri nequit ſine approbatione.

✠ *Nota.* In fine hujus articuli indicandæ eſſent duæ Conſtit. quarum altera, quæ tom. 1. Bullarii eſt ordine 10. edita fuit kalendis Junii 1741. altera vero, quæ in eodem vol. eſt 120. data fuit 6. Idus Februar. 1745. quibus Confeſſarii abſolvere prohibentur ſocios proprii criminis in iis, quæ ſunt contra ſextum Decalogi præceptum. At quod hujuſmodi quæſtio in Auctore deſideretur, & luculenter tractata ſit in c. 14. lib. VII. de Synodo Diœceſana, integram tranſcripſimus, atque huic articulo adjecimus.

1. *Ut jam, poſt diſpoſitionem requiſitam in pœnitente, aliquid de Confeſſarii juriſdictione, quod ad propoſitum pertineat, dicamus, unum animadverſione dignum cenſemus. Quamvis Sacramentum Pœnitentiæ ſit a Chriſto Domino inſtitutum per modum judicii, & nemo eſſe queat Judex in cauſſa propria, nihilominus communiter exiſtimant Theologi, duce D. Th. ſola ſpectata natura Sacramenti, poſſe Confeſſarium ſui criminis ſocium, a ſecum perpetrato peccato, cujuſcumque ſpeciei illud ſit, in foro Sacramentali abſolvere: Siquidem tunc, non de propria, ſed aliena culpa judicium profert; neque, ſecluſa legum prohibitione, repugnat, ut quis Judicis perſonam aſſumens, de commiſſo ab altero delicto ſententiam dicat, licet ejuſdem delicti ipſe, tanquam privatus, particeps fuerit. Ita D. Thom.* in ſupplem. par. 3. q. 20. art. 2. ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod in tali caſu nec Sacerdos debet audire confeſſionem mulieris, cum qua peccavit, de illo peccato, ſed debet ad alium mittere; nec illa debet ei confiteri, ſed debet petere licentiam ad alium eundi, vel ad Superiorem recurrere, ſi ille licentiam denegaret, tum propter periculum, tum quia eſt minor verecundia; ſi tamen abſolveret, abſoluta eſſet. Quod enim Auguſtinus dicit, quod non debet eſſe in eodem crimine, intelligendum eſt, ſecundum congruitatem; non ſecundum neceſſitatem Sacramenti. *An vero non ſolum valide, ſed etiam licite id fiat; non conſentiunt Auctores. Aliquam certe labem in ea confeſſione D. Thom. agnoviſſe, ex citatis ejuſdem verbis palam eſt: & S. Petrum Damiani* Opuſc. VII. c. 7. *adeo vehementer in eamdem confeſſionem invehitur, ut certe videatur, illam non ſolum illicitam reputare, ſed tamquam irritam rejicere: ait enim:* „ Legis præceptum eſt, ut cum quis lepra perfunditur, Sacerdotibus oſtendatur; tunc autem non Sacerdotibus, ſed leproſo potius oſtenditur, cum immundus immundo peractam communem nequitiam confitetur. Sed cum confeſſio utique manifeſtatio ſit, quid, obſecro, manifeſtat, qui audienti cognitum narrat? Aut quo pacto confeſſio illa dicenda eſt, cui nihil a confitente manifeſtatur, niſi quod jampridem ab audiente cognoſcitur? Et qui ſociali vinculo peractæ iniquitatis aſtringitur, qua lege, quo jure, alterum poterit ligare, vel ſolvere? Fruſtra enim alium quis ſolvere nititur, qui & ipſe vinculis irretitur". *His ex Theologis Moralibus aſſentitur Stephanus Fagundez* in ſecundum præceptum Eccleſiæ l. 4. c. 4. nu. 3. 14. *ubi gravis culpæ reum facit Sacerdotem excipientem confeſſionem ſuæ concubinæ. At ex adverſo Sylveſter* in Sum. p. 1. V. Confeſſio 1. n. 17. *Joannes Sanchez* tom. 16. in opere, cui titulus *Heteroclita ſpiritualia*, pag. 118. *La Croix* tom. 2. pag. 277. *aliique affirmant: confeſſionem factam Complici, tam ex parte pœnitentis, quam ex parte Confeſſarii, culpa vacare, modo uterque a perpetrato crimine abhorreat, & longe abſit periculum novi conſenſus in illud.*

2. *Et tamen in multis Synodis decretum eſt, nedum illicitam, ſed inanem pariter, nullam, atque irritam fore abſolutionem datam a Sacerdote ſocio ſui criminis, adverſus ſextum Decalogi præceptum: ita quippe ſtatutum legimus in Synodo Leodienſi* ann. 1622. pag. 74. *in Veliterna ſub Cardinali Cibo* ann. 1698. pag. 35. *In Synodo Fulginatenſi, ſub Epiſcopo Baptiſtello* ann. 1722. pag. 76. *in Bononienſi ſub Cardinali Jacobo Boncompagno* lib. 2. cap. 6. *in Anconitana ſub Cardinali Maſſejo* ann. 1735.

pag.

tum ſub die 22. Nov. 1615. ex intentionis defectu, & convenientia morali non extendatur ad regiones illas tam longe ab Urbe diſſitas. Verum ab hac generali ſuſpenſione, quæ vix ſine ſcandalo, & animarum pernicie contingere poteſt, abſtinendum eſſe Epiſcopis, niſi graviſſima ſubſiſtente cauſa: ſuper quo Sac. Congreg. illorum conſcientias graviter voluit eſſe oneratas.

*Sed quidnam agendum Regularibus, ſi de facto Epiſcopus non in Indiis, ſed in Europa ſimul ſuſpendat omnes Confeſſarios ejuſdem Monaſterii, nullam habens rationem Sac. Congregationi? Poteruntne illi confeſſiones audire, non obſtante hujuſmodi ſuſpenſione?* Reſp. *Caſum fingit, uti videtur, plane metaphyſicum. Nihilominus, ſi contingeret, reponunt Peyrinus, Lezana, aliique citati a Donato, poſſe; quia Epiſcopus in ſua illa ſuſpenſione exceſſit limites ſuæ auctoritatis, adeoque ejus ſuſpenſio habenda eſt tamquam invalida. At quoniam, ſi Regulares neglecta Epiſcopi ſuſpenſione audirent Confeſſiones accedentium, ſcandala fierent majora, & majora orirentur animarum pericula, idcirco laudatus Rotarius* (*N.* 9.) *arbitratur* ſanius conſilium in hoc caſu obedire, & recurrere ad Sac. Congreg. quæ inſpecta etiam recurrentium modeſtia & prudentia ad amputanda ſcandala, erit magis favorabilis. *Et allegat Donatum, ac Paſſerinum*, qui ambo cum fuerint in Romana Curia Procuratores Generales Ord. S. Dominici, optime nedum de juribus, ſed etiam de praxi Romanæ Curiæ notitiam habuerunt.

pag. 12. atque in Synodo Lucana, quam refert Roncaglia in ſua morali Theologia tom. 2. tract. 19. cap. 3. *Numquid igitur prædicti Epiſcopi peccarunt contra regulam, quam hucuſque inculcavimus, & elucidavimus, nihil in Synodo decernendi de rebus dubiis, atque inter Theologos controverſis, materiam præcipue Sacramentorum reſpicientibus?*

3. *Nihil illos peccaſſe ex eorumdem ſtatutis deprehendimus: illi ſiquidem non deciderunt quæſtionem, an Confeſſarius, generali ceteroquin juriſdictione inſtructus, valide & licite pœnitentem abſolvat a crimine ſecum perpetrato: ſed eumdem privarunt juriſdictione ſeu facultate abſolvendi ſui ſocium, ſeu complicem in peccato impudicitiæ. Quam vero ſapienter & ſancte id præſtiterint, ex iis facile eſt judicare, quæ Doctores de hac re agentes mature ponderarunt. Atque ut ea prætermittamus, quæ a S. Petro Damiani, & D. Thoma nuper audivimus, Baſilius Pontius* de matrim. lib. VII. c. 37. n. 3. *Illata mentione confeſſionis, de qua agimus, gravia mala deſcribit, atque exaggerat, quæ ex ea proveniunt, præcipue cum Confeſſarius in Sacramentali foro feminam audit, cum qua non ſemel tantum, & diu antea peccavit, ſed in turpi contubernio perſeverat. Verjuys* tom. 9. art. 5. *affirmat, longa experientia compertum, ejuſmodi confeſſiones plerumque ſacrilegas eſſe, noviſque peccatis fœdatas. Theophilus Raynaudus, quamvis* cit. loc. *eamdem confeſſionem in ſe licitam dixerit, periculoſam tamen fatetur: & Natalis Alexander* Theol. Dogm. & moral. tom. 4. c. 5. art. 9. reg. 67. *hac ad rem notavit.* „ Vix contingit, ut peccatores, qui apud ipſos hujuſmodi crimen deponunt, ſinceram illius pœnitentiam agant; Vix contingit, ut criminoſi illi Sacerdotes ſalutaria dent conſilia, & convenientem ſatisfactionis modum præſcribant; & ſi peccata ſint impudicitiæ, periculum eſt, ne nova cum pœnitenti, tum Sacerdoti in ipſa confeſſione, peccati nalcatur occaſio. „ *Quare S. Carolus Borromeus, ne ſordidis hiſce maculis illud fœdaretur Sacramentum, quo Chriſti ſanguine perfundimur, ut a peccatorum lepra mundemur, in ſua Synodo Diœceſana XI.* (Act. Eccleſ. Mediol. par. 2. pag. 409.) *Confeſſariis generatim, atque univerſim facultatem interdixit, ſui cujuſcumque criminis ſocium, ſeu quoquomodo participem, abſolvendi.* „ Confeſſario (*inquit*) qui cujuſcumque criminis etiam minimi ſocius, particeps ullo modo fuit, munere interdictum ſit confeſſionis eorum audiendæ, quos illius ſocios habuerit „. Nec vero abſolutio, ſi quam impertierit, ullius roboris ſit, ſed irrita plane, ac reſciſſa, nullaque omnino, tamquam ab eo impertita, qui juriſdictionis & facultatis expers eſt. Et vero ſi quis Confeſſarius culpæ ſocius, particepſve aliquid contra auſus fuerit, excommunicationis ſententiam ſtatim ſubeat, cujus vinculo irretitus ab alio Sacerdote, niſi a Nobis, abſolvi non poſſit.

4. *Quamquam autem hæc ſanctiſſimi Præſulis ſtatuta, etiam generatim, uti ſonant, ſint ſummopere commendanda, & quilibet Antiſtitum ſancte queat eorumdem veſtigiis inſiſtere, negari tamen haud poteſt, majorem quamdam, & graviorem inhoneſtatem in eo adeſſe, ut Sacerdos illius perſonæ confeſſionem excipiat, cum qua impudicitiæ ſcelus admiſit, ac proinde ſtatim ac Nos ad Petri Cathedram evecti totius Dominici gregis curam ſuſcepimus, univerſali lege ediximus, ne ullus Confeſſarius,* „ extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, confeſſionem ſacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto, contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo, excipere audeat, ſublata propterea illi, ipſo jure, quacumque auctoritate, & juriſdictione ad qualemcumque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendum, *ut legi poteſt in noſtris Apoſtolicis litteris datis Kalendis Junii 1741. quæ extant in noſtrarum Conſtitutionum* volum. 1. Conſt. 20. *Ut porro conſcientiarum tranquillitati conſuleremus, aliis ſimilibus litteris datis die 8. Februar. 1741. quæ habentur* in eodem volum. Conſt. 120. *declaravimus, ad rem, de qua agimus perinde eſſe, nullum adeſſe Sacerdotem, præter illum, cum quo pœnitens inhoneſte peccavit, aut eum tantum adeſſe, quem idem pœnitens, conſtitutus in mortis articulo, eligere nequit, ſine periculo ſe ipſum infamandi, aliiſque malam ſui ſuſpicionem ingerendi; atque ideo, in eo rerum ſtatu, non prohiberi diximus, Sacerdotem ſuæ impudicitiæ complicem abſolvere; eumdem tamen ſimul monuimus, ne prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi confingat, quæ revera abſint, quinimmo voluimus, ut ea, cum poteſt, anteverterat, & removeat: ſecus enim pœnas non effugiet, in noſtra prima Conſtitutione inobedientibus inflictas.*

*Quænam vero ſint hujuſmodi pœnæ, vide Conſt. incipit,* Sacramentum Pœnitentiæ, *ad calcem hujus Tractatus appoſitam.*

## ARTICULUS II.

### *De caſibus reſervatis.*

CAſuum ſeu peccatorum (Vid. H. 125.) reſervatio, eſt ſubtractio poteſtatis abſolvendi a certis peccatis, ſalva poteſtate abſolvendi ab aliis. Ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. & can. 11. conſtat a Papa pro tota Eccleſia, & ab Epiſcopis pro ſua diœceſi reſervari poſſe peccata, a quibus alii non poſſint valide abſolvere ſine poteſtate ab illis delegata. Ratio eſt, quia ad valide abſolvendum requiritur juriſdictio, quæ cum ſit penes diſpoſitionem Eccleſiæ, poteſt ab ea reſtringi, negari, & ſubtrahi.

Quæſt. I. *Quænam requiruntur, ut peccatum cenſeatur reſervatum?*

*Reſp.* Ex praxi Eccleſiæ tria requiruntur. 1. Ut ſit mortale; nam venialia non reſervantur, cum non ſint materia confeſſionis. 2. Ut ſit externum: nam licet peccata mere interna poſſint abſolute reſervari, cum ad ea remittenda requiratur juriſdictio, quæ poteſt a Prælatis Eccleſiæ reſtringi & denegari, tamen reipſa ſola externa communiter reſervantur: quia hæc reſervatio ordinarie ſufficit ad bonum regimen animarum. Ut autem peccatum externum cenſeatur reſervatum, non ſufficit quod habeat mortalem malitiam ex actu interno; ſed inſuper requiritur, ut ipſa actio externa habeat malitiæ gravitatem. Nam reſervatio præcipue cadit in actum externum malum, ac proinde requirit actum externum mortaliter malum



lum ex objecto. Et ſicut ſola voluntas interna non reſervatur, ita nec quando non procedit in actum externum habentem ex ſe gravem malitiam. Hinc ſi furtum in loco ſacro eſſet reſervatum, & aliquis aliquid leve haud ſufficiens ad mortale ſurripuiſſet, ex voluntate aliquid notabile ſurripiendi, ſi occurriſſet, tale furtum etſi mortale, reſervatum non eſſet. 3. Ut peccatum ſit conſummatum, niſi aliud in ſtatuto exprimatur. Quia reſervatio, cum ſit quid odioſum ſeu oneroſum, eſt ſtrictæ interpretationis. Hinc reſervata fornicatione, vel homicidio, non reſervatur voluntas interna fornicandi, etiam adhibito externo conatu, niſi fuerit copula carnalis; nec percuſſio gravis ex animo occidendi, niſi ſequatur mors. Dixi, *niſi aliud exprimatur*. Nam aliquando reſervantur etiam actus non conſummati: ſic ſola provocatio ad duellum, & ejuſdem acceptatio expreſſe reſervantur, etiamſi non ſequatur conflictus.

Sunt qui docent, peccata impuberum non eſſe reſervata, niſi exprimantur: quia in ipſis non reperitur neceſſitas Epiſcopalis correctionis. Hoc tamen pendet ab Epiſcoporum arbitrio: quare eorum intentio ab ipſis exquirenda eſt: nam cum impuberes poſſint eſſe ſubjecti cenſuris, quidni & reſervationi? Porro contrahitur reſervatio etiam invincibiliter ignorata: nam non eſt proprie pœna, nec contumaciam requirit, ut cenſura.

Quæſt. II. *An peccata dubia cenſentur reſervata?*

*Reſp.* Negant plurimi, in dubio facti. Quia reſervatio cum ſit odioſa, debet reſtringi ad caſus certos, non extendi ad dubios. Idcoque reſervata ebrietate, intelligi debet ebrietas certa, quæ ſola eſt ebrietas ſimpliciter & abſolute. Hinc qui admiſit peccatum ex ſuo genere reſervatum, ſed dubitat, an cum advertentia vel conſenſu ſufficienti ad mortale, non incurrit in reſervationem.

At in dubio juris, cum nempe dubitatur, an peccatum mortale pœnitentis ſit reſervatum, confeſſarius non poteſt ab eo abſolvere, niſi ſuperior expreſſerit, ſe nolle in tali dubio reſervare. Nam hoc ipſo quod conſtat, peccatum eſſe materiam reſervationis, ſed dubitatur an ſuperior illud reſervavit, tunc dubium eſt de poteſtate ab eo abſolvendi: non licet autem abſolvere cum poteſtate dubia. Adde quod Clemens VIII. prohibuerit omnibus confeſſariis etiam privilegiatis in Italia degentibus, *ne quis eorum ſub prætextu privilegiorum, ab ullo ex caſibus clare vel dubie & quomodocumque Sedi Apoſtolicæ reſervatis vel reſervandis abſolvat.*

Quæſt. III. *Quinam abſolvere poſſunt a reſervatis?*

*Reſp.* 1. Ipſe reſervans, vel ejus ſucceſſor, aut ſuperior in hoc foro erga eoſdem ſubditos, & quivis alius, qui ab illis hanc facultatem obtinuit. Nam reſervans reſervando retinuit pro ſe juriſdictionem, & ſucceſſor habet eamdem cum illo poteſtatem: ſuperior vero poteſt id omne, quod poteſt inferior.

*Reſp.* 2. Ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 6. Epiſcopi poſſunt ſuos ſubditos in foro conſcientiæ abſolvere ab omnibus peccatis Papæ reſervatis occultis, nec ad forum contentioſum deductis. Poſſunt etiam ab aliis, quando ſubditi propter legitimum impedimentum non poſſunt Papam adire, ex c. 6. *de ſent. excomm.* ne videlicet ex dilatione abſolutionis periculum immineat animarum.

*Reſp.* 3. Quilibet Sacerdos etiam non approbatus, & excommunicatus, ſaltem toleratus, poteſt quoslibet in articulo mortis abſolvere a quibuſvis peccatis & cenſuris, in defectum Sacerdotis approbati. Conſtat ex praxi Eccleſiæ, & ex Rituali Romano, quod ſic habet. *Si periculum mortis immineat, approbatuſque deſit confeſſarius, quilibet Sacerdos poteſt a quibuſcumque cenſuris & peccatis abſolvere.* Nam tunc Eccleſia hanc poteſtatem omnibus ſacerdotibus, etiam excommunicatis, ſaltem toleratis, cenſetur concedere, & revera concedit, ne pereant animæ defectu abſolutionis validæ, tunc præſertim adeo neceſſariæ.

Dixi *in defectum &c.* Nam ſi facile haberi poſſit Sacerdos approbatus, alter non poterit abſolvere, ut docet S. Carolus in Inſtruct. confeſſ. quia hæc poteſtas conceſſa eſt ob neceſſitatem moribundi; nec eſt periculum, dum facile abſolvi poteſt a Sacerdote approbato, & habente juriſdictionem expeditam. Quare Rituale Romanum præter periculum mortis ad hoc requirit defectum Sacerdotis approbati.

Porro omnes Sacerdotes approbati tunc æque poſſunt de omnibus mortalibus abſolvere, & ſic per ſe loquendo quoad valorem abſolutionis nullus eſt inter illos ordo ſervandus, quia in articulo mortis nulla eſt reſervatio, ut docet Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. his verbis: *Pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt.*

Circa hoc obſervanda ſunt ſequentia:

1. Multi docent, poſſe tunc moribundum abſolvi a Sacerdote excommunicato non tolerato, & hæretico, in defectum alterius; quia Conc. Trident. dicit, *omnes Sacerdotes poſſe*. Sed hoc negant alii cum Fagnano, qui in cap. *Non eſt vobis*, de ſponſal. teſtatur Sacram Congregationem Cardinalium Concil. Trident. interpretum, inter quos caput fuit Cardinal. Moronus, qui paullo ante fuerat legatus Apoſtolicus in Concilio, cujus proinde mentem probe norat, declaraſſe verba Concilii reſtringi ad Sacerdotes in unitate Eccleſiæ viventes, & habiles ac capaces juriſdictionis exercendæ, quales non ſunt excommunicati non tolerati, & hæretici ac ſchiſmatici notorii. Et vero, inquit, in Eccleſia Dei non fuit ſemper cuſtoditum, ut præciſi ab unitate Eccleſiæ poſſint abſolvere in caſu neceſſitatis; cum immo potius certum ſit, ex communi ſententia eorum, qui ante Concilium ſcripſerunt, non potuiſſe. Toletus docet, hæreticos & ſchiſmaticos, ſuple notorios, id non poſſe ſecundum communem ſententiam, quia Eccleſia noluit eis dare juriſdictionem ob periculum perverſionis fidelium, ſed putat alios poſſe.

2. Articulum mortis hic intelligitur grave ac morale mortis periculum. Nam iſta ex uſu Eccleſiæ in hac materia pro eodem uſurpantur, ut conſtat ex Rit. Rom. Quia pia mater Eccleſia non cenſetur velle quemquam exponi periculo probabili damnationis. Et in articulo ſtricto mortis, quando jam vita deſperata eſt, ſæpe, immo fere ſemper fieri nequit confeſſio.

3. Abſolutus a peccatis reſervatis non tenetur poſtea,

ſtea, ſi convaluerit, adire ſuperiorem, vel ejus delegatum. Quia, cum in illo articulo nulla ſit reſervatio, quivis Sacerdos habet tunc poteſtatem a quibuslibet peccatis etiam alioqui reſervatis abſolvendi directe, & ſine onere illa confitendi ſuperiori. Secus de cenſuris.

Quæſt. IV. *An Regulares privilegiati habentes poteſtatem abſolvendi a caſibus Papæ reſervatis, poſſunt ideo abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis, ſine facultate Epiſcopi?*

*Reſp.* Neg. Ita expreſſe declaravit Clemens X. Conſt. *Superna*. Et Alex. VII. oppoſitum damnavit.

Quæſt. V. *An Sacerdos approbatus carens poteſtate abſolvendi a reſervatis, poteſt aliquando directe abſolvere a non reſervatis, & indirecte a reſervatis?*

*Reſp.* Circa hoc duplex eſt ſententia. Prima, quæ eſt communis, docet id poſſe in duobus caſibus. 1. Si pœnitens inculpate oblitus eſt aliquod reſervatum, vel ſi bona fide illud confiteatur Sacerdoti non advertenti eſſe reſervatum. Quia alioqui, ſi illud in perpetuum obliviſceretur, vel ſemper uteretur eodem confeſſario, nunquam accepturus eſſet abſolutionem extra articulum mortis; & ſic poſſet perire occaſione reſervationis, cum multi moriantur ſine abſolutione accepta in articulo mortis. Unde merito cenſetur Eccleſia tunc dare poteſtatem abſolvendi directe a non reſervatis, & indirecte a reſervatis, cum onere poſtea reſervata confitendi Sacerdoti habenti poteſtatem in illa. Quam ſententiam S. Carolus tenendam proponit in ſua diœceſi, in qua proinde dat hanc poteſtatem. Volunt autem, Epiſcopos cenſeri eamdem poteſtatem concedere hoc ipſo quod non contradicunt ſententiæ communi id aſſerenti, quam ignorare nequeunt. 2. Si Sacerdos habens reſervata nequeat omittere celebrationem Sacri ſine gravi ſcandalo, nec adſit Confeſſor habens poteſtatem in reſervata. Quia cum quilibet ſibi peccati mortalis conſcius teneatur confeſſionem præmittere Communioni, credibile non eſt, Eccleſiam ſic inſtituiſſe reſervationem, ut tunc a peccatis abſolvi nequeat, directe quidem a non reſervatis, & indirecte a reſervatis, malleque eum cum incerta contritione non confeſſum celebrare, quam confeſſionem Communi præmittere. Tunc autem docent, neceſſariam eſſe confeſſionem peccatorum omnium etiam reſervatorum, quia ſcilicet ſine illa ſtatus pœnitentis nequit ſufficienter innoteſcere confeſſario, ut ſatisfactionem debitam imponat, & opportuna remedia ſuggerat. Item remanere obligationem peccata reſervata iterum confitendi alteri confeſſario habenti poteſtatem in illa.

Secunda ſententia negat, in ullo caſu extra mortis periculum poſſe. Quia peccata non reſervata remitti nequeunt ſine reſervato: nam unum mortale ſine alio remitti non poteſt. At in nullo caſu extra mortis articulum peccatum reſervatum poteſt per confeſſarium carentem poteſtate in reſervata remitti etiam indirecte. Quia 1. Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. ait, Sacerdotes extra articulum mortis nihil poſſe in caſibus reſervatis. 2. Si Confeſſor carens poteſtate in reſervata poſſet in aliquo caſu extra articulum mortis indirecte ab illis abſolvere, poteſt a fortiori in articulo mortis, & ita abſque ratione Concil. Tridentinum declarat, nullam eſſe reſervationem in articulo mortis, ne quis occaſione illius pereat: manente enim reſervatione etiam pro articulo mortis, poterit adhuc pœnitens abſolvi ab omnibus peccatis a quovis Sacerdote, directe quidem a non reſervatis, & indirecte a reſervatis; atque ita reſervatio nulli poterit eſſe occaſio pereundi. Unde ulterius ſatis erit reſervationem manere, quam tolli pro articulo mortis; ſic enim melius proſpicitur vigori diſciplinæ ſine periculo ſalutis animarum. 3. Cum adeſt peccatum reſervatum, tota cauſſa ad ſuperiorem judicem devolvitur: ergo nihil in ea poteſt inferior.

Jam vero fatentur, pœnitentem, qui reſervatum aliquod peccatum in perpetuum oblitus eſt, nunquam accepturum abſolutionem peccatorum a Sacerdote carente poteſtate in reſervata, poſſe tamen in articulo mortis a quocumque abſolvi; quia tunc ceſſat omnis reſervatio. Non ideo tamen timendum eſſe de ejus ſalute, quia ſi bona fide faciat quod in ſe eſt cum auxilio gratiæ, benignitas divina ei proſpiciet, aut procurando ei confeſſarium habentem poteſtatem in reſervata, aut ei impertiendo gratiam contritionis, & caritatis perfectæ. Dicunt autem, Sacerdotem, qui in neceſſitate celebrandi nequit confiteri, niſi carenti poteſtate circa reſervata, cenſeri non habere copiam Confeſſoris; ideoque teneri tunc elicere ſolum contritionem perfectam; & poſtea confiteri habenti poteſtatem abſolvendi a reſervatis.

Porro conſentiunt omnes, inferiorem non poſſe licite, ſine neceſſitate cogente, abſolvere a non reſervatis, remittendo pœnitentem ad ſuperiorem pro reſervatis. Quia integritas eſt de jure divino, & non debet prætermitti ſine cogente neceſſitate.

Quæſt. VI. *An ſi quis confeſſus habenti poteſtatem circa reſervata, omiſerit ex oblivione inculpabili peccatum aliquod reſervatum, hoc ipſo ſublata ſit reſervatio peccati illius, ita ut poſſit poſtea directe ab eo abſolvi per quemvis confeſſarium approbatum?*

*Reſp.* Cum non ſit certum, tunc reſervationem tolli, in praxi debet pœnitens peccatum reſervatum oblivione omiſſum confiteri habenti poteſtatem in reſervata, ut ab eo directe, ſeu ſecundum ſe abſolvatur. Idque videtur exigere finis reſervationis, qui eſt, ut conveniens medicina, & ſatisfactio a ſuperiore vel ejus delegato pro tali peccato imponatur. Excipe ſi tempore Jubilæi omnia præſtitiſſet, quæ illud adconſequendum præſcribuntur: nam tunc Papa Jubilæi gratia tollit omnem reſervationem reſpectu illorum, qui volunt illud lucrari, & vere contriti ac valide confeſſi ſunt.

Quæſt. VII. *An ſi quis reſervata cum aliis integre confeſſus habenti poteſtatem in illa, ab eo abſolvatur, licet invalide quoad remiſſionem peccatorum ob ſuam indiſpoſitionem, tamen liberatur a reſervatione, ita ut abſolvi poſſit a quovis approbato?*

*Reſp.* Nego, etiamſi confiteatur ſuperiori ordinario. Quia ſuperior intra Sacramentum non intendit abſolvere a reſervatis, niſi per abſolutionem Sacramentalem, quæ cum ſit nulla, nihil efficit. Quod ſi confiteatur habenti poteſtatem tantum delegatam, adhuc certius eſt, tunc non tolli reſervationem. Quia delegatus non poteſt reſervationem tollere, niſi intra Sacramentum, ac proinde per ſolam abſolutionem Sacramentalem validam; non enim poteſt illam tollere





dando pœnitenti facultatem confitendi reſervata Sacerdoti carenti poteſtate circa illa, quia hoc faciendo ſubdelegaret, at delegatus nequit ſubdelegare.

Quæſt. VIII. *An ſuperior poteſt audire ſola reſervata, & abſolvere ab illis pœnitentem, eum remittendo ad alium, ut abſolvatur a non reſervatis?*

*Reſp.* Neg. Quia confeſſio omnium mortalium, quæ pœnitens poteſt hic & nunc confiteri, eſt præcepta jure divino ad abſolutionem, & a Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. Ergo non eſt in poteſtate ſuperioris, ut dimidietur. Quod ſi ei non vacat omnia audire, poteſt auditis ſolis reſervatis remittere pœnitentem ad inferiorem de omnibus ab eo abſolvendum, & taxare, ſi velit, pro iis pœnitentiam, & præſcribere remedia adhibenda. Quo caſu non abſolvit proprie, ſed tollit reſervationem. Valeret tamen talis abſolutio a ſolis reſervatis, ſi pœnitens ſit recte diſpoſitus & in bona fide, quia tunc adſunt materia & forma Sacramenti, & aliunde defectus integritatis confeſſionis non eſt culpabilis ex parte pœnitentis, ut ſuppono. Ergo tunc nihil deeſt ad veritatem, & effectum Sacramenti.

⊕ Recenſentur caſus Romano Pontifici reſervati, quorum index in Auctore deſideratur.

*Sex caſus extra Urbem, & intra Italiam Summo Pontifici reſervati.*

1. Violatio immunitatis Eccleſiaſticæ circa confugientes ad Eccleſias.
2. Violatio clauſuræ Monialium ad malum finem.
3. Injectio manus violentæ in Clericum. Intellige dummodo percuſſio non ſit levis duntaxat, aut mediocris; hæc enim reſervatur ſolis Epiſcopis. Vide tract. de Cenſuris c. 2. in fine.
4. Provocatio, & pugna in duello.
5. Simonia realis ſcienter contracta.
6. Confidentia beneficialis.

His accedunt caſus a S. M. Benedicto XIV. Romano Pontifici reſervati, quos nos ex ipſius Conſt. propriis in locis indicavimus. ⊕

## ADDITIO.

Quoad caſus reſervatos ſtatuit Bened. XIV. præter deciſiones Sac. Congreg. litteris ſuis incip. *Pias Chriſtifidelium*, Societates quaſdam ex vi ſuorum Privilegiorum non poſſe ullo modo in quibuſdam anni ſollemnitatibus eligere ſibi Confeſſarium, a quo a caſibus Epiſcopo reſervatis, ſine Epiſcopi licentia, abſolvantur. Vid. etiam *De Syn. Diœceſ.* lib. 5. §. 9. *Nov. Edit.*

Item: accedentes in fraudem ad aliam Diœceſim, ut abſolvantur a reſervatis ſuæ Diœceſis, abſolvi non poſſunt ex Bulla Clementis X. *Superna magni*. *Ibid.*

Item: Canonicus Pœnitentiarius vi ſui muneris nullam habet facultatem abſolvendi peccata Epiſcopo reſervata, ut a Sac. Congr. Concil. deciſum eſt. *Ibid.* §. 8.

## ARTICULUS III.

### *De obligationibus Confeſſarii.*

Ejus dotes comprehenduntur his verſibus: *Sit probus, & fortis confeſſor, ſitque peritus, Diſcretus, patiens, mitis, pius atque fidelis.*

De quibus conſule libros de officiis confeſſarii, & præſertim S. Carolum de Inſtruct. Confeſſarii, Loart. Fornarium &c.

Quæſt. I. *Quantam ſcientia requiritur in confeſſario?*

*Nota*. Agitur hic de ſcientia requiſita ex parte confeſſarii ad licitam abſolutionem. Ad validam autem requiritur ſecundum omnes, teſte Suarez, ut ſciat abſolutionem proferre, & cognoſcere regulariter moralem actum, ſaltem ſub communi ratione peccati mortalis aut venialis, ſecundum generalem eorum rationem ac diſtinctionem. Quia ſine tali ſcientia homo non poteſt humano modo exercere hoc judicium. Sed addit Suarez, ignorantiam horum rariſſimam eſſe, & fere impoſſibilem in eo, qui ratione utitur, & in Eccleſia verſatur, vultque confeſſiones audire.

*Reſp.* 1. Generatim, cum triplex ſit confeſſoris munus, judicis, medici, & doctoris animarum, tenetur ſub mortali ſcire ea, quæ ad hæc munera recte obeunda requiruntur. Nam qui tenetur graviter ad finem, tenetur etiam graviter ad media neceſſaria. Confeſſor autem tenetur graviter munus ſuum, utpote graviſſimum, & in quo agitur de offenſa Dei vindicanda, de reconciliandis Deo peccatoribus, de juſtificatione, ac ſalute hominum procuranda, de curandis animæ morbis, & vitiis emendandis, recte exequi. Ergo tenetur etiam ſub gravi ſcientiam ad id neceſſariam habere. *In primis* (inquit Rituale Roman.) *meminerit confeſſarius, ſe judicis pariter & medici perſonam ſuſtinere, ac divinæ juſtitiæ ſimul & miſericordiæ miniſtrum a Deo conſtitutum eſſe, ut tamquam arbiter inter Deum, & homines, honori divino, & animarum ſaluti conſulat.*

Quare juxta omnes mortaliter peccat, qui ſine debita ſcientia munus audiendi confeſſiones, etiam ex ſola caritate, vel obedientia ſuſcipiat. Nam jure divino naturali quiſque tenetur habere ſcientiam muneris, quod ſuſcipit exercendum, præſertim erga alios.

Præterea talis ſe exponit (Vid. N. 141.) periculo evidenti male fungendi tanto munere cum injuria Sacramenti, & damno proximi ac detrimento animarum. *Si quis autem ignorat, ignorabitur*. 1. Cor. 14. Neque enim obedientia, aut Epiſcopi approbatio, etſi bona fide per examen facta, excuſat; quia non dat ſcientiam ex natura rei debitam, nec ſupplet ejus defectum. Neque ignorantia eum excuſare poteſt: quia nemo debet ſuſcipere & exercere officium, cujus nequit omnia munia recte obire: alias ſe exponit periculo errandi, & male obeundi cum damno aliorum. *Væ vobis, duces cæci*, Matth. 23. *Nulla ars doceri præſumitur, niſi intenta prius meditatione diſcatur. Ab imperitis ergo magiſterium paſtorale ſuſcipitur in magna temeritate; quoniam ars eſt artium regimen animarum*, ait S. Greg. paſtor. cur. p. 1. c. 1.

Hinc etiam qui ignarum confeſſarium ſcienter eligit, peccat mortaliter, cum cooperetur ejus peccato, & malæ adminiſtrationi Sacramenti; ideoque ejus confeſſio eſt invalida. *Cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*. Matt. 5.

*Reſp.* 1. Confeſſor, ut apud omnes, & ex dictis conſtat, tenetur ſcire, 1. Ea omnia quæ ad valorem, ſubſtantiam, integritatem & effectum hujus Sacramenti, ejuſque licitam adminiſtrationem, tam ex

parte ſui, quam ex parte pœnitentis requiruntur. 2. Præcepta Dei & Eccleſiæ, obligationes communes, & proprias ſtatuum, varias peccatorum ſpecies, multiplicationem numericam, circumſtantias, quæ mutant ſpeciem, vel notabiliter aggravant, & principia diſcernendi inter mortalia & venialia: immo quænam ſunt peccata mortalia, & venialia in ſingulis præceptis, ſaltem communi & ordinario modo. Item quinam ſunt actus invalidi, & ſolum illiciti: *Oportet enim ut ſciat cognoſcere quidquid debet judicare: judiciaria enim poteſtas hoc poſtulat, ut quod debet judicare, diſcernat*, c. 2. diſt. 5. *de pœnit.* Alioqui non poſſet eſſe debita judicii æquitas. 3. Caſus reſervatos, cenſuras & excommunicationes, quæ vigent, impedimenta matrimonii, conditiones contractuum, cauſſas reſtitutionis, radices, & occaſiones peccatorum, remedia peccatis vitandis, & vitiis emendandis apta, & ſatisfactiones ſalutares ac convenientes. 4. *Nulli Sacerdotum liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum poſſit regulis obviare*, ait Cæleſt. Papa, cap. *Nulli* diſt. 38. Non tamen tenetur tam perfectam iſtorum omnium notitiam habere, ut poſſit ſemper ex tempore, & per ſe ipſum omnes occurrentes dubitationes ſolvere; ſed ſufficit, ut id poſſit in communiter accidentibus, & ſciat communia, & de difficilioribus ſciat ſaltem dubitare; intelligatque principia deciſionum generalia, & legendo, aut peritiores conſulendo inveſtigare poſſit, quid facto opus ſit. Neque etiam tenetur de ſingulis peccatis, quæ declarantur, poſitive judicare eſſe mortalia vel non; hoc enim in multis difficile eſt, & controverſum: ſed ſufficit ut ſingula audiat, prout geſta ſunt, & de illis judicet ſecundum principia communia certa, & remedium idoneum apponat, ne iterentur peccata quæ dubitat eſſe mortalia. Uno verbo, confeſſor debet habere ſcientiam Theologiæ Moralis, ſaltem mediocrem & competentem.

Porro major ſcientia requiritur pro uno loco, quam pro alio, pro Urbe mercatoria, aulica &c. quam pro pago: major pro audiendis viris, judicibus, hominibus forenſibus, aliiſque habentibus caſus magis implicatos, quam pro feminis, pueris &c. Hinc Confeſſarii, qui quoslibet pœnitentes audire ſunt parati, majore, quam alii, ſcientia pollere debent.

Ex dictis recte colligit Fillìucius, peccare mortaliter non ſolum Confeſſarium, qui prædicta ſcientia caret, ſed etiam ſuperiorem, qui ei tribuit facultatem Confeſſiones audiendi, atque etiam ipſum pœnitentem, qui ſcienter eligit Confeſſorem ignorantem reſpectu ipſius, cum conſentiat & cooperetur peccato Confeſſarii; ideoque talem pœnitentem eſſe indiſpoſitum, & teneri confeſſiones iterare. Confeſſio tamen bona fide facta Sacerdoti ignaro, eſt valida; quia ex parte pœnitentis intervenit integra confeſſio, & debita diſpoſitio, & ex parte Sacerdotis intervenit aliqua cognitio & perceptio illius, quæ licet non ſit accurata, tamen ſufficit, ut cognoſcat illam eſſe ſufficientem materiam hujus Sacramenti. Ita Suarez. (1).

Quæſt. II. *An & quomodo tenetur Confeſſor pœnitentem examinare?*

*Reſp.* Tenetur examinare de ſpecie, numero, circumſtantiis peccatorum, eorumque cauſſis, habitu & occaſionibus proximis, quoties rationabiliter præſumit iſta non ſufficienter declarari, vel de hoc dubitat. Item debet interrogare, an ſciat res fidei, præcepta Dei & Eccleſiæ, & ſtatus ſui obligationes, quoties dubitat, an pœnitens iſta calleat: demum ſcrutari diſpoſitiones, & conſcientiam pœnitentis *quaſi medicus vulnus, & judex cauſſas*, ait S. Th. in 4. diſt. 19. *Prob.* 1. Ex Conc. Later. gener. IV. c. 21. *Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus: diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati.* 2. Ut miniſter Sacramenti tenetur curare, ut integritas materiæ Sacramenti a Chriſto requiſita ponatur, quantum moraliter poteſt; & ut judex ac medicus tenetur ſibi comparare cognitionem neceſſariam ad ferendum rectum ac integrum judicium de peccatis, & ſtatu pœnitentis ad illum cum Deo reconciliandum, ad imponendam ſatisfactionem peccatis, & ejus facultati congruentem, & ad præſcribenda remedia curationi ac emendationi pœnitentis apta. Et vero judex non poteſt licite proferre ſententiam, niſi prius plene cognoſcat totum ſtatum cauſſæ, & perſonæ quam debet abſolvere. Hæc autem inquiſitio debet eſſe (2) diſcreta & moderata, ne ſit vana, curioſa, periculoſa, reddatque Sacramentum nimis grave & odioſum. Pro quo

Ob-

(1) *Benedict. XIV.* (Inſtit. Eccl. 32.) *ubi aſſeruit* moralis doctrinæ neceſſitatem in illis, qui ad Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrandum eliguntur, *opportune juxta monitum Spiritus Sancti* (*Prov. cap.* 24.) Præpara opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum; *Sacris Miniſtris inſinuat neceſſitatem etiam jugis ſtudii, erumpendo in iſtam querimoniam:* Utinam non contingeret, quod tamen frequentiſſime videmus, aliquos nempe Sacerdotes, qui initio præclariſſime Confeſſarii munus ſuſceperunt, inde poſt diuturnum tempus omni ſtudiorum cura neglecta priſtinam Moralis Theologiæ ſcientiam amittere, ita ut qui in ejuſmodi arte periti ſſimi fuerant, tandem exigua ſolum, confuſaque ipſius artis ſcientia, primiſque rudimentis inſtructi vix inter tyrones adnumerentur. Card. Feder. Borromæus, qui S. Caroli propinqui ſui virtutes, & ſedem occupavit, hanc calamitatem deploravit, & opportune perpendit, eos Confeſſarios & Eccleſiæ Miniſtros in magno diſcrimine verſari, qui poſtquam ad excipiendas Fidelium confeſſiones ab Epiſcopo probati fuerunt, omnem ſtudiorum exercitationem prætermittunt. *Quare idem Pontifex Confeſſariis maxime auctor fuit, ut morales Collationes ſeu Conventus* (*N.* 75.) *ſedulo frequentarent.* Certe ex *D. Thoma* (*Opuſc.* 65. de Off. Sacerd. *c.* 4.) cum videamus Medicos corporum revolvere quotidie, & legere libros phyſicales, & medicinales, in quibus docentur corpora moritura: magna ſtultitia eſt non legere libros Sanctorum medicinales animarum, in quibus docemur curare animas in æternum victuras. Majus eſt damnum unius animæ, quam de morte innumerabilium corporum; *ut can.* 24. *q.* 4. *c.* Si habeat.

(2) *De interrogationibus a Confeſſario faciendis Rituale Romanum hæc tradit.* (*Tit. de Sacr. Pœnit.*) Si Pœnitens numerum, & ſpecies, & circumſtantias pec-



*Obſerv.* 1. Non omnes eodem modo interrogandi ſunt, ſed modo cuique accommodato. Sic ceteris paribus, magis examinandi ſunt minus periti, quam periti ac timorati; item qui raro confitentur, quam qui frequentius.

2. Sæpe neceſſe eſt interrogare pœnitentes de ſtatu, officio, tempore ultimæ confeſſionis, & omiſſione obligationum iis propriarum, de conſuetudine, occaſione, & cauſſis ac motivis peccatorum, de impletione pœnitentiæ injunctæ. Non ſunt autem interrogandi, niſi de peccatis, quæ potuerunt veriſimiliter ab illis committi; ideo prius intelligat confeſſor ætatem, ſexum, conditionem, ſtatum, munus pœnitentis, & prudenter ac moderate eum interroget de peccatis, quæ a perſonis talis ætatis, ſexus, conditionis, ſtatus, profeſſionis admitti ſolent. De nomine non percunctetur, nec inutilia quærat unquam, nec ſibi narrari patiatur.

3. Debet curare, ut pœnitens in confeſſione generali exprimat, quænam mortalia necdum confeſſus ſit: nam alias nec poſſet diſcernere materiam neceſſariam ab alia, nec imponere, ut tenetur, ſatisfactionem proportionatam ac debitam pro illis, pro quibus nondum impoſita eſt; ſed daret juſto leviorem, falſo putans jam pro illis debitam injunctam fuiſſe.

4. Cautio magna adhiberi debet in inquiſitione de peccatis luxuriæ, ne ſcandalizetur pœnitens; & mala, quæ ignorat, doceatur cum periculo ea deinde patrandi. Quare quærendum eſt generaliter, num menti irrepſerit turpis aliqua cogitatio, num opere vel voluntate aliquid contra caſtitatem admiſerit, num circa aliquid conſcientia ipſum extimulet? Si affirmet, ulterius interrogetur, a generalibus gradatim deſcendendo ad particularia: ſecus ſi neget.

5. Confeſſarius confitentem non objurget, niſi finita confeſſione; neque interpellet, niſi opus fuerit aliquid melius intelligere. Ita Rituale Rom. addens: *Audita confeſſione, perpendens peccatorum magnitudinem ac multitudinem, pro eorum gravitate ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paterna caritate adhibebit, & ad dolorem & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam, ac melius inſtituendam inducet, remediaque peccatorum tradet. Poſtremo ſalutarem & convenientem ſatisfactionem, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, injungat, habita ratione ſtatus, conditionis, ſexus, & ætatis, & item diſpoſitionis pœnitentium, videatque ne pro peccatis gravibus leviſſimas pœnitentias imponat &c.*

Quare confeſſarius debet habere in promptu varia motiva, ex Scriptura præſertim & Patribus deprompta, ad excitandum in pœnitentibus peccatorum dolorem, ac odium efficax, vitæ chriſtianæ propoſitum, & amorem Dei, ſecundum pœnitentium diſpoſitiones, propoſita peccati fœditate, gravitate pœnarum æternarum, & præſertim Dei bonitate, magnitudine, ac amabilitate infinita &c. Et pœnitentes ad perfectam contritionem eliciendam verbis efficacibus adducat.

*Sed an pœnitens confeſſario interroganti tenetur aperire pravam conſuetudinem, malos habitus, cupiditates, tentationes, occaſiones peccati, diſpoſitiones, obligationes proprias, ſtatum, conditionem, munus?*

*Reſp.* Affirm. Ita communiter. Quia confeſſarius, cum ſit judex & medicus, habet jus cognoſcendi, & inquirendi ea omnia, quorum notitia neceſſaria eſt ad recte judicandum de peccatis, ſtatu, morbis, neceſſitate, ac diſpoſitione pœnitentis, & ad præſcribenda remedia ejus emendationi ac curationi apta, qualis eſt prædictorum & ſimilium notitia. Ac proinde pœnitens tenetur ad iſta ſincere & clare reſpondere: nullum enim eſſet jus in confeſſario interrogandi, ſi non eſſet in pœnitente obligatio ad interrogata reſpondendi. Et vero confeſſarius eſt judex proferens ſententiam non ſolum circa illa peccata, quæ audit, ſed etiam circa perſonam, quam dum ſacramentaliter abſolvit, judicat, illam debere reconciliari cum Deo, & quantum ex ſe eſt, reconciliat: ad hoc autem oportet, ut cognoſcat plane totum ſtatum conſcientiæ pœ-

peccatorum explicatu neceſſarias non expreſſerit, eum Sacerdos prudenter interroget. Sed caveat, ne curioſis aut inutilibus interrogationibus, quemquam detineat, præſertim juniores utriuſque ſexus, vel alios, de eo quod ignorant, imprudenter interrogans; ne ſcandalum patiantur, indeque peccare diſcant. *Audiatur hac ipſa de re S. Bonaven. qui propoſita ſibi objectione iſta:* Ex peccatorum ruminatione frequenter fœtor oritur concupiſcentiæ in quærente, & generatur cognitio mali in audiente; propter quod etiam frequenter contingit eum titillari ad ſciendum ſcientia experimentali: ergo videtur, quod ad Confeſſorem non pertinet perſcrutari conſcientiam alienam; *ita reſpondet* (*in* 4. *Sent. diſt.* 19. *dub.* 5.) Dicendum, quod abſque dubio oportet ipſum Confeſſorem diligentem eſſe in inveſtigando. Et ratio hujus eſt, quia ipſe judex eſt, & judex diligenter inquirere debet cauſſæ veritatem, maxime quando dubia apparet, ſecundum quod dicitur Job. 29. Cauſſam, quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam. In talibus autem inquiſitionibus cavenda eſt ſuperflua curioſitas, & negligentia. Quædam enim ſunt, quæ non debet inquirere in ſpeciali Confeſſor, ſicut ſunt peccata inconſueta, & enormia, & contra naturam, (*Vid. N.* 291.) & de talibus intelligitur illud Prov. 1. Inveſtigator malorum opprimetur ab eis. Et ratio hujus eſt, quia frequenter addiſcit pœnitens, quod non noverat, & contingit ipſum Confeſſorem in talibus concuti. Et ideo non debet talia quærere niſi in generali, & quaſi de longinquo per quaſdam circumlocutiones, ut ſi fecit, qui confitetur, intelligat; ſi non fecit, non addiſcat. Alia vero ſunt inquirenda, ſcilicet tranſgreſſio decem præceptorum, commiſſio ſeptem capitalium, abuſio quinque ſenſuum: & de his poteſt quærere, quando videt negligentem, vel ignorantem eſſe ipſum pœnitentem. Hoc autem ſemper eſt attendendum, ut inquiſitio conferat ſtatui pœnitentis. Et ideo dicitur Prov. 18. Juſtus in principio accuſator eſt ſui, venit amicus ejus, & inveſtigavit eum. Et cum magna prudentia oportet hoc facere; & ideo neceſſe eſt Confeſſores eſſe diſcretos.

poenitentis, ad videndum, an ſit aliquid, quod obſtet ejuſmodi reconciliationi. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propoſitionem: *Non tenemur confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.*

Quæſt. III. *An confeſſarius tenetur admonere pœnitentem de ejus erroribus, & eum docere?* (1)

*Reſp.* 1. Si error ſeu ignorantia ſit vincibilis & culpabilis, tenetur confeſſarius eum docere id quod culpabiliter ignorat. Quia quamdiu talis ignorantia perſeverat, poenitens eſt indiſpoſitus; cum ipſa ſit peccatum, & cauſſa peccati. Confeſſor autem ut doctor tenetur erudire poenitentem, & ut medicus tollere cauſſam & occaſionem peccandi, veritatem docendo. Idque etiamſi tunc non ſperetur fructus; quia ea admonitio proderit, ut poenitens edoctus cognoſcat malum ſtatum, in quo eſt, & forte aliquando reſipiſcet, & exſtimulabitur conſcientia. Item tenetur corrigere errorem, qui eſt poenitenti pernicioſus, & cauſſa peccandi, puta ſi putet eſſe illicitum, quod ei reipſa licitum eſt.

*Reſp.* 2. Si error, vel ignorantia ſit inculpabilis ac invincibilis, docendus eſt pœnitens. 1. Si ex eo ſequatur aliquod grave malum vel ſcandalum publicum, etiamſi inde timeatur malum poenitentis: nam malum privatum permitti debet, ut vitetur publicum. 2. Si error vergat in damnum injuſtum proximi. Quod ſi poenitens reſtituere, aut abſtinere a contractu aut opere injuſto nolit, non debet abſolvi: quia eſt indiſpoſitus; cum nolit obligationem ſibi notam exequi, vel nolit intelligere, ut bene agat. 3. Si poenitens dubitet de ſuo errore, vel interroget Confeſſarium: nam tunc taciturnitas eſſet tacita erroris approbatio, & confirmaret poenitentem in errore. 4. Si ex errore ſequatur malum occultum inculpate ignotum, ut ſi putat matrimonium ſuum eſſe validum, & tale publice habeatur, quod tamen invalidum eſt ob impedimentum occultum, notum ipſi Confeſſario; modo monitio profutura videatur, nec ex ea ſcandalum timeatur. Quia Confeſſor eſt Dei miniſter, & judex, doctor, ac medicus poenitentis. Ergo tenetur curare, ut leges ſerventur, inſtruere pœnitentem, & impedire peccatum etiam materiale, dum nullum majus malum timeatur: nam error per ſe quoddam malum eſt, & plerumque alia mala invehit. Si tamen probabile periculum ſit, ne ex admonitione ſequatur peccatum formale pœnitentis, vel grave ſcandalum, & damnum Innocentibus, puta liberis; differenda eſt monitio, donec hoc periculum ſit ſublatum, & petenda diſpenſatio, ex c. 9. *de conſang. & affinit.* ubi Innocent. III. conſultus de matrimonio invalido contracto, reſpondet: *Diſſimulare poteris, ut remaneat in copula ſic contracta, cum ex ſeparatione, ſicut aſſeris grave videas ſcandalum imminere.* Nam cum Dei offenſio per ignorantiam invincibilem vitetur, illud materiale malum recte permittitur ad impedienda graviora mala.

Quæſt. IV. *An confeſſor poteſt ſe conformare ſententiæ pœnitentis minus probabili, & minus tutæ contra propriam probabiliorem & tutiorem?*

*Reſp.* Neg. Quia confeſſarius in tribunali pœnitentiæ eſt ſuperior, doctor, & Judex; poenitens vero inferior, & reus. Ac proinde confeſſarius debet judicare ſecundum propriam ſententiam prudentem, & conſcientiam, non ad arbitrium rei, quem tunc docere debet. Præterea non licet ſequi opinionem minus probabilem & minus tutam. Quare poenitens volens eam in praxi ſequi, eſt indiſpoſitus. Poteſt tamen abſolvi poenitens eruditus, volens ſequi opinionem ſuam, quam bona fide poſt diligentem veritatis inquiſitionem putat eſſe multo probabiliorem, ſi confeſſarius ſciat multis aliis talem videri, nec ſit evidens eſſe minus probabilem. Quia poenitenti licet agere ſecundum conſcientiam prudenter formatam; ideoque tunc cenſetur bene diſpoſitus.

Quæſt. V. *An, & quibus Confeſſor tenetur denegare, vel differre abſolutionem?*

*Reſp.* 1. Tenetur denegare iis omnibus, quos cognoſcit carere contritione ac diſpoſitione debita; alioqui grave ſacrilegium admitteret: nam ex communi ſententia faceret Sacramentum nullum, dando abſolutionem invalidam & inutilem defectu materiæ debitæ. Et ſecundum Scotiſtas faceret Sacramentum

inu-

(1) *Haud paucos humanæ ſalutis Miniſtros reperire eſt, qui in Pœnitentibus arguendis, obſecrandis, increpandis, ab errore malaque vivendi ratione revocandis, atque ad juſtitiam erudiendis, ſunt propemodum muti & elingues, ea potiſſimum ratione, ſeu rectius præjudicio ducti, quod ad Pœnitentes ipſos pertineat ſibimetipſis proſpicere:* ipſi videant, ipſi videant. *Unde totum quod in Sacro Tribunali miniſterium exercent, non aliud fere videtur, quam audita peccatorum Confeſſione illico Pœnitentibus imponere penſum nonnullarum precum, & abſolutionem elargiri, ſicque illos in pace dimittere. Utinam hæc vera ſit pax, quam miſericors Chriſtus nobis reliquit? Namque ſpectata ſerie eorum, quæ Auctor in præf. quæſt. tradit juxta ſanioris doctrinæ regulas, maxime vereor, ne in ejuſcemodi Confeſſarios quadret ſuo modo, quod olim S. Thom. de Villan.* (*Serm. in fer.* IV. *poſt Dom.* IV. *Quadrag.*) *protulit de aliis plus nimio indulgentibus ac minus recte conſulentibus.* O miſeri animarum, non curatores, ſed interfectores, non conſultores, ſed deceptores! Quid reſpondebitis Domino pro grege, quem veſtris blanditiis decepiſtis? veſtris conſiliis jugulaſtis? quid Eccleſiam Domini hodie perdit, niſi Confeſſariorum & Paſtorum blandiens adulatio? deliniens, demulcenſque aſſentatio? Væ miſeris; non ægritudinem, ſed contritionem ac confeſſionem peccatorum curant, quam augere debuiſſent, promittentes pacem, quibus non eſt pax, & veniam, quibus æterna damnatio parata eſt.... Cui comparabimus adulatores iſtos? Similes ſunt hominibus, qui a ripa pereuntibus a flumine manum porrigunt, & violentia fluminis ipſi cum aliis demerguntur.... Hæc contra quoſdam Confeſſarios noſtri temporis pie impios, & impie pios dicta ſint, qui ne confitentem aliquantiſper contriſtent, illum in ſua nequitia manere permittunt. At quanto melius eſſet ad modicum contriſtare, quam in æternum damnare? *Confeſſariis a S. Præſule exagitatis pares videntur fuiſſe ii Morales Theologi, quos diu poſt Exim. P. Albertus de Albertis* (*N.* 53.) *deſcripſit, fugitavitque.*



inutile, utpote deſtitutum effectu ſuo, ob defectum diſpoſitionis neceſſario requiſitæ ad illum. Quare Rit. Rom. ait. *Videat diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit abſolutio: ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces: quales ſunt, qui nulla dant ſigna doloris, qui odia & inimicitias deponere, aut aliena, ſi poſſunt, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum tollant &c.* Igitur ſecundum hoc principium certum, & doctrinam Patrum, Canonum, & S. Caroli in inſtruct. Confeſſar. abſolutio denegari debet.

1. Iis, qui nolunt rem alienam reſtituere, debita ſolvere, vel honorem aut famam læſam, aut quodlibet aliud damnum illatum reſarcire, cum poſſunt, aut dare operam, ut facultatem iſta præſtandi, ſi non habeant, comparent.

2. Qui non curant tollere habitum peccandi, ut ſi non adhibeant remedia neceſſaria a Confeſſario alias præſcripta, vel aliunde cognita. Nam carent propoſito efficaci emendationis, quod exigit deſtructionem cauſſarum peccati: nulla autem proprior eſt habitu.

3. Qui uti renuunt remediis, quæ a Confeſſario judicantur neceſſaria ad emendationem, vel impoſitas pœnas meritas, & eorum facultati accommodatas perſolvere nolunt.

4. Qui retinent voluntatem, duellum, data occaſione, offerendi vel acceptandi, aut aliud peccatum mortale admittendi.

5. Qui inimicitias & odia deponere, injuriam acceptam condonare, vel reconciliari nolunt, offenſorem ſincere propter Deum non amant, nec parati ſunt pro illo orare, ei benevolentiæ ſigna communia exhibere, & in neceſſitate ſubvenire. *Falſa eſt pœnitentia ſi odium in corde geſtetur, aut ſi offenſo cuilibet non ſatisfaciat, aut ſi offendenti offenſus non indulgeat*, ait Conc. gen. Later. II. can. 22.

6. Qui nolunt corrigere luxum, & ſumptus ſuperfluos in cibo, potu, veſtitu, ornatu, conviviis, famulatu &c. qui ad morale pertingant: ut ſi propter illos contrahantur debita, quæ ſolvi nequeant, ſi ſtipendia famulorum, aut operariorum, vel alia debita non ſolvantur; ſi eleemoſynæ debitæ omittantur &c. vel ſi inde ſcandalum oriatur.

7. Qui occaſionem proximam peccandi deſerere nolunt. Unde Innocen. XI. damnavit hanc propoſitionem: *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimmo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.* Hinc S. Carolus, in inſtruct. cit. monet, non eſſe abſolvendos eos, qui vitam in otio agunt, vel malorum conſortium, aut cauponam frequentant, vel choreas (vulgo *Balli*) adeunt, niſi habeant firmum propoſitum ab his deinceps abſtinendi. Idem dic de comœdiis amatoriis, & aliis ſpectaculis periculoſis. (1)

8. Ii, qui occaſionem peccandi aliis præbent, niſi efficaciter deſiſtere ſtatuerint, quales ſunt, qui componunt, imprimunt, dant, vel vendunt libros amatorios, vel contra fidem, aut bonos mores: qui domum aleatoribus præbent; qui comœdias periculoſas exhibent; item feminæ, quæ pectus nudum (2) geſtant, nec excuſantur ob conſuetudinem: nam (ut

ait

(1) *De choreis, comœdiis, aliiſque ſpectaculis, hæc notanda ex D. Bonav.* (*in* 4. *ſent. diſt.* 16. *dub.* 13.) Dicendum quod ſicut dicitur 1. ad Cor. 10. in Gloſſ. Ludus eſt geſticulatio libidinoſa, cujuſmodi eſt in choreis. Spectacula ſunt (ſicut dicit Auguſt.) cithara, venatio & hujuſmodi. Dico igitur, quod ludus chorearum non eſt malus ſecundum ſe, ſicut patet de ſorore Moyſis; ſed ſit malus quadruplici de cauſſa; 1. Propter modum, quando eſt modus laſcivus. 2. Propter finem, quando fit ad provocandam libidinem. 3. Propter tempora, ut ſi fiat tempore triſtitiæ. 4. Propter perſonam, ut ſi fiat a perſona Religioſa (*adde*, aut Clerico Sæculari, *juxta Notam quam alibi inſeruimus*) His remotis poteſt fieri.... Similiter judicandum eſt de Spectaculis. His enim quatuor de cauſſis poſſunt male fieri, & fiunt: his excluſis bene poſſunt fieri. *Vid. N.* 81.

(2) *Vid. N.* 139. 140. *Ex Ægydio Romano* (de Regim. Princip. *par.* 1. *l.* 2. *c.* 21.) Quantum malum ingruat civitati, & regno ex feminis non virtuoſis, nec appetentibus licita, ſed illicita, oſtendit Philoſ. 2. Rhetor. 5. qui loquens de Lacedæmoniis ait, eos eſſe infelices ſecundum dimidium, eo quod uxoribus ſuis illicita permittebant. *Nunquid ergo felices, & conſulti quarumdam Italicarum regionum mariti, qui paſſim uxores ſuas ornari ſinunt, aut etiam jubent, adeo immodeſte & inverecunde, ut eæ atri bilem commoveant quibus ſanum eſt ſincipus? Mirum? Si uxores ita comptæ extraneum aliquem comiter adſpiciant, aut ſalutent, mariti haud raro zelotypia mox cientur, & excandeſcunt; ubi vero eadem tamquam animantia campi, quod pudor tegi poſtulat, propalam oſtentant, tunc ipſi minime ſuccenſent. Sed quidnam dicendum de Sacris illis Miniſtris, qui cum ſciant Apoſtolum* (1. *ad Cor. c.* 11.) *etiam atque etiam olim contendiſſe, ut mulier in Eccleſia velato capite oraret Deum, maleſanas hujuſmodi feminas etiam pectore denundatas nullatenus reprehendunt, atque ad participanda tremenda Myſteria fidenter accedere permittunt? Legant, quæſo, graviſſima monita hac de re Confeſſariis data a D. Carolo Borromæo* (*in inſtruct. Confeſſ.*) *Audiant præterea, quæ appoſite obſervavit Conſtantinus Roncaglia, mitis ceteroquin Theologus* (*tract.* de Fide, Spe, & Car. *cap.* 6. *q.* 7. *reg.* 3.) Proh dolor! Non deſunt Confeſſarii, qui faciliime abſolvunt mulieres non tegentes pectus, ut par eſt, vel ita tranſparentibus velis tegentes, ut ea tegumenti ſpecies magis fortaſſe ad libidinem incitent. Si nolint tot Synodis eſſe ſapientiores, ſi nolint ipſam experientiam negare, fateri debebunt hujuſmodi feminas gravis ſcandali eſſe culpabiles, adeoque Sacramentorum incapaces. At quando ſpeculativis aliorum rationibus nollent acquieſcere, ne has feminas contriſtarentur, ſaltem quæ ſubjungo præ oculis habeant. Iſtæ feminæ in mane ſe ita ornando, ut in laxiori loquar opinione, ſaltem peccaverunt venialiter ex levitate, vanitate &c. & poſtea ita immode-

ſte

ait S. Antoninus) *Valde turpis & impudicus eſt talis uſus; & ideo non ſervandus. Non ſequaris turbam ad faciendum malum.* Exod. 23, &c. Item qui comœdias periculoſas exhibent, *de Theatricis placuit eos, quamdiu agunt, a communione ſeparari*, ait Conc. Arelatenſe II. an. 452. can. 20. Ergo tamdiu abſolvi non debent &c.

9. Qui nolunt abſtinere ab uſura, ſuperſtitionibus, artibus, commerciis, aut contractibus illicitis, aut a quovis alio opere malo. Ratio horum omnium eſt, quia ejuſmodi homines carent propoſito efficaci ſervandi omnia mandata, & vitandi peccatum mortale, ejuſque occaſiones proximas, ideoque contritione.

10. Qui ignorant (Vid. N. 12.) res neceſſarias ad ſalutem neceſſitate medii, ut myſteria SS. Trinitatis & Incarnationis, beatitudinem æternam juſtis perſeverantibus rependendam, pœnas æternas peccatoribus paratas. Nam ſine horum fide explicita nemo adultus juſtificari poteſt. Hinc Innocen. XI. damnavit hanc propoſitionem: *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei: etiamſi per ignorantiam culpabilem neſciat myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini.* Hinc nequeunt valide abſolvi, niſi prius iſta didicerint. Idem dic de actu contritionis, cum ſit de neceſſitate Sacramenti.

Qui autem ignorant ea, quæ ſunt ſolum neceſſaria neceſſitate præcepti, ut aliqua alia fidei dogmata, vel mandata aliqua Dei aut Eccleſiæ, vel obligationes ſui ſtatus, ac conditionis proprias, debent hæc doceri ante abſolutionem, ſi pauca horum ignorent, quæ brevi tempore diſcere queant; ſin minus differenda eſt abſolutio, donec ea omnia didicerint, ſi jam moniti neglexerunt diſcere, quia ſunt in habitu negligentiæ culpabilis, cum teneantur graviter iſta ſcire, & tamdiu actu peccant, quamdiu ea non ediſcunt, cum poſſunt. Nec Confeſſarius poteſt prudenter credere, eos hanc obligationem poſtea impleturos, eo quod id promittant, cum jam fidem datam fefellerint. Quod ſi nondum fuerint moniti, poterunt, ſi nihil aliud impediat, abſolvi præmiſſa inſtructione de his ſaltem rebus, quæ ſunt de neceſſitate medii & Sacramenti; & impoſita obligatione alias quamprimum addiſcendi. Ita S. Carolus in inſtruct. Confeſſar. addens neque abſolvi debere Patres & Matres familias, & qui liberos ſuos aut domeſticos horum notitia imbuere per ſe vel per alios non curant: vel non invigilant, ut iidem Dei & Eccleſiæ præcepta obſervent, aut (quod pejus eſt) eorum obſervationem impediunt, vel retinent domeſticos, qui ſunt aliis ſcandalo, nec ſe emendant. Si tamen ſpondeant, iſta ſe præſtituros, & nondum de iis moniti fuerint, poterunt abſolvi: ſecus, ſi jam moniti omiſerunt, donec emendationem operibus probaverint.

*Reſp.* 2. Extra articulum mortis, Confeſſarius tenetur generatim differre abſolutionem iis, quorum dubia ei apparet contritio ac diſpoſitio debita, & quos non poteſt prudenter judicare, habere debitum dolorem, ac propoſitum efficax ac univerſale non peccandi, donec adſint ſufficientia converſionis veræ, ac contritionis debitæ ſigna. Nam alioqui ſine neceſſitate & temere exponeret Sacramentum periculo nullitatis, & privationis effectus, applicando formam materiæ dubiæ, nec moraliter certæ, & ſubjecto dubie diſpoſito; & ſic committeret grave ſacrilegium. Nam vera contritio ex communi ſententia, eſt materia proxima, & per ſe eſſentialis Sacramenti; & ex Scotiſtis eſt ſaltem diſpoſitio neceſſaria ad ejus effectum. *Confeſſor* (inquit Suarez diſp. 32. ſect. 2.) *tenetur juſtitiam & Religionem in ejus adminiſtratione ſervare: quia & judicium & actionem ſacram exercet. Cui muneri ut ſatisfaciat, unum ex præcipuis eſt, ut diſpoſitionem conſcientiæ pœnitentis ſufficienter agnoſcat. Eſt enim præcipuum hujus materiæ fundamentum, non poſſe Confeſſorem licite pœnitentem abſolvere, niſi ille ſit bene diſpoſitus ad abſolutionem ſuſcipiendam: Primo, quia non poteſt ipſe abſolvere, niſi quem Chriſtus etiam abſolvit: gerit enim vices Chriſti, & quæ ipſe ſolvit in terris, debent ſoluta manere & in cælis; alias clavis errabit, & miniſter illa abutetur, & peccabit. Secundo, quia tenetur miniſter Sacramentorum non dare illa indignis. Tertio, quia eſt judex, & tenetur juſtum judicium facere. Ex quo fit, priuſquam abſolvat, neceſſe eſſe, ut prudenter judicet, pœnitentem eſſe diſpoſitum: quia alias ſe exponeret periculo errandi, & ſine ſufficienti cognitione operaretur.* Præterea Confeſſarius debet eſſe diſpenſator fidelis ac prudens applicationis meritorum Chriſti, & Sacramentum gratiæ collativum prudenter & ſancte adminiſtrare. Ergo citra neceſſitatem ſeu articulum mortis

ſte in publicum procedendo, continuarunt in tali peccato & ante Confeſſionem, & in ipſa actuali Confeſſione; quid ergo judicandum de ipſarum dolore, & propoſito? Scio dari poſſe dolorem de peccatis gravioribus, etſi non doleat quis de aliqua levi culpa. At in praxi puto difficillimum eſſe, iſtas mulieres vere de ceteris culpis dolere, dum actu culpabiles ſunt de peccato in ſententia quidem multorum levi, ſed quod in veriori, & omnino meo videri, tenenda ſententia, grave eſt, adeoque Præſules judicarunt inter reſervata accenſendum. Si & ipſæ verum fateri velint, bene agnoverunt, non raro juvenes in ipſarum pectus indecenter detectum oculos intendiſſe: non raro ex hac cauſſa impudicas audiviſſe æquivocationes, & fortaſſe ſermones aperte obſcœnos. Et credere debeo, eas vere hic & nunc de propriis culpis dolere, quando nolunt derelinquere, quod ſciunt graviter ad libidinem provocare? *Aſt timeo, ne ſurdis auribus canamus odam, dum mulieres hanc ob rem arguimus. Siquidem, ut apud P. Gavellum (Reſol. caſ. 85.) advertit D. Bernardinus longa experientia edoctus*: Si Angelus de cælo deſcenderet, vel Paulus, forte vel Chriſtus, & contra hæc talia veſtimenta prædicaret, credo, quod victoriam non haberent. Pro talibus amovendis quæ & quot multiplicata ſunt? Nullum remedium relinquitur, niſi Dei flagellum, ſicut in pluribus Civitatibus expertus ſum.



tis, non ei licet adminiſtrare hoc Sacramentum cum materia vel diſpoſitione, quæ prudenter judicari nequeat vera, ac ſufficiens ad valorem, & effectum Sacramenti. Contritio autem dubia, aut quæ non eſt probabilius vera, quam falſa, non poteſt prudenter judicari vera ac ſufficiens. Et quamvis pœnitenti credi debeat in iis, de quibus ſe accuſat, cum Confeſſarius nequeat ejus peccata niſi ex ipſo cognoſcere; non ſufficit tamen teſtimonium pœnitentis, aſſerentis ſe eſſe contritum, dum aliunde adeſt ratio dubitandi de veritate ejus contritionis, & debitæ diſpoſitionis; nam ipſe & ſeipſum, & Confeſſarium decipere poteſt, ut notat S. Gregorius paſtor. cur. p. 1. cap. 9. ibi: *Sæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur, & fingit ſe de bono opere amare, quod non amat; de mundi autem gloria non amare, quod amat*: & in 1. Reg. cap. 6. ait: *In fructu, non in foliis, aut ramis pœnitentia cognoſcenda eſt. Quaſi arbor bona voluntas bona: Confeſſionis ergo verba, quid ſunt aliud niſi folia?* Quare S. Carolus, in inſtruct. Confeſſar. quæ Clerus Gallicanus præcipit, ut ab omnibus Sacerdotibus accurate ſerventur, ait: *Abſolutio, donec emendatio perſpiciatur, differri debet iis, qui licet ſe peccatum dimiſſuros polliceantur, ab illis tamen non ſeparandos Confeſſarius probabiliter judicabit.*

*Reſp.* 3. Extra periculum mortis, juxta principia tradita, & doctrinam S. Caroli, in inſtruct. Confeſſar. tenetur Confeſſarius ſpeclatim differre abſolutionem, præſertim:

I. Implicatis conſuetudine (V. N. 240. uſq. ad 245.) peccandi mortaliter, qui nondum efficaciter conati ſunt eam emendare, licet emendationem promittant, donec vitioſum habitum ſic vicerint, ut periculum proximum ſeu probabile peccandi ſublatum ſit. Quia 1. vera converſio conſuetudinarii eſt valde rara ac perdifficilis, nec brevi tempore fieri ſolet, ut conſtat ex Patribus, & experientia: ergo prius operibus probari debet, ut poſſit prudenter credi. 2. Prava conſuetudo eſt occaſio proxima peccandi, & eo pejor quod interna eſt. 3. Dilatio abſolutionis eſt medium moraliter neceſſarium ad pravi habitus emendationem, cum experientia conſtet, eum ſine dilatione illa communiter non emendari. Confeſſarius autem, ut medicus ſpiritualis, tenetur adhibere remedia ad pœnitentis emendationem apta & moraliter neceſſaria. 4. Gratia Sacramentalis exponeretur morali periculo proximæ deſtructionis, cum graviori damno pœnitentis: nam dum durat malus habitus, homo eſt in periculo proximo ſtatim & ſæpe peccandi, cum habitus ille propenſionem maximam, & neceſſitatem moralem peccandi pariat. Confeſſarius autem, ut miniſter Sacramenti, citra neceſſitatem non debet conferre gratiam, quam prudenter judicat brevi amittendam, niſi eam differat; & ut medicus, debet curare, ut ſanitas, quam offert, non tam cito amittatur, ſed ſit moraliter ſaltem ſtabilis: imprudenter enim ageret medicus, qui ſtatim daret remedium, quod prudenter judicaret allaturum ſanitatem, brevi cum majore damno amittendam, ſi ſtatim detur, cum moraliter ſtabilem afferre, & morbum curare poſſit, ſi differatur. *Quod facile ſanatur, non multum cavetur: ex difficultate autem ſanationum erit diligentior cuſtodia receptæ ſanitatis*, ait S. Auguſt. in Pſal. 6. Hinc Innocent. XI. damnavit hanc propoſitionem: *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.*

II. Recidivis, ſeu iis, qui poſt plures Confeſſiones pluries relapſi ſunt in eadem peccata. Tum quia qui pluries fidem datam fefellerunt, non poſſunt niſi ex operibus prudenter judicari, habere verum, & efficax propoſitum: tum quia recidivorum pœnitentiæ ſemper a Patribus exiſtimatæ ſunt ſaltem valde ſuſpectæ, & dubiæ. Quare S. Iſidorus, in c. 11. *de pœnit.* diſt. 3. ait: *Irriſor eſt, non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet.* At (ut docet Delugo diſp. 14. ſect. 10.) *certum eſt, quando dilatio neceſſaria eſt ad explorandum firmum propoſitum pœnitentis, de quo non ſatis conſtat, debere differri abſolutionem.* Præterea recidivi ſine abſolutionis dilatione emendari non ſolent, adeoque dilatio eſt remedium ipſis moraliter neceſſarium. *Non eſſet tanta facilitas peccandi, ſi non eſſet tanta facilitas abſolvendi*, ait Bellarm. ſerm. 8. de Adventu. Rituale Tullenſe excipit eos, qui relapſi ſunt raro, & ſolum ex vi tentationis, vel occaſionis urgentis non quæſitæ nec prævifæ.

III. Iis, qui aliena retinent, vel injuriam in fama, honore, vel aliis bonis intulere, donec ſatisfecerint, ſi poſſunt, quamvis promittant, ſe ſtatim ſatisfacturos, ſi jam ſemel admoniti id omiſerunt. Ita S. Carolus, in Inſtruct. Confeſſ. & Conc. Mediolan. I. Item iis, qui commercia illicita, vel artes prohibitas, aut occaſionem peccandi voluntariam non dimiſere, donec deſeruerint: & generatim iis, qui obligationem aliquam gravem, & urgentem non impleverunt ex negligentia, donec impleverint, ſi jam ſemel aut bis moniti fuerint, vel id promiſerint. Quia propoſitum, quod nunc faciunt, non poteſt prudenter judicari magis efficax eſſe, quam prius factum. Et alias relinquerentur in probabili periculo peccandi ut antea; cujus probabilitatem facit fidei prius datæ violatio, & difficultas iſta præſtandi. Immo ſi res reſtituenda graviſſimi ſit momenti, non debet ordinarie abſolvi pœnitens, donec reſtituerit, ſi poteſt, quamvis antea monitus non fuerit: nam alioqui relinqueretur in gravi periculo non reſtituendi, ob difficultatem talis reſtitutionis, & propenſionem magnam differendi.

IV. Qui inveteratas inimicitias exercent cum proximo, donec ſe ei reconciliaverint; vel etiamſi inveteratæ non ſint, contra fidem datam nondum redierunt cum eo in gratiam, nec publica dederunt ſigna reconciliationis, ad tollendum publicæ inimicitiæ ſcandalum: vel qui primi proximum offenderunt, & nolunt primi eum adire, & ei ſatisfacere, ut tenentur.

V. Qui publicum ſcandalum dederunt, donec illud ſuſtulerint, ut docet Rit. Rom. Quare is, cujus peccata publica fuerint, non eſt abſolvendus, antequam publice appareat emendatus: alias abſolutio eſſet ſcandaloſa.

VI. Adoleſcentibus, qui vitam otioſam agunt, vel ſtudia notabiliter negligere ſolent, donec emendati appareant. Idem dic de omnibus, qui munus ſuum graviter negligere conſueverunt.

VII.

VII. Qui in examinanda conſcientia (1) graviter negligentes fuerint, donec melius examinarint, & ſe ad contritionem melius excitarint. S. Carolus. Nam talis negligentia indicat defectum debitæ contritionis, ad quam obtinendam indigent tempore aliquo, precibus, & aliis mediis. Si tamen deligentiam bona fide adhibuerint, ſed non ſufficientem, caritas poſtulat, ut Confeſſarius interrogando, hunc defectum ſuppleat, & pœnitentem adjuvet, ac diſponat ad veram contritionem, præſertim ſi ſint ruſtici & rudes, qui in primis adjuvandi ſunt; nam de iis præſumitur, licet millies ſe examinent, non fore magis paratos, quam ſi ab ipſo Confeſſario breviter examinentur.

VIII. Verſantibus in peccati occaſione proxima, infra dicam.

*Nota 1.* Pœnitens non debet ordinarie remitti ultra xv. dies. Nam æger non debet a medico diu derelinqui, ſed ſæpius adjuvari; & alias periculum eſſet ne pœnitens animo cadat, ac deſperet. Quod ſi poſt tale tempus nondum ſufficienter diſpoſitus inveniatur, adhuc remittetur cum ſolatio, hortatione, & ſuggeſtione mediorum magis efficacium, donec talis judicetur.

*Nota 2.* Conſuetudinariis & recidivis præſcribenda ſunt remedia ſuæ emendationi apta; qualia ſunt oratio quotidiana, matutina ac ſerotina, crebra opera miſericordiæ, auditio Miſſæ, opera virtutum vitiis ac propenſionibus pravis contrariarum, ſui demiſſio ac diffidentia, fiducia in Deum, frequens confeſſio apud eumdem confeſſarium pium & prudentem, meditatio motivorum vitandi peccatum, lectio piorum librorum, celeris repulſio pravæ cogitationis, aut motionis, aliqua punitio quoties tale peccatum committitur, ut jejunium, largitio eleemoſynæ, aliqua oratio &c. examen conſcientiæ quotidianum, & præſertim particulare, hoc modo: Mane eliciatur propoſitum vitandi tale peccatum, & Deo offeratur cum petitione gratiæ. Quoties commiſſum fuerit illud peccatum, ſtatim eliciatur contritio cum aliqua punitione; & ſaltem ſero examinetur conſcientia de illo. Quod ſi fuerit commiſſum, eliciatur contritio, fiatque aliqua ſatisfactio; ſin minus Deo gratiæ agantur.

Quæſt. IX. *Quomodo confeſſarius ſe gerere debet erga eos, qui verſantur in occaſione proxima peccati?*

*Nota 1.* Occaſio peccati eſt id omne, quod ad peccatum allicit, ſive ex natura ſua, ſive ex parte pœnitentis fragilis. Dividitur in proximam & remotam. Proxima eſt ea, quæ affert morale, ſeu probabile periculum peccandi, ſive eſt ea, in qua quis veriſimiliter eſt peccaturus. Remota, quæ non affert tale periculum. Remotam non tenemur fugere, alioqui deberemus omnes de mundo exire, ex 1. Corint. 5. *Quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*, Sap. 14.

*Nota. 2.* Occaſio proxima peccati duplex eſt, nempe per ſe, & per accidens. Occaſio proxima per ſe eſt ea, quæ per ſe ſic eſt apta inducere homines in peccatum mortale, ut ſpectata communi hominum fragilitate ac corruptione, multi in ea veriſimiliter peccaturi ſint; aut quia in ea multi ſæpe peccant: cujuſmodi ſunt, cum ea perſona habitare, cum qua ſoleas peccare: familiaritas inter adoleſcentes & puellas, aſpectus minus pudici &c. Occaſio proxima per accidens eſt, quæ non habet vim inducendi communiter homines in peccatum, ſed tantum aliquos ratione ſpecialis illorum fragilitatis & diſpoſitionis, ita ut prudenter timeatur, ne in ea peccent.

*Nota 3.* Utraque occaſio proxima peccati ſubdividitur in voluntariam, & involuntariam. Voluntaria eſt ea, quæ deſeri poteſt etiam ſine graviſſimo incommodo. Involuntaria ſeu neceſſaria eſt ea, quæ vel phyſice, vel moraliter deſeri non poteſt. Et ſic alia eſt involuntaria ſeu neceſſaria phyſice, quæ nullo modo pendet a voluntate, ut deſeratur: ut ſi quis in carcere aut triremi vinctus ſit cum flagitioſo; & alia involuntaria, ſeu neceſſaria moraliter, quæ deſeri nequit ſine peccato, vel damno temporali graviſſimo; ut militia reſpectu militis in ea frequenter peccantis, cui abeundi facultas recuſatur; non enim poteſt deſerere militiam invito duce, cui ex juſtitia obſtrictus eſt; vel munus ſeu officium, quod quidem ſine peccato dimitti poteſt, ſed non ſine damno graviſſimo, v. g. jactura ſui ſtatus, vel bonorum, vel famæ.

*Reſp.* 1. Confeſſarius non poteſt licite nec valide ab-

(1) *Valde gravis ſuſpicio prætermiſſi legitimi examinis in eos cadit, qui annuatim tantummodo confiteri ſolent. Nam ex D. Th. de Villan. (Serm. in Domin. iv. Quadrag.)* Quomodo poteſt bene examinari conſcientia ad annum? Ecce, quod hodie facimus, cras obliviſcimur; & eorum, quæ geſſi anno præterito, nunc recordabor? Quod ſi crimina opere perpetrata in memoria fuerint, de his tamen, quæ perperam cogitavi, & deſideravi, quomodo reminiſcar? Propter hoc qui ad annum differunt Confeſſionem, vix decimam ſuorum peccatorum partem recordantur. Quod ſi dixeris, peccata, quæ in memoriam non veniunt, Deus ignoſcit: Fateor, ita eſt, ſi debitam in peccatis rememorandis deligentiam adhibueris, alias peccatum per negligentiam & incuriam oblitum, per pœnitentiæ Sacramentum non deletur. Unde autem ſcis, ſi ſufficientem & debitam pro tempore reminiſcendorum peccatorum diligentiam adhibuiſti? Quis novit, quando examine opus ſit, ut recorderis ad annum? Inde ergo timor, & ſcrupulus non modicus remanet in conſcientia Confeſſionem differentis, qui in frequentibus locum non habet, ac propterea non eſt ita ſecurus de venia, qui Confeſſionem differt, ſicut qui frequentat. *Alios quoque plures, tametſi non ita alienos ab uſu tam ſalutiferi Sacramenti, in diſcutienda conſcientia miſere cæcutire, turpiterque deficere, oſtendit egregie Catalanus* (Com. ad §. 11. *Tit.* 3. de Sacr. Pœnit. *Ritual. Rom.*) *qui in audiendis Sacris Confeſſionibus ſpatio 30. fere annorum fatetur ſe expertum ſæpe, quoad PP. Concil. vi. Benevent. (Tit. 6. cap. 6.) referunt multos ejus ævi dicere conſuevi ſſe, cum eſſent coram Confeſſore:* Domine, dicatis pro me confeſſionem, quia ego ignoro. *Idque, ut laudati PP. monebant*, utinam non proveniat ex negligentia, & ignorantia Curatorum, de quorum manibus animæ talium exquirentur.



abſolvere poenitentem, qui non vult ſtatim removere, & fugere occaſionem proximam, etiam per accidens, ſi poſſit licite & ſine gravi ſuo damno. Ita omnes cum S. Carolo. Quia talis caret propoſito efficaci non amplius peccandi, & ſervandi mandata omnia: nam hoc propoſitum includit voluntatem deſtruendi, & fugiendi cauſſas ac pericula peccati. Immo talis actu peccat mortaliter; nam ſecundum omnes quiſque tenetur ſub mortali removere & vitare occaſionem proximam, ſeu probabile periculum peccandi mortaliter, cum poteſt. Quia 1. Eccl. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Sed qui non removet, nec fugit probabile periculum peccandi, cum poteſt, illud amat, ſeu eligit. 2. Qui non removet, nec fugit probabile periculum peccandi, cum poteſt moraliter, is vult ſaltem virtualiter, implicite, & interpretative ipſum peccatum. 3. Præceptum prohibens peccatum, ſimul vetat velle id quod proxime ac moraliter conjunctum eſt cum peccato, & id ex quo veriſimiliter judicatur ſecuturum peccatum; nam præceptum debet eſſe efficax per ſe. Ergo qui non vitat, cum poteſt, probabile periculum peccati, peccat contra præceptum prohibens illud peccatum. Quare, ut ait *Delugo*, in moralibus ſe exponere periculo peccandi, & peccare, ſunt idem. 4. Dei amicitiam, & animæ ſalutem contemnit, qui ejus perdendæ periculum probabile non vitat cum poteſt, ſed voluntarie ſubit. 5. Innoc. XI. damnavit has propoſitiones 62. *Proxima occaſio peccati non eſt fugienda, quando cauſſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit*. 63. *Licitum eſt quærere directe cauſſam proximam peccandi pro bono ſpirituali vel temporali noſtro, vel proximi*. Et Alexander VII. damnavit iſtam: *Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad delectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur*. 6. Ex S. Greg. hom. 24. in Evang. *Quæ ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt, ut poſt converſionem animus non recurrat*.

Porro ut quis teneatur vitare occaſionem peccandi, neceſſe non eſt, ut in ea frequenter peccaverit; ſed ſufficit ut veriſimiliter in ea ſit peccaturus. Nam peccat, qui ſe probabili ſeu veriſimili periculo peccandi exponit. Unde S. Carolus in inſtruct. Confeſſar. occaſiones vitandas dicit *eſſe ea facta, quæ etiamſi per ſe liceant, tamen probabiliter timetur, ne is qui confitetur, in eadem ipſa, quæ olim admiſit, peccata relapſurus ſit, ſi in iis remaneat*. Et Tolet. lib. 5. cap. 18. ait: *Probabiles occaſiones peccandi ſunt omnino extirpandæ*. Enimvero ut effectus malus cenſeatur indirecte, & interpretative voluntarius in cauſſa, neceſſe non eſt, ut ex ea frequenter ſequatur; ſed ſatis eſt, quod cognoſcatur, vel cognoſci poſſit, & debeat, ſecuturus veriſimiliter, ut conſtat ex cap. ult. *de injur.* ubi Gregorius IX. docet, imputari damnum ei, qui fecit aliquid, ex quo probabiliter illud ſequi poſſe, ſcire potuit ac debuit: *Nec ignorantia*, inquit, *te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam*.

*Reſp.* 2. Si poenitens promittit ſe quamprimum relicturum talem occaſionem, ei differri debet abſolutio extra periculum mortis, donec eam deſeruerit, ſi jam monitus non dimiſerit, vel ſi diu in ea permanſerit & peccaverit, vel ſi occaſio illa urgens ſit, & multum ad peccatum alliciat; niſi confeſſarius prudenter judicet, ſe poſſe fidem adhibere poenitenti. Nam poenitentis infirmitas & inſtabilitas adjuvanda eſt abſolutionis dilatione, qua ſæpe poenitentes magis moventur, quam aliis motivis, & alias relinqueretur in periculo eam non deſerendi. Ita S. Carolus in Inſtruct. Confeſſar. ibi: *Poenitentem in aliqua ex his occaſionibus aut ſimilibus, ſi urgens ſit illa occaſio, ut qui concubinam, v. gr. aleret, non debet ſine dubio confeſſarius abſolvere, niſi hanc occaſionem antea ſuſtulerit. Pro aliis vero occaſionibus, quales ſunt aleæ vacatio, aſpectus minus pudici, colloquia &c. non abſolvatur, niſi eas dimittere poenitens polliceatur: quod ſi jam alias id pollicitus ſit, nec emendatus fuerit, abſolutio tamdiu differatur, donec emendationem agnoverit*. Deinde ſic monet confeſſarium. *Oportet eum ſeveriorem eſſe, rigidioremque circa eas actiones & exercitia, quæ reipſa inutilia ſunt, dant tamen propenſionem ad malum, & ſæpe ac facile pertrahunt ad diverſa peccata. Hujuſmodi ſunt choreis intereſſe, cum blaſphemis verſari ſæpius, aut rixæ deditis, popinas frequentare, indulgere otio, & id genus alia, quæ conſuetudinem afferunt peccandi mortaliter. Nam abſolutionem non debet impertiri, quin his omnibus renuntiet pœnitens, ſpondeatque ab iis abſtinere diligenter. Si tamen confeſſarius prudenter judicet, ſe poſſe fidem adhibere pœnitenti promittenti earum fugam, ſemel iterumque poterit abſolutionem indulgere, ea tamen ſemper lege, ut ſi in iis diutius immoretur, eam poſtea differat, donec certis & evidentibus indiciis conſtet, illum ab his occaſionibus eſſe ſegregatum*.

*Reſp.* 3. Si pœnitens verſetur in occaſione proxima, quam non poteſt omnino, aut ſaltem ſine peccato dimittere, quamvis appareat contritus, ei ordinarie differenda eſt abſolutio, donec ſublatum ſit periculum proximum, ſeu probabile in ea peccandi, atque ita occaſio ex proxima facta ſit remota. Nam ſine abſolutionis dilatione pœnitentes in tali occaſione a relapſu efficaciter averti non ſolent, & alias exponerentur periculo amittendi brevi gratiam Sacramentalem. Interea autem præſcribenda ſunt media contra relapſum idonea, quæ tollant proximitatem occaſionis, ſeu periculi peccandi, vel detrahendo objecto vim proximam alliciendi ad peccatum, vel opponendo impedimentum cauſalitatis ejus. Ut ſi famulus, v. gr. qui non poteſt ab hero facultatem abeundi obtinere, peccaret ſæpe cum ancilla; debet ei præſcribi, ut quantum fieri poteſt, nunquam ſolus cum illa verſetur, colloquatur, nec in eam oculos figat, nulla ei amicitiæ ſigna det; ut ſe bonis cogitationibus armet, oret &c.

*Reſp.* 4. Si pœnitens verſetur in occaſione proxima etiam per accidens, quæ deſeri nequeat ſine graviſſimo damno temporali; ei ordinarie differenda eſt abſolutio; præſcriptis mediis contra relapſum aptis, donec emendatus appareat, & occaſio illa deſierit eſſe reſpectu illius periculum proximum peccandi, ſi remediis adhibitis putetur non peccaturus. Prius itaque tentanda eſt emendatio abſolutionis dilatione, qua pœ-

pœnitentes efficaciter moveri ſolent ad præſcripta remedia diligenter adhibenda. Ita S. Carolus in Inſtruct. Confeſſ. addens: *Si vero abſolutionem differre non poſſit, quin pœnitentem exponat gravi infamiæ periculo; tum ſi contritum certis quibuſdam notis videat, aut ita mente affectum, ut ad omnia remedia paratus ſit, quæ ad illius emendationem neceſſaria judicaverit prudens Sacerdos; tunc aptiora præſcribet & utiliora: puta, ut ſolus cum ſola nunquam conveniat: imponet & preces, & corporis macerationem aliquam, & in primis frequentem confeſſionis uſum, ſimiliaque exercitia, quæ ſi in ſe recipiat, tunc debebit eum confeſſarius abſolvere.*

Quod ſi mediis ad emendationem adhibitis adhuc peccet, ut antea, tunc per negationem abſolutionis cogendus erit pœnitens ad deſerendam illam occaſionem cum quantocumque damno temporali. Ita S. Carolus, ibid. Nam tunc ipſe pœnitens tenetur ſub mortali eam dimittere, etiam cum bonorum, famæ, & ſtatus jactura, juxta illud Chriſti præceptum tunc urgens: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te &c.* Ideſt, res cariſſimæ & utiliſſimæ dimittendæ ſunt ad vitandam occaſionem proximam peccati. Et vero peccatorem tam fragilem, & remedia adverſus relapſum præſcripta ſæpius fruſtra expertum, velle adhuc permanere in tali occaſione, eſt moraliter illum velle peccare; etenim vult aliquid cum peccato moraliter conjunctum, etſi ſolum reſpective ad ſe ipſum, cenſetur velle ipſum peccatum. Unde Concil. general. Lateran. II. can. 22. *Falſa etiam eſt pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævidet.* Igitur tunc dimitti debet officium, munus, res, mercatura &c. ſi perſeveret eſſe occaſio peccandi.

Quæſt. VII. *An Confeſſarius tenetur abſolvere eum, quem prudenter judicat eſſe contritum, & recte diſpoſitum?*

*Reſp.* Tenetur, niſi aliunde ſit juſta cauſſa differendi abſolutionem. Nam niſi adſit aliunde talis cauſſa, pœnitens vere contritus & integre confeſſus habet jus ad abſolutionem. Idque exigit ratio judicii juſti reconciliativi, & æquitas, ac pactum implicitum inter confeſſorem & pœnitentem; debet enim judex audita cauſſa judicare, & abſolvere reum abſolutione dignum, niſi adſit juſta cauſſa differendi. Præterea ſine juſta cauſſa exponeretur pœnitens periculo remanendi in ſtatu peccati mortalis, cum incertum ſit, an elicuerit perfectam contritionem; & ſic ſubiret periculum jacturæ operum meritoriorum.

Dixi: *Niſi ſit aliunde juſta cauſſa &c.*

Nam ſi confeſſarius ex ſpeciali pœnitentis infirmitate, & circumſtantiis occaſionum, quas vitare nequit, vel aliunde prudenter timeat, ne brevi relabatur, vel ne non ſatisfaciat alicui obligationi urgenti, niſi dilatione abſolutionis efficacius a relapſis avertatur, exciteturque ad citius ſatisfaciendum ſuis obligationibus, poteſt & debet differre abſolutionem. Confeſſarius quippe, ut miniſter Sacramenti, debet non ſolum valide illud adminiſtrare, ſed etiam providere, ut gratia per illud collata conſervetur, nec ſtatim amittatur; & ut medicus, tenetur adhibere media ad ſanitatem ſtabilem procurandam ac conſervandam apta. Nec pœnitens eſt tunc rationabiliter invitus, cum id cedat in ejus bonum, & abſolutio ei ſtatim non expediat. Ita *Delugo*, diſp. 14. ſect. 10. ubi docet, veram & communem ſententiam eſſe, quod poſſit eſſe cauſſa rationabilis aliquando differendi abſolutionem abſque conſenſu pœnitentis; licet ipſe aliunde credatur probabiliter eſſe nunc diſpoſitus: *Nam licet*, inquit, *pœnitens legitime diſpoſitus, confeſſione facta, habeat jus ad abſolutionem, non tamen habet jus ad hoc, ut ſtatim proferatur ſententia: poteſt enim judex arbitrari quomodo & quando debeat utilius proferri ſententia ... Ergo quando merito timet, pœnitentem nunc abſolutum facile relapſurum ſtatim in eadem crimina, niſi ipſa difficultate & dilatione abſolutionis melius agnoſcat gravitatem peccati, & neceſſitatem emendationis; poterit differre abſolutionem, ut pœnitens admonitus non maneat in tanto periculo reincidentiæ, quantum alias ſubiret ... Ratio a priori eſt, quod confeſſarius eſt non ſolum judex, ſed etiam medicus. Unde ſicut in pœnitentia imponenda ita exercet officium judicis punientis, ut debeat ſimul exercere officium medici curantis, atque adeo procurare, quod impoſitio pœnitentiæ ſit in utilitatem, & medicinam pœnitentis, quo reddatur magis cautus, & fortis contra tentationes; ſic in proferenda abſolutione, licet principaliter exerceat munus judicis abſolventis pœnitentem diſpoſitum, debet tamen ſimul procurare, ut medicus, in ipſa abſolutione curationem pœnitentis, eo videlicet modo abſolvendo, qui magis cedat in utilitatem & remedium ægroti: ad utrumque enim habet jus confeſſarius, nec poteſt prohiberi a pœnitente, ne in ipſa abſolutione utrumque exerceat.* Et addit, ſententiæ huic communi adſtipulari experientiam multorum pœnitentium, qui hoc remedio brevi tempore ſolent curari.

Non tamen diu differri debet abſolutio contrito. Nam hoc eſſet contra finem Sacramenti, quippe quod inſtitutum eſt non ſolum ad remiſſionem peccatorum commiſſorum, ſed etiam ad futurorum vitationem per gratias actuales, quæ intuitu Sacramenti ſuſcepti dantur in hunc finem.

Quæſt. VIII. *Quomodo confeſſarius debet ſe gerere erga moribundos?*

*Reſp.* 1. Si moribundus uſu rationis & ſenſuum ſit præditus, debet Sacerdos curare, ut integre, quantum poteſt moraliter, confiteatur, & vere conteratur; ut eliciat actus fidei, ſpei, & caritatis perfectæ, qui tunc obligant; ut ſatisfaciat ſuis omnibus obligationibus, præſertim juſtitiæ & caritatis erga proximum &c. & ad hæc omnia excitare atque adjuvare. Item debet dare illi pœnitentiam, quam tunc implere facile poſſit, ut actus patientiæ, & indicare aliam peccatis proportionatam, quam implere teneatur, ſi convaluerit, ut docet Rituale Rom.

*Reſp.* 2. Quivis moribundus, qui abſente Sacerdote, abſolutionem petiit, vel ſigna doloris aut voluntatis confitendi dedit, & poſtea adveniente Sacerdote omni ſenſuum uſu deſtituitur, debet abſolvi. Conſtat 1. Ex praxi Eccleſiæ. 2. Ex Concilio Carthagin. IV. can. 76, & Arauſ. I. can. 12. & ex

Ri-



Rituali Romano auctoritate Pauli V. edito, & ab eo toti Eccleſiæ propoſito, tanquam continente ſinceros Eccleſiæ Catholicæ ritus, quod ſic habet: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & ſignis conetur Sacerdos, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitenti cognoſcere, quibus utcumque, vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt:* 3. Quia voluntas confitendi exterius ſignificata, eſt confeſſio, ſeu accuſatio ſui generica & ſenſibilis, quæ in extrema neceſſitate ſufficit. Nam qui ſignificat, ſe velle confiteri, vel petit confeſſarium, hoc ipſo exterius confitetur ſe eſſe peccatorem, & velle abſolvi, ideoque etiam præſumitur eſſe contritus. Signum autem doloris, quod in periculo mortis editur, cenſeri debet ad Sacramentalem abſolutionem directum, cum in tali ſtatu fideles optimum animæ ſuæ remedium exoptare ſoleant: ideoque etiam voluntatem confitendi implicite ſignificant. Ratio eſt voluntas Chriſti, qui noluit hoc Sacramentum ad ſalutem neceſſarium, ſæpe impoſſibile eſſe tum, cum eſt maxime neceſſarium, ſcilicet in articulo mortis.

Sed pro praxi, Sacerdos a tali moribundo conetur elicere aliquod peccatum in ſpecie, & ſignum doloris. Quod ſi id fieri nequit, curet ut in moribundi præſentia aliquis teſtetur, eum dediſſe ſigna doloris, vel deſiderii confitendi. Quod ſi neque hoc fieri poſſit, tenetur illum abſolvere, ſi ab aliquo audierit, ante adventum ſuum eum dediſſe ſignum doloris, aut petiiſſe confeſſorem; nam dum non agitur de damno tertii, creditur uni teſti. Nec obſtant Concilia & Rituale Rom. utentia numero plurali, quia intelligi debent in ſenſu diſtributivo, non collectivo: ſic cum dicunt, animam defuncti poſſe juvari aliorum fidelium ſuffragiis, ſenſus eſt diſtributivus, quod ſingulorum ſuffragiis poſſit juvari.

Idem dic, ſi teſtis hoc tantum ſcierit relatione alterius. Nam notitia mediata, notitia eſt, & ſufficit ad alios effectus, in quibus major certitudo requiritur, ver. gr. in Baptiſmo. Item quamvis ſigna illa moribundi dubia ſint, ut ſi viſus ſit tundere pectus, oculos ad cælum tollere, aliquam imaginem devote reſpicere, abſolvendus eſt; nam iſta cenſeri debent relata ad abſolutionem Sacramentalem, cum quilibet in articulo mortis cenſeatur, optimum animæ ſuæ remedium optare. Præterea in extrema neceſſitate proximi tenemur ei ſubvenire meliori modo, quo fieri poteſt. Et cum Sacramentum ſit ad ſalutem hominum inſtitutum, ſatius eſt illud exponere periculo nullitatis, quam hominem periculo æternæ damnationis; nec hoc eſt contra ejus reverentiam, ſed ſecundum ejus finem, ſi prout poteſt, conferatur in extremo periculo ſalutis.

*Reſp.* 3. Magna controverſia eſt, an abſolvi poſſit moribundus omni ſenſuum, & rationis uſu deſtitutus, qui nulla ſigna externa doloris, vel deſiderii confitendi dedit coram aliquo.

Plurimi docent, eum non poſſe valide abſolvi, nec proinde etiam licite, quamvis conſtet, ipſum chriſtiane vixiſſe. Quia 1. S. Leo, Concilia Carthag. & Arauſ. cit. & Rituale Rom. dum ſtatuunt moribundum abſolvendum eſſe, expreſſe addunt hanc conditionem: Si aliqua ſigna pœnitentiæ dederit. Ergo eo ipſo ſignificant, non eſſe abſolvendum, deficiente tali ſigno. 2. Nullum eſt Sacramentum Pœnitentiæ ſine confeſſione Sacramentali, cum hæc confeſſio ſit ejus pars eſſentialis; ſed in hac hypotheſi nulla eſt confeſſio Sacramentalis: Ergo. *Probant min.* Confeſſio Sacramentalis eſt ſenſibilis accuſatio peccati admiſſi, ordinata ad abſolutionem Sacerdotis. Nam hoc Sacramentum eſt judicium ſenſibile, quod proinde includere debet accuſationem externam ac ſenſibilem, quæ reddat ſenſibilem dolorem internum; & materia Sacramenti debet eſſe ſenſibilis, cum Sacramentum ſit quoddam totum ſenſibile. At in hac hypotheſi deeſt accuſatio ſenſibilis, & ordinata ad abſolutionem: neque enim vita prius chriſtiane tranſacta, eſt moribundo hic & nunc accuſatio ſui ad abſolutionem ordinata poſt peccatum commiſſum. Requiritur autem ex parte pœnitentis poſt peccatum commiſſum aliqua voluntas ſenſibiliter manifeſtata, qua ſe accuſet, vel certe imploret officium judicis; alioqui proferretur ſententia ſine ullo proceſſu. Dico. *Poſt peccatum*. Nam ridiculum eſſet, quod quis hodie ſe vellet accuſare de peccato cras committendo, ut cras ab eo abſolvatur vi hujus accuſationis.

Alii vero non pauci, & tota Facultas Lovanienſis, teſte Havermanno, contendunt, talem moribundum abſolvi poſſe ſub conditione, ideoque debere, modo chriſtiane vixerit, vel poſt peccatum pœnitentiæ agendæ tempus habuerit: ſi enim in ipſo actu criminis, ver. gr. in ebrietate, vel duello ſenſuum uſu privetur, facile concedunt, non eſſe abſolvendum, cum conſtet eſſe indiſpoſitum. *Probant* 1. ex S. Auguſt. lib. 1. de adulter. conjug. c. 28. ubi ait: *Ego non ſolum alios catechumenos, verum etiam ipſos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina conſortia, cum ſalvo corpore in his permanentes non admittamus ad Baptiſmum; tamen ſi deſperati, & intra ſe pœnitentes jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum ceteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortaſſis adulterinæ carnis illecebras uſque ad baptiſmum ſtatuerant detinere? ... Quæ autem baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſſa, ſi forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet Mater Eccleſia.* Sed priores reſpondent, S. Doctorem ſupponere, moribundum petiiſſe prius pœnitentiam, ſicut catechumenos Baptiſmum, unde eum vocat pœnitentem; & catechumenos dediſſe aliquod doloris ſignum, v. gr. nutu, percuſſione pectoris &c. Alioqui fruſtra dixiſſet: *Si intra pœnitentes jacuerint*: nam ſi nullum pœnitentiæ ſignum præbuerint, unde intra ſe pœnitentes eſſe noſcemus? *Probant* 2. ex Sacerdotali Romano Venetiis anno 1560. excuſo, ubi dicitur, talem moribundum eſſe abſolvendum, *ſi bene vivebat, & frequentabat confeſſionem & communionem*. Item ex ſtatutis ſynodalibus Eccleſiæ Lemovicenſis, & ex memoriali confeſſorum, edito Bononiæ juſſu Archiepiſcopi Bononienſis, qui poſtea factus Summus Pontifex Gregorius XV. opinionem non mutavit, ſed etiam in ſuo quondam Archiepiſcopatu in praxim redigi permiſit. *Probant* 3. Quia quoties eſt materia dubia, vel probabiliter præſumpta in moribundo ſen-



ſibus

ſibus deſtituto, hic poteſt abſolvi ſaltem ſub conditione: nam tunc nulla irrogatur irreverentia Sacramento ob neceſſitatem proximi. At in tali moribundo reperitur talis materia, nempe contritio & confeſſio generica ac confuſa, probabiliter ex aliquo ſigno externo præſumpta, vel dubia. Nam vita chriſtiane acta, eſt ſignum externum probabile, vel ſaltem dubium doloris, & voluntatis confitendi ſaltem paullo ante privationem uſus ſenſuum elicitæ, & ad abſolutionem ſufficienter directum in tali neceſſitate; cum enim fidelis quiſque ideo chriſtiane vivat, ut pie ac chriſtiane moriatur; implicite ſaltem vitam ſuam chriſtianam dirigit ad ſuſcipienda in mortis articulo Sacramenta. Item vita chriſtiane tranſacta eſt ratio præſumendi, illum moribundum revera dediſſe in hoc morbo aliquod ſignum externum doloris in ordine ad abſolutionem, v. gr. pectus tutudiſſe; oculos in cœlum ſuſtuliſſe, Deum oraſſe &c. immo etiamnum internam contritionem ac voluntatem confitendi elicere, & conari manifeſtare omnibus, quibus poteſt, ſignis externis, omnibus videlicet motibus corporis ſui; aut certe contrarium non conſtat. Unde inferunt, tunc haberi ſignum externum contritionis, & voluntatis confitendi ſaltem probabiliter præſumptum aut dubium, ideoque ſufficiens ad abſolutionem conditionatam in tali neceſſitate.

Jam vero ſi talis poteſt abſolvi, eum abſolvere tenetur Sacerdos. Nam quiſque ex lege caritatis tenetur proximo in extremo periculo ſubvenire meliori modo, quo poteſt, afferendo ſaltem opem dubiam, quæ melior eſt nulla, ſi certam afferre nequit.

Ad id quod objicitur, nempe duo Concilia ſupra citata, & Rituale Romanum exigere ſignum aliquod pœnitentiæ, reſpondent, ea loqui de eo, quod certum erat, & haberi debet quantum fieri poteſt. Præterea in hoc caſu præſumitur ſignum externum pœnitentiæ.

Circa hoc Rituale Tullenſe hæc ait: Donec Eccleſia de hac difficultate deciderit, poterunt confeſſarii ſequi in praxi id quod favorabilius eſt ſaluti ejuſmodi moribundorum, & eos abſolvere, ſi ſemper chriſtiane vixerint.

Quæſt. IX. *Ad quid tenetur Confeſſarius propter defectum in Sacramento admiſſum?*

*Reſp.* Si invalide abſolvit pœnitentem a cenſuris vel peccatis reſervatis, tenetur ſaltem, ſi commode poteſt, illum monere, ut ſibi quærat remedium ab alio; vel obtenta a ſuperiore facultate illum abſolvendi, pœnitentem præſentem poſt iteratam contritionem abſolvere. Si vero pœnitentem induxit in aliquem errorem, ex quo ſequitur violatio præcepti alicujus, dicendo non extare tale præceptum, tenetur monere pœnitentem: alioqui eſſet cauſſa, cur is præceptum violaret, & quiſque tenetur tollere cauſſam mali, quam poſuit etiam inculpate. Item ſi ex omiſſione monitionis, & ſilentio confeſſarii, moveatur pœnitens ad credendum licitum id, quod eſt illicitum, tenetur confeſſarius poſtea eum monere: quia quiſque tenetur curare, ne alii ex ſua actione, vel etiam ex ſua omiſſione ſcandalum accipiant, & ne moveantur ad violandum etiam materialiter præcepta. *Delugo*. Et quia reparari debet omiſſio periculoſa rei ex officio debitæ. Non poteſt autem confeſſarius pœnitentem monere extra tribunal pœnitentiæ ſine ejus facultate expreſſa.

Quæſt. X. *Ad quid tenetur confeſſarius propter defectum circa reſtitutionem?*

*Reſp.* 1. Si ſine culpa deobligaſti poenitentem a reſtitutione, ad quam tenebatur, vel obligaſti, ad quam non tenebatur, teneris ex juſtitia errorem dedocere. Nam quiſque tenetur ex juſtitia impedire, ne ſua actione etiam inculpabili pariat alteri damnum: alioqui cognito errore, tenetur de damno; proximus enim jus habet, ne damnum a quoquam quovis modo patiatur.

*Reſp.* 2. Si ex malitia, vel ignorantia vincibili, aut gravi negligentia conſiderandi, dixiſti poenitenti, eum non teneri ad reſtitutionem, ad quam reipſa tenetur; teneris errorem dedocere. Quod ſi non dedoces, vel ſi poenitens interea factus eſt impotens ad reſtituendum, qui alioqui reſtituiſſet, teneris ipſe reſtituere illi tertio. Nam violaſti jus, quod ille habebat, ne impedires reſtitutionem ei debitam, & conſilio tuo es cauſſa efficax ejus damni. Si vero poenitens poſſit adhuc reſtituere, ſufficit, quod eum moneas de ejus obligatione, nam tua monitione ſufficienter tollis cauſſam damni inferendi, quam poſueras: unde ſi poenitens non reſtituat ex malitia, id tibi imputari nequit, cum jam non ſis cauſſa damni.

*Reſp.* 3. Si ex ignorantia vel negligentia culpabili omiſiſti ſolum admonere poenitentem de obligatione reſtituendi, teneris eum poſtea admonere. Sed juxta multos non teneris ipſe reſtituere, ſi poenitens ſit interea factus impotens ad reſtituendum, immo etiamſi non moneas eum de reſtitutione facienda, ſaltem niſi ex officio habeas curam animarum. Quia confeſſarius præciſe, ut confeſſarius non tenetur ex juſtitia impedire damnum ejus, cui debetur reſtitutio, ac proinde omittendo monitionem non peccat contra jus creditoris, ſed tantum contra bonum ſpirituale poenitentis; confeſſarius enim nullam juſtitiæ obligationem, nec officium habet in ordine ad creditorem, ſed tantum in ordine ad poenitentem; nec tenetur ex officio procurare bonum temporale aliorum, ſed ſolum ſpirituale bonum poenitentis, nec eſt hujus caput politicum, ſicut prælatus reſpectu ſuorum ſubditorum. Omittens autem, aut tacens non tenetur de damno non impedito, niſi ei, cujus damnum tenetur ex juſtitia impedire. Itaque hac in re non eſt par ratio confeſſarii, & judicis profani: nam hic tenetur ex officio bonum aliorum ſpectante ſervare jus omnium, tamquam perſona publica conſtituta ad procurandum bonum temporale, & jus aliorum; confeſſarius autem obligatur ſoli poenitenti in foro poenitentiæ, quia hoc forum ac judicium privatum eſt, & inſtitutum in bonum poenitentis.

Dixi: *ſaltem niſi ex officio habeas curam animarum*, ut ſunt Epiſcopi & Parochi, quos teneri tunc ad reſtitutionem valde probabile eſſe cenſet Leſſius; quia cum iſti ſint ſuperiores, ex officio tenentur regere ſubditos, & pro modo ſuæ gubernationis impedire, ne aliis damnum inferant, ac proinde tenentur curare, ſi commode poſſint, ut reſtitutionem faciant. Ejuſdem enim rationis eſt damnum inferre, & illatum nolle reſarcire.

*Reſp.* 4. Si poenitentem culpabiliter, hoc eſt ex malitia, vel ignorantia vincibili, vel gravi negligentia conſiderandi, obligaſti ad reſtitutionem, ad quam





non tenebatur, teneris ex juſtitia errorem retractare. Quod ſi jam reſtituit, teneris damnum illud ipſi reſarcire. Nam illius fuiſti cauſſa efficax & injuſta tuo falſo conſilio, ex cap. ultim. *de injur.* Item teneris poenitenti de damno, ſi tua omiſſione culpabili fuiſti cauſſa, cur ipſe reſtitueret id, ad quod non tenebatur: nam tale damnum oritur ex omiſſione monitionis ei debitæ ex officio erga eum, ideoque ex juſtitia debitæ.

Quæſt. XI. *An Sacerdotes non habentes curam animarum tenentur audire confeſſiones, ſi ſint idonei, & approbati?*

*Reſp.* 1. Tenentur ex caritate ſub mortali, etiam cum periculo vitæ, audire confeſſiones cujuslibet exiſtentis in extrema neceſſitate ſalutis, qui ſcilicet ſalvari nequeat ſine opera confeſſoris. Nam quiſque tenetur ex caritate ſalutem æternam proximi præferre vitæ ſuæ corporali; tenentur enim vitæ ſuæ corporali præferre ſalutem propriam; ergo ſalutem proximi, quem ſicut ſeipſum diligere tenentur.

*Reſp.* 2. Tenentur etiam ex caritate ſub mortali audire confeſſiones hominum in gravi neceſſitate ſpirituali exiſtentium, ut in periculo mortis, ſi alius deſit, & id poſſint ſaltem ſine gravi damno & vitæ periculo. Nam caritas obligat ad ſuccurrendum proximo in gravi neceſſitate, cum id fieri poteſt, ſaltem ſine gravi incommodo & damno. Immo *Suarez* hic diſp. 32. ſect. 1. docet, quemlibet Sacerdotem teneri ex caritate, audire confeſſiones etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis, ſi vita ſpiritualis, ſeu ſalus proximi periclitetur, & non ſit alius qui ſubveniat; nam licet in rigore poſſit proximus per contritionem perfectam ſalvari, tamen magno morali periculo exponitur, quando ſine alio medio relinquitur.

Certe ſecundum communem ſententiam, in neceſſitate gravi ſpirituali communitatis, ut ſi peſte graſſante, ob carentiam Sacerdotis morerentur communiter abſque confeſſione, Sacerdos privatus tenetur ſub mortali, etiam cum periculo vitæ, audire confeſſiones, ſi alii non ſubveniant. Quia gravis neceſſitas ſpiritualis communitatis, licet non extrema, eſt per ſe graviſſimum malum, cui merito ſuccurri debet cum jactura vitæ privati, & quia vix fieri poteſt, ut talis neceſſitas non ſit conjuncta cum neceſſitate extrema aliquorum. *Delugo*.

*Reſp.* 3. Extra neceſſitatem gravem tenentur, quando facile poſſunt, & utilitas proximi magna id exigit ex 1. Petr. 4. *Unuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei*. Nam ſine culpa non poſſunt ex negligentia inutilem reddere poteſtatem abſolvendi, in utilitatem proximi acceptam.

## CAPUT IV.

### *De Sigillo Confeſſionis.*

Sigillum illud eſt religioſa obligatio ſervandi in quovis caſu ſecretum circa ea, quæ ex confeſſione Sacramentali cognita ſunt.

Quæſt. I. *Quæ & quanta eſt obligatio Sigilli Confeſſionis?*

*Reſp.* 1. Secretum confeſſionis obligat. 1. Jure naturali, quo generatim tenemur, non revelare ſecretum commiſſum, & promiſſum etiam implicite, præſertim cum damno aut infamia alterius. In confeſſione autem intercedit tacita pactio inter Confeſſorem & poenitentem: nam hic peccata ſua declarat ſub conditione tacita ſecreti, quod Confeſſarius tacite ſpondet hoc ipſo, quod audit confeſſionem. 2. Lege divina ſpeciali poſitiva, immo & naturali, ſuppoſita inſtitutione confeſſionis Sacramentalis, quia id ex natura rei conſequitur, ne ſcilicet revelatione ſecreti confeſſio reddatur oneroſa & odioſa, & ſic ab illa homines avertantur. 3. Lege Eccleſiaſtica vetante revelationem ſigilli ſub graviſſimis poenis lata in Concil. gener. Later. IV. c. 21. ibi: *Caveat omnino, ne verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem: ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a Sacerdotali officio deponendum decernimus; verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monaſterium detrudendum.*

Hinc in violatione ſigilli reperitur malitia injuſtitiæ erga poenitentem, & ſacrilegii ob irreverentiam in Sacramentum, quæ malitia ſacrilegii ſemper eſt ex ſe mortalis, nec poteſt eſſe venialis ex levitate materiæ: ita ut ſit mortale, vel unum veniale in particulari revelare. Nam minima infractio ſigilli graviter injurioſa eſt Sacramento, cum illud reddat odioſum, & avertat a confeſſione, & revelatio venialis culpæ a confeſſione venialium deterret.

*Reſp.* 2. Hæc obligatio tanta eſt, ut nullo prorſus caſu, vel ad tormenta quælibet, & mortem vitandam, liceat ſecretum confeſſionis revelare, ſine expreſſo conſenſu poenitentis, ut conſtat ex ſenſu & praxi Eccleſiæ. Quia Chriſtus dum hoc Sacramentum inſtituit, & poenitentes obligavit ad confitendum omnia mortalia, ſimul obligavit confeſſarium ad confeſſionis ſecretum nunquam violandum quavis de cauſſa. Nam ſi liceret aliquo caſu detegere cognita ex confeſſione, confeſſio fieret odioſa, & ab ea homines averterentur: quod eſt maximum malum commune, gravius damno vitæ, cum confeſſio ſit medium ſalutis non ſolum utiliſſimum, ſed etiam neceſſarium. Semper enim poenitens timeret, ne occurreret ille caſus, vel ne confeſſarius eam neceſſitatem apprehenderet, & revelaret ejus peccatum, præſertim cum multi hac licentia ex imprudentia facile abuti poſſent. Hinc c. *de pœnit.* diſt. 6. dicitur, nefas eſſe aliquid revelare etiam pro aliquo ſcandalo vitando. Quare obligatio ſervandi ſecretum confeſſionis longe major eſt & arctior, quam obligatio ſecreti naturalis, quod aliquando aperiri debet, dum ejus revelatio neceſſaria eſt ad impediendum malum innocentis, vel reipublicæ.

Dixi. 1. *Sine conſenſu pœnitentis*. Nam eo ſponte dato, licet juſta de cauſſa uti notitia in confeſſione acquiſita. Quia cum obligatio ſigilli ſit in favorem poenitentis, poteſt is juri ſuo cedere, & dare facultatem revelandi aliquid in confeſſione declaratum; poteſtque per alium facere, quod poteſt per ſe ipſum. Et aliquando ad id tenetur, v. gr. ad avertendum damnum reip. vel tertii; ac proinde ſi eam deneget, non debet abſolvi, cum ſit indiſpoſitus.

Dixi. 2. *Expreſſo*. Nam non ſufficit conſenſus præſumptus, vel interpretativus, ut cum confeſſarius judicat, poenitentem facultatem conceſſurum, ſi peteretur. Quia ſi non requireretur expreſſus conſenſus confeſſio redderetur valde odioſa & oneroſa: ſæpe enim multi confeſſarii ex imprudentia putarent, ejuſmodi revelationem eſſe gratam poenitenti, cum tamen valde diſpliceret; ſicque merito timerent poenitentes, ne aliquo caſu ex ſimili præſumptione peccata ſua proderentur. Unde graviter peccat confeſſarius contra ſigillum, ſi plura peccata, aut pluribus aperiat, quam poenitens expreſſe conſenſit, vel ſi facultatem illam injuria aut fraude ab eo extorquet, falſo ei perſuadendo, illum teneri hanc concedere, aut quid ſimile. Item non ſufficit, quod teneatur concedere, ſi reipſa non concedat; nam nihilominus redderetur confeſſio odioſa.

Quæſt. II. *Quænam ſigilli ſecreto continentur?*

*Reſp.* Ea omnia, quæ per Confeſſionem deteguntur, ſcilicet omnia peccata tum mortalia, tum venialia, tam interna & occulta, quam externa & publica, eorumque circumſtantiæ: item tentationes, vitia, cupiditates, indiſpoſitio, imperfectiones, defectus naturales etiam inculpabiles, ſcrupuloſitas, & ignorantia poenitentis; defectus natalium, peccatum complicis, materia ac objectum peccati; perſona quæ eſt objectum, cauſa, circumſtantia, vel occaſio peccati, aut aliter; item quæcumque a poenitente dicta ſunt ad pleniorem peccatorum, conſcientiæ ac diſpoſitionis ſuæ manifeſtationem, ſive reipſa, ſive ex falſa ejus opinione ad eam manifeſtationem pertineant, vel utilia ſint, etiamſi ad alios ſpectent; & alia quælibet, quæ poenitens non vult, ut detegantur. Ratio eſt, quia revelatio quorumvis iſtorum redderet Confeſſionem odioſam, cum moleſtiam, vel infamiam, vel dedecus inferre nata ſit poenitenti, præſertim cum multi neſciant diſcernere, quæ ſunt, ac debeant dici, aut omitti in Confeſſione. Immo juxta Coninck, & alios, poenitentis defectus, quos Confeſſarius ex ipſo modo confitendi colligere poteſt, cadunt ſub ſigillum, ita ut illud violat, ſi dicat poenitentem eſſe ſcrupuloſum, impertinentiis, & næniis tempus conterere, eſſe moroſum, & his ſimilia. Nam hoc aptum eſt reddere Confeſſionem odioſam, ideoque in praxi vitandum.

Quæſt. III. *Quomodo violatur ſigillum Confeſſionis?*

*Reſp.* Dupliciter. 1. Directe, revelando expreſſe aliquid ex ſola Confeſſione cognitum. 2. Indirecte, aliquid dicendo aut faciendo, ex quo quis cognoſcere vel ſuſpicari poſſit, peccatum vel defectum poenitentis aut aliorum, aut quævis per confeſſionem cognita, quibus poenitenti, aut aliis pudor, moleſtia, dedecus, damnum, vel quodlibet gravamen ſequi poſſet; etiamſi audiens id aliunde ſciat. Quæ omnia reddunt Confeſſionem odioſam.

Hinc ſecretum Confeſſionis violat, 1. Qui dicit de aliquo etiam mortuo, quod commiſerit aliquod mortale, vel plura venialia, vel tale veniale in particulari, v. g. mendacium. Non tamen qui dicit præciſe: Petrum ſibi confeſſum eſſe aliquod veniale indeterminate; nam hoc ex ipſo actu Confeſſionis patet: qui enim confitetur, hoc ipſo atteſtatur, ſe aliquando ſaltem veniale admiſiſſe. Sed ne hoc quidem dicendum eſt ob periculum ſcandali. Dixi: *Etiam mortuo*. Nam revelatio cognitorum ex Confeſſione, etiam poſt mortem pœnitentis redderet Confeſſionem valde oneroſam, ac odioſam; cum homines ſint valde ſolliciti, ne etiam poſt mortem infamentur.

2. Qui unum præ aliis, quos audivit, laudans dixit, eum ſola venialia admiſiſſe: nam inde alii facile in ſuſpicionem culpæ mortalis adducuntur.

3. Qui dicto vel facto peccatum pœnitentis aliis etſi jam aliunde ſcientibus manifeſtat.

4. Qui dicit aliquod grave peccatum committi in tali Monaſterio, vel Capitulo. Nam hoc parit infamiam communitati, redditque Confeſſionem odioſam. Item qui dicit in loco illo, præſertim anguſto, ubi Confeſſiones audivit, eſſe multos fures, adulteros, luxurioſos, aut injuſtos &c. vel in tali loco (1) talia, & talia committi ſolere, & præſertim ſi hoc aliunde non conſtet, nec ſit publicum. Nam hoc infamiam loci, ſeu communitatis parit, quæ in ſingulos redundat.

5. Qui auditis paucorum Confeſſionibus, dicit, ſe tale peccatum audiviſſe, non nominata perſona. Jam enim ſinguli ex illa relatione aliquid ſuſpicionis contra ſe patiuntur; vel qui peccata per Confeſſionem cognita, ita narrant, ut audientes poſſint aliquo modo conjicere vel ſuſpicari, quinam ea commiſerint.

6. Qui dicit ſe non abſolviſſe talem; remiſiſſe ad tale tempus, vel ei dediſſe talem poenitentiam, ex qua colligitur peccatum mortale ſaltem in genere; vel qui de Titio fure notorio dicit, eum ſua furta contritione magna ſibi confeſſum eſſe.

7. Duo Confeſſarii, qui inter ſe colloquuntur de peccatis poenitentis, etiamſi is utrique eadem peccata confeſſus fuerit.

8. Qui alta voce, vel alio modo a circumſtantibus intelligibili, arguit poenitentem: nam hoc ipſo indicat gravitatem materiæ quam audit.

9. Utendo notitia per Confeſſionem parta ſine licentia, & cum gravamine poenitentis, vel cum ejus licentia, ſed extorta, nec ſponte data. Porro poteſt violari ſigillum non ſolum verbis, ſed etiam factis, & aliis ſignis, ut conſtat ex Conc. Later. cit.

*Nota* 1. Quamvis non violet ſigillum, qui præciſe refert peccata in Confeſſione audita, perſonam & locum nullo modo deſignando, ſic ut audientes ne leviter quidem ſuſpicari poſſint, quinam ea commiſerint: tamen recte monens non eſſe dicendum: *Hæc peccata audivi in Confeſſione*. Quia audientes præſertim Laici, facile ſcandalizantur, ſuſpicantes violari ſigillum, & quandoque periculum eſt ne ex imprudentia lædatur ſigillum, & deveniatur in ſuſpicionem perſonæ. Immo hoc prohibitum eſſe a Concil. Lateran. cap. *Omnis*, niſi in neceſſitate petendi conſilium, docet Fagnanus. Quia Concilium ſolum permittit de peccato audito, abſque ulla expreſſione perſonæ, & caute conſulere ſub hac conditione: *Si prudentiori conſilio indiguerit*: ergo extra hanc indigentiam id non licet.

(1) *Declaratur id ex Bened. XIV. hæc referente* (*lib.* 5. de Syn. *c.* 4. *nu.* 3.) Cum olim Vicarius Generalis Tridentinus rogaverit Regulares oppidi Bulganenſis, ut ſibi, adjecta ceteroquin ſevera lege ſecreti, quod ſe religioſe ſervaturum promittebat, manifeſtarent, quænam in genere eſſent graviora peccata, quæ eo in loco magis communiter committerentur, & Regulares Vicario morem gerere abnuerint, quos tamen Vicarius urgere non deſinebat; re delata ad Sacram Congregationem Concilii; hæc die 19. Auguſti 1763. dixit: Regulares ad id cogi non poſſe, & monendum Vicarium, ut ab ejuſmodi interrogationibus abſtineret.



*Nota* 2. Quamvis liceat Confeſſario loqui de rebus, quas aliunde novit, quia nihil cadit ſub ſigillum, niſi quod cognitum eſt ex Sacramentali Confeſſione, & ut ex ea cognitum ſive immediate, ſive mediate; violat tamen ſigillum, ſi aliquid amplius vel certius affirmet, quam extra Confeſſionem novit.

*Nota* 3. In conſilio captando omittendæ ſunt circumſtantiæ loci, temporis, & aliæ inutiles, ne facile innoteſcat pœnitens. Quod ſi ſine periculo revelationis conſilium peti nequeat, tunc non licet petere ſine venia expreſſa poenitentis.

Quæſt. IV. *An licet Confeſſario loqui cum ipſo pœnitente de auditis in Confeſſione?*

*Reſp.* Non licet extra Confeſſionem abſque ejus expreſſa licentia, quam poenitens tenetur dare, cum id neceſſe eſt ad ſupplendum aliquem defectum, vel errorem dedocendum. Ita S. Carolus in inſtruct. Confeſſar. Quia alias hoc moleſtam, & odioſam redderet Confeſſionem: nam pudorem injicit, & exprobrationem quamdam continere ſolet. At id omne, quod Confeſſionem odioſam ac moleſtam reddere poteſt, eſt graviter a Chriſto prohibitum.

Hanc licentiam cenſeri dari a poenitente docet Delugo, quando ipſe interrogat, vel loquitur cum Confeſſario de aliquo, quod dixi in Confeſſione. Immo ſi ſtatim poſt impoſitam ſatisfactionem, ac datam abſolutionem Confeſſarius judicet aliquid addendum circa dicta in Confeſſione, poteſt id facere, quamdiu poenitens eſt in Confeſſionario. Quia id ſpectat ad complementum judicii Sacramentalis, quod adhuc cenſetur durare, & cujus actus ſunt abſolvere, punire, conſulere, monere, corrigere, ligare, & ſimilia, & quia moraliter non cenſetur extra Confeſſionem, quod in continenti dicitur in Confeſſionario. Item poteſt ſequentibus Confeſſionibus poenitentem admonere de defectu aliquo in prioribus admiſſo, de negligentia ſe emendandi, de frequentia relapſuum &c., & uti notitia per priores Confeſſiones parta ad ſpecialia monita, ac fortiora remedia ſuggerenda. Quia loquitur in eodem foro Sacramentali, in quo Sacerdos ad bene curandum poenitentem debet conſiderare etiam peccata præterita, quæ indicant paſſionem vehementem, vel conſuetudinem, vel aliquid aliud conſideratione dignum, ad melius cognoſcendum ſtatum poenitentis: idque pertinet ad officium judicis, ac medici, quod tunc exercet. Et tunc agit, ut Dei vicarius, ac proinde poteſt uti notitia, quam ut talis habet.

Quod ſi poenitens extra tribunal facultatem loquendi de re neceſſaria ad Confeſſionem pertinente denegat Confeſſario, juxta multos non licet eum monere. Nam tunc Confeſſarius revera loqueretur extra Confeſſionem, cum judicium jam moraliter finitum ſit. At eſt regula generalis, quod Confeſſarius de Confeſſione ſine licentia pœnitentis loqui non poteſt extra Confeſſionem. Et vero ſi ſigillum non obligaret ad non loquendum cum pœnitente in eo caſu, non eſſet neceſſitas petendi licentiam: nam licentia pœnitentis non requiritur, niſi propter ſigillum; quam tamen neceſſitatem petitionis nemo negat. Quare licentia negata tacere debet Confeſſarius, & jam ſatisfecit ſuo muneri.

Quæſt. V. *An licet extra Confeſſionem uti notitia per Confeſſionem acquiſita?*

*Reſp.* 1. Licet uti cum licentia expreſſa pœnitentis ſponte ab ipſo in ipſius vel alterius utilitatem data. Quia ratio ſigilli eſt, ne Confeſſio reddatur odioſa: at tunc non poteſt inde Confeſſio reddi odioſa, cum quiſque ſciat, ſuam ſibi relinqui libertatem concedendi, vel negandi licentiam, & eam pro arbitrio limitandi. Et tunc pœnitens ponit conditionem, qua poſita, præceptum divinum non obligat: nam ſolum erat præceptum non revelandi, nec utendi notitia illa ſine licentia expreſſa pœnitentis. Tenetur autem pœnitens permittere uſum illius notitiæ, quoties neceſſarius eſt ad bonum commune, ad tollendam occaſionem peccati, ad avertendum grave damnum ſpirituale vel temporale alicujus privati, & alia, quæ juſtitia vel caritas exigit: alioqui abſolutione indignus eſt.

*Reſp.* 2. Nunquam licet ſine expreſſa licentia uti tali notitia, cum quavis directa aut indirecta revelatione cognitorum in Confeſſione, & ex qua oriri poſſit ſuſpicio uſus talis notitiæ. Quia quælibet revelatio etiam indirecta ſine expreſſa venia poenitentis eſt violatio ſecreti Confeſſionis, & reddit Confeſſionem odioſam, & oneroſam.

*Reſp.* 3. Neque licet ſine expreſſa licentia uti tali notitia, cum qualicumque poenitentis gravamine etiam temporali, etſi aliunde non injuſto, & ſecluſa quacumque revelatione, quamvis multo majus gravamen ejuſdem poenitentis ex non uſu ſequeretur. *Prob.* 1. Ex decreto a Sac. Congreg. generalis Inquiſitionis auctoritate Innocentii XI. edito, & Romæ affixo, ann. 1682. quo prohibetur hæc propoſitio, & ejus praxis. *Scientia ex Confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multo gravius ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur. Addita deinde explicatione ſive limitatione, quod ſit intelligenda de uſu ſcientiæ ex Confeſſione acquiſitæ cum gravamine pœnitentis, ſecluſa quacumque revelatione, atque in caſu, quo multo gravius gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur. Hanc dictam propoſitionem, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis, etiam cum dicta explicatione ſive limitatione, præſenti decreto prohibent &c.* 2. Clemens VIII. & Urbanus VIII. prohibuerunt Regularibus, ne hac notitia utantur ad exteriorem gubernationem. 3. Quia ille omnis uſus notitiæ per Confeſſionem partæ illicitus eſt, qui ſi cognoſceretur a poenitente eſſe licitus, redderet illi Confeſſionem odioſam: nam talis uſus a Sacramento avertit, & Chriſtus venit ne unquam redderetur odioſum. At ſi poe-

ſi pœnitentes ſcirent, licere Confeſſario, ipſis non advertentibus, uti notitia Confeſſionis ad aliquid ipſis grave ac moleſtum, redderetur illis Confeſſio odioſa, & ſemper id timerent. Et vero ſi non licet uti notitia cum gravamine aliquo pœnitentis, advertentis talem uſum, nec etiam licet, quamvis is non advertat: ſi enim antecedenter pœnitens ſciret, poſſe Confeſſorem uti occulte illa notitia contra pœnitentem, hic avocaretur non minus, ſed potius magis a Confeſſione peccati, quam ſi ſciret, non poſſe tale quid facere, advertente ipſo pœnitente. Nam magis lædunt illa, quorum cauſa ignoratur, quam illa quorum cauſſas ſcimus, quibus facilius poſſumus adhibere remedium per cauſſam contrariam, ut notat Delugo.

Nec obſtat, quod tum nulla eſſet revelatio Confeſſionis. Quia ſigillum obligat Confeſſorem non ſolum ad non revelandum peccatum pœnitentis, ſed etiam ad vitandum id omne extra Confeſſionem, quod eam redderet odioſam, & difficilem pœnitentibus; & ad continendam taliter notitiam illam, ut nunquam poſſit adhiberi contra ipſum poenitentem expreſſe non conſentientem. Sic peccat contra ſigillum, qui cum poenitente loquitur de peccato ejus, licet nihil prorſus revelet. Ratio enim, & obligatio ſigilli eſt, ne confeſſio difficilior, gravior ac moleſtior reddatur, & ſic odioſa fiat, & homines ab ea deterreantur. Unde ſcientia ex Confeſſione parta perinde ſe habet, ac ſi non eſſet, in ordine ad omnem uſum, qui Confeſſionem difficiliorem, ſeu moleſtiorem redderet.

Hinc non licet Confeſſario poenitentem ſecreto punire, male habere &c. Item Rituale Tullenſe monet, ne Parochus deneget teſtimonium bonæ vitæ, & probitatis ei, cujus vita exterius eſt recte inſtituta, ſed quem ex Confeſſione ſcit eſſe improbum, vel benedictionem nuptialem iis, quos ex ſola Confeſſione ſcit contraxiſſe impedimentum dirimens ob crimen: ut moneat parentes, ut diligenter invigilent filiæ, cujus libidinem ex ſola Confeſſione novit; ne amoveat Vicarium, ludi magiſtrum &c. a ſuo munere ob crimina ex ſola Confeſſione nota.

*Reſp.* 4. Ex communi ſententia, licitus eſt uſus notitiæ ex Confeſſione acquiſitæ, qui fit ſine ullo poenitentis gravamine, & ſine qualicumque revelatione tum directa tum indirecta cognitorum in Confeſſione, nec poteſt reddere Confeſſionem difficiliorem, & odioſam. Quia Chriſtus, illum ſolum uſum prohibuit, qui redderet Confeſſionem magis oneroſam ac difficilem poenitenti, & ab illa fideles averteret, cum obligatio ſigilli a Chriſto impoſita ſit, ne Confeſſio redderetur magis gravis ac moleſta poenitentibus, quam per ſe ſit.

Hinc licet Confeſſario ſæpius orare pro poenitente, conſulere libros, immo & doctores ſuper peccatis in Confeſſione auditis, emendare ſuam negligentiam, vel nimiam ſeveritatem, quam ex Confeſſione intelligit aliis nocere &c. modo non detur occaſio ſuſpicandi pœnitenti, vel aliis. Item licet fugere locum, ubi inſidias ſibi parari, & abſtinere a ſacrificio, in quo necandum ſe veneno didicit ex Confeſſione, modo præter pœnitentem nemo advertere poſſit, id fieri ex uſu notitiæ per Confeſſionem partæ. Quia hoc non poteſt ullum gravamen afferre pœnitenti, nec reddere Sacramentum odioſum, nec revelare Confeſſionem. Secus, ſi alter inde colligat, pœnitentem iſta declaraſſe, ac ideo ei ſuccenſeat, & noceat.

*Reſp.* 5. Confeſſarius cum licentia expreſſa pœnitentis debet uti notitia peccati complicis vel alterius, ex ſola Confeſſione parta, quando neceſſe eſt ad impediendum grave damnum ſpirituale, vel etiam temporale injuſtum pœnitentis, vel ipſius complicis, vel aliorum, ita ut nequeat impediri, niſi Confeſſarius moneat prudenter ipſum reum, vel ſuperiorem tamquam patrem. Nam tunc nec violatur ſigillum, nec fit injuria complici, & tenemur ex caritate impedire malum proximi, cum ſine peccato, & gravi incommodo poſſumus. Sed tunc Confeſſarius hortetur pœnitentem, ut extra Confeſſionem alienum peccatum ei aperiat, ut tanto liberius peccati notitia uti poſſit, & dicere correpto ſe illud extra Sacramentum accepiſſe, ne illi id odioſum fiat.

Porro nec Confeſſarius facile pœnitenti alios accuſanti, præſertim feminæ credat, nec onus monendi in ſe ſuſcipiat ſine neceſſitate. Nam ſæpe vel ex malitia, vel ex errore innocentes accuſantur.

Quæſt. VI. *Quid reſpondere debet Confeſſarius, dum interrogatur de cognitis in confeſſione?*

*Reſp.* 1. Confeſſarius de his interrogatus etiam a judice, debet ſecundum aliquos dicere, quæſtionem eſſe injuſtam & ſacrilegam, ad quam nefas ſit reſpondere. Sed quia id plerumque non ſufficit ad tollendam omnem ſuſpicionem, alii docent, eum debere ſimpliciter affirmare, etiam cum juramento, ſi opus ſit, ſe neſcire pœnitentem tale ſcelus commiſiſſe. Nec tunc utitur æquivocatione, aut reſtrictione, nec mentitur: quia reſpondet in ſenſu interrogationis, inquit Delugo: interrogatio enim eſt, aut debet eſſe, an ſciat peccatum ea ſcientia, quæ humani convictus legibus ſubjiciatur, & deſervire poſſit ad illud dicendum, de qua ſcientia interrogant homines, & de illa intelligi poteſt reſponſio. *Homo* (inquit S. Th. in 4. diſt. 21. qu. 3. art. 1. ad 3.) *non adducitur in teſtimonium, niſi ut homo; & ideo abſque læſione conſcientiæ poteſt jurare, ſe neſcire, quod ſcit tantum ut Deus*, id eſt, ut Dei vices ſpecialiter agens. Et S. Anton. 3. par. tit. 17. cap. 21. ait: *Si non poteſt alio modo declinare iniquum judicium, poteſt reſpondere: Nihil inde ſcio, quia ſubintelligitur, ut homo; & nihil ſcio etiam per confeſſionem, quod intelligitur tibi revelandum.* Alii dicunt, iſtam reſponſionem, *Neſcio*, in talibus circumſtantiis apud prudentes nihil aliud ſignificare, quam me nihil ſcire, quod ſubjiciatur humani convictus legibus. Nam notitia rerum ex confeſſione ſacramentali hauſta, non eſt ſcientia naturalis ordinis, quam quis habeat ut homo, & quæ pertineat ad uſum humani convictus ac ſocietatis, quæ inter homines per mutuum ſermonem fovetur; quare humanæ ſocietatis legibus nullatenus ſubjicitur. Malitia autem propria mendacii in eo potiſſimum poſita eſt, quod per illud peccatur contra leges humanæ, ſeu rationalis ſocietatis.

Si autem judex quærat: num confeſſionem Petri audieris; reſpondere debes te audiviſſe. At ſi quærat, num tale peccatum confeſſus fuerit, reſpondere debes, ſecundum aliquos, iſtam interrogationem eſſe injuſtam, impiam, & reſponſo indignam: ſecundum alios, te nihil tale audiviſſe, ſcilicet auditione eorum, quæ licet revelare, velut hominem.

*Reſp.* 2. Confeſſarius interrogatus an pœnitentes ab-



abſolverit, reſpondere debet, ſe officio functum eſſe, non autem abſolviſſe; alioqui enim id affirmans de uno & non de altero, indicaret denegatam abſolutionem; & ſic indirecte revelaret poenitentis indiſpoſitionem, aut peccatum reſervatum: quare eadem debet eſſe reſponſio pro omnibus poenitentibus, quos abſolvit, & quos non abſolvit. Hinc dum danda ſunt teſtimonia confeſſionis auditæ, debet Confeſſarius teſtari ſolum ſe audiviſſe confeſſionem talis.

Porro etſi regulariter ita reſpondendum ſit, non poteſt tamen damnari confeſſarius, qui dicit, ſe aliquem abſolviſſe, quando nullum eſt periculum pro aliis; quia hoc nullo modo eſt contra ſigillum, nec poteſt reddere confeſſionem odioſam. Quod ſi Sacerdos vocetur in jus a pœnitente, ut rationem reddat denegatæ abſolutionis, teſtari debet, ſe nullum in hac exigenda ratione ſuperiorem agnoſcere præter Deum.

Quæſt. VII. *Ex qua confeſſione contrahitur obligatio ſigilli?*

*Reſp.* Contrahitur ex omni & ſola confeſſione Sacramentali. Confeſſio autem cenſetur ſacramentalis in ordine ad inducendam obligationem ſigilli, quæ ex intentione ſe accuſandi ſecundum inſtitutionem Chriſti, in ordine ad abſolutionem aliquando obtinendam, fit ei, qui bona fide creditur judex legitimus, etiamſi non ſequatur vera abſolutio, quavis de cauſſa. Hoc enim neceſſarium eſt ad ſecuritatem Sacramenti.

Hinc ſigillum obligat, 1. Etiamſi confeſſio facta ſit Laico, vel Sacerdoti non approbato, quem pœnitens bona fide putat eſſe Sacerdotem, & legitimum judicem. Nam defectus hujus obligationis cederet in detrimentum confeſſionis validæ, quæ inde minus ſecura redderetur, propter periculum, ne quis malitioſe fingat ſe Sacerdotem approbatum, aut ſe eſſe putet, cum non ſit. 2. Etiamſi Sacerdos non habeat intentionem conficiendi Sacramentum & abſolvendi. Alioqui pœnitentes poſſent facile decipi, & metus hujus deceptionis multos deterreret a confeſſione, obeſſetque ſecuritati Sacramenti. 3. Etiamſi poenitens confiteatur ſine contritione, & voluntate recipiendi abſolutionem; ſed tamen cum intentione ſe Sacerdoti tamquam Dei miniſtro ſubjiciendi, & accuſandi, vel ut ab eo aliquo modo adjuvetur, & dirigatur in ordine ad id quod deeſſe judicat, ut poſſit abſolutionem aliquando obtinere. Nam ex communi ſententia, talis confeſſio quoad effectum inducendi ſigillum, eſt Sacramentalis, licet non ſufficiat ad valorem Sacramenti.

E contra non contrahitur obligatio ſigilli ex confeſſione, quæ fit ſolum ex intentione irridendi, decipiendi, vel inducendi confeſſarium in peccatum; aut ſi extra tribunal quis dicat, ſe, id quod narraturus eſt, committere ſigillo confeſſionis. Quia obligatio ſigilli eſt annexa ſoli confeſſioni inſtitutæ a Chriſto, vel ei cujus revelatio in confeſſionis a Chriſto inſtitutæ detrimentum cederet.

Hinc oritur ſolum obligatio ſecreti naturalis ex eo quod aliquis committens ſecretum Sacerdoti, dicat ſe illud ei committere ſub ſecreto confeſſionis, & Sacerdos ſic admittat. S. Tho. in 4. diſt. 21. qu. 3. art. 1. q. 3. ad 2. Nam ſecretum confeſſionis religioſum, ſoli confeſſioni proprium eſt. Addit Sylvius, hanc admiſſionem non carere irreverentia Sacramenti, cum nullum arcanum poſſit ſecreto confeſſionis æquiparari.

Quæſt. VIII. *Quinam contrahunt obligationem ſigilli?*

*Reſp.* Ii omnes, qui immediate vel mediate, licite vel illicite habent ex confeſſione Sacramentali notitiam rei cadentis ſub ſigillum. Nam ii omnes retinentur ſecreta ſervare ea, quorum revelatio redderet confeſſionem oneroſam ac odioſam, & ab ea homines deterreret. At ſi homines ſcirent, aliquos tales poſſe aliqua ex confeſſione cognita revelare, averſarentur confeſſionem, & ab eo averterentur. Præterea *cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ ſequuntur ex illo*, regul. jur. 39. in 6. & res cum onere ſuo tranſit ad quoſcumque pervenit. Igitur ſecuritas ac reverentia Sacramento debita exigit, ut quævis notitia per confeſſionem ſolam quovis modo parta nunquam poſſit communicari ſine expreſſa licentia pœnitentis, ne Sacramentum reddatur difficilius & odioſum.

Hinc obligatione ſigilli tenentur, 1. Ipſe confeſſarius etiam fictus, ſed per errorem legitimus exiſtimatus: nam confeſſio tunc ex intentione pœnitentis eſt ſacramentalis. 2. Ii omnes, qui peccatum pœnitentis, dum confitetur, audierunt, ſive culpabiliter, propius accedendo animo audiendi (quod eſt mortale ob injuriam gravem illatam Sacramento & pœnitenti) ſive inculpate & præter voluntatem. 3. Superior, a quo extra Sacramentum petitur facultas abſolvendi a caſu reſervato. 4. Interpres, ut organum medium, per quod facta eſt confeſſio. 5. Qui per examen diſponit alium ad confeſſionem, & qui conſulitur, an & quomodo hoc vel illud teneatur confiteri, quamvis alteri fiat confeſſio. 6. Is qui conſulitur a Confeſſario, etiam cum licentia poenitentis: alioqui valde odioſum & grave eſſet poenitentibus concedere facultatem conſulendi alium, (quod ſæpe neceſſarium eſt ad bonum poenitentis, & rectam Sacramenti adminiſtrationem,) ſi ille alius non obligaretur ſigillo. Item is, cui Confeſſarius poenitentem manifeſtavit ex conſenſu poenitentis. 7. Ii omnes, qui aliquid didicerant etiam mediate ab ipſo Confeſſario, aut quovis alio ad ſigillum obligato. 8. Qui peccata poenitentis in charta deſcripta legit, dum poenitens ex ſcripto confitetur: is enim ſe habet, ut ille qui furtim audit confitentem. Qui autem ante, vel poſt, & extra confeſſionem chartam peccata continentem reperit, peccat graviter ſi legat, & ſecundum multos obligatur ſigillo: quia peccata in charta ſcripta ordinantur ad confeſſionem ſacramentalem rite perficiendam; idque ut favorabilius Sacramento tenendum eſt.

Quæſt. IX. *An poenitens etiam obligatur ſigillo reſpectu Confeſſarii?*

*Reſp.* Neg. Quia obligatio ſigilli eſt ſolum in favorem poenitentis, ut ſecure ac confidenter peccata ſua & conſcientiam aperiat, ſicut tenetur ſecundum inſtitutionem Chriſti: non autem in favorem Confeſſarii, qui non tenetur ex inſtitutione Chriſti peccata ſua poenitenti aperire; & ſic non eget obligatione ſigilli circa ea, quæ debet dicere poenitenti.

Poenitens tamen habet obligationem ſecreti naturalis circa ea, quæ revelare nequit ſine injuſto damno

Confeſſarii; aut contra rationabilem ejus voluntatem. *Propter quod peccant*, inquit Gerſon. in Regul. moral. regul. 124. *ſi non excuſat eos ignorantia, illi, qui pœnitentias ſuas, & ea quæ Sacerdos eis dixit, paſſim dicunt, & qui etiam ſuper hoc inquirunt, quoniam talia per indirectum cauſſant aliquando irriſionem Sacerdotis, aut confeſſi culpam.* At ſi Confeſſarius aliquid dixerit, vel fecerit, quod vergat in dammum commune, vel privatum, ut ſi hæreſim doceat, ſi ſollicitet ad turpia, vel ſi exiſtat aliud grave periculum ruinæ ſpiritualis, ſive Confeſſarii, ſive alterius, poenitens tenetur ex lege caritatis iſta denuntiare Prælato, ſi aliter malum certo impedire nequit. Immo Gregor. XV. Bulla 34. præcipit poenitentibus, ut denuntient Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis Confeſſarios, qui perſonas quaſcumque *ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu ſacramentalis confeſſionis, ſive antea, vel poſt immediate, ſeu occaſione, vel prætextu confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocumque, ubi confeſſiones ſacramentales audiantur, ſeu ad confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem confeſſiones audire, ſollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint.* Mandatque omnibus Confeſſariis, ut poenitentes, quos noverint, fuiſſe ab aliis modo ſupra dicto ſollicitatos, moneant de obligatione eos denunciandi. Unde ad hoc tenentur omnes, ubi hoc decretum viget; immo & alii, ſi alias iſti nefarii Confeſſarii prævideantur non emendandi; nam tunc lex caritatis erga illos & alios ſeducendos obligat ad tale crimen impediendum hac denuntiatione, ſi non adſit alia via efficax.

## ✠ APPENDIX

### *De Sollicitatione.*

IN tractatu de Poenitentia nihil Auctor habet de poenis, quibus Confeſſarii ſubjiciuntur, qui poenitentes ad inhoneſta, & turpia ſollicitaverint, deque obligatione poenitentium, qua tenentur Confeſſarios ſollicitantes denuntiare Inquiſitoribus, vel Ordinariis, ſive eorumdem Vicariis. Quamobrem, cum editæ hac de re a Romanis Pontificibus Conſtitutiones, a SS. D. N. Benedicto XIV. confirmatæ, & ampliatæ ſint, Conſt. quæ incipit, *Sacramentum Pœnitentiæ* vol. 1. Bullar. pag. 50. cumque hæc Conſtitutio regula eſſe debeat Confeſſariis in hujuſmodi materia, integram referemus. Quo autem clarior res ſit, & ut facilius Sacerdotes, quæ ſunt ibi conſtituta, memoria mandare, iiſque uti valeant, ad dignoſcendum, quibus in caſibus Confeſſarii ſollicitationis ſint rei, ac poenitentes ad denuntiandum obligentur; Notas eidem Conſtitutioni ſubjiciemus, particulas ſingulas diſtincte exponemus, atque ad particulares caſus applicabimus.

## *CONSTITUTIO*

### BENEDICTUS EPISCOPUS &c.

*SAcramentum Pœnitentiæ, ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ, tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt. Nos licet immerentes ad univerſi Dominici gregis curam ſuperna diſpoſitione vocati, omne ſtudium, & Paſtoralem ſollicitudinem adhibere tenemur, ne quod poſt amiſſam Baptiſmi innocentiam datum eſt divina benignitate perfugium, per Dæmonum fraudem, & hominum Dei beneficiis perverſe utentium malitiam, naufragis, ac miſeris peccatoribus luctuoſum evadat exitium; & quod in ſalutem, & curationem Animarum, a Deo, qui dives eſt in miſericordia, inſtitutum eſt, execrabili ſceleſtorum quorumdam Sacerdotum improbitate, in eorum perniciem, atque interitum vertatur.*

*§. 1. Dudum quidem a fel. record. Gregorio Papa XV. Prædeceſſore noſtro per ſuas litteras in forma Brevium ſub datum Romæ apud S. Mariam Majorem die xxx. Auguſti MDCXXII. Pontificatus ſui anno ſecundo, ſapienter proviſum fuit contra quoſcumque Sacerdotes audiendis confeſſionibus deputatos, ad turpia, & inhoneſta ſollicitantes: & deinceps ſucceſſivis temporibus, ad earum litterarum interpretationem, ac declarationem, plura ſubinde a Congreg. Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium adverſus hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum ſub die xx. menſis Februarii Anni Domini MDCLXI. prodierunt Decreta: & a record. mem. Alexand. PP. VII. pariter Prædeceſſore Noſtro in Congreg. Generali Sanctæ Romanæ Univerſalis Inquiſitionis die xxiv. Septem. MDCLXV. coram eo habita inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & diſſonas propoſitiones, ſexta videlicet, & ſeptima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt. Nos itaque mature perpendentes quanti momenti ſit ad æternam animarum ſalutem ea ubique exacte obſervari; & quanti ad infirmas oves curandas, & decorem Sanctæ Eccleſiæ Dei retinendum, interſit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefarie abutentes, Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, pro medicina venenum porrigant, ſed animo ſecum recolentes ſe a Chriſto Domino Præſides, & Judices animarum conſtitutos, ea ſanctitate, quæ ſublimitati, & dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum adminiſtrent: Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtra, præfatas litteras hujuſmodi, ac omnia, & ſingula decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata, Apoſtolico tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: Atque etiam, quatenus opus ſit, denuo committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum univerſi Orbis Chriſtiani, in ſuis reſpective Diœceſibus, ut diligenter, omnique humano reſpectu poſtpoſito, inquirant, & procedant*

con-



*contra omnes, & ſingulos Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectos, quorumcumque Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuſcumque Dignitatis, & Præeminentiæ, aut quovis Privilegio, & Indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque perſona illa ſit, vel in actu Sacramentalis Confeſſionis, vel ante vel immediate poſt confeſſionem, vel occaſione, aut prætextu confeſſionis, vel etiam extra occaſionem confeſſionis in Confeſſionali, ſive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſionem, ad inhoneſta, & turpia ſollicitare, vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſt legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint: & quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiliter repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis, ſevere animadvertant, per condignas pœnas, juxta memoratam Gregorii Prædeceſſoris Noſtri Conſtitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inſerta haberi volumus: Dantes etiam, ſi opus ſit, & rurſus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei injurioſum remaneat, ob probationum defectum, impunitum, jam alias in præfata Conſtitutione tributam, procedendi cum Teſtibus etiam ſingularibus, dummodo præſumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.*

*§. 2. Meminerint præterea omnes, & ſinguli Sacerdotes ad confeſſiones audiendas conſtituti, teneri ſe, ac obligari, ſuos Pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſollicitatos, ſedulo monere, juxta occurrentium caſuum circumſtantias, de obligatione denuntiandi Inquiſitoribus, ſeu Locorum Ordinariis prædictis, Perſonam, quæ ſollicitationem commiſerit, etiamſi Sacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolutionem valide impertiendam careat, aut ſollicitatio inter Confeſſarium, & Pœnitentem mutua fuerit, ſive ſollicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam ſollicitationem jam effluxerit, aut ſollicitatio a Confeſſario, non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit. Caveant inſuper diligenter Confeſſarii, ne Pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſollicitatos, ſacramentalem abſolutionem impertiant, niſi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant.*

*§. 3. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna cauſſa commoti, vel aliorum impiis ſuaſionibus, aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio poſthabito, & Eccleſiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Judices falſo ſollicitationis inſimulant: Ut igitur tam nefaria audacia, & tam deteſtabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque perſona, quæ execrabili hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit, vel per ſe ipſam innocentes Confeſſarios impie calumniando, vel ſceleſte procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam a Nobis, Noſtriſque Succeſſoribus, niſi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, ſpe abſolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Succeſſoribus prædictis reſervamus, perpetuo careat.*

*§. 4. Demum magnopere cupientes a Sacerdotalis Judicii, & Sacri Tribunalis ſanctitate omnem turpitudinis occaſionem, & Sacramentorum contemptum, & Eccleſiæ injuriam longe ſubmovere, & tam exitioſa hujuſmodi mala prorſus eliminare, & quantum in Domino poſſumus, animarum periculis occurrere, quas ſacrilegi quidam dæmonis potius, quam Dei Miniſtri, loco eas per Sacramentum Creatori ſuo, ac noſtro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefarie ſubmergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magiſtrorum conſilio deſuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Epiſcoporum ſupplicationibus, hac Noſtra in perpetuum valitura ſanctione, quemadmodum a pluribus Epiſcopis per Synodales ſuas Conſtitutiones jam factum eſſe novimus, omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuſcumque Ordinis, ac Dignitatis, tametſi alioquin ad confeſſiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio & Indulto, etiam ſpeciali expreſſione, & ſpecialiſſima nota, & mentione digno, ſuffultis, Auctoritate Apoſtolica, & Noſtræ poteſtatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto, contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo, excipere audeat, ſublata propterea illi ipſo jure quacumque auctoritate, & juriſdictione ad qualemcumque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendam, adeo quidem, ut abſolutio, ſi quam impertierit, nulla, atque irrita omnino ſit, tamquam impertita a Sacerdote, qui juriſdictione ac facultate ad valide abſolvendum neceſſaria privatus exiſtit, quam ei per præſentes has noſtras adimere intendimus: & nihilominus, ſi quis Confeſſarius ſecus facere auſus fuerit, majoris quoque excommunicationis poenam, a qua abſolvendi poteſtatem Nobis ſolis, Noſtriſque Succeſſoribus duntaxat reſervamus, ipſo facto incurrat.*

*§. 5. Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuſcumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet Indulti, confeſſionem dicti complicis hujuſmodi quiſquam valeat excipere, eique ſacramentalem abſolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, & in hoc caſu, nullus Confeſſarius, utpote qui in hujuſmodi peccat, & Pœnitentis genere, juriſdictione, ut præfertur, careat, & abſolvendi facultate a Nobis privatus exiſtat, habendus ſit pro Confeſſario legitimo, & approbato. Non obſtantibus Conſtitutionibus, et Ordinationibus Apoſtolicis, præſertim, quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi Univerſalis, et plenarii; necnon quibuſvis Eccleſiarum, et Monaſteriorum, et Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam juramento,*

R 2 con-

*confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.*

*§. 6. Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes Locorum Ordinarii, tam præſentes, quam futuri pro tempore exiſtentes, in approbatione Confeſſariorum, tam prædictam Conſtitutionem Gregorii Prædeceſſoris, quam præſentem hanc Noſtram, ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, & accurate obſervari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut Sacrum Miniſterium ipſorum fidei commiſſum ſumma animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque ſemetipſos, ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei; Memores præterea ſint, ſe locum tenere, ac vices obire Summi, atque æterni Sacerdotis, qui ſanctus, innocens, impollutus per Spiritum Sanctum, ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, ut emendaret conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi. Sedulo igitur ſtudeant diligenterque caveant; ne quærentibus, & pulſantibus eorum culpa Cælum claudatur; ne deperditæ oves ad Ovile Dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur; ne prodigi Filii egentes, & ſaucii ad cæleſtem Patrem revertentes, nefaria eorum improbitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via ſunt, confodiantur.*

*§. 7. Ut autem præſentes Litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari, ſicque publicatas, & affixas, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent, utque ipſarum præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.*

*§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtræ voluntatis, ſanctionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ 1741. Kalendis Junii, Pontificatus Noſtri an. 1.*

NOTÆ.

1. In hac Conſt. n. 1. approbantur, & confirmantur, cum aliorum Romanor. Pontificum *litteræ*, tum etiam *& ſingula decreta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata*.

2. Confeſſarios vero pœnitentes ad inhoneſta ſollicitantes Inquiſitoribus Hæreticæ pravitatis, tamquam Hæreſeos ſuſpectos denunciandos eſſe, ſtatuere Paulus IV. 16. Apr. 1561. Pius IV. 6. Apr. 1564. Clem. VIII. 3. Dec. 1592. & Paulus V. 1608. Horum vero Pontificum Conſtit. quæ pro Regnis dumtaxat Hiſpaniæ, Portugalliæ, & Algarbiorum editæ fuerunt, Gregor. XV. ea, quæ incipit: *Univerſi Dominici Gregis*, ad fideles omnes extendit, atque ampliavit; quippe conſtituit, denunciare quoque oportere Sacerdotes, qui ſive in Confeſſionali, ſive in loco ad Confeſſiones audiendas deſtinato, Confeſſionem ſimulantes, ad inhoneſta ſollicitaverint, ſive inhoneſtos ſermones habuerint, vel turpia tractaverint; præcepitque, ut Confeſſarii pœnitentes de denunciandi obligatione monerent.

3. Decreta ſupremæ Inquiſitionis, quæ Benedictina Conſtitutione confirmantur, & quæ regulas certas exhibent pro ſolvendis in hujuſmodi materia caſibus, referuntur a Laurentio Cozza in dubiis ſelectis circa ſollicitationem. Is itaque pag. 19. ait, *Paulum V. ſub die 29. Novemb. 1612. declaraſſe, quod etiam ex vi Conſtitutionis Pii IV. comprehenderentur ſollicitantes maſculos: & ita reſcripſiſſe Cardinalem Merlinum an. 1613. ſub die 28. Februarii ad Petrum Caſtillo Inquiſitorem Generalem Luſitaniæ*. Pag. 40. in Congreg. Generali Supremæ Inquiſit. die 11. Februarii 1662. declaratam fuiſſe improbabilem opinionem, quæ aſſerit, denunciandum non eſſe Confeſſarium, qui chartam ad venerem provocantem mulieri domi legendam tradiderit. Pag. 52. in eadem Congregatione improbatam fuiſſe opinionem, quæ ab onere denunciandi pœnitentem eximit, *ſi cum Confeſſario convenerit in ſimulatione confeſſionis, ut liberius de rebus inhoneſtis tractarent*. Pag. 65. ex decreto ejuſdem Congreg. 25. Julii 1624. mulierem quæ ſollicitanti Sacerdoti conſenſerit, non teneri in denunciatione ad conſenſum ſuum aperiendum; teneri tamen ad denunciandum, etiamſi ipſa prius ſollicitaverit, & ad conſenſum ipſa traxerit Confeſſarium. Pag. 32. die 21. Februarii 1661. improbatam fuiſſe opinionem illorum, qui contendebant, non eſſe denunciandos Sacerdotes, qui propter alterius ſollicitationem abjuraverint. Pag. 174. deciſum fuiſſe 27. Novembris 1624. *Confeſſarios ſollicitatos non eſſe cogendos ad denunciandos ſeipſos*. Iis addimus ſequens Pauli V. decretum 10. Julii 1614. *In Generali Congr. S. R. Inq. habita in Palatio Apoſtolico coram SS. D. N. Paulo providentia divina Papa V. &c. facta relatione, quod multi Confeſſarii tractant cum mulieribus in Confeſſionali, extra occaſionem* confeſſionis, de rebus inhoneſtis; *SS. decrevit, ut contra hujuſmodi Confeſſarios procedatur in Sancto Officio*: & aliud coram Alexandro VII. 8. Julii 1660. quo decernitur, *teneri* pœnitentem ad denunciandum, *etiamſi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmiſſa fuerit*: atque etiam illud, quo 26. Ju-



Julii 1618. definitum fuit *mulierem ſollicitatam teneri ad denunciandum, etiam ſi ſciret ſponte ſollicitantem comparuiſſe*. Rurſus die 12. Januarii 1727. Sac. Congr. S. Offic. reſpondens dubiis propoſitis a P. Carolo Joſepho Spediæ Præfecto Miſſionum in America, decrevit, mulieres ſollicitatas non teneri ad denunciationem, ſi Miniſtri Inquiſitionis, & Vicarii Epiſcopi in longinquis Regionibus degentes, ſine gravi incommodo, adiri nequeant. Die 11. Maji 1707. eadem Sac. Cong. ait, Puella ſollicitata, in ſimplicitate conſtituta, & abſque notitia inhoneſtatis, tenetur denunciare Confeſſarium ſollicitantem, poſtquam compos effecta fuerit, & notitiam præteritæ ſollicitationis acquiſierit.

Denique Fer. 5. die 5. Auguſti 1745. = In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in palatio Apoſtolico Quirinali coram S. M. Benedicto XIV. & Eminentiſs. ac Reverendiſſ. DD. R. E. Cardin. adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitor. Gener. a S. Sede Apoſt. ſpecialiter deputatis.

*Sanctiſſimus D. N. ſollicite animadvertens, quam grave ſit delictum illorum perditorum hominum, qui Sacroſanctæ Miſſæ Sacrificio, ac ſalutaris Pœnitentiæ Sacramento ad Animarum reparationem a Chriſto Domino inſtitutis, in illarum perniciem, & damnationem abutuntur, decrevit, quod in poſterum Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, Congregationis, & Societatis etiam de neceſſitate exprimendæ, vel in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive illius occaſione, aut prætextu, ad turpia ſollicitantes, vel Sacrificio Miſſæ abutentes ad ſortilegia, præter pœnas a Jure, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac ſignanter S. Mem. Sixti V. & Gregorii XV. contra eoſdem inflictas perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem: Quodque ejuſmodi Decretum ſignificetur ſingulis cujuſcumque Ordinis Superioribus, ac Præpoſitis, ad hoc ut de illo, ſicuti & de prædictis, aliiſque Summorum Pontificum Conſtitutionibus, juxta præſcriptum in generali Decreto Supremæ Inquiſitionis diei 25. Decemb. 1653. ſemel ſaltem in Anno, idest Feria ſexta poſt Octavam Aſſumptionis B. M. Virg. in publica Menſa, vel in Capitulo ad hoc ſpecialiter convocato, ac inſuper in quocumque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari Congreſſu ſuos Subditos, ac Religioſos commonendos curent, ejuſdemque commonitionis coram Suprema Congregatione juratum Teſtimonium exhibeant.*

4. Conſtitutiones hæ contra Sollicitantes in confeſſione editæ *in ſingulas Nationes univerſim vires ſuas extendunt, ac Latinos æque, ac Græcos ſua amplitudine comprehendunt*; Conſt. *Etſi Paſtoralis*.

5. Hæ ſunt propoſitiones ab Alexan. VII. 24. Septembris 1665. damnatæ. 1. *Confeſſarius, qui in Sacramentali confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non denunciandus*. 2. *Modus evadendæ obligationis denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi*.

6. Atque hæc ſunt, ex quibus certæ, tutæque regulæ ſunt deducendæ, quibus indicatur, qui denunciandi ſunt, quas ob cauſſas, quando, & qua ratione denunciare oporteat. Eſto itaque.

Prima Regula. *Denunciandi ſunt omnes, et ſinguli Sacerdotes ſive abſolvendi juriſdictione, et auctoritate polleant, ſive careant.*

Hujuſmodi regula expreſſe legitur n. 1. & 2. Conſtitutionis. Quamobrem dubitari amplius non poteſt, quin ſimplex Sacerdos, is ſcilicet, qui ad valide abſolvendum juriſdictione careat, denunciandus ſit, ſi confeſſionem ſimulando, vel prætextu, aut occaſione confeſſionis, modo infra explicando, ſollicitaverit, vel inhoneſta atque turpia tractaverit. Sed, quum nihil, ſive in hac, ſive in aliorum Pontificum Conſtitutionibus, vel Supremæ Inquiſitionis Decretis, ſtatuatur, de denunciandis vel Clericis, vel Laicis, qui ſollicitandi cauſſa confeſſionem ſimulaverint, vel confeſſionis prætextu ſollicitaverint, non videtur probanda, quæ Gipſio tribuitur opinio, qui ut refert Cozza pag. 153. Clericos etiam Laicoſque denunciandos eſſe contendebat harumce legum virtute. Nam ſi juxta reg. 15. juris, *odia reſtringi, et favores convenit ampliari*, atque juxta reg. 49. *in pœnis benignior eſt interpretatio facienda*, manifeſtum eſt, pœnis ſubjiciendos non eſſe, qui in lege non deſignantur, ſed excludi videntur. In iis ergo Conſtitutionibus, cum ſoli Sacerdotes nominentur, ac denunciationis pœnis ſubdantur, Clerici, Laicique præſumuntur excluſi. At ſi ii Miſſam celebrarent, & ſacramentalem confeſſionem audirent, ob alias Conſt. Inquiſitorum judicio, ac pœnis graviſſimis ſupponuntur, atque hanc ob rem denunciandi eſſent, ut debitas poenas ſubirent.

Secunda. *Qui aliquem pœnitentem, quæcumque perſona illa ſit, ſive pro ſe ipſo, ſive pro alia perſona ſollicitaverit.*

Habes hic clare definitum. Primo, denunciandum eſſe Confeſſarium, ſive ſollicitaverit feminam ſive maſculum, ut liquet, tum ex ſupra relato ſupremæ Inquiſitionis Decreto, tum etiam ex Conſt. verbis; nam *ad* aliquem pœnitentem, quæcumque perſona ſit, innuit vel maſculum, vel feminam. Deinde denunciandum quoque eſſe, qui non pro ſe, ſed pro alia perſona poenitentem incitaverit, ſeu ad turpia provocaverit, ut in Conſt. n. 2. expreſſum eſt.

Tertia. *In actu ſacramentalis Confeſſionis, vel ante, vel immediate poſt.*

Qui eo temporis ſpatio ad turpia provocet, quod inter confeſſionis initium, & abſolutionem intercedit, is ſollicitare dicitur in actu confeſſionis. At quid ſit ſollicitare vel immediate ante, aut immediate poſt confeſſionem, non convenit inter Auctores, ut videre eſt apud Cozzam dub. 21. pag. 95. Communior autem opinio, quæ meo judicio vera eſt, atque fini legis omnino conſentanea, aſſerit, vocabulum iſtud *immediate*, non pro phyſico, ſed pro morali ſignificato eſſe uſurpandum, ſcilicet, non pro momento, quod, nullo interjecto medio, vel præcedit, vel ſubſequitur confeſſionem; ſed pro brevi illo temporis ſpatio, in quo, ſi quidpiam fiat, attentis circumſtantiis, ſecundum communem loquendi modum, ac prudentum judicium, ſive immediate ante, vel immediate poſt confeſſionem, factum dicatur. Quare, qui mulierem petentem confeſſionem, ſive ad confeſſia-

ſionem paratam, & quam paullo poſt ad confeſſionem acceſſuram noverit, ad inhoneſta incitaret, is immediate ante confeſſionem ſollicitare diceretur, licet breve temporis intervallum provocantem actionem, confeſſionemque intercederet. Atque eamdem ob cauſſam, immediate poſt confeſſionem ſollicitare diceretur, qui vel illico poſt abſolutionem, vel in Eccleſia, cum primum e confeſſionali egreditur, mulierem ad turpia provocaret; ſive chartam ei traderet ad venerem incitantem domi legendam. Immo communior opinio eſt, hac quoque lege comprehendi, qui pœnitentem deinceps ſequatur, eamque vel in itinere aut domi ſollicitet. Is enim ſecundum prudentum judicium ſtatim poſt confeſſionem ſollicitaſſe diceretur; quia, cum primum potuit, præconceptum in confeſſione de ſollicitando deſiderium executioni demandavit. Sed indicati caſus clarius comprehenduntur ſub regula, quam ſubjicimus.

Quarta. *Vel occaſione, aut prætextu confeſſionis.*

Occaſio, & prætextus duo hic exprimuntur, quæ ſunt invicem diſtincta, atque omnino diverſa. Nam confeſſionis occaſione ſollicitare, eſt ex confeſſione provocandi motivum ſumere: prætextu vero confeſſionis ſollicitat, qui confeſſionem prætexit, ſive fingit, ac ſimulat, ut liberius vel inhoneſta tractet, vel ad venerem incitet. Occaſione confeſſionis tribus modis Confeſſarius ſollicitare poſſe videtur. Primo: Dum ex expreſſa aut tacita confeſſionis petitione ſollicitandi motivum ſumit. Tum enim medicinam petenti, venenum; atque panem expetenti, ſcorpionem porrigit, juxta Conſtit. allegorias; atque veneratione, demiſſione animi, confidentia, aliiſque pœnitentis affectibus erga Sacramentum ac Chriſti Miniſtrum abutitur, quo facilius ad inhoneſta incitet, adeoque denunciandus eſt. Secundo: ex confeſſione ipſa, hoc eſt, dum intelligendo, quæ cum aliis egit, vel facere optavit, aut ad veneream proclivitatem &c. occaſionem nanciſcitur, vel verbis, vel ſignis ad inhoneſta provocandi. Tertio demum, quum notitia utitur, quam ex confeſſione habuit, ad incitandum, & facilius movendum ad aſſenſum. Ab hac enim notitia motum ad ſollicitandum, manifeſtum eſt, ex ipſa confeſſione incitandi occaſionem deſumere. Sed ut pœnitens hanc ob cauſſam denunciare teneatur, habeat neceſſe eſt certa indicia, quibus prudenter judicare poſſit, ex hujuſmodi ſcientia ſollicitandi motivum a cepiſſe, nam ſi indicia hujuſmodi deſint, præſumi poteſt aliis ex cauſſis motum fuiſſe ad ſollicitandum. Suppetunt vero poenitenti hujuſmodi indicia, ſi confeſſarius brevi poſt confeſſionem tempore poenitentem ſollicitet; veluti perſonam, quæ facile acquieſcere ſoleat, vel natura ſua ad hujuſmodi actus propenſa ſit, & ſi aut generalibus verbis, aut nutibus in ſollicitando utatur, quibus indicare videatur, ſe ſcire, vel quid cum aliis egerit, vel quam alias ad hæc propenſa fuerit, aut quidpiam iis ſimile, quod ex confeſſione noverit.

Quinta. *Vel etiam extra occaſionem confeſſionis in Confeſſionali.*

Hac regula ii deſignatur, qui denunciandi ſunt ratione loci, in quo ad inhoneſta aliquem provocent. Scilicet ii, qui in loco deſtinato ad ſacri Poenitentiæ miniſterii exercitium, & ad abſolvendos fideles a peccatis, etiam extra quamcumque confeſſionis occaſionem, & ſimulationem, ad turpia ſollicitant, vel inhoneſta tractant. Conſtat id primum ex decreto Supremæ Inquiſit. ſub Paulo V. quod una cum aliis a S. M. Bened. XIV. approbatum, & confirmatum fuit: deinde ex eo, quod finis legis videatur hujuſmodi poenis Sacerdotes ſubjicere; quia in loco, ex quo fideles ſolutionem a culpis, ac animæ ſalutem quærunt, novis culpis ligare, atque in perditionem, & mortem æternam ducere ſtudent.

Sexta. *Sive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem Confeſſionem.*

Tria locorum genera diſtinguuntur, in quibus confeſſiones audiri ſolent. *Primus*, inquit Felix Poteſt. tom. II. p. 3. cap. 9. *eſt confeſſionale ordinarium, quod confici ſolet ex ligno habens laminam ferream cum parvis foraminibus, quodque in Eccleſia collocatur.* Atque hujuſmodi eſt, quod in ſuperiori regula indicatur. *Secundus eſt locus quicumque ab illo diſtinctus, ubi confeſſiones audiuntur: tales ſunt in domibus Religioſis Cellulæ quædam in primo clauſtro, aut in Sacriſtia*, atque hujuſmodi confeſſionis locum deſignari ait verbis illis, *ſive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato*. At ſi hujuſmodi cellulis confeſſionale, ut ſupra dictum eſt, conſtructum adſit, quod *formam habeat tribunalis ordinarii ſacramentalis judicii*, tunc ad locum prioris generis pertinebit; ac ſollicitans, ſola loci circumſtantia inſpecta, denunciandus erit. Tertius locus eſt, quem Confeſſarius ad confeſſionem audiendam, pro ſuo arbitrio eligit: *Ita poteſt eſſe in Eccleſia, in foro, in domo, in agro, ubique*: atque hunc locum deſignant illa verba, *ad confeſſiones audiendas electo*.

Qui in prioris generis loco ſollicitant, ſunt juxta quintam regulam denunciandi; qui vero in locis ſecundi, & tertii generis, quæ loca deſtinata, aut electa dicuntur ad confeſſionem, ſollicitaverint, tum tantum ſunt denunciandi, cum vel confeſſiones audiunt, aut audire ſimulant: Hinc confeſſarius a confeſſionali provocans mulierem, vel ante ſedentem, vel tranſeuntem, vel rem aliquam indifferentem ſecum tractantem, aut cum ea inhoneſtos ibi ſermones habens, denunciandus eſſet; non vero, ſi extra occaſionem confeſſionis, vel ejuſdem ſimulationis, in loco ſecundi, & tertii generis, eadem, vel ſimilia ageret.

Septima. *Ad inhoneſta, & turpia, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, tunc, aut poſtea legendam tentaverint.*

Quamquam omnia peccata inhoneſta ſint, & turpia, quod in unoquoque finis honeſtus deſideretur, ac turpitudo illa inſit, quæ in deformitate ad regulam morum continetur; tamen juxta communem loquendi modum, cum inhoneſta, & turpia dicimus, venereos actus indicamus. Atque hoc ſenſu inhoneſta, & turpia in Pontificiis Conſtitutionibus uſurpantur, ut cum Theologi omnes fatentur, tum etiam conſtat ex eo, quod hujuſmodi peccata legibus poeniſque illis ſtatuendis motivum dederint, atque demum ex ipſa Inquiſitionis praxi. Igitur harumce legum virtute denunciandi non ſunt, ad furtum, vel alia facinora poenitentes provocantes. At ob Sacramenti abuſum, atque hæreſeos ſuſpicionem, ii quoque legibus

in



in hæreſeos ſuſpectos latis, Inquiſitorum judicio ſubjiciuntur; quamobrem auctores bene multi denunciandos eſſe tuentur, licet non denunciantes poenas in hac Conſt. ſtabilitas non ſubeant.

Aliis Conſtitutionum particulis indicatur, denunciandos eſſe, qui provocant, incitant, ſive alliciunt, verbis, aut ſignis &c. quæ, vel ex ſe, aut ex loci conſuetudine, ſive ad venereum conciliandum amorem, ſive ad venereos actus inducant. *Signa ſunt*, inquit Felix Poteſt. cap. 4. *Oſcula, tactus impudici etiam ſui ipſius Confeſſarii, tactus manus pœnitentis ſine cauſſa, miſſio oſculi manibus, ſtudioſa compreſſio pedis, aut oculi, & ſimilia ſigna amatoria, quibus amantes uti ſoleant ad invitandum, aut alliciendum aliquam perſonam ad ſui amorem. Quod eſt verum, etiamſi ſollicitatio fiat per ſigna venialiter inhoneſta, nempe leviter indicativa amoris laſcivi, quia licet tales actus ſint ex ſe leves, ex circumſtantia tamen Sacramenti, cum qua ſunt conjuncti, ſunt graves, & mortales.*

Litteræ quoque amatoriæ traditæ etiam ut domi legantur, ſufficiens denunciandi motivum præbent, ut verbis Conſtitutionis liquet. Sufficit autem litteras hujuſmodi tales eſſe, quæ ad profanum amorem alliciant.

Octava. *Aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint.*

Quemadmodum ſuperioribus verbis eos denunciandos eſſe præcipitur, qui, vel in actu Sacramentalis confeſſionis, vel ante, aut immediate poſt, ſive in Confeſſionali extra occaſionem confeſſionis, vel alio in loco confeſſionem ſimulando, ſollicitare, & provocare tentaverint; ita, hac regula, denunciandos eſſe præſcribitur, qui in iiſdem circumſtantiis, cum poenitentibus, ſive cum iis, quibuſcum confeſſionem ſimulaverint, illicitos, & inhoneſtos ſermones aut tractatus habuerint. Ex quo apparet, non ſolum eos denunciare oportere, qui illicitis, inhoneſtiſque ſermonibus, ac tractatibus ad turpia ſollicitaverint, ſeu provocare tentaverint; ſed etiam illos, qui vel turpia verba proferant, vel illicitos, aut caſtigati contrarios ſermones habeant, ſive de rebus tractent, quæ, vel turpes ſint, aut pudori, honeſtatique adverſentur, licet hujuſmodi verbis aut tractatibus, nec ſollicitare ſeu provocare intendant, nec ex parte poenitentis ſollicitatio, & provocatio ſequatur ulla. Rem ita oſtendit Poteſt. cit. tom. III. cap. II. *ſub his verbis comprehenduntur etiam ſermones inhoneſti ſine provocatione: nam hæc clauſula eſt diſtincta a priori* „ ſollicitare, vel provocare tentaverint “ *& additur disjunctiva*, aut, *quod non eſſet verum, immo clauſula hæc eſſet ſuperflua, ſi ſolum comprehenderet ſermones inhoneſtos cum provocatione.*

Nona. *Denunciare oportet, etiamſi ſollicitatio inter Confeſſarium, & Poenitentem mutua fuerint.*

Quum mutua ſollicitatio ſit, ſive a poenitente incipiat, ſive a confeſſario, ut eſt manifeſtum, ex hac regula clare deducitur, falſam, & improbatam omnino eſſe ab Apoſtolica Sede illorum opinionem, qui denunciandum non eſſe tuentur Confeſſarium, ſollicitanti feminæ conſentientem.

Decima. *Sive ſollicitationi Pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit.*

Horum verborum ſenſus, atque regulæ hujuſmodi uſus ex ſupra dictis abunde patet. Hinc vero in memoriam revocandum eſt ſupremæ Inquiſitionis decretum *Nota* I. indicatum, quo decernitur, poenitentem teneri ad denunciandum, non vero ad aperiendum præſtitum ſollicitationi conſenſum; ac decretum aliud ejuſdem Congregationis ſub die 27. Januarii 1615. *ubi decretum fuiſſe volunt nonnulli*, inquit Cozza pag. 91. *quod Confeſſarius, qui mulierem pœnitentem, ante ejus pedes ſigno crucis munitam, ſollicitat, dicens ei, nolle ſe ſuam confeſſionem audire pro tunc, ut commodius ſollicitet, ſit denunciandus.*

Undecima. *Vel longum tempus poſt ipſam ſollicitationem jam reffluxerit.*

Non ſolum hic illorum proſcribitur opinio, qui contendunt poſt triennium denunciandi obligationem ceſſare; ſed innuitur etiam tamdiu in poenitente denunciandi onus manere, quoad uſque ſatisfecerit; immo & eos quoque denunciare debere, qui vel ob ignorationem legis de denunciandis ſollicitantibus, vel, quod non illico ob ſimplicitatem, ſollicitantis verba, aut nutus intellexerint, nonniſi poſt longum tempus agnoſcunt, aut teneri ad denunciandum, vel ſollicitatos fuiſſe.

Duodecima. *Aut ſollicitatio a confeſſario, non pro ſeipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit.*

Regula ex iis, quæ ſupra ſunt explicata, clara eſt. Addimus autem hæc alia verba, quæ in Gregoriana Conſtitutione habentur: *qui ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis perpetranda ſollicitaverint*; ut confeſſarii intelligant, denunciandos eſſe ſollicitantes cum pro ſe ipſis, tum pro aliis perſonis, tum etiam per alias perſonas.

Iis præmiſſis, monentur Confeſſarii, ut *caveant diligenter, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſollicitatos, Sacramentalem abſolutionem impertiant, niſi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant.*

Ex iis manifeſtum eſt, omnes poenitentes gravi præcepto obligatos eſſe ad denunciandos ſollicitantes Confeſſarios, nec ſine gravi culpa id omittere poſſe. Agitur enim de re gravi, cujuſmodi eſt Sacramenti abuſus, ac de crimine, quod præ ſe ſuſpicionem fert hæreſeos.

Neque ſolum poenitens, ſed ii quoque, qui vel ſollicitantem Confeſſarium caſu viderunt, vel audierunt, vel immediate, aut ab ipſo ſollicitante Confeſſario, ſive ex ſollicitato poenitente ſollicitationis ſcientiam habuerunt. Id univerſim Theologi oſtendunt ex eo, quod hujuſmodi Confeſſarii ſint hæreſeos ſuſpecti, quodque teſtes quoque de immediato auditu, per inquiſitionis edicta ſuſpectos de hæreſi denunciare præcipiantur.

Quæſtio dumtaxat eſt, num denunciare teneantur, qui idem ex levibus, ac ſuſpectis perſonis audierint? Tutior vero, & communior opinio eſt, hos quoque denunciare debere. Quia in cauſſis ad ſanctum Officium ſpectantibus admittuntur etiam teſtes inhabiles, excommunicati, perjuri, infames &c. nec privati eſt, ſed Inquiſitoris inveſtigare, & decernere, num perſona, ex qua audita fuit facta a Confeſſario ſollicitatio, fide ſit digna. Cujus quidem rei ratio eſt,

quod

quod hæreſeos, aut hæreſeos ſuſpicionis crimen ita Chriſtianæ reipublicæ perniciofum ſit, ut ad illud extirpandum omnia adhibere oporteat media, atque adeo cujoſcumque generis teſtes. Ad cohibendum vero hac in re calumniatores S. M. Bened. XIV. in ſuperiori Conſt. in 3. pœnas in calumniatores, ſive falſos delatores conſtituit, ut ibi legere eſt.

Igitur omnes pœnitentes, vel ex pœnitentibus audientes ſollicitantem confeſſarium denuntiare tenentur. Idque etiam ſi delictum occultum ſit, ac ſollicitans vir bonæ famæ ex decreto Alexandri VII. die 24. Sept. 1665. & etiamſi ſciat ſub ſigillo naturali, jurejurando quoque confirmato, quia hoc ad privatum bonum, denunciatio vero hujus criminis ad publicum reipublicæ Chriſtianæ bonum ſpectat; ac publicum bonum privato anteponendum eſt, neque juramentum de re mala tenet, ut ex Bord. argumentatur Felix Poteſt. c. 12.

Perſona ſollicitata tenetur per ſeipſam denunciare, quia hæc obligatio eſt perſonalis; & ſi per alium denunciaret, denunciatio eſſet ex auditu alterius. Qui per Epiſtolam denunciant, niſi ſubſcribant proprium nomen & cognomen, non ſatisfaciunt, ac ſunt deinceps ab Inquiſitore vocandi, ut iterum juridice deponant.

Si Mulieres nobiles ſint, aut Puellæ, quæ denunciare debeant, ac vereantur ad Inquiſitionis Tribunal accedere, monere debent per internuntium Inquiſitorem, ut domum Notarium mittat ad ſuſcipiendam denunciationem. Aptior vero internuncius eſt Confeſſarius, cui Inquiſitor de ſollicitatione jam monitus committere poteſt, ut recipiat in ſcriptis juramento firmatam denuntiationem, ex decreto Inquiſit. Rom. juſſu Urbani VIII. 27. Sept. 1624. qui quidem modus ſervari maxime debet in recipienda Monialis denuntiatione, ne res aliis Monialibus manifeſtetur. Reliqua patent ex ipſa Conſt. in qua pœnæ quoque in delinquentes ſtatutæ leguntur.

*Nota*. Qui in partibus Schiſmaticorum, Hæreticorum, & Mahumetanorum degunt, licet ſubjecti ſint Conſtitutionibus contra ſollicitantes, tamen in iis locorum circumſtantiis, in quibus nulla ſpes adſit puniționis denunciati, atque mulieres ſine periculo, & infamia denunciare nequeant, denunciatos vero facile poenam declinare poſſe credatur, recurrendo, vel ad Epiſcopos ſchiſmaticos, vel ad Laicos Judices Infideles, ex decreto Sacræ Congr. S. Offic. die 21. Febr. 1630. attentis ſupradictis cauſſis abſolvendi ſunt, & liberandi ab hujuſmodi onere denunciandi; moneri tamen debent, *ut ceſſantibus ſupranarratis periculis, & impedimentis, teneantur denunciare*. ✠

## DECLARATIO

Super Conſtitutione præcedenti contra ſollicitantes.

„ *Pro formidando mortis articulo Sapientiſſimus, ac*
„ *Prudentiſſimus Pontifex præcedenti Conſtitutione*
„ *non intendit Sacerdoti criminis ſocio ab eo quo-*
„ *que crimine abſolutionem impertiendi neceſſa-*
„ *riam juriſdictionem auferre. Verum pœnas in*
„ *dicta Conſtitutione latas non effugiet, ſi abſque*
„ *gravi neceſſitate cogente ad excipiendam com-*
„ *plicis confeſſionem ſe ingerat.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad futuram rei memoriam.*

APoſtolici muneris partes in procuranda præcipua rerum ſacrarum pura illibataque penitus adminiſtratione verſari debere intelligentes, non modo & aſſiduis hortationibus, & juſta, ubi res poſtulat, legum ſeveritate, ut ab Eccleſiaſticis quibuſque Miniſtris ſancta ſancte tractentur, quantum cum Domino poſſumus providere ſtudemus; verum etiam leges ipſas ne forte ſiniſtris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut deteſtabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire ac roborare pro eorumdem tuendo vigore, cum occaſio popoſcerit, non prætermittimus.

§. 1. Sane cum nos alias quamdam noſtram Conſtitutionem, cujus initium eſt, *Sacramentum Pœnitentiæ*, anno Incarnationis Dominicæ 1741. Kalendas Junii, Pontificatus Noſtri Anno primo editam, omnibus, & ſingulis Sacerdotibus tam ſæcularibus, quam regularibus interdiximus & prohibuimus, ne aliquis eorum, extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto, contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo, excipere auderet; ita ut abſolutio, ſi quam impertiviſſet, nulla, atque irrita omnino eſſet tamquam impertita a Sacerdote, qui juriſdictione & facultate ad valide abſolvendum neceſſaria ipſi per nos vigore ejuſdem Conſtitutionis adempta privatus exiſteret, & alias prout in memorata Conſtitutione, cujus tenorem præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum nos ſubinde ſuper ex dictæ Conſtitutionis parte, quæ mortis articulum reſpicit, dubitationes quaſdam exortas fuiſſe accipimus, quarum reſolutionem privato cujuſque judicio relinquendam minime exiſtimamus, ne lex incertis conjecturis & opinionibus jactata in ſenſus a mente noſtra alienos forſitan diſtrahatur, ejuſque vigor paullatim langueat, atque enervetur.

§. 2. Hinc eſt, quod nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino poſſumus, de medio auferre cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine memoratam Conſtitutionem noſtram omnibus & ſingulis in ea contentis tenore præſentium, quatenus opus ſit, confirmamus, illamque integre penitus, & omnino, atque ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, & inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari præcipimus, & mandamus. Præterea habita ſuper his cum venerabili Fratre Noſtro Vincentio Epiſcopo Præneſtino Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Petra nuncupato, Pœnitentiario Noſtro Majori, ac dilectis Filiis Officii Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Miniſtris, qui rem juſſu noſtro mature perpenderunt, deliberatione, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus eadem Conſtitutione ſingulis, ut ſupra, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non eſt in mortis articulo perſonam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujuſmodi quoque culpa rite contritam abſolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui confeſſarii munus obire poſſit; ita interdici reipſa & prohiberi prædicto modo tunc audire, & abſolvere, ut ſi alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiam ſi forte iſte alius ſimplex tantummodo Sacerdos fuerit, ſive alias ad confeſſiones audiendas non approbatus, poſſit nihilominus ipſe Sacerdos ſimplex Confeſſionem excipere ac abſolutionem impertire.

§. 3. Porro, ſi caſus urgentis qualitas, & concurrentes circumſtantiæ, quæ vitari non poſſint, ejuſmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam conſtitutæ in dicto articulo perſonæ confeſſionem vocari, aut accedere ſine gravi aliqua exoritura infamia, vel ſcandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, cenſerique poſſe, ac ſi revera abeſſet, atque deficeret, ac proinde in eo rerum ſtatu non prohiberi ſocio criminis Sacerdoti abſolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejuſmodi Sacerdos, & ſerio animadvertat, fore reipſa coram Deo, qui irrideri non poteſt, reum gravis adverſus prædictam noſtram Conſtitutionem, inobedientiæ, latiſque in ea pœnis obnoxium, ſi prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi ultro ipſe confingat, ubi non ſunt: immo intelligat teneri ſe graviter hujuſmodi pericula, quantum in ſe erit, untevertere, vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confeſſionis abſque ullius infamia, vel ſcandalo audiendæ. Ita enim ipſum teneri vigore memoratæ noſtræ Conſtitutionis declaramus, & nunc quoque ita ipſi faciendum eſſe diſtricte mandamus, & præcipimus.

§. 4. Quod ſi idem Sacerdos aut quovis modo ſeſe nulla gravi neceſſitate compulſus ingeſſerit, aut ubi infamiæ vel ſcandali periculum timeatur, ſi alterius Sacerdotis opera requirenda ſit, ipſe ad id periculum avertendum congrua media adhibere de induſtria neglexerit, atque ita perſonæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo mortis, ut præfertur, conſtitutæ ſacramentalem Confeſſionem excipere, ab eoque crimine abſolutionem largiri, nulla, ſicut præmittitur, neceſſaria cauſſa cogente præſumpſerit, quamvis hujuſmodi abſolutio valida futura ſit, dummodo ex parte pœnitentis diſpoſitiones a Chriſto Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requiſitæ non defuerint: (non intendimus autem pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti quantumvis indigno neceſſariam juriſdictionem auferre, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat) nihilominus Sacerdos ipſe violatæ auſu ejuſmodi temerario Legis pœnas nequaquam effugiet, ac propterea latam in dicta Conſtitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctæ Sedi reſervatam incurrat, prout illum eo ipſo incurrere declaramus, volumus, atque ſtatuimus. Non obſtantibus omnibus & ſingulis illis, quæ in præfata noſtra Conſtitutione voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 5. Volumus autem ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die Octava Februarii milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quinto, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

*D. Cardinalis Paſſioneus.*

## DECRETUM

Contra ſollicitantes, & ſacrificio Miſſæ abutentes ad Sortilegia.

*Feria 5. Die 5. Auguſti 1745.*

IN Generali congregatione Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Quirinali coram SS. D. N. Benedicto Divina Providentia Papa XIV. & Eminentiſſimis, ac Reverendiſſ. DD. S. R. E. Cardinalibus adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoribus Generalibus, a Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Sanctiſſimus D. N. ſollicite animadvertens, quam grave ſit delictum illorum perditorum hominum, qui Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, ac Salutaris Pœnitentiæ Sacramento, ad Animarum reparationem a Chriſto Domino inſtitutis, in illarum perniciem, & damnationem abutuntur, decrevit, quod in poſterum Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, Congregationis, & Societatis etiam de neceſſitate exprimendæ, vel in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive illius occaſione, aut prætextu, ad turpia ſollicitantes, vel Sacrificio Miſſæ abutentes ad Sortilegia, præter pœnas a jure, & Apoſtolicis Conſtitutionibus ac ſignanter S. Mem. Sixti V. & Gregorii XV. contra eoſdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem, quodque ejuſmodi Decretum ſignificetur ſingulis cujuſcumque Ordinis Superioribus, ac Præpoſitis, ad hoc ut de illo, ſicuti & de prædictis, aliiſque Summorum Pontificum Conſtitutionibus, juxta præſcriptum in generali Decreto Supremæ Inquiſitionis die 15. Decemb. 1733. ſemel ſaltem in Anno, ideſt Feria VI. poſt Octavam Aſſumpt. B. M. Virg. in publica Menſa, vel in Capitulo ad hoc ſpecialiter convocato, ac inſuper in quocumque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari congreſſu ſuos ſubditos, ac Religioſos commonendos curent, ejuſdemque commonitionis coram ſuprema Congregatione juratum teſtimonium exhibeant.

*Paulus Antonius Capellanus S. Romanæ, et Univerſalis Inquiſit. Not.*

Loco ✠ Sigilli.

*Die 21. Auguſti 1745. ſupradictum Decretum* affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Palatii Sancti Officii, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Petrum Romolatium Sanctiſſimæ *Inquiſitionis Curſorem*.

## APPENDIX.

### *De Indulgentiis.*

Quæſt. I. QUid et quotuplex ſit Indulgentia?

*Reſp.* 1. Indulgentia eſt remiſſio pœnæ temporalis peccatis quoad culpam remiſſis debitæ, facta extra ſacramenta & ſacrificium per applicationem ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum. Fide conſtat ex Concil. Trid. ſeſſ. 25. Indulgentiarum uſum fidelibus maxime ſalutarem eſſe, eaſque concedendi poteſtatem in Eccleſia extare.

*Reſp.* 2. Indulgentia alia eſt totalis ſeu plenaria, qua tota pœna temporalis remittitur: & alia partialis ſeu non plenaria, qua pars tantum pœnæ remittitur. Hæc dicitur aliquando Indulgentia unius anni, vel plurium, vel xl. dierum; per quam ſcilicet tantum de pœnis remittitur, quantum remitteret pœnitentia auſtera unius anni, vel plurium, aut xl. dierum, ſecundum antiquos canones facta.

Quæſt. II. *Quinam habent poteſtatem concedendi Indulgentias?*

*Reſp.* Papa poteſt jure divino Indulgentias qualeſcumque in tota Eccleſia concedere; cum ſupremus ſit Vicarius Chriſti, & ſupremum caput viſibile Eccleſiæ. Supremo autem Principi competit poteſtas diſpenſandi theſaurum communem ſine limitatione. Epiſcopi vero in ſua diœceſi, & Archiepiſcopi in tota ſua provincia poſſunt jure communi concedere tantum indulgentias unius anni in dedicatione Eccleſiæ; & in anniverſario dedicationis, vel alia ex cauſſa, dierum dumtaxat xl. ex Conc. gen. Later. IV. c. 62. Cardinales etiam non Epiſcopi dicuntur concedere Indulgentias 100. dierum, ex conceſſione Papæ, ſaltem tacita.

*Nota*. Hæc poteſtas eſt juriſdictionis, non ordinis. Hinc 1. poteſt competere, & delegari clerico non Sacerdoti. 2. Indulgentiæ non poſſunt concedi niſi ſubditis c. 4. *de pœnit. & remiſſ.* ubi ratio datur, quia ſicuti a judice non ſuo ligari nemo poteſt, ita neque abſolvi. Poſſunt tamen exempti lucrari indulgentias epiſcopales, cum in ea re favorabili poſſint ſe ſubjicere juriſdictioni Ordinarii, ne quod in gratiam conceſſum eſt privilegium, in eorumdem diſpendium cedat ex reg. 61. jur. in 6. ibi: *Quod in gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.*

Quæſt. III. *Quænam requiruntur ad lucrandum Indulgentiam?*

*Reſp.* Sequentia. I. Status gratiæ, ſaltem cum ultimum opus completur. Quia tunc applicatur indulgentia, quæ illum exigit: nam inimico Dei, quamdiu in peccato exiſtit, nulla fit remiſſio, etiam quoad pœnam temporalem. Inimicus enim Dei, & reus pœnæ æternæ non eſt ſubjectum aptum, cui remittatur aliqua pœna; & nulla eſt remiſſio niſi pro juſto. Unde indulgentia nunquam conceditur, niſi contritis & confeſſis, aut vere pœnitentibus. Immo aliqui putant neceſſe eſſe, ut omnia opera in Bulla injuncta perficiantur in ſtatu gratiæ. Sed alii communius docent ſufficere, quod bene fiant animo vere pœnitenti, & ſine affectu ad mortale. Quia Pontifex in conceſſione non exigit, ut omnia opera præſcripta fiant in ſtatu gratiæ, & ſine illo poſſunt eſſe utilia ad finem indulgentiæ. Requiritur tamen ſtatus gratiæ eo inſtanti, quo ultimum ex operibus per Bullam injunctis perficitur. Nam requiritur ſtatus gratiæ eo inſtanti, quo indulgentia applicatur. At indulgentia applicatur eo inſtanti, quo ultima conditio ponitur, ſeu inſtanti conſummationis operum. Ergo eo inſtanti requiritur ſtatus gratiæ.

II. Omnia opera injuncta impleri debent integre, in loco, & tempore, & ordine præſcriptis, & propter finem præſcriptum. Quia indulgentia non conceditur, niſi ſub hac conditione, qua proinde non impleta, ſimpliciter nihil obtinetur. Et indulgentia ſolum operatur ſecundum intentionem concedentis expreſſam per verba conceſſionis. Hinc qui opus aliquod injunctum, vel partem ejus notabilem omittit, quamvis ex ignorantia aut oblivione invincibili, vel impotentia, nihil conſequitur: quia ſimpliciter non implet conditionem, cui adſtricta eſt indulgentia.

III. Ad conſequendam indulgentiam plenariam omnium peccatorum, etiam venialium, requiritur deteſtatio omnium illorum, & depoſitio affectus ad quodlibet. Nam pœna [illegible] debita non remittitur ſine culpa; nullum autem peccatum etiam veniale remittitur quoad culpam, ſine deteſtatione ſeu diſplicentia ſaltem virtuali, & depoſitione affectus ad illud. Quam pauci ergo indulgentiam plenariam integre conſequuntur!

Præter ſupradicta, Cajetanus, Navarrus, Regnaldus, & alii docent, ad indulgentiam integre conſequendam requiri propoſitum, & ſollicitudinem ſatisfaciendi Deo per ſatisfactiones congruas, & peccatis, ac facultati pœnitentis proportionatas; ita ut proportione hujus ſollicitudinis tamquam diſpoſitionis ad indulgentiæ effectum neceſſariæ percipiatur major vel minor indulgentiæ fructus. *Prob.* Quia 1. Extat divinum præceptum faciendi dignos fructus pœnitentiæ, a quo præcepto Eccleſia diſpenſare nequit. Et Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 14. docet, generaliter pœnitentiam chriſtiani lapſi, neceſſario præter contritionem & confeſſionem, continere ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes &c. At, inquiunt, valde enervaretur, & fere tolleretur ſatisfactio illa congrua ſi indulgentia plenaria plurimorum peccatorum obtineretur præciſe per opera aliqua pauca non valde gravia, ut per viſitationem Eccleſiæ, triduum jejunii, aliquam eleemoſynam, & confeſſionem ac communionem. 2. Theſaurus indulgentiarum a Chriſto conceſſus eſt, non ad tollenda opera ſatisfactoria, cum ea præcepit, aut ad fovendam negligentiam ac torporem fidelium, ſed ad ſupplendam eorum impotentiam ac infirmitatem; alias, inquiunt, indulgentia redundaret non in ædificationem, ſed in deſtructionem, fovendo negligentiam ac torporem in ſatisfaciendo pro peccatis, & minueret horrorem peccati. 3. Ex Gregor. VII. qui Lincolnienſi Epiſcopo indulgentiam petenti conceſſit ea lege, ut pro viribus ſatisfaceret. *Abſolutionem præterea peccatorum tuorum*, inquit, *ſicut rogaſti auctoritate Principum Apoſtolorum Petri & Pauli fulti, tibi mittere dignum duximus, ſi tamen bonis operibus inhærendo, commiſſos exceſſus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris*; ut apparet, inquit Baronius hæc referens ad an. 1073. *Sedis Apoſtolicæ*

in-



*indulgentiam illis communicari, qui quantum ſuppetunt vires, bene operari non prætermittunt; non autem ignavis, otioſis, ac negligentia torpeſcentibus.* De his qui ita ſentiunt, ſic loquitur S. Antoninus 1. part. tit. 10. cap. 3. §. 2. *Nec credunt, quod propter has indulgentias generales minus teneantur agere pœnitentiam in hac vita: & horum dictum ſatis videtur concordare æquitati, ut notat Innocentius.*

Quæſt. IV. *Quænam notanda ſunt circa opera præſcribi ſolita?*

*Reſp.* Sequentia. 1. Dum in Bulla conceditur indulgentia *contritis & confeſſis*. (1), ad eam lucrandam ſecundum multos confeſſio non eſt neceſſaria habenti ſola venialia: quia putant eam deſignari tantum ut medium ad gratiam & remiſſionem culpæ. Sed alii multi diſſentiunt, quia tunc confeſſio requiritur tamquam unum ex operibus præſcriptis. Quare tutius eſt confiteri, idque conſentaneum eſt praxi fidelium, præſertim tempore Jubilæi.

2. Oratio fieri debet per aliquod tempus in loco, tempore, & ex intentione deſignatis. Locus eſt ordinarie, ubi eſt Indulgentia. Tempus eſt inter utraſque veſperas. Intentio eſt pax inter principes chriſtianos, converſio infidelium, extirpatio hæreſum, exaltatio S. Matris Eccleſiæ, bonum ſpirituale Papæ, niſi alia addantur. Secundum multos debet eſſe vocalis, nec valet, ſi fiat cum diſtractione voluntaria: nam talis oratio non eſt religioſa, nec apta ad impetrandum id quod Papa intendit.

3. Modus ſervandi jejunium eſt ille, quem ſingulæ provinciæ ſervant tali tempore in aliis jejuniis.

4. Eleemoſyna, ſi non determinetur per Bullam, fieri debet juxta regulas prudentiæ, & dictamen internum: ita ut non detur quid minimum, ſpectata facultate dantis, nam minima non ſunt in conſideratione.

5. Non ſatisfit per communionem ſacrilegam: nam communio præſcribitur, ut opus bonum, vivum & operativum gratiæ.

Quæſt. V. *Quænam requiruntur ut Indulgentiæ proſint Defunctis?*

*Reſp.* Neceſſe eſt. 1. Ut pro illis in Bulla ſpecialiter concedantur: Nam indulgentiæ non proſunt pluribus, nec aliis, quantum prima conceſſio; & tantum valent, quantum ſonant. Nomine autem fidelium ſimpliciter in Bullis intelliguntur ſoli viventes, ut patet ex uſu; quare quoties indulgentiæ ad mortuos extenduntur, expreſſe additur: *Fidelibus vivis & defunctis*. 2. Ut Fidelis vivens omnia opera injuncta rite perficiat ex intentione lucrandi indulgentiam pro mortuo, ſitque in ſtatu gratiæ, ſaltem cum ultimum opus impletur, atque indulgentiam applicet defuncto.

## DECRETUM.

Sacræ Congregationis Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſitæ.

*QUum Sacra Congregatio Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſita die 31. menſis Martii anni 1759. fuerit in voto, Confeſſionem Sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiæ conſecutione, peragi omnino debere, etiam ab iis, qui ſibi lethalis peccati conſcii non ſunt, necnon præfatam Confeſſionem ſuffragari etiam poſſe, ſi in vigilia Feſtivitatis expleatur, Votumque Congregationis Sanctiſſimus Dominus noſter CLEMENS PP. XIII. benigne approbaverit, illudque typis publicari ſub datam 19. Maji prædicti anni mandaverit: quamplures ſupplices libelli tum Regularium Communitatum, & præſertim Monialium, tum etiam Parochorum, & nonnullorum Epiſcoporum pro ſuis Diœceſibus porrecti ſunt, quibus maxima exponebatur difficultas, quæ interdum, immo perſæpe incidit pro Sacramentali Confeſſione, ſive in Feſto, vel ad minus in vigilia peragenda. Quamobrem, ut adeo profectus Indulgentiarum Theſaurus reddatur Fidelibus accommode comparandus, enixis precibus ſupplicabant Sanctitati Suæ, ut opportuno aliquo remedio de Apoſtolica benignitate providere dignaretur: quibus precibus ad prædictam Sacram Congregationem remiſſis, propoſitum in ea fuit* Dubium: An, & quomodo ſit conſulendum Sanctiſſimo ſuper præfati Decreti executione, vel declaratione in caſu &c. *Reſponſum fuit*: Conſulendum Sanctiſſimo Domino Noſtro, ut concedere dignetur Indultum omnibus Chriſtifidelibus, qui frequenti peccatorum confeſſione animam ſtudentes expiare, ſemel ſaltem in hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, niſi legitime impediantur, conſueverunt; & nullius lethalis culpæ a ſe poſt peractam ultimam Confeſſionem commiſſæ ſibi conſcii ſunt, ut omnes, & quaſcumque Indulgentias conſequi poſſint, etiam ſine actuali Confeſſione, quæ ceteroquin juxta præfati Decreti definitionem ad eas lucrandas neceſſaria eſſet. Nihil tamen innovando circa Indulgentias Jubilæi, tam ordinarii, quam extraordinarii, aliaſque ad inſtar Jubilæi conceſſas, pro quibus aſſequendis, ſicut & alia opera injuncta, ita & Sacramentalis Confeſſio, tempore in earum conceſſione præſcripto, peragantur. *Et facta per me infraſcriptum ejuſdem Sacræ Congregationis Secretarium de præmiſſis omnibus Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, Sanctitas Sua piis bonorum deſideriis, ac votis ſatisfacere, & Indulgentiarum gratias, iis potiſſimum, qui pie ſancteque vivendo, donis Divinæ Miſericordiæ digniores efficiuntur, elargiri quam maxime cupiens, benigne annuit, &*

præ-

(1) *Quod ſpectat ad neceſſitatem* Confeſſionis Sacramentalis *in negotio Indulgentiarum, nuperrime Sac. Congr. SS. D. N. Clem. XIII. auctoritate ſuffulta Decretum edidit ſapientiæ plenum, quo nimirum Fideles, dum ab onere levantur peragendæ Confeſſionis ſtatis diebus, ut facilius Indulgentiis potiri queant, ſimul extimulantur ad ipſam Confeſſionem aſſidue frequentandam in vitæ decurſu. Quæ quidem ex re quantum emolumenti egenitis animabus deinceps obventurum ſit, nemo non videt. Cum igitur maximopere interſit, ut tam excellens, atque laudabile Decretum innoteſcat univerſo Orbi Chriſtiano, ac jugi memoria ſervetur: idcirco illud hic e veſtigio inſerendum putavi.*

*præfatum Indultum in forma ſupraſcripta expediri, & publicari mandavit, quibuſcumque in contrarium non obſtantibus.*

*Datum ex Secretaria Sacræ Congregationis Indulgentiarum die nona Decemb. MDCCLXIII.*

N. Cardinalis Antonellus Præfectus.

*J. de Comitibus Sacr. Indulg. Secr.*

## ✠ APPENDIX.

### *De Orientalis Eccleſiæ circa Pœnitentiam diſciplina.*

ORientalis Eccleſia orthodoxam fidem ſervavit, tum circa pœnitentiæ virtutem, tum circa Sacramentum. Tres eſſe pœnitentiæ partes, inter quas non ſolum cordis contritio, & oris confeſſio, ſed etiam operis ſatisfactio recenſetur, fatentur Gregorius Hieromonachus in Synopſi *Interrogatione de partibus pœnitentiæ & quid ſit ſatisfactio*: Gabriel Philadelphienſis de Sacramento Poenitentiæ, ubi agit *de ejus partibus, & ſatisfactione*: Simeon Theſſalonicenſis in Opere *de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis*: Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in primo ad Lutheranos reſponſo, & Confeſſio orthodoxa a quatuor Græcis Patriarchis adverſus Lutheranos edi. a *p. 1. interrogatione* 103. Et cum ii, tum alii Græci etiam Schiſmatici fatentur omnia peccata mortalia ſpeciatim Patri ſpirituali eſſe confitenda.

Chaldæos quoque, ac Syros Neſtorianos cenſuiſſe ſemper poenitentiam Sacramentum eſſe, eamque peccatorum præ ſe confeſſionem ferre, debitamque ſatisfactionem, facile patet. Nam Abdjeſus Sobenſis *in libro Margaritæ p. 4. cap. 1.* inter Sacramenta recenſet remiſſionem peccatorum: Joſephus Indus *Navigatione novi Orbis* c. 134. apud Neſtorianos in uſu fuiſſe teſtatur *Confeſſionem auricularem; confitentur*, inquiens, *ut nos*. Jeſujabus Adjabenus Patriarcha Ordinem Poenitentiæ compoſuit, eodem Sobenſi teſte, illumque commentariis illuſtravit. Timotheus II. Patriarcha in lib. *de Sacramentis* cap. 7. ſect. 6. ut legere eſt apud Aſſem. tom. 3. Bib. Orient. part. 2. pag. 287. Res vero clarior fit ex eo, quod dum quidam Patriarcha Neſtorianus, quem Aſſemanus ait, fuiſſe Simeonem Barmamam, auferre vellet peccatorum confeſſionem, contentio magna, atque cædes orta ſit. *Erat quidem apud nos*, inquiunt Sulaka, & Joſephus II. *conſuetudo, ut revelaremus peccata noſtra inter nos: ſed ſurrexit violentus Tyrannus, & abolevit eam: orta eſt cædes & contentio, & ceſſare fecit illam*. Galanus vero de Sacramento poenit. ſect. 1. ſcribit, decreviſſe Neſtorianos, *ut quiſpiam deinceps alteri quam ſoli Deo peccata ſua confiteretur: propterea quod ex revelatione cujuſdam confeſſionis, cujus ſecretum Spahanenſis neſcio quis aperuerat, multæ inter ipſos Syros diſſenſiones, & homicidia veniſſent*. Confeſſionem in primis reſtituere ſtuduit laudatus Sulaka, ejuſque in Patriarchatu ſucceſſor Abdjeſus: deinde Miſſionarii Apoſtolici tam in Chaldæa & Perſide, quam in Indiis; Epiſcopi enim Doctoreſque, qui in Chaldæa a Patriarcha Babylonico in Indias deſtinabantur, inter ceteros Neſtorianorum errores, hunc etiam, confeſſionis ſcilicet auricularis horrorem, populis illis inſtillabant, ut ſcribit Antonius de Gouvea in Actis Alexii Menezii Archiepiſcopi Goenſis lib. 1. c. 13. idemque Menezius teſtatur in Synodo Diamperienſi ſeſſ. 5. can. 1. Ita Aſſem. loc. cit.

Syri quoque Jacobitæ, Cophti, & Æthiopes Sacramentum poenitentiæ a primis temporibus agnoverunt omnes, ac etiam nunc eorum plerique ſervant. Licet enim in Ægypto circa XII. ſæculum tres Patriarchæ poenitentiæ Sacramentum abrogare conſtituerint, tamen ſemper ſuos habuit etiam ibi defenſores. Nam adverſus illam novitatem reſtitiſſe, ait Renaudotius, Marcum filium Elconbari, qui ſe ſe Marco oppoſuit filio Zaraæ, & poſtea Abnaſſalos fratres duos, & alios non paucos: Atque eodem tempore Antiochenus Jacobitarum Patriarcha Michael neceſſitatem confeſſionis Sacramentalis, & Canonis, ſeu poenitentiæ canonicæ multis argumentis ſtabilivit *in tractatu de præparatione ad Communionem*. Hanc autem mutationem ita factam fuiſſe ſcribit laudatus Renaudotius in commentario *ad Liturgiam Copticam S. Baſilii*. Tum Sacerdos poſtquam Patriarchæ, Epiſcopis, Sacerdotibus, & Clero thus dediſſet, Laicos circuitu per Eccleſiam facto incenſaret, ſolebant Cophtæ ejus precibus commendare ſe, ſimulque confiteri ſe peccatores, & confeſſionem quamdam verbis generalibus pronunciare, illi non abſimilem, quam in Miſſa recitat Eccleſia Latina. Cum interea Sacerdos orationem diceret, quæ ad remiſſionem peccatorum pertinere videbatur, exiſtimaverunt, eam non fruſtra pronunciari, & ſimiles abſolutiones valere judicatæ ſunt ad abolenda peccata, quæ per fragilitatem humanam, a piis etiam quotidie committuntur; atque hinc ſuperſtitio coepit, quam ita ſubſequuta eſt poenitentiæ ſubverſio. Sæculo undecimo, & ſequenti ad ſacrorum myſteriorum communionem admitti coeperunt graviſſimorum criminum rei, qui ea Sacerdotibus confiteri, & *Canonem*, ſeu poenitentiam ſubire negligebant, cum, ſi diſciplinam Eccleſiaſticam erga eos exercuiſſent, timerent, ne calumniam ipſis aliquam obdurati peccatores apud Mahumetanos impingerent, aut fidem abnegarent. Sed alii longius progreſſi, ut inter alios Joannes filius Abugaleb Patriarcha Cophtarum, & Marcus filius Zaraæ, confeſſionem, ut ſupra dixi, penitus ſubſtulerunt, atque illo Alexandrinorum Sedem occupante, Michael Damiatenus opuſculum inſulſiſſimum edidit, quod tamen ex parte ſervatum eſt in collectione canonum Alexandrina, laudaturque ab Abulbricat, & Auctore ſcientiæ Eccleſiaſticæ. Summa illius doctrinæ hæc fuit: Chriſtus vetuit, ne magiſtros nobis conſtituamus ſuper terram, cum unus ſit ipſe magiſter noſter, neque Marcus Alexandrinæ Eccleſiæ fundator ſimile quidquam inſtituit; ex quo ineptus ille doctor firmiſſimum argumentum habere exiſtimavit ad avertendam poenitentialem omnem diſciplinam. *Itaque ex peſſima illa inſtitutione multi exiſtimare cœperunt, ſufficere ad expianda peccata, ut cum Sacerdos thuribulum circumferret, inclamareturque a populo kyrie eleiſon, adjicerentur hæc verba poſt illud, Domine miſerere, quod Arabice quoque dicitur multoties*. Suſcipe Domine hoc incenſum, quod offertur tibi a Sacerdote tuo pro peccatis noſtris. *Tunc unuſquiſque animo revolvens peccata ſua, ea ſecrete coram Deo confitebatur; atque ita illa ſibi remitti ſtulte exiſtimabat. Neque illis conſtitit ſuperſtitio; ſed tandem fuerunt, qui poſito coram ſe thuribulo domi, abſque Sacerdotis miniſterio, thus injicientes & fumo peccata ſua immurmurantes illa ſibi plene remiſſa crederent: quod ab Æthiopibus factum teſtatur Abuſelab, & a Neſtorianis Malabarenſibus Hiſtoria Alexii Menezii Goenſis Archiepiſcopi illam brevem formulam agnoſcendi ſe peccatores coram Deo, confeſſionem vocarunt.*



Quæ hactenus expoſita ſunt, perſpicuum faciunt, Sacramentum poenitentiæ agnitum fuiſſe, ac ſervatum a primis ſæculis in univerſa Orientali Eccleſia, eoſque, qui illud rejecere, habitos fuiſſe a reliquis tamquam Novatores, ſive Hæreticos. Supereſt ergo ut videamus, quænam ſit in hujuſmodi Sacramenti adminiſtratione eorumdem diſciplina.

### §. I. *De his, quæ ad materiam ſpectant.*

POenitentia in publicam dividi ſolet, & privatam. Publica poenitentia eſt, quæ Epiſcopo, vel Presbytero poenitentiario ad canonum normam decernente, publice a confeſsis peccatoribus fit; privata vero, quæ a Confeſſario poenitentis fidei, & conſcientiæ privatim ac ſecreto peragenda committitur. Cum de Orientalibus dicturi ſimus, actiones, quibus publica poenitentia continebatur, ex Gabriele Philadelphienſi Græco Auctore deſcribere placuit. Is *c. 10. de Sacram. Poenit.* loca varia, in quibus peccatores poenitentiam agerent, per actiones deſignans ait, *Hæc ſunt: Fletus, Auditio, Subſtratio, Conſiſtentia, & Participatio.*

*Fletus* inquit, *locus eſt extra portam Oratorii, in quo ſtant flentes, & peccatorum ſuorum veniam a fidelibus intervenientibus, & exeuntibus poſtulant.*

*Auditionis locus eſt intra portam Templi, videlicet in Narthece, in quo ſtant Audientes, & hymnorum ſanctarumque ſcripturarum lectionem, et doctrinam audiunt.*

*Subſtrationis locus eſt intra Templum, in quo ſtant, qui ſubſternuntur, qui cum Catechumenis exeunt e Templo, cum illud:* quicumque Catechumeni diſcedite, *a Diacono promulgatur.*

*Conſiſtentia locus eſt, in quo ii, qui poenitentiam egerunt, idoneumque Canonem executi ſunt, conſiſtunt, et fidelibus comprecantur.*

*Participationis locus eſt, in quo ſtant, qui fructus poenitentiæ dignos fecerunt, et divinæ participant communioni cum reliquis, qui ea digni ſunt.*

Hæ ſunt diverſæ ſtationes, diverſique poenitentium gradus, in quibus pluribus etiam annis ſtare jubebantur, qui publicæ poenitentiæ ſubjicerentur. Non ſolum autem publica, ſed etiam privata, ſi gravia eſſent crimina, Epiſcopo vel presbytero Poenitentiario juxta præſcriptum Canonum decernente, publica poenitentia expiabantur. Ex arbitrio vero & voluntate Epiſcoporum pendebat, ut poenitens per omnes, aut pauciores tranſiret poenitentiæ gradus. Et Sacri Canones præcipiebant, ut Epiſcopi, ſive Presbyteri poenitentiarii hac oeconomia uterentur, ne ex poenitentiæ gradu, in quo peccatores ſtare juberentur, occulta illa crimina manifeſtarentur, quæ poenitentibus infamiæ, & maximo damno eſſe poſſent. Hujuſmodi uſus adhuc octavo exeunte ſæculo purus & integer perſeverabat in Eccleſia Latina, ut conſtat ex Caroli Magni, & Ludovici Pii capitularibus, præſertim lib. v. c. 136. Poſt medium ſæculum nonum regnante Carolo Calvo tertius poenitentiæ gradus antiquari coepit: id patet ex variis Summor. Pontificum Epiſtolis, & Conciliorum decretis, in quibus, ubi de publica poenitentia agitur, fletus, auditio, & conſiſtentia commemorantur. Immo & quartus ex tunc nonnihil relaxatus, conceſſa ſollemnibus ſaltem diebus poenitentibus communione. Sequentibus vero ſæculis ſenſim publica poenitentia in Latina Eccleſia antiquum rigorem amiſit, ac penitus ſublata fuit.

In Orientali vero Eccleſia longe antea publicæ poenitentiæ diſciplina immutata ac ſublata fuerat. Nectarius enim Conſtantinopolit. Epiſcopus renunciatus ann. 381. quem Epiſcopatum ad ann. uſque 397. tenuit, publicam poenitentiam in Conſtantin. Eccleſia e medio ſuſtulit, ejuſque morem deinceps imitatæ ſunt aliæ Orientis Eccleſiæ: quæ autem ab antiqua conſuetudine detraxit, ſive in ea abrogavit, ad ſex ſumma capita revocari poſſunt, inquit Morinus lib. vi. de poenit. cap. 22. 1. Presbyterum confeſsionibus, & poenitentiis publicis præfectum ſuſtulit. 2. Morem antiquum publice enunciandi quædam crimina, quæ Presbyter ille monuerat, abrogavit. 3. Quotidianas manuum impoſitiones, & orationes ſuper poenitentes, ab Apoſtolorum ætate fieri ſolitas, in quibus univerſum fere ſubſtrationis myſterium conſiſtebat, interdixit. 4. Poenitentiarum, ſive poenarum in confeſsione ſecreta impoſitarum executionem poenitentium fidei commiſit, ut eas quiſque in ſeipſo pro contritionis zelo, & ardore, nemine conſcio aut judice, exequeretur. 5. Hinc accuſationes criminum a proximis commiſſorum apud Epiſcopum ex præcepto religionis factæ, & judicium poenitentiæ de iis licet occultis publice redditum, obſoleverunt. Unde præterea obſolevit, ſeipſum de occultis criminibus accuſandi feſtinatio & acceleratio, ne reus præventus & convictus multo ſeveriori poena plecteretur. Denique poenitentiæ publicæ de criminibus occultis penitus abolitæ ſunt.

Poſt hanc diſciplinæ variationem hæc fuit, ac viget etiam apud pleraſque Orientales Eccleſias diſciplina. 1. Diligentiſsima, & minutiſsima peccatorum omnium ſecreta confeſsio. Hæc autem confeſsio, ut Allatius & Goarius ſcribunt, ita a Græcis fit, ut non genuflectant, ſed ſedeant cum reverentia, & capite operto peccata confitentes. Nec quemque movere debet hæc praxis, quæ viguit olim apud Latinos, ut antiquus Romanus Ordo, Alcuinus, aliique Rituales libri non pauci, Martene teſte, deſcribunt; quæque viget etiam apud Æthyopes, ut ex Joannis Boteri ad Antonium Cardinalem Carafam epiſtola liquet. 2. Diligens & accurata Sacerdotis interrogatio de his omnibus poenitenti facta, ut præſcribunt Poenitentiales libri Joannis Jejunatoris Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui Gregorii I. Pontificis coætaneus erat, & Joannis Monachi, quem ajunt S. Baſilii diſcipulum, eo tamen tempore multo poſterioris, atque Libelli Simeonis Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, & Gabrielis Philadelphiæ Metropolitæ de Sacramento Poenitentiæ ſcripti. 3. Poenitentiarum & poenarum unicuique peccato ſecre-

creta impoſitio, vel ſecundum Canones, vel ſaltem juxta approbatos Pœnitentiales libros, qui de Canonum ſeveritate non admodum remittebant. 4. Abſolutionis poſt confeſſionem, aut etiam pœnitentiæ impoſitionem conceſſio, ſed Communionis Euchariſticæ, pro ratione criminum & pœnitentium ad agendam pœnitentiam fervore & zelo, in longum breviusve tempus dilatio. Obſervat etiam idem Morinus, duo ex antiquo rigore, publica pœnitentia ſublata, in Oriente remanſiſſe, ſcilicet, humilitatem, cum qua pœnitens quacumque dignitate fulgeret ad Sacerdotem accedere tenebatur; & morem, quo poenitentes ob nonnulla crimina, ac ob inquinamenta etiam nonnulla naturalia in foro tantum conſcientiæ obligabantur a Templo ſecedere, atque in Narthece ſubſiſtere, dum Miſſæ Sacrificium celebraretur, licet aliis concederetur intereſſe officiis.

Poenitentiam juxta Canones imponi ſolere a pleriſque Orientalibus præſertim Græcis facile eſt demonſtrare. Primum conſtat Gregorii Magni ætate Joannem Jejunatorem Poenitentialem librum edidiſſe, quem refert Morinus in fine Operis de Poenitentia. Is Poenitentiæ canonicæ rigorem mitigavit; quamobrem nimiæ accuſatus ac reprehenſus fuit indulgentiæ a Concilio Conſtantinopolitano circa finem undecimi ſæculi celebrato; ab Harmenopulo qui eodem ſæculo aut paullo poſt ſcripſit: & Leo Allatius lib. 3. de Conc. Eccl. Orient. cum Occident. c. 9. *pœnæ*, inquit, *pœnitentibus impoſitæ, mitiores multo nunc ſunt, quam erant antea. A Joanne enim Neſteuta antiquus ille pœnarum rigor remiſſus eſt, licet id alii interea non probent.* Poenitentiam juxta Canones imponendam eſſe docent Nicephorus Cartophylax epiſt. 3. quæ eſt de ligandi ſolvendique poteſtate, Simeon Theſſalonicenſis, qui inquit, *videant ne præter Canones diſcedent, ne quis præter Canones agat.* Germanus Amathuntis Epiſcopus in litteris, quibus Sacerdoti dat confeſſionem audiendi auctoritatem, ubi ait; *Sacerdotem juxta opera, in quibus peccaverunt, Canonem pœnitentibus imponere debere:* Gabriel Philadelphienſis Græcus recentiſſimus ſatisfactionem, c. 8. libri de Sacramentis, vocat *adimpletionem, et perfectionem Canonis, quem Pater ſpiritualis dedit peccatori ſecundum ſpiritualem ſacrorum canonum pœnam.* Neophytus Rodinus Cyprius in libro, quem de confeſſione lingua Græca vulgari edidit, ait, *ſatisfactio eſt, ut faciat aliquis id quod ſufficit, hoc eſt, illum canonem, quem ei dederit Pater ſpiritualis etc.* Hieremias Patriarcha CP. in primo reſponſo ad Tubigenſes Lutheranos ad c. 11. teſtatur, poenam ſeu medicinam peccatis dandam juxta canones: denique, miſſis Allatii, & Arcudii teſtimoniis, ita Goarius pag. 697. Græcorum diſciplinam deſcribit: *Patres ſpirituales ſedentes, pœnitentes pro Exomologeſi audiunt. Si leves et venia dignas pœnitentibus culpas deprehenderint, nullam adhibent ſolutionem, ſed de pio, devotoque quodam opere exercendo monitum amice remittunt: ſi lethifera crimina detegunt, illa in Nomocanone juxta ſe poſito examinant, cenſurarumque diſtrictioni, prout legunt, cuncta ſubjiciunt, & tandem pœnitenti bene precantur, his atque aliis orationibus, aut in remedium præteriti delicti, vel in cautelam futuri impoſitis. Peccata tandem cuncta ad canonum rigorem examinata, pœnis in eis perſcriptis caſtigant, & emendant. Proptereaque pœnitentiam impoſitam, ut canonibus præſcriptam, ſolent ipſi canona vocitare.* Et infra, *publica pœnitentia nulli licet amplius imponatur, aliqui tamen confeſſione expiatas a ſacra communione per annum vel plures quandoque arcent. Hi non plane reconciliati privationem Euchariſtiæ panis Eulogici communionis vices ſupplentis ſumptione ſolantur: & ſanguinis dominici ſumendi loco, aquam in Theophaniis benedictam, diacono eam porrigente, communionis diebus, Paſchatis ſcilicet, Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptionis, & Chriſti Natalitiorum, ſumma cum religione hauriunt; & tandem oratione ſuper eis recitata ex integro Eccleſiæ reconciliantur.* Poenitentiæ Canonicæ Dionyſius Barſalibi, Michael Antiochenus Patriarcha, aliique Syri, atque etiam Cophtici ſcriptores meminere, eamdemque inculcaverunt.

Ubi diſciplina hæc variata ſit, ac mos obtinuerit, ut pro Sacerdotum arbitrio poenitentiæ Latinorum more imponantur, certum eſt, non teneri confeſſarios ad normam illorum canonum poenitentias præſcribere: ſed ubi vigeat adhuc canonum obſervantia, nefas eſſe cenſeo Confeſſariis, aliam poenitentiam injungere præter eam quam canones, ſive Poenitentiales libri præſcribant, niſi ii eamdem confeſſariorum arbitrio imponendam poenitentiam committant. Nam abſolvendi facultatem ſive juriſdictionem, quam ex Eccleſia, & ab Epiſcopis habent, ita exercere tenentur], ut Eccleſiæ lege obligati ſint ad indicandam poenitentibus quos abſolvunt, poenam ab eadem Eccleſia determinatis criminibus deſignatam; & ut in Eccleſia Latina iis, qui ex occulto delicto in poenam incidunt irregularitatis vel ſuſpenſionis ab Eccleſia præſcriptam, confeſſarius declarare debet poenam, in quam inciderit; ita in Eccleſiis, in quibus poenæ canonicæ in uſu ſunt, confeſſarius abſolvendo poenitentes poenas his declarare debet, quas canones ſtatuant pro peccatis, quæ confeſſi ſint, ſubire oportere. En verba Hieremiæ Patriarchæ, *Reſp.* 1. ad Lutheranos c. 11. *Quod attinet ad poteſtatem dimittendi peccata, ea non abſolute data eſt, ſed ea conditione, ut peccati poenitens obediat, & conſentiat illi, qui animæ ſuæ curam gerit, & veram poenitentiam demonſtret.*

Operum poenitentialium præcepta in tres generales ſpecies dividunt. In ea, quæ communionis Euchariſticæ privationem ſpectant, & ad iſtam privationem referuntur unius, vel plurium annorum mulctæ; unicum enim canonum poenitentialium ſtudium, idque vehementiſſimum in id incumbere videtur, ne cui indigne Euchariſtia præbeatur; & ideo poſt abſolutionem communionem diutiſſime differunt: deinde in ea, quæ jejuniorum & ciborum abſtinentiam; ubi explicant, quibus diebus abſtinendum ſit, quibus remiſſius agendum, quibus non abſtinendum: denique in ea, quæ preces, & orationes ſingulis diebus recitandas. Epiſcoporum eſt poenitentias canonicas augere, vel minuere, qui ſolent etiam *diplomata quædam concedere a poenis, & canonibus non plene adimpletis pœnitentes eximentia, quæ chartæ condonativæ indulgentiarum vices apud Græcos obtinent*, inquit Goarius pag. 681.

Hactenus de poenitentia generatim egimus, & quoad

ad Laicos homines: in Clericorum vero poenitentia tria ſunt ſpeciatim obſervanda. 1. Sacerdotem Clerici confeſſionem auditurum ab eo promiſſionem exigere ab officio ceſſaturum ſi crimina confiteatur, quæ canones depoſitione, aut ſuſpenſione condemnant. 2. Clericum propter crimen ſic ſecreto in confeſſionis auricularis tribunali depoſitum, aut ſuſpenſum, communione Euchariſtica non privari pœna priore juxta canones crimini ſufficiente. 3. Quoniam Clerici conjugati, etiam presbyteri ordinari ſolent, ſi reſciverint uxores ſuas adulterio pollutas, eas dimittere tenentur; aut ſi iis commiſceantur, ab officio Eccleſiaſtico ceſſare. Quæ ex iis emergant dubia, infra proponemus. Hæc ad poenitentiæ materiam ſpectant: nunc dicendum

## §. II. *De forma.*

Latina Eccleſia pro Sacramenti poenitentiæ forma habet hæc verba: *Ego te abſolvo ab omnibus peccatis*: eamdem uſurpandam propoſuit Eugen. IV. Armenis in decreto, quod pro eorumdem inſtructione in Florentina Synodo edidit, voluitque Clem. VII. ut Græci in Italia Inſuliſque adjacentibus degentes, eadem uterentur, dum neceſſitate cogente, Latinos abſolverent: hanc vero, vel ei valde ſimilem Græcorum plerique, dum poenitentem ſtatim ac confeſſus eſt, abſolvunt, uſurpant: Græci, Calabri, Apuli & Siculi, in orationibus, quas poenitentes abſolvendo proferunt, habent; *Ego vero condono tibi omnia peccata tua; In nomine Patris &c.* vel, *inſuper ego abſolvo te ab omnibus peccatis tuis quæcumque coram Deo, & mea indignitate confeſſus es: In nomine Patris &c.* Acceptaverunt quoque illas *Orientales nonnulli, & ut in uſum actas memini quondam mihi ab ipſis oſtenſas; tranſcriptas vero & quaſi laudatas, & receptas a quibuſdam cum pleriſque ſui ritus orationibus recenter ad me miſit multa mihi neceſſitudine conjunctus Gregor. Coreſius Eccleſiæ C. P. Theologus*, inquit Goarius pag. 340. edit. Venetæ.

Ruthenos hanc adhibere conſueviſſe formulam refert Arcudius lib. 4. c. 3. *Divina gratia S. Spiritus per me peccatorem, & minimum ſervum ſuum habet condonata quæcumque peccaſti*; in Rituali vero Metropolitæ Chiovienſis poſt deprecationem, Sacerdotem verba hæc pronunciare narrat; *Ego quoque Pater tuus ſpiritualis, poteſtate mihi a Deo, & a ſuperioribus meis conceſſa, te abſolvo ab omnibus peccatis tuis.* Nunciatum vero eſt a Monachis nonnullis Ruthenis, hac noſtra ætate Ruthenos fere omnes indicativam Latinorum formulam adhibere. Eadem forma univerſim utuntur Armeni, teſte Galano, & Syri Maronitæ, Chaldæi, aliique Orientales. Ex quo patet, totam fere Orientalem Eccleſiam præſcriptam in decreto pro Armenis a Conc. Florent. edito abſolutionis formam uſurpare.

Quamquam hæc forma Romanæ Eccleſiæ maxime probatur, & laudato pro Armenis decreto præſcripta eſt: tamen non adeo facile irritum, vel dubium declarandum eſt Poenitentiæ Sacramentum formula deprecativa a Græcis nonnullis, & ab aliis paucis Orientalibus uſurpata. Hujuſmodi formæ ita exprimuntur a Gabriele Philadelphienſi de Sacram. Poenit. cap. 8. *Gratia ſanctiſſimi Spiritus per humilitatem meam habet te condonatum, & abſolutum.* In officio eorum, qui peccata confitentur a Goario latine redito, Poenitentiarium poenitentem circa varia peccata interrogare præſcribitur, ac deinde ſubditur: *Poſtquam minutim interrogaveris de ſingulis, aſſume indicem, & quale ſit peccatum inquire, & cum hoc libro confer, ut quale ſit peccatum dignoſcas, & ipſa deinde ſubjunge.* Duæ deinceps recenſentur Orationes, in quarum prima Sacerdos ait; *Quæcumque tenuiſſimæ humilitati meæ narraſti, & quæcumque minus ex ignorantia, vel oblivione, qualiacumque ſint, exprimere non valuiſti, condonet tibi Deus in præſenti, & in futuro.* In altera vero: *Ipſe Deus, per me peccatorem in præſenti, & in futuro ſæculo tibi parcat.* Aliæ vero formæ habent, *abſolvat te Deus &c. vel condonet, dimittat, remittat tibi Deus quæcumque peccaſti.* Iis autem formis facile patet, ratum fieri Poenitentiæ Sacramentum. Primum, quia licet Græci aliique Orientales iis uterentur etiam Concilii Florentini tempore, ut ex eorumdem libris liquet, tamen Græcis, quos Patres ita abſolvere notant, nihil dixere, eoſque nihil de hac Sacramenti formula monitos abire permiſerunt: quod argumentum eſt, nihil ab iis deſiderandum, aut caſtigandum indicaſſe. Deinde Clem. VIII. & Bened. XIV. præcepere quidem Græcis ſub Latinis Epiſcopis degentibus, ut dum Latinos in caſu neceſſitatis abſolvunt, indicativa Latinorum formula utantur, ſed nec deprecativam uſurpare vetantur, dum Græcos abſolvunt, nec indicativam adhibere juſſerunt. Id vero nunquam prætermiſiſſent, ſi ratum non habuiſſent, vel cenſuiſſent ſuſpectum Sacramentum formula deprecantibus verbis expreſſa adminiſtratum; denique in antea indicatis formulis abſolventis Sacerdotis actio ſatis exprimitur: Id enim exprimi, dum Sacerdos ait: *Deus, vel gratia Sancti Spiritus dimittat, vel condonet tibi per me &c.* nemo negabit. Quamvis hæc formula, inquit Goarius, *deprecativa prima fronte appareat, abſoluta nihilominus his dictionibus διά ἐμοῦ per me, redditur, auctoritatem a Deo acceptam, quam prius Miniſter memorabat, rea poenitenti applicat, & indulgentiæ divinæ inſtrumentum, et cauſſam ſubordinatam ſe prædicat.* Si vero Sacerdos non dicat *per me*, id ſubauditur: nam ſi dum Sacerdos Græcus baptizans, ait, baptizatur talis, ſubauditur *a me*, cur non ſubaudiemus Sacerdotis actionem, dum poteſtatem ſeſe prius a Deo accepiſſe ait, ut revera dicit in quacumque oratione ſupra Poenitentem pronunciata, ac deinde ſubdit *abſolvat te Deus?* Quis eſt, qui non ſubintelligat *per me?* Miniſterium enim ipſum, quod cum Sacerdos exercet, ſatis ſuperque denotat, cum ita ſeſe exprimere; Deus per me Miniſtrum ſuum abſolvat te ab omnibus peccatis. Igitur formulæ deprecativæ exprimunt Sacerdotis actionem, atque eam ita indicant, ut humilem ſubmiſſumque eorumdem animum deſignent, quod Deum rogant, ut Sacramentum, quod ipſe inſtituit, quodque nonniſi divina ipſius promiſſione, & virtute fit, perficiat. Atque hac de cauſſa ab Irenæo, Juſtino, aliiſque Patribus Sacramentorum formulæ paſſim preces, orationes, invocationeſque appellantur.

*Nota* 1. Etſi deprecativa forma ſatis eſt ad perficien-

ciendum Sacramentum Poenitentiæ; tamen dum Græci aliique Orientales Latinorum Confeſſionem excipiunt, eoſque abſolvunt, ex Clementis VIII. & Benedicti XIV. Conſtitutionibus tenentur formam in Florentina Synodo præſcriptam adhibere; ac laude digni habentur omnes Orientales, qui præter preces, quas juxta proprium ritum proferunt, eamdem quoque formam pronuncient.

*Nota* 2. Refert Galanus loco ſup. cit. Armenos nonnullos, dum poenitentes confitentur, ad ſingula peccata dicere: *Deus dimittit*, ac pro formula habere verba hæc: *Deus remittit peccata tua*, ubi advertit, & quidem optime, tolerari non poſſe morem pronunciandi formulam ad ſingula peccata; cum ea Sacramentum fiat, quod integram confeſſionem pro materia habet. Ad formam vero quod ſpectat, non dubito, quin ea vere perficiatur Sacramentum, ſubaudiatur *per me*, ac abſolventis Sacerdotis actio deſignetur: teneri vero arbitror Armenos ad eam uſurpandam, quam iiſdem Florentina Synod. propoſuit, & inculcavit.

### §. III. *De Miniſtro Poenitentiæ.*

HUjus Sacramenti Miniſter etiam juxta Orientalis Eccleſiæ canones eſt Epiſcopus, vel Presbyter, cui Epiſcopus abſolvendi facultatem fecerit, hoc eſt, cui animarum curam commiſerit, atque adeo ſubditos deſignaverit, in quos juriſdictionem abſolvendo a peccatis exerceat. Atque in iiſdem canonibus ſtatutum eſt præſertim XLVI. Carthaginienſi, & XIV. Neocæſarienſi, poſſe Sacerdotem quemque, abſente Epiſcopo, vel alio ab Epiſcopo probato Presbytero, in mortis periculo conſtitutum abſolvere. Reprehenſione vero digni ſunt Græci, teſte Goario, quod *raros, eoſque e Monaſteriis, maxime ſelectos πνευματικούς, Patres ſpirituales ad hoc opus admiſſos, litteriſque εἰς κατηχήσεις inſtitutos exponant, quia Laicos Sacerdotes quamvis errones, non ita confidenter conveniunt, prout ſubindicat Balſamonis reſponſum* XIX. Huic errori occurrere voluiſſe videntur Clem. VIII. & Bened. XIV. qui in Conſt. *Etſi Paſtoralis*, quod Clemens ſtatuerat, per hæc verba inculcavit: *Sacerdotes quoque conjugati, aliique, quibus Parochiarum cura, vel Eccleſiarum Parochialium regimen per Epiſcopos ſuos committitur, licite, et libere poſſint Parochianorum ſuorum confeſſiones audire, ipſiſque pœnitentiam injungere pro peccatis: quia cui licet, vel conceditur quod eſt majus; competit quoque, nec negari convenit quod eſt minus.*

Ad Confeſſariorum dotes, quod ſpectat, eædem ſunt, quæ in Orientalibus ac in Latinis deſiderantur, ſcilicet probitas morum, ſufficiens ſcientia, prudentia &c. quæ ab Auctore noſtro recenſentur. Hic vero notamus ab Apoſtolica Sede ſtatutum eſſe, ne ulli *per Sacerdotes vel confeſſarios, pro ſatisfactione pœnitentiæ, unctio aliqua ſolummodo injungatur.* Atque tollendum eſſe abuſum, ubi fit, *ut vir atque uxor ſimul, et eodem tempore eidem Presbytero confiteantur.* Nec ferri poteſt abuſus, qui apud Photianos plerosque viget, de exigendo tamquam neceſſario confeſſarii teſtimonio, dum aliquis ad ſacros ordines ſit promovendus; non enim poteſt confeſſarius de iis quæ in confeſſione novit quidpiam teſtari, ut univerſa tum Orientis, tum Occidentis Eccleſia ſemper docuit. Vide hac de re Papadopoli *reſponſ.* VI. *ſect.* VIII. in qua n. 5. oſtendit: 1. *Jure Græcæ gentis Sacerdotem a confeſſionibus ad teſtimonium neque pro filio ſpirituali, neque contra eumdem recipi: 2. Secretum ſacræ Exhomologeſis violari nullam ob cauſſam poſſe; 3. Teſtimonium hujuſmodi exitioſum ac ſtultum eſſe.* His præmiſſis, ac ſtatuto etiam, Orientales ad Sacramentalem confeſſionem ſemel ſaltem in anno faciendam obligari ex Eccleſiæ præcepto, nonnullas circa hanc materiam quæſtiones examinandas ſuſcipio.

Quæſt. I. *Utrum in Dioeceſi, ubi permixti ſunt Latini cum Græcis, vel Græci cum aliis diverſi ritus, poſſit Latinus Græco, & Græcus viciſſim Latino, aut alterius Ritus Sacerdoti confiteri.*

*Reſp.* 1. In caſu neceſſitatis poſſe Presbyterum quemque hominem etiam diverſi ritus abſolvere. Immo ſentiunt Viri docti, inquit Melchior Canus, licitum eſſe etiam ab hæretico recipere poenitentiam in artic. mortis, ut Petrus Paludanus 4. *diſt.* 25. *q.* 1. Sylveſter in verbo *Confeſſ.* 1. §. & Joannes Major. *diſt.* 17, & Gloſſa *Extrav. de ſponſal. c. Non nobis.* Primum quia probabiliſſimum eſt, quemlibet Sacerdotem in mortis articulo habere auctoritatem abſolvendi jure divino. Deinde, quod ſi jure divino quilibet Sacerdos hanc poteſtatem non habeat, Eccleſia, cujus providentiæ commiſſum eſt conſulere animarum ſaluti, cum pia mater ſit, non eſt credendum filiis ſuis in articulo mortis deeſſe; adeoque eos cujuslibet Sacerdotis poteſtati ſubjicere, nec ulli voluiſſe in hoc neceſſitatis caſu abſolvendi facultatem adimere. Igitur dubitari non poteſt quin quiſque, neceſſitate urgente, poſſit cujuſvis ritus Presbyteris peccata ſua confiteri. Græci autem, aliique Orientales, ſi qui ſint, qui deprecativa forma abſolvant, Apoſtolicæ Sedis præcepto tenentur præter preces, quas juxta proprium ritum adhibent, etiam formam abſolutionis a Florentina Synodo præſcriptam, & a Latina Eccleſia uſurpatam, adhibere. En verba Conſtitutionis *Etſi Paſtoralis* §. V. de Sacram. Poenit. n. 5. *In caſu neceſſitatis Presbyteri Græci catholici poſſunt Latinos abſolvere; utantur tamen forma abſolutionis in Conc. Gener. Flor. præſcripta; poſtea vero ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujuſmodi abſolutionis dicere tantum conſueverunt.*

*Reſp.* 2. Miſſionariis Latinis quiſque licite confitetur, cujuſcumque ſit ritus, cum ii ab Apoſtolica Sede auctoritatem habeant in locis Miſſionum, atque in Epiſcoporum adjutorium, & levamen mittantur; neque Epiſcopi prohibere poſſunt ſubditos, ne ad eoſdem accedant. Hinc Sac. Congreg. de P. F. 5. Dec. 1654. *Mandavit, moneri Patriarcham Maronitarum, cum non potuiſſe, nec debuiſſe, in præjudicium juriſdictionis Apoſtolicæ Sedis ferre excommunicationem in Maronitas, qui Sacramenta recipere voluerint a Miſſionariis ejuſdem Sanctæ Sedis: & propterea teneri eam revocare, & de cauſſis ob quas Maronitæ non debent a Miſſionariis recipere Sacramenta, Sac. Congreg. certiorem facere, quæ, ſi opus fuerit, indemnitati Presbyterorum providebit.* Licet Miſſionarii poſſint horum confeſſiones excipere, non poſſunt tamen eos a caſibus Epiſcopo re-



ſervatis abſolvere, niſi obtenta ab eodem Epiſcopo facultate, ut pluries a Sac. Congr. decretum eſt.

*Reſp.* 3. Epiſcopus Latinus, ſi in ſua Dioeceſi habeat Sacerdotes Græcos, vel alterius ritus orientalis, poteſt eos probare, ac deſtinare ad confeſſiones etiam Latinorum audiendas; liquet id ex ſupra citata Conſt. n. 6. in qua habetur: *Extra vero caſum neceſſitatis, ſi quos ex Presbyteris Albaneſibus peritos, & ad confeſſiones omnium audiendas idoneos Ordinarius Latinus judicaverit, ut non ſolum Græcos, ſed etiam Latinos ad ſe accedentes poſſint abſolvere, id eorumdem Ordinariorum prudentiæ, & arbitrio relinquitur.* Et n. 1. *Presbyteri Sæculares Græci ex Albania, vel aliis Orientis partibus advenientes, abjuratis ſchiſmate, & erroribus, atque in fide Catholica bene inſtructi, in Parochialibus, ſeu Curatis Eccleſiis Græcorum inſtitui poſſunt.* Sicut Latini Epiſcopi Græcos in ſuis Dioeceſibus degentes Sacerdotes poſſunt ad confeſſiones audiendas Latinorum deſtinare, ita Græci, aliique orientales Latinorum Presbyteros, ſi qui ſint in eorum Dioeceſi: atque ex hoc patet, falli omnino a Breno, qui *lib.* III. *cap.* 2. *qu.* 10. cenſet, præceptum de ſervando proprio ritu violare Latinum, ſi Græco presbytero confiteatur a Dioeceſano Catholico Epiſcopo ad confeſſiones omnium audiendas approbato; nam ſi Græcos ritum non mutat, dum Latino Sacerdoti peccata ſua confitetur, cur Latinus ritum mutabit? Deinde ſi Græci, ut ſupra ſtatui, dum Latinos abſolvunt, utuntur, ac uti debent forma a Florentina Synodo præſcripta, ubi eſt rituum diverſitas? Ergo commentitia eſt ritus variatio.

*Reſp.* 4. Si in Dioeceſi alicujus Epiſcopi plures ſint homines diverſi ritus, licite confitentur Presbyteris ab Epiſcopo ad confeſſiones audiendas approbatis, etiamſi poenitentes diverſum a confeſſario ritum ſervent. Id liquet, primum ex conſuetudine veteri uſu comprobata, quæ tum Romæ, tum in aliis locis viget; ubi Græci, Rutheni, Armeni, Syrii, & ſi qui alii occurrunt diverſi a Latino ritu, presbyteris Latinis ab Epiſcopo approbatis confitentur. Deinde quod hæc eadem conſuetudo vigeat etiam apud Maronitas, quod tamen Supremæ Inquiſitionis Decreto definitum eſt, *non eſſe inquietandos*, ut ex ſolutione dubii, quod ſequitur, manifeſtum eſt; *An Sacerdotes Maronitæ approbati ab eorum Ordinariis ad audiendas confeſſiones poſſint indifferenter audire confeſſiones omnium Perſonarum cujuſcumque Nationis, & ritus Orientalis, quæ reperiuntur in illis partibus? Eminentiſſimi, audito voto DD. Conſultorum dixerunt: Maronitas non eſſe inquietandos.* S. C. S. O. die 5. Decembris 1725. Accedit etiam Decretum Congr. de Prop. Fide ann. 1630. quo referente Cardinale Bandino, ſtatutum fuit, *non debere Latinos Epiſcopos prohibere ſubditos ſuos, ne confeſſiones faciant cum Sacerdotibus Ruthenis unitis ab Ordinariis locorum approbatis: nec e contra Epiſcopos Ruthenos unitos ſubditos ſuos ſimili prohibitioni ligare, ne Confeſſarios Latinos approbatos ad expianda peccata ſua adeant; nam cum Rutheni uniti ſint vere Catholici, ubi ritus diverſitas non repugnat, diſcordias, & diſſidia inter eos excitantes, vel nutrientes introducere inconveniens, & damnoſum eſt.* Denique, quia in adminiſtratione Sacramenti Poenitentiæ; dum Orientales antedictam formulam uſurpant, nulla eſt rituum diverſitas, ac Eccleſia pia mater libertati favet Poenitentium, quo facilius eos ad peccatorum per confeſſionem expiationem alliciat. Difficultas major eſt circa Orientales, quorum plures ſunt in eadem civitate Epiſcopi, qui in ſolos homines proprii ritus juriſdictionem habent, ver. gr. Aleppi Græcus Græcis, Syrus Syriacis, Maronita Maronitis, & Armenus antiſtes Armenis præeſt. In iis ſi Epiſcopus facultatem Presbyteri limitatam concedat ad audiendas confeſſiones hominis proprii ritus, certum eſt non poſſe confeſſarium abſolvere diverſi ritus homines: ſicut approbatus ab Epiſcopo Latino ad audiendas confeſſiones Græcorum, vel Latinorum, tantum aut ſolum virorum, non poteſt eos, ad quos conceſſa facultas non ſe extendit, abſolvere. At ſi limitata non ſit facultas, & ſi lex non adſit particularis, vel conſuetudo, quæ vim legis obtineat, qua pro conſervanda inter homines diverſi ritus pace, obligentur omnes proprii ritus confeſſarium adire, non video, cur quiſque non poſſit Sacerdoti a proprio Epiſcopo approbato confiteri. Cum enim circa adminiſtrationem Sacramenti Poenitentiæ, nulla ſit rituum diverſitas, ſubditi illorum Epiſcoporum ſe habent, ut ſubditi Epiſcoporum, qui in diverſis locis juriſdictionem exercent; ſubditi vero unius Epiſcopi licite accedunt ad Sacerdotes alterius Epiſcopi ſubditos, & in alia Dioeceſi degentes, atque rite ab iis abſolutionem accipiunt.

Quæſt. II. *Utrum, et quomodo confeſſio fieri poſſit, et debeat per interpretem?*

*Reſp.* 1. Explorata res eſt, extra caſum neceſſitatis, & ſolum ob præceptum de quotanni confeſſione, neminem teneri ad confitendum per interpretem; cum ſoli Sacerdoti peccata noſtra aperire teneamur; *Omnia ſua ſolus peccata confiteatur proprio Sacerdoti*, inquit Innoc. in cap. *Omnis utriuſque ſexus, tit. de pœnitentia*; videlicet inſinuans, quod ſi ſolus confiteri nequit, confiteri non teneatur. Poſſe vero poenitentem, ſi velit, per interpretem confiteri nemo negat. Immo in articulo mortis non auderem omittere confeſſionem, ſi haberem interpretem, ait Canus *in Relectionibus de pœnit. par.* 4. Hæc reſponſio Sacrarum Urbis Congregationum decretis conſentanea eſt. In Congregatione particulari de P. F. decretum fuit: *Quamvis docente Conc. Trid. nullo ſit divino præcepto mandatum, nec ſatis conſulto lege aliqua humana præcipi poſſit, ut delicta præſertim ſecreta, publica confeſſione aperiantur; tamen viſum eſt Patribus deputatis eidem ſacræ Synodo inhærentibus, eos, qui volent ſponte per interpretem confiteri, non debere per Vicarium Apoſtolicum Conſtantinopolitan. prohiberi, cum ſufficiat præcavere abuſus, et ſcandala, et curare, ut interpretes admoneantur de obligatione, quam habent ſervandi naturalis ſecreti.* Et propoſito an. 1633. ſequenti dubio: *Qua ratione ſe gerere debent Miſſionarii cum pœnitentibus, quorum idioma ignorant? Sac. Cong. die* 10. *Feb.* 1668. *reſpondit, Miſſionarii hortentur pœnitentes ignaros idiomatis Miſſionariorum ad adhibendum interpretem, per quem confiteantur omnia peccata, quod ſi hoc nolint, ſaltem confiteantur aliqua per interpretem, et reliqua per nutus et ſigna quantum poſſunt; quod ſi nulla velint per interpretem confiteri, confitean-*

*teantur per ſigna & nutus omni meliori modo, ſicut fit cum mutis; ſed Miſſionarii curent addiſcere ex unaquaque lingua ibi uſuali illa pauca verba quæ ſunt neceſſaria ad explicanda præcipua peccata contra Decalogum, & contra quinque præcepta Eccleſiæ.*

*Nota.* Dum ignorans Confeſſarii idioma renuat confiteri per interpretem, petat vero a Miſſionariis peccatorum abſolutionem ob confeſſionem nutibus, & ſignis dumtaxat factam vel faciendam, abſolvi licite poteſt, ut Theologi docent, & ut ex ſolutione patet dubii, quod ſequitur: *Utrum in regionibus longinquis Catholicus multis annis inconfeſſus, & ſignis dumtaxat ob defectum idiomatis petens abſolutionem peccatorum, poſſit abſolvi abſque ope interpretis? Emin. approbarunt vota PP. Theologorum, videlicet, non eſſe opus interprete in caſu propoſito, ſicut etiam poſſe & debere abſolutionem peccatorum impertiri exhibenti ſigna, quæ poteſt, dummodo ſufficiant ad exprimendum aliquod peccatum in ſpecie. In caſu vero, quo quis conatur, quantum poteſt exhibere ſigna peccatorum in ſpecie, nequeat autem omnino intelligi, abſolvi poſſe per ſolam manifeſtationem peccatorum in genere.* Sac. Cong. Sup. Inq. 28. Feb. 1633.

Quæſt. III. *Utrum Græci confeſſarii poſſint ac debeant pœnitentibus juxta canones pœnitentiam injungere, & an eam pœnitentiam teneantur pœnitentes acceptare, aut acceptatam exequi?*

Quæſtio hæc a Verricello de ſolo presbytero Græco proponitur, qui fornicationis, vel adulterii crimen confeſſus ſit, cuique a Confeſſario pro poenitentia injungatur, ut perpetuo a ſacro altari abſtineat. Cenſet vir doctus hoc in cauſſa eſſe, ut Græci ac etiam Mengrellenſes presbyteri nunquam fere confiteantur; atque ut impedimentum hujuſmodi amoveat, facilemque iis reddat ad poenitentiæ Sacramentum acceſſum, ſtatuit Confeſſarios hanc non poſſe presbyteris pœnitentiam injungere, presbyteroſque poenitentes poſſe eamdem recuſare, & etiam acceptatam non exequi. Nos vero rem hanc, quæ magni momenti eſt, paullo diligentius expendere atque explicare decrevimus.

Cenſet itaque, Græcorum canones, quibus ob fornicationem, & alia crimina Sacerdotes a ſacris abſtinere jubentur, non de infligenda in ſecreta confeſſione poenitentia, ſed de poena illa eſſe intelligendos, quæ ab Eccleſiaſtico judice decernenda ſit, dum crimen ad externum ipſius forum delatum ſit. Primum, quia canones illi depoſitionis poenam conſtituunt, quæ a ſolo judice in foro externo decernente imponi poteſt: deinde, quod lapſos deponendos, non vero excommunicandos eſſe decernant; quod argumentum eſt, de eo tribunali verba fieri, quod excommunicationis ſententiam ferre poſſit, quæ in ſolo exteriori foro ferri poteſt. Præterea, quia, ut ex can. 3. S. Baſilii liquet, in conſtituenda, ac decernenda poenitentibus poenitentia, recepta conſuetudo ſervanda eſt: conſuetudo vero nunc viget in univerſa Eccleſia, ut in confeſſione ſecreta peccatorum, arbitrio Confeſſarii poenæ decernantur; quæ conſuetudo decretis Concilii Flor. ac Trid. ac jure canonico comprobata eſt. Demum, quia abſurdiſſimum eſt, Sacerdotem ex. gr. fornicarium abſtinendo ab altari, ſeſe hujus criminis reum prodere.

At hæc tanti momenti non ſunt, ut moveant me ad Verricellianæ opinioni ſubſcribendum. Principio vero in memoriam ſunt revocanda, quæ de Græcorum adminiſtrandæ pœnitentiæ diſciplina §. 1. declaravi. Ex iis facile patet, Græcos ſublata publica poenitentia, ita poenitentiæ Sacramentum adminiſtrare conſueviſſe, ac eorum pleroſque ſolere adhuc, ut Sacerdotes juxta canones pro determinatis criminibus poenitentias decernere jubeantur; hac unice eis conceſſa poteſtate, ut Poenæ, quæ in genuflexionibus, jejuniis, & orationibus conſiſtunt, pro poenitentium majori, vel minori diſpoſitione temperare, vel augere valeant. Nam facultas concedendi ante præſcriptum a canonibus tempus Euchariſticam communionem ſolis Epiſcopis reſervata eſt, qui ſolent litteras condonativas concedere, ut ibi ex Goario adnotavi.

Deinde, fac ab Eccleſia ita conceſſam eſſe Presbyteris abſolvendi facultatem, ut iis pro peccatorum qualitate indicaverint tempus, quo poſt receptam abſolutionem poenitentes abſtinere debeant ab Euchariſtica communione, ut melius cognita peccatorum gravitate, poenitentia debita rite ad eam diſponantur: atque etiam præcepiſſe, ut Confeſſarii poenitentibus declararent, ſeſe ob commiſſa crimina in poenam illam incurriſſe, qua obligantur ſtatuto tempore a communione abſtinere, quis neget Confeſſarios poſſe, ac debere ita poenam decernere? Hæc enim eſt veluti cenſura Eccleſiæ auctoritate præſcripta, atque a Confeſſario ex ipſius Eccleſiæ præcepto poenitentibus declaranda. Ubi eſſet in poenitente rejiciendæ canonicæ poenæ a Confeſſario declaratæ, & inculcatæ libertas? Confeſſarius enim non arbitrio ſuo id decerneret, ſed cenſuram indicaret, quam Eccleſia pro certis criminibus etiam occultis ſtabilivit, eaque deſignaret, quibus eadem Eccleſia probari, & diſponi voluit homines poſt nonnulla crimina ad Euchariſticam communionem. Atque hæc eſt diſciplina, quæ in nonnullis Græcæ gentis Eccleſiis viget, in quibus ea lege facultas abſolvendi Presbyteris conceditur, *ut juxta opera, in quibus homines peccaverunt, canonem ipſi imponant*, ut legere eſt in litteris, quibus Presbytero hæc facultas conceditur a Germano Amathuntis Epiſcopo, quas refert Morinus in fine Operis de poenitentia pag. 136. & ut liquet etiam, ex Hieremiæ Patriarchæ ad Lutheranos reſponſo; ubi ait, facultas abſolvendi *non abſolute conceſſa eſt, ſed ea conditione, ut peccati pœnitens obediat, & conſentiat illi, qui animæ ſuæ curam gerit, & veram poenitentiam demonſtret*; atque hæc quoad poenitentiam canonicam generatim.

Venio nunc ad eam, quam Clerici Presbyterique ſubire coguntur, de qua Verricellus unice differit. In ordine circa eos qui peccata confitentur obſervando, a Joanne Patriarcha Jejunatore nuncupato conſcripto, de quo §. 1. diximus, quod a ſuis nimiæ ſit indulgentiæ accuſatus, hæc habentur: *Sacerdotes, & Epiſcopi, & Diaconi, qui in gradu ſunt, ad confeſſionem ſuſcipiendi non ſunt, niſi ſecundum Deum ſecuritatem eorum Confeſſoribus fecerint; quod ſi alicujus criminis rei ſunt, quod eos a ſacris ordinibus exercendis prohibeat, non amplius ſacris miniſtrare audebunt. Ejuſmodi enim non datur pœnitentia, qualiſcumque ea ſit, ſive cibi, ſive potus, nequidem omnino a communione abſtinentia; ſed a ſacro miniſterio ceſſatio. Nihil autem abdicat Sacerdotem Sacerdotii functione, niſi alteri mulieri præterquam ſuæ miſceatur.* Hæc erat Græcæ Eccleſiæ diſciplina initio ſeptimi ſæculi, quæ deinceps viguit, ac viget etiam nunc in Eccleſiis nonnullis, licet canonum rigor ſit Epiſcoporum indulgentia aliqua ex parte temperatus. Archiepiſcopus enim Trapezuntinus, vir prope ſeptuagenarius, interrogatus a Morino, dum Pariſiis verſaretur, *de praxi hodierna in Clericum vel Monachum in carnis vitium lapſum*, reſpondit: *Si crimen publicum eſt, aut publice probatum, licet ſemel tantum perpetratum fuerit, Clericus ille deponitur. Si accuſatus, ſed non convictus, ſe ſe ſuper res ſacras jurejurando purgat, & innocentiam ſuam confirmat, publicatque, tum communione fruitur. Si crimen occultum confeſſione ſecreta Sacerdoti aperit, ſemel biſve condonatur. Tertia vice a ſacro Miniſterio ut ceſſet ſevere injungit ſpiritualis Pater, nec aliter, quam ſi ceſſaturum promiſerit, abſolutionem concedit.* Igitur Canonica poenitentia erga Presbyteros Clericoſque, quæ a ſacris ceſſare jubeat, viguit ſemper, ac etiam nunc viget penes pleroſque Græcos: ergo ſi conſuetudo in decernenda poenitentia ſervanda ſit, ut ex S. Baſilio Verricellus probat, Presbyteri eam ſubeant poenam neceſſe eſt, quam juxta canones decernere ſolent; neque enim jure Eccleſiaſtico Latinorum, & a Conciliis pro Latinis editis decretis, conſuetudo hæc dici poteſt abrogata: quippe nec bonis moribus, & fidei, nec Clericorum honeſtati adverſatur, quo unice ſenſu Græcorum mores improbantur.

Hæc cum ita ſe habeant, en propoſitæ reſponſionis demonſtratio: Græci habent jus canonicum, quod collectione canonum, qua ipſi utuntur, continetur, & cui tamquam Eccleſiæ legi ſubjiciuntur: ergo in poenas peccando incidunt, quas hujuſmodi jus præſcribit, & quas ſubire oportere ab antiquis temporibus ad hanc uſque ætatem eorumdem Eccleſia docuit. At canones præſcribunt, eos Presbyteros, vel Diaconos, qui vel propriæ miſceantur uxori, poſtquam norint hanc cum alio peccaſſe, iique ob ſimilitudinariam etiam, in quam tum incidunt, bigamiam; vel propriam uxorem habentes cum alia peccant, ut ex ordine Joannis Jejunatoris liquet, perpetuo a ſacris ceſſare debere; nec eorum confeſſionem poſſe Patrem ſpiritualem excipere, niſi ſpondeant paratos ſe eſſe ad obtemperandum Canonibus, ſi in peccata ceciderint, ob quæ a Sacris ceſſatio decreta ſit. Ergo Græci presbyteri, ubi hæc conſuetudo vigeat, non poſſunt hujuſmodi poenitentias rejicere; poenæ enim ſunt, in quas illico, poſtquam peccaverunt, inciderunt; non ſecus ac clericus, vel presbyter Latinus ſecreto etiam occidendo in irregularitatem incidit, qua a ſacro miniſterio ceſſare obligatur: ergo ut Latinus confeſſarius hanc indicere deberet presbytero Latino, nec eum poſſet abſolvere niſi ſponderet a ſacro abſtinere, quoad uſque ab illa ſit cenſura legitima auctoritate ſolutus; ita Græci &c. Et ut Latini ob occultum iſtud crimen abſolutionem petere ſolent, ac ſpiritualis poenæ commutationem ab Apoſtolica Sede, ne per poenam, quam publice ſubeant, ſe ſe homicidii reos prodant; ita Græci, dum timeretur ex poena, ſecreto a confeſſario juxta canones inflicta, occulti criminis manifeſtatio, deberent ad proprios Epiſcopos recurrere, quibus canones hanc poteſtatem facere videntur; vel ut tutius agerent, aut ad Apoſtolicam Sedem, vel ad eos, quibus ab Apoſtolica Sede facultas ab hujuſmodi cenſuris abſolvendi conceſſa ſit. Hujuſmodi autem ad Apoſtolicam Sedem recurſus neceſſarius videtur, quod Canones, ut apud Jejunatorem legere eſt, ſtatuant nunquam presbyteris ita peccantibus fieri debere ſacrificandi poteſtatem; quibus verbis Epiſcopis abſolvendi facultas adempta quodammodo videtur.

*Nota.* Quæ hactenus dixi, locum unice habent in iis Eccleſiis, in quibus canonica poenitentia vigeat, ac contraria conſuetudine antea dicti canones abrogati non ſint. Aboliti autem ſunt in iis locis, in quibus Latinorum more poenitentiæ Sacramentum adminiſtretur; vel conſuetudine jam comprobata, ſint poenæ ſupradictæ, & quæ in fornicarios Clericos decernuntur in foro interno, immutatæ. De iis vero criminibus, ob quæ Clerici uxorati in bigamiam incidere videntur ſimilitudinariam, dicam infra. Hic enim ea unice explicanda ſuſcepi, quæ obligationem oſtendunt, quam pœnitentes habent acceptandæ canonicæ juxta propriæ Eccleſiæ morem poenitentiæ a Patre ſpirituali demonſtratæ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS




# TRACTATUS
## DE EXTREMA UNCTIONE.

EXtrema Unctio eſt Sacramentum a Chriſto inſtitutum ad conferendam ægroto de vita periclitanti gratiam ad reſiſtendum tentationibus, ferendum patienter dolores, & peccati reliquias abſtergendas, atque etiam ad corporis ſanitatem, ſi expediat, reſtituendam, per unctionem olei benedicti, & orationem Sacerdotis.

Quæſt. I. *Quænam eſt materia et forma hujus Sacramenti?*

*Reſp.* 1. Materia remota eſt oleum olivarum ab Epiſcopo benedictum. Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. Renovari debet ſingulis annis, veteri exuſto. Quod ſi periculum ſit, ne intra annum deficiat, neque poſſit haberi aliud benedictum, benedicto admiſceatur non benedictum in minori quantitate. *Ita Rituale Romanum.* Materia vero proxima eſt Unctio. Hæc ex uſu Eccleſiæ & præcepto Ritualium, debet fieri in forma crucis, quod tamen non eſt eſſentiale, ſicut neque ut fiat immediate pollice Sacerdotis; nam peſtis tempore unctio fieri poteſt bacillo.

✠ Vide SS. D.N. Tract. DE SYNODO DIOECESANA, in quo plura de Extrema Unctione ſcitu digna explicantur, quorum nonnulla brevius indicamus. Lib. VII. c. 16. nu. 3. de materia, ait: *Materia hujus Sacramenti eſt oleum ſimplex, ſaltem ex Eccleſiæ præcepto. Validitati tamen non obſtat aliquid balſami admixtum, quod antiquitus factum quidam opinantur.* Et n. 5. *Oleum debet eſſe ab Epiſcopo benedictum. Dubitatur vero, num ex Chriſti inſtitutione, an ex præcepto Eccleſiæ? De commiſſione Romani Pontificis poteſt a ſimplici Sacerdote præparari ut ſit apud Orientales.*)

*Reſp.* 2. Forma eſt hæc deprecativa: *Per iſtam ſanctam Unctionem, et ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti ✠ Amen.* Et ſic de aliis ſenſibus. Ex Conc. Flor. & Trident. & Rit. Rom. Sunt qui putant hæc ſola verba, *Per iſtam Unctionem indulgeat tibi Deus*, eſſe eſſentialia, eo quod effectus Sacramenti ſufficienter exprimant, quamvis cetera ex præcepto ſint addenda.

✠ Cap. 17. De Synodo cit. Pontifex, ait: *Formam hujus Sacramenti non eſſe certis verbis a Chriſto præſcriptam, ac deprecativa uti apud Latinos, et Græcos; ſed in controverſia eſſe, num ſufficiat indicativa, et abſoluta; quare cum nihil de ea definitum habeamus ab Eccleſia, non licere*, concludit, *in Synodo vel Synodali inſtructione, ejuſmodi quæſtionem commemorare, ſed dumtaxat injungendum eſſe Parochis, ut formam adhibeant in Rituali præſcriptam, quæ certe ſine gravi flagitio non poteſt privata auctoritate immutari.*)

Quæſt. II. *An eſſentiales ſunt Unctiones quinque ſenſuum?*

*Reſp.* 1. Multi cum S. Tho. affirmant, & in Eccleſia Latina ſervantur: ac proinde in praxi adhiberi debent, quantum fieri poteſt, præſertim cum conſtet ea requiri ex præcepto. Non pauci tamen contendunt, ad valorem Sacramenti ſufficere unicam in quacumque corporis parte; & Rituale Mechlinienſe a Facultate Lovanienſi approbatum præſcribit: *In morbis contagioſis, & peſte graſſante, ut periculum vitetur, ſufficere inungi ſenſus organum magis ad unctionem expoſitum, aut detectum, dicendo: Per iſtam ſanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & greſſum.* Rituale vero Pariſienſe ſic habet: *Si non poſſit ſuper infirmum fieri niſi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud ſenſuum organum, & ceteris precibus prætermiſſis dicatur: Per iſtam ſacri olei Unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per ſenſus.* Sed utut ſit, certum eſt id non licere extra neceſſitatem.

Porro non eſt abſolute neceſſarium, ut utrumque organum ejuſdem ſenſus ſpecifice ſumpti, v. gr. uterque oculus ungatur, (quamvis ob receptam conſuetudinem id fieri debeat) quia Unctio dicitur applicata alicui ſenſui, puta viſui, cum facta fuerit in parte corporis, in quo ſenſus ille reſidet.

Pro praxi obſerva, 1. Ex præcepto ſaltem quinque corporis partes inungi debent, quæ ſunt ſenſuum organa, nempe oculi, aures, os, nares, & manus, quibus ſecundum uſum communem & Rit. Rom. adduntur pedes, licet pedum unctio non ſit eſſentialis; unde in quibuſdam locis omittitur. *Renum* vero *unctio in mulieribus, honeſtatis gratia ſemper omittitur, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non poteſt. Sed ſive in mulieribus, ſive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.* Ita Rituale Rom.

2. Si quis careat aliqua parte corporis ex iis, quæ inungi debent, *pars loco illi proxima inungatur eadem verborum forma.* Rituale Romanum. Ut ſi manibus careret, ungenda eſſet pars brachii proxima. Quod ſi omnino careret ſenſu aliquo, puta viſu, debet tamen inungi ſecundum ſenſum illum, cum forma ei reſpondente; quia potuit appetere actus malos, qui per ſenſum illum perficiuntur.

3. *Dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria ſunt, Sacerdos ungit, caveat ne alterum ipſorum inungendo, Sacramenti formam prius abſolvat, quam ambo hujuſmodi paria membra perunxerit.* Ritual. Rom.

4. *Si dum inungitur infirmus decedat, Presbyter ultra non procedat. Quod ſi dubitet an vivat adhuc, unctionem proſequatur, ſub conditione pronuntiando formam dicens: Si vivis, per iſtam ſanctam Unctionem &c.* Ritual. Rom.

5. *In peſtiferis uti licebit virga oblonga, oleo uncta, quæ deinde comburatur, aut ſervanda purgetur*, ait Manuale Cameracen.

✠ Quum de Unctionibus plura ſcitu digna, & neceſſaria habeantur, quæ in Auctore noſtro deſunt, integrum cap. 18. referimus: *Sed quoniam in decreto Eugenii, pro inſtructione Armenorum, in hujuſce Sacramenti adminiſtratione ſeptem unctiones fieri jubentur, videlicet:* In oculis propter viſum; in auribus propter auditum; in naribus propter odoratum; in ore propter guſtum, vel locutionem; in manibus propter tactum; in pedibus propter greſſum; in renibus propter delectationem ibidem vigentem: *earumque ſingulis reſpondere debeat forma, tunc a Miniſtro pronuncianda, hoc eſt:* „ Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti " *cum inunguntur oculi* „ quidquid per auditum deliquiſti, *cum inunguntur aures, & ſic deinceps, quemadmodum fuſe exponitur in Rituali Romano: hinc alia gravis ſuboritur controverſia; utrum omnes prædictæ unctiones, & formæ prolationes ſint de Sacramenti ſubſtantia, de qua controverſia multa habentur in citata diſſertatione* de ſuprema Unctione *Benedicti de Gaetanis* cap. 8.

2. *Ultro Doctores omnes fatentur cum Suarez* tom. IV. in 3. par. diſp. 40. ſect. 2. n. 6. *duas poſtremas unctiones, pedum ſcilicet, & renum, neceſſarias non eſſe ad validam Sacramenti confectionem: tum quia non ſunt in uſu apud omnes Eccleſias, tum quia illa renum, honeſtatis, pudoriſque cauſa, ſemper omittitur in feminis, & interdum etiam in viris, qui propter labefactas corporis vires, morbique languores, dimoveri nequeunt ſine gravi incommodo, quod adnotatur a Rituali Romano, atque a Cardinali Sanctorio* in ſuo Rituali pag. 323. *Haud difficulter quoque iidem admittunt, ceteras quinque ſenſuum unctiones neceſſarias eſſe neceſſitate præcepti, ſed diſſentiunt & diſputant, num etiam neceſſariæ ſint neceſſitate Sacramenti. Antiquiores Scholaſtici exiſtimarunt, omnes pertinere ad ſubſtantiam, & integritatem Sacramenti, quod ex ſingulis, tamquam ex ſuis partibus eſſentialibus conſtitui, atque integrari, ſunt opinati.* Ita in 4. diſt. 23. *docuerunt S. Bonaventura, Richardus, Paludanus, Sotus, quibus ſubſcripſere Bellarminus* in extrem. unction. leg. unic. cap. 10. *Gregorius de Valentia* tomo VI. diſput. 4. quæſt. 2. punct. 2. paragr. Secundo aſſerimus, *Gonetus* tom. 5. pag. 466. *aliique plurimi, præcipue ex Theologis moralibus; citatur etiam pro hac ſententia Sanctus Thomas. Sed Auctor Supplement.* 3. parte quæſt. 32. art. 6. *exponens Angelici Præceptoris mentem, dubitanter loquitur, inquiens:* „ Illa unctio ab omnibus obſervatur, quæ fit ad quinque ſenſus, quaſi de neceſſitate Sacramenti "; *& dubitanter quoque loquitur Suarez* cit. diſput. 40. ſection. 3. numer. 16. *quamvis ſequenti* diſput. 41. ſection. 1. in fin. *videtur in ſententiam propendere, tunc temporis fere communiter a Scholaſticis receptam.*

3. *Alii ex adverſo validum cenſent Extremæ Unctionis Sacramentum, ſi vel una tantum inungatur corporis pars, unica prolata, mox referenda forma univerſali omnes ſenſus complectente: ita Sylvius* in Supplem. quæſt. 32. art. 6. quæſt. 2. *Nicolaus Cerarius* tractat. de extrem. unction. cap. 7. *Becanus* in Summ. Theolog. de Sacrament. in ſpecie cap. 27. quæſt. 7. *Eſtius* in 4. diſtinct. 23. paragrapho 15. *Natalis Alexander* Theolog. dogmat. & moral. tomo V. lib. 2. cap. 3. regul. 6. *Juvenin.* citat. diſſert. 7. quæſt. 3. cap. 2. *Tournely* citat. quæſt. 2. artic. 1. in fin., *Vancor* in ſua Theol. moral. part. 4. tomo 2. de Sacrament. tractat. de extrem. unction. quæſt. 5. *Piette* quæſt. Theolog. part. 6. quæſt. 3. verſ. Dico ſeptimo, *aliique recentiores paſſim. Huic opinioni validiſſimum fun-*

da-

*damentum præbet diverſa in unctionum numero diſciplina, quam in diverſis Eccleſiis ſua ætate viguiſſe affirmat Albertus Magnus* in 4. diſtinct. 23. art. 16. *inquiens*: „ Diverſarum Eccleſiarum, & „ Ordinum diverſus eſt uſus, quia in quibuſdam „ Eccleſiis unguntur loca plura, in quibuſdam pauciora “. *Atque exordiendo ab Eccleſia Orientali, licet Græci, teſte Arcudio* Concord. lib. v. c. 7. *nunc inungant frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus, & pedes: attamen ineunte ſæculo* IX. *tres tantum unctiones, ab iiſdem fieri conſueviſſe, aſſerit Theodulphus Aurelian. Epiſcopus,* c. 2. apud Balutium tom. VII. miſcellan. *In Eccleſia vero Occidentali, invenimus quidem in Sancti Gregorii Sacramentario edito a Menardo, præſcriptas unctiones quinque ſenſuum: ac in codice Abbatis Rataldi, illis additas legimus unctiones colli, pectoris, & ſcapularum: in veteri Pontificali Prudentii Epiſcopi Tricaſſini, imperatam inſuper reperimus* unctionem umbelici, ſeu loci, ubi plus dolor imminet; *antiquitus codex Turonenſis, unctionem fieri mandat* „ in genibus quoque, & in cruribus, ſuris, pedibus, ac plantis, & pene in omnibus membris, ſeu in loco, ubi plus dolor imminet “ *quæ omnia videri poſſunt apud Morinum* in append. ad tractat. de Pœnit. & *Martene* de antiq. Eccl. ritib. to. 1. lib. 1. cap. 7. art. 8. nu. 8. *Tanta autem in unctionum numero diſformitas non fuiſſet ſingularum Eccleſiarum arbitrio permiſſa, ſi certum earumdem numerum Sacramenti validitas expoſceret.*

4. *Majus adhuc argumentum huic eidem opinioni ſuppeditant recentiora peculiarium Eccleſiarum Ritualia, unicam unctionem fieri permittentia, ſi omnes perfici nequeant. Siquidem Paſtorale Mechlinienſe, cujus non levis eſt auctoritas, tum quia ab Academia Lovanienſi, anno* 1588. *approbatum; tum quia ab Octavio Frangipanio Epiſcopo Tricarienſi, per Germaniam, ac Belgium Nuntio Apoſtolico, ad Diœceſis quoque Colonienſis uſum protractum, hæc de extrema Unctione ſtatuit*: „ In morbis contagioſis, & peſte graſſante, ut periculum vitetur, ſufficit inungi ſenſus organum magis ad unctionem expoſitum, ac detectum, dicendo: Per iſtam ſanctam unctionem, & piiſſimam ſuam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum. „ *In antiquo codice a Remigio Rhemenſi a Sambovio laudato, legitur ritus* abbreviatus *conferendi hujus Sacramenti, ubi unius pariter unctionis fit mentio. In Rituali Pariſienſi, prolato a Tournely* cit. art. 1. *dicitur*: “ Si non poſſit ſuper infirmum fieri, niſi unica unctio, ungatur oculus, vel aliud ſenſuum organum, & ceteris precibus prætermiſſis, dicatur: Per iſtam ſacri Olei unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti per ſenſus: *eamdemque praxim approbant Cameracenſis, Atrebatenſis, aliarumque Eccleſiarum Manualia, apud citatum Natalem Alexandrum.*

5. *Sed quoniam neque de hac quæſtione, quæ ſane graviſſima eſt, alia hactenus ab Apoſtolica Sede prodiit ſententia, non debet Epiſcopus in ſua Synodo aliquid de illa decernere, ſed dumtaxat Parochos monebit, ut cum prudenter timent, ægrotum deceſſurum, prinſquam omnes abſolvantur quinque ſenſuum unctiones, unicum ſenſum inungant, formam univerſalem pronuntiando, quam ab allegatis Ritualibus audivimus. Quinimmo in prædicto eventu conſultius eſſe, ut caput, e quo omnium ſenſuum nervi deſcendunt, ſub eadem forma univerſali inungatur, non immerito advertit Conink* de Sacram. diſput. 10. dub. 3. n. 2. *Ne vero Parochi hac libertate abutantur, expedit ut Epiſcopus ſimul ſerio eoſdem admoneat, a gravis culpæ reatu non excuſari, qui extra caſum veræ neceſſitatis, vel unam ex quinque ſenſuum unctionibus prætermittit.*

Quæſt. III. *Quis poteſt & debet miniſtrare hoc Sacramentum?*

*Reſp.* 1. Fide conſtat, ſolum Sacerdotem eſſe illius miniſtrum, ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 4. Valide autem conferri poteſt a quolibet Sacerdote. Quia in tali miniſterio juriſdictio non eſt eſſentialis Sacramento, nec illius principium; ſed eſt ſolum conditio neceſſaria, ut licite fiat. At licite miniſtratur a ſolo paſtore proprio, vel alio de ejus licentia: nam adminiſtratio Sacramenti eſt officium paſtoris, quod uſurpare propria auctoritate in materia gravi gravis culpa eſt; cum id ei injurioſum ſit; & repugnet recto regimini ac debito ordini. In caſu tamen neceſſitatis, quo aliquis infirmus ſine Sacramento moriturus eſſet, quilibet Sacerdos poteſt & debet ex caritate illud miniſtrare; nam tunc Eccleſia hanc facultatem concedere cenſetur. Neque in Clement. *de privileg.* ubi excommunicantur religioſi, qui ſine licentia parochi illud ſæcularibus conferunt, hic caſus neceſſitatis comprehenditur: alioqui eſſet in deſtructionem.

✠ In citato lib. VIII. DE SYNODO cap. 19. plura de hujus Sacramenti miniſtro tractantur, ac ſtatuuntur: Primo, adminiſtrationem ſolis eſſe commiſſam Sacerdotibus: atque unum ſufficere ex definitione Alexandri III. *in cap. Quæſivit de verb. ſignific.* Secundo, quamquam unus ſufficit, tamen plures olim in Eccleſia Latina adhibitos fuiſſe, conſtare ex pluribus antiquis Ritualibus, ac neminem ambigere, quin etiam nunc ratum ſit, ſi a pluribus Sacerdotibus ſimul adminiſtretur, modo ſinguli diverſos inungant infirmi ſenſus, ac quilibet congruentem unctioni formam pronunciet. Tertio, etiam ſpectata hodierna Eccleſiæ diſciplina, nedum licitum, ſed valde laudabile eſſe, ut uni Sacramentum adminiſtranti, alii plures aſſiſtant Sacerdotes, ob rationem, quam adducit S. Thom. c. 73. *lib.* 4. *contra Gent.* ubi ait: *Quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento, ut multi Sacerdotes interſint, & ut oratio totius Eccleſiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet.* Quarto, refertur Græcorum conſuetudo, qui ſeptem afferunt Sacerdotes; ac ſi ſeptem præſto non ſint, tres: quæ quidem conſuetudo ab Eccleſia non improbatur, dummodo Græci nobiſcum credant, ſufficere unum Sacerdotem ad valide conferendum, ut videre eſt in ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Conſtitutione, quæ in vol. 1. Bullarii eſt num. 57. ubi habetur: *Nec refert, utrum eadem Extrema Unctio per unum, vel plu-*

ri



*res Presbyteros fiat, ubi ejuſmodi viget conſuetudo, dummodo credant, et aſſerant, illud Sacramentum, ſervata debita materia et forma, valide, et licite confici ab uno presbytero. Idem Sacerdos materiam adhibere, formamque pronunciare reſpective debet, ac præterea qui ungit, idem dicat formam reſpondentem, nec alius ungat, & alius formam pronunciet.*

*Reſp.* 2. Parochus, item ſuperior Regularium tenetur ex juſtitia ſub mortali Extremam Unctionem adminiſtrare per ſe vel per alium ſubditis ſuis. Quia tenetur ex officio fidelibus ſuæ curæ commiſsis ordinaria media ſalutis a Chriſto inſtituta, & in communi uſu Eccleſiæ poſita ſubminiſtrare. Idque etiam cum vitæ periculo, ſi ſubditus poenitentiam non receperit, nec poſsit recipere; quia fieri poteſt, ut Extrema unctio ei tunc ad ſalutem neceſſaria ſit, ſi nimirum habeat tantum attritionem cum imperfecto Dei amore. *Qui autem peſte affectus non eſt confeſſus, nec poteſt confiteri, paſtor teneatur illi Extremam unctionem, etiam cum periculo vitæ, dare,* ait Synod. Namurcenſis, ann. 1639. tit. 14. c. 10.

Quæſt. IV. *Quinam ſunt effectus hujus Sacramenti?*

*Reſp.* Ex Jacob. 5. & Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 2. multiplex eſt. Primus ac præcipuus eſt gratia ſanctificans, ut comotans gratias actuales ad allevandam ſeu confortandum animam contra morbi moleſtias, & tentationes diaboli.

Secundus eſt abſterſio reliquiarum peccati, quæ ſunt non ſolum poenæ peccatis debitæ, ſed etiam anxietates, infirmitates, torpor ſeu languor ad bonum, angor, & timor, quæ ex peccatis commiſsis contrahuntur. Plus autem aut minus abſtergit pro diſpoſitione recipientis.

Tertius eſt peccatorum tum mortalium, tum venialium remiſsio. Nam ſi quæ ſuperſint remittenda, remittit etiam quoad culpam: venialia quidem primario & per ſe, mortalia vero ſecundario, & per accidens in certis caſibus. *Prob.* 1. Ex Jacob. 5. *Et ſi in peccatis ſit, remittuntur ei.* 2. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 2. *Res etenim hæc gratia eſt Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, ſi quæ ſunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit.* Ubi delicta diſtinguuntur a reliquiis peccati, & ſupponuntur non ſemper adeſſe in infirmo. 3. Ex forma ipſa, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti*, quæ importat remiſsionem peccatorum, etiam quoad culpam.

Non tamen ideo Extrema unctio eſt Sacramentum mortuorum, niſi ſecundario, ſecundum quid, & cum addito reſtringente ad certos caſus, in quibus ſolis remittit mortalia; nempe quando vel peccata non fuerint remiſſa per Sacramentum Pœnitentiæ propter occultum aliquem defectum; vel poſt confeſsionem commiſſa ſunt, ſed memoria exciderunt; vel homo propter privationem uſus rationis, & ſenſuum, factus eſt incapax confeſsionis, nec antea habuit contritionem perfectam, ſed tantum attritionem cum Dei amore imperfecto. Enimvero ex inſtitutione Chriſti ad remiſsionem mortalium Pœnitentiæ Sacramentum præmitti debet Extremæ Unctioni, ſi poſsit; quod ſi non poſsit, elicienda eſt contritio perfecta. Sed quia hæc difficilis eſt, & non raro abeſt, utrique defectum ſupplet Extrema unctio: modo adſit attritio cum aliquo Dei amore, qualis requiritur in Sacramento Pœnitentiæ. Ex quo patet, quanti ſit momenti Extremam unctionem recipere, cum illius ope ſalvari poſſit, qui alioqui fuiſſet damnatus; ut docet S. Carolus in inſtruct. de hoc Sacramento.

4. Sanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, confert; Conc. Trid. loco citato; quod etiam intellige ſecundum divinam providentiam, ſecundum quam non ſemper expedit turbari naturalem rerum ordinem, & cauſſarum naturalium exigentiam fruſtrari. Quare hunc effectum impediunt, qui hoc Sacramentum non percipiunt, niſi cum morbus ita invaluit, ut jam ſine miraculo ſanari nequeat.

Quæſt. V. *Quænam ad recipiendum valide, & cum fructu hoc Sacramentum requiruntur?*

*Reſp.* Sufficit in homine juſto generalis illa voluntas recipiendi, qua unuſquiſque pœnitens, & bene diſpoſitus vult frui omnibus remediis ad ſalutem ſuam neceſſariis vel utilibus a Chriſto inſtitutis, quamdiu ſcilicet non eſt retractata. Conſtat ex Rituali Romano, & praxi Eccleſiæ illud conferentis improviſo aliquo morbo oppreſsis, & ſenſuum ac rationis uſu deſtitutis. Hanc autem voluntatem habere omnes Chriſtiani præſumuntur. Ut tamen omnium venialium remiſſionem obtineat, requiritur ſaltem depoſitio affectus ad illa. Sed quia nemo ſcit an ſit in ſtatu gratiæ, & multa peccata occulta ex ignorantia aut inadvertentia culpabili committuntur, elicienda eſt ab omnibus contritio quam poteſt perfectiſſima.

Adde quod ab homine rationis compote recipi debet magna cum fide, fiducia, humilitate, conformitate cum voluntate divina, & reverentia.

Homo vero ſibi mortalis culpæ conſcius, præter voluntatem recipiendi Sacramentum, ſaltem illam generalem, & habitualem præmittere debet confeſſionem, ſi poteſt: vel ſi non poteſt, contritionem perfectam. *In quo illud in primis ex generali Eccleſiæ conſuetudine obſervandum eſt, ut ſi tempus, & infirmi conditio permittat, ante Extremam unctionem, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta infirmis præbeantur*, ait Ritual. Rom.

✠ Vide hac de re c. 23. De Synodo &c. in quo de ordine agitur, quo Extrema unctio infirmis ſit adminiſtranda, & de reiteratione adminiſtrationis ejuſdem Sacramenti. Et ad ordinem quod ſpectat, apud veteres, *inquit*, aliquando conſuetudinem fuiſſe, ut poſt pœnitentiam, & reconciliationem infirmorum, Extrema prius unctio, & deinde ſacra Communio exhiberetur, ut ex antiquis Ritualibus conſtat: poſtea tamen ex generali conſuetudine, quæ & hodie univerſim in latina, & occidentali Eccleſia viget, factum eſſe, ut prius ſacra Communio, poſtmodum vero Extremæ unctionis Sacramentum infirmis exhibeatur. Addit vero, nonnulla Ritualia permittere, ut Extrema unctio ante Viaticum conferatur, ſi ægrotus, ex pio deſiderio, ſe melius ad Euchariſtiam præparandi, ita ſecum fieri expoſtulet; *Sed quamquam hanc permiſſionem*, inquit, *non improbemus, nihilominus in locis, in quibus hæc non obſolevit, vigetque diſciplina a Concilii Tridentini Catechiſmo præſcripta, non facile permitteremus ab hac recedi ſolum ad indulgendum privatæ, & peculiari infirmi devotioni, ſed potius Parochis injun-*

ge-

*geremus, ut Extremam unctionem petentibus ante Viaticum ſuaderent, tutius, & utilius fore, Eccleſiæ Romanæ ritui, & uſui a majori parte Eccleſiæ Catholicæ jam recepto, ſe accommodare.*

Quod ſpectat ad reiterationem, decernit, pluries in diverſis infirmitatibus ab eodem rite ſuſcipi, ac adminiſtrari debere; in eadem vero infirmitate, non eſſe reiterandum, niſi forte infirmitate remiſſa, iterum deinceps ingraveſcat, ac novum vitæ periculum accedat: immo Parochos monet, ne nimium ſcrupuloſe in hoc ſe gerant; ſed ſi dubitent, an revera morbi ſtatus ſit mutatus, ſeu unum idem, vel diverſum ſit vitæ periculum, in quo ægrotus verſetur, ut ad Sacramenti iterationem propendeant, eo quod hæc iteratio conformior ſit veteri Eccleſiæ conſuetudini, & per eam novum ſpirituale ſubſidium, & levamen infirmo obveniat.

Quæſt. VI. *Quibuſnam poteſt, & debet conferri Extrema unctio?*

*Reſp.* Iis ſolis, qui verſantur in mortis periculo, orto ex aliqua corporis infirmitate. Ex Jacob. 5. *Infirmatur quis, &c.* Ex Conc. Florent. & Trid. ſeſſ. 14. c. 3. Item iis ſolis, qui habuerunt aliquando uſum rationis, ita ut dari non poſſit nec debeat infantibus, & nec perpetuo amentibus, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ. Quia in iſtis locum habere non poteſt forma hujus Sacramenti: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti:* cum fuerint incapaces peccati perſonalis. Et quia cum hoc Sacramentum ſit conſummativum pœnitentiæ, ſupponit, eum cui confertur, eſſe capacem pœnitentiæ, tentationum, & peccatorum actualium: in remedium enim horum inſtitutum eſt. Hinc Rituale Rom. ait: *Debet hoc Sacramentum infirmis præberi, qui cum ad uſum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur: & iis, qui præ ſenio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam ſine alia infirmitate* (cum hæc ſit gravis infirmitas) ... *impœnitentibus vero, & qui in manifeſto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis, & nondum baptizatis penitus denegetur. Non miniſtretur etiam prælium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula ſubituris, aut reis ultimo ſupplicio mox afficiendis; aut pueris rationis uſum non habentibus.* At dari debet vulneratis lethaliter, aut iis, qui potarunt venenum: nam hi habent intra ſe cauſſam proximam mortis, & ſunt infirmi revera, undecumque infirmitas orta ſit.

*Obſerva* 1. Non eſt expectandum donec infirmus ſit morti proximus; ſed dari debet Extrema unctio dum adhuc ratione utitur, ut majore cum reverentia, & utilitate recipiatur; unde Catechiſm. Rom. dicit, Parochos peccare mortaliter, dum eam differunt, donec infirmus privatur uſu ſenſuum, & rationis, quamvis ſuppoſita dilatione teneantur dare infirmis uſu rationis deſtitutis.

2. Debet dari infirmis petere non valentibus ob privationem uſus ſenſuum vel rationis. Quia ſufficit habitualis voluntas generalis recipiendi media ſalutis a Chriſto inſtituta, quam habent Chriſtiani, dum alia Sacramenta ſuſcipiunt, vel actus amoris aut ſpei eliciunt; nam talis voluntas eſt voluntas implicita recipiendi hoc Sacramentum; & tunc præſumendi ſunt contriti, vel ſaltem attriti, niſi oppoſitum conſtet.

3. Extrema unctio, cum non imprimat characterem, iterari poteſt, & debet in diverſis morbis periculoſis, non tamen in eodem, niſi infirmus convaluerit, & poſtea in novum periculum mortis relabatur. Conc. Trid. c. cit. & Rituale Romanum.

✠ De ſubjecto Extremæ Unctionis tria capita habentur in cit. lib. VIII. de Synodo; in primo, quod ordine eſt 10., ſtatuitur ſolos infirmos eſſe hujus Sacramenti capaces: *Quod quidem licet clare, et expreſſe non ſit a Conciliis definitum, ex eorumdem tamen definitionibus legitime infertur, quoniam, Eugenius IV. definiens*, niſi infirmis, de quorum morte timetur, dari non debere, *ſanos profecto excluſit. Et idem, quod Eugenius, ſibi voluit Tridentinum, cum dixit, eſſe hanc Unctionem infirmis adhibendam.* Quamobrem, jure atque merito gravis erroris inſimulari concludit Græcos, ſi ſanos ſacro ungendo oleo, hujuſmodi Sacramentum conficere contendunt; ac monet Epiſcopos, ut ſevere interdicant, ne Græci, ſi qui ſint in eorum diœceſibus, eam Unctionem loco ſatisfactionis per Confeſſarios imponendæ, pœnitentibus injungat, quod Conſt. 57. §. 5. vetitum ſit hujuſmodi verbis: *Nulli per Sacerdotes, vel Confeſſarios pro ſatisfactione pœnitentiæ Unctio aliqua ſolummodo injungatur; infirmis vero, juxta verbum Jacobi Apoſtoli, Unctio exhibeatur Extrema.* In duobus ſequentibus capit. ea confirmat, & fuſius probat, quæ ſunt a noſtro Auctore explicata; monet vero Epiſcopos, ut ex nonnullorum rudium hominum mente errorem evellere ſtudeant, quo credunt, actum eſſe de vita illius, qui ſit Sancto Oleo inunctus, ac ſolum ei ſupereſſe ſepulcrum; quod inter ceteros, quos Sacra Unctio producit effectus, conferat etiam corporis valetudinem, ſi hæc conferat ad animæ ſalutem.

Quæſt. VII. *An eſt obligatio recipiendi hoc Sacramentum?*

*Reſp.* Conſtat eſſe grave peccatum, ſi omittatur cum ſcandalo aliorum, vel ex contemptu. *Nec vero tanti Sacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere, et ipſius Spiritus Sancti injuria eſſe poſſet.* Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 3. Sed controverſia eſt de præcepto, præſertim divino, illud recipiendi. Hoc multi negant; at non pauci cum Toleto affirmant, & probant. 1. Ex Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Eccleſiæ etc.* Quæ vox videtur præceptum ſonare, & Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. c. 3. ex iis verbis infert, hanc unctionem mandatum Dei, & promiſſionem gratiæ habere. 2. Ex Concilio Cabillon. II. c. 18. *Secundum beati Apoſtoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum conſonant, infirmi oleo, quod ab Epiſcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent.* Vox *debent* non exprimit merum conſilium. Et ex Conc. Colonienſi an. 1539. *Eſt autem unctio impendenda cum expoſitione mandati Apoſtolici.* 3. Ex praxi Eccleſiæ: quæ ſumma ſollicitudine ſemper curavit, & curat, ut ab omnibus infirmis ſuſcipiatur. Item ex fidelium conſuetudine, & ſenſu: nam magnum ſcandalum paterentur, ſi viderent aliquem hoc Sacramentum recuſare; quod certe non fieret, ſi nullam obligationem illius recipiendi





di agnoſcerent. 4. Quia eſt contra curam debitam ſalutis propriæ omittere ſine juſta cauſſa medium per ſe certum, & ordinarium, & *præſidium firmiſſimum* (ut ait Conc. Trid.) a Chriſto inſtitutum ad roborandum contra diaboli tentationes, quæ graviores ſunt ſub finem vitæ, ut idem docet, & ad liberandum animam ab æternæ damnationis periculo, in quo tunc maxime verſatur.

## ✠ APPENDIX.

### *De Orientalis Eccleſiæ circa Extremam Unctionem diſciplina.*

UTraque Eccleſia Extremam Unctionem, ſive, ut Græci vocant, ſacrum oleum, vel oleum infirmorum, ut Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, habuit ſemper, ac venerata eſt. Et ſicut apud Latinos tamquam hæretici damnati ſunt, qui unctionem hanc e Sacramentorum numero exploſerunt: ita apud Orientales Armenorum nonnulli, qui Vartani ſuſceperunt errores, ac alii plerique ex Syris Neſtorianis tamquam Novatores habiti ſunt, quod contra traditionem Majorum inter Sacramenta oleum infirmorum non recenſuerint. Horum errores a Theologis noſtris perſpicue refutantur. Nos vero hic ea tantum exponemus, quæ ad diſciplinam Orientalis Eccleſiæ pertinent, ac primo agemus de materia. 2. De forma. 3. De Miniſtro. 4. Tandem de hujus Sacramenti ſubjecto.

### §. I. *De Materia.*

SIcut in aliis, ita & in hoc Sacramento Theologi duplicem materiam diſtinguunt, ſcilicet, remotam, & proximam. Remota materia eſt oleum: Proxima vero unctio. Tridentina Synodus materiam, formam, ac miniſtrum hujus Sacramenti ex Jacobi Epiſtolæ verbis deduxit: quæ habentur cap. V. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Quibus verbis*, inquit Synodus, *ut ex Apoſtolica traditione per manus accepta, Eccleſia didicit, docet materiam, formam, proprium Miniſtrum, & effectum hujus Sacramenti: intellexit enim Eccleſia, materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum, nam unctio aptiſſime Sancti Spiritus gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat: formam deinde eſſe illa verba: Per iſtam &c.* Quod Tridentina Synodus decrevit de materia hujus Sacramenti in oleo ab Epiſcopo benedicto conſtituta, antea in Florentina Synodo ab Eugenio IV. in Armenorum inſtructione, & ab Innocentio I. in ſæpe citata ad Decentium Eugubinum Epiſtola circa V. ſæculi initium definitum fuiſſe legimus. Monet vero Benedictus XIV. in tractatu *de Synodo Diœceſana* lib. VII. cap. 16. non obeſſe hujus Sacramenti valori factam huic oleo parum balſami admixtionem, *modo admixtio tanta non ſit, ut deſtruat exteriorem olei ſpeciem, itaut non amplius oleum, ſed potius unguentum, aut alterius generis mixtum artificiale cenſeatur.* Quamobrem injuria Galanus Armenos ob parum balſami ad mixtionem erroris arguit; excuſarem vero virum de Orthodoxa religione optime meritum, ſi nil aliud vellet, niſi ſatius eſſe purum juxta antiquum Eccleſiæ morem, ac Sacramenti inſtitutionem, adhibendum eſſe oleum. Gravis vero eſt Syrorum Neſtorianorum error, qui ſublato hoc, quod antiquitus cum univerſa Eccleſia recipiebant, Sacramento, *loco olei olivæ, quod pro infirmis olim benedicebant, quam pro iis orare, manuſque ſupra eos imponere decreviſſent: nunc maſſam quamdam componunt ex oleo, & aqua, & pulvere, ſeu reliquiis alicujus Sancti, quam vocant* Hanana, ſeu Taibutha, *ideſt Gratiam talis Sancti, eamque in cornu ſeu vaſe quodam conſervant in Eccleſia pro infirmis uſurpandam. Synodus Diamperitan. ſeſſ. 8. cap. 17. loco hujus olei, aquam benedictam in Eccleſiis Malabaricis retinendam præſcribit.* Ita Aſſemannus.

Quamquam oleum hujuſmodi ab Epiſcopo debeat eſſe benedictum, tamen nec irritum dicendum eſt Sacramentum a Græcis presbyteris cum oleo ab ipſis benedicto collatum, neque ea de cauſſa reprehendi debent. Tum quod de Epiſcopi licentia, & connivenția, & tolerantia Sedis Apoſtolicæ id fieri poſſit, ut celebriores Theologi docent: Tum quod conſuetudo hæc a mille & amplius annis in Græca Eccleſia obtineat, ut ex eorumdem Ritualibus probant Arcudius, & Goarius, vigueritque etiam apud Armenos, ut ex Epiſtola liquet Joannis XXII. ad Oſinium eorumdem Regem: Tum demum quia a Clemente VIII. & Benedicto XIV. Conſt. *Etſi Paſtoralis* pro Græcis, qui Epiſcopis Latinis ſubſunt, decretum eſt: *Non ſunt cogendi presbyteri Græci olea ſancta præter Chriſma ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere, cum hujuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum, & Sacramenti exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur.*

Unctio, quæ hujus Sacramenti proxima materia eſt, ex ſæpe laudato Eugenii decreto fieri oportet in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum vel loquutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem, ita ut eorum ſingulis reſpondere debeat forma, tunc a Miniſtro pronunciada, ſcilicet: *Per iſtam Sanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti &c.*

Unctio pedum, & renum ad hujus Sacramenti eſſentiam non pertinet, ut omnes Theologi fatentur, & docet Benedictus XIV. in citato tractatu de Synodo Diœceſana. Immo licet nonnulli contendere videantur, quinque ſenſuum unctiones ad hoc Sacramentum eſſe neceſſarias; tamen Summus Pontifex in opere citato unicam unctionem ſufficere ſub generali forma adhibitam, hoc eſt, *quidquid per ſenſus deliquiſti &c.* ex eo oſtendit, quia in quamplurimis Ritualibus unius duntaxat unctionis ſit mentio, cui forma ipſa reſpondet; atque ita in Ritualibus nonnullis Extremam Unctionem peſte laborantibus adminiſtrandam eſſe præſcribitur. Licet ab Eccleſia nihil hac de re definitum ſit; tamen nullo modo dubitari poſſe videtur, quin vere hoc Sacramentum

perficiatur unica hac unctione, ſi forma illa adhibeatur, ac ſi rite ſerventur reliqua.

At ſine neceſſitate tot unctiones in hujus Sacramenti adminiſtratione ſunt adhibendæ, quot probata Ritualia præſcribunt, ob præceptum de quo pluries diximus. Atque hinc patet, Græcos alioſque Orientales tot unctionibus hujuſmodi Sacramentum adminiſtrare debere, quot recepta ab eorum Eccleſiis Euchologia præcipiunt; nec a Latinis improbari poſſe, aut reprehendi, quod numerum modumque unctionum non ſervent quem Latinus ritus deſignat. *Quas vero partes Græci ungant*, ait Goarius, *nuſquam Euchologium aperit: frontem tamen, mentum, genas, & manus, has ſacra Unctione liniri, iiſque tactis, ſenſus omnes liniri, aſſerit Arcadius, cui adſtipulatur Simeon Theſſalonicenſis, inquiens:* ungit Sacerdos in crucis modum ægri frontem, ob conceptas in ea cogitationes; faciem quoque inungit ob ſenſuum organa, & poſtremo manus, a pravis cogitationibus & operibus expians, ſanctoque oleo muniens illum, & perfecte juſtificans. *De pectore unde exeunt pravæ cogitationes, & infandæ cupidines, & de pedibus ad iniquitatem attingendam velocibus, mentionem non egit Theſſalonicenſis Antiſtes: illarum tamen Unctionem hoc tempore non omitti affirmat Arcudius lib. V. cap. 9.*

§. II. *De Forma.*

QUæ nunc in Eccleſia Latina ſit adhibenda forma, jam ſupra ex Synodis Florentina, & Tridentina indicavi. Ea eſt deprecativa. Græca etiam Eccleſia deprecativam adhibet, ut ajunt Gabriel Philadelphienſis in ſuo de Sacramentis opere, Arcudius *lib. V. c. 5.* & Neophytus Rhodinus *in Synopſi vernacula*, & ut liquet ex hac, quam eorum Euchologium *in Officio olei Sancti* præſcribit: *Pater ſancte, animarum, & corporum medice, qui Filium tuum unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum omnem morbum curantem, & ex morte nos liberantem miſiſti: ſana quoque ſervum tuum N. a detinente corporis infirmitate, & vivifica illum per Chriſti tui gratiam, interceſſionibus &c.* Hæc oratio dicitur ab unoquoque Sacerdotum, poſtquam Evangelium dixerit & orationem, cum videlicet infirmum oleo perungit. Oratio hæc præcipuos Sacramenti effectus explicat, peccatorum videlicet remiſſionem, & infirmitatis levamen; eſtque conjuncta cum unctione, quæ materia proxima eſt, quæque licet appoſiti olei unctionem aperte non exprimat, abunde tamen in antea recitatis precibus eſt patefacta, quarum præſens unctio conſecutio eſt, & corollarium, ut ait Goarius. Armeni Vartani erroribus imbuti, ut initio monui, Sacramentum hoc contra majorum traditionem reſpuunt, locoque unctionis infirmorum, inepta ſuperſtitione defunctorum Sacerdotum corpora ungunt, ut ii cum pravis ſpiritibus aeris decertare valeant. Hæc vero, ungendo, proferuntur verba: *Benedicitur, ungitur, ſanctificatur manus, frons, vertex hujus Sacerdotis, per ſignum ipſius ſanctæ Crucis, per hoc Evangelium, & ſanctum Chriſma, in nomine Patris &c.* Si animadvertamus inter alios hujus Sacramenti effectus nonnullos credidiſſe, eum quoque reperiri, quo homo munitur, ut more militis unctus, præparatus ad certamen, aereas poſſit ſuperare poteſtates, ut in Ambroſiana hujus Sacramenti formula legi refert Goarius, vel *ut ſi forte hinc unctus diſceſſerit, ad illas manſiones facile conſcendere poſſit, aeris immundis ſpiritibus ad eum accedere non valentibus*, ſicut ait Philadelphienſis, facile erit intelligere, ſuperſtitionem ante dictam Armenorum Hæreticorum ex hujus doctrinæ abuſu originem trahere. Notat Galanus, ſupra indicata verba haberi non poſſe pro hujus Sacramenti forma, cujus effectus non manus, vel verticis, ſed hominis, & animæ ſanctificatio eſt; tolerari vero poſſe ſi dicant: *Benedicatur &c. hic ſervus Dei per hanc ſanctam Unctionem.*

*Nota.* Nihil hujus Sacramenti ſubſtantiæ detrahitur, ſi per formam, modo abſoluto, non deprecativo prolatam, conferatur, dummodo per eam ſignificetur, unctionem fieri in nomine Domini; cum plures formæ occurrant modo abſoluto prolatæ in probatis Ritualibus Latinorum, quas nunquam Apoſtolica Sedes improbavit, ut videre eſt in laudato *libro Octavo de Synodo Diœceſana capite XVI.*

§. III. *De Miniſtro.*

GRæci, aliique Orientales, qui Græcorum mores imitantur, in hujus Sacramenti adminiſtratione ſeptem adhibent Sacerdotes & ſi ſeptem non adſint, ſaltem tres. Septenarii Sacerdotum numeri plures affert Theſſalonicenſis rationes, qui in ternario quoque Sacerdotum numero, quem ſufficere putat, dum modica ſit eorum copia, myſtica detegit. Non reprehendimus Græcos, quod tres, vel ſeptem Sacerdotes adhibeant: tanti enim Sacramenti reverentia, & antiquorum morum imitatio plures Sacerdotes expetere videtur; immo & olim apud Latinos quoque adfuiſſe conſtat, tum ex S. Gregorii Sacramentario, tum ex antiquis aliis ab Hugone Menardo editis Ordinibus, tum denique ex Gregorii III. c. 9. ubi, *cum magna reverentia*, inquit, *deferatur oleum ad infirmos, & eos ungant Sacerdotes cum magno honore, & orationum celebritate, quæ ad hoc ſunt ordinatæ.* At reprehenſione maxima digni ſunt, ſi ſuperſtitioſe credant, ſeptenarium, vel ternarium numerum myſtica ſignificatione, quam habet, ſuſcipienti Sacramentum magis prodeſſe, quam ſi plures, vel pauciores adhibeantur, & ſi cum Simone Theſſalonicenſi impie affererent, Sacramentum hoc ab uno ſolum Sacerdote, abſque aliorum ope, & ſocietate non poſſe conferri. Nam dum unus hoc Sacramentum adminiſtret Sacerdos, is ut Eccleſiæ miniſter ſe gerit, ideoque totius Eccleſiæ virtute, cujus miniſterium exercet, Sacramentum perficit. Id norunt Græci omnes Orthodoxi, & qui inter Photianos doctiores habiti ſunt. En definitio Ruthenorum Synodi ann. 1720. Zamoſciæ celebratæ, & a Benedicto XIII. ann. 1724. confirmatæ, in qua ſuſcepta ex antiqua Græcæ Eccleſiæ traditione fides ita declaratur: *Si ſeptem aut tres haberi commode non poſſint Sacerdotes, ab uno conferatur, qui totius Eccleſiæ perſonam gerens, ejuſque virtute hoc Sacramentum perficiens infirmo conferat, atque miniſtret.* A Benedicto XIV. Conſtitut. *Etſi Paſtoralis*, circa hujuſmodi Sacramentum hæc pro Græcis

ſta-



ſtatuta leguntur §. V. n. 1. *Infirmis juxta verbum Jacobi unctio exhibeatur Extrema*: n. 3. *nec refert utrum eadem Extrema unctio per unum, vel plures Presbyteros fiat, ubi hujuſmodi viget conſuetudo, dummodo credant, & aſſerant, illud Sacramentum, ſervata debita forma, ab uno presbytero valide & licite confici.* Et n. 4. *Idem Sacerdos materiam adhibere, formamque pronunciare reſpective debet, ac propterea qui ungit, idem dicat formam reſpondentem, nec alius ungat, & alius formam pronunciet.*

*Nota* 1. Quamquam per unum Sacerdotem valide ac licite Sacramentum iſtud perficitur; tamen rem laude dignam, atque debitæ huic Sacramento reverentiæ maxime conſentaneam faciunt, qui plures Sacerdotes adhibeant; aut ſi Sacerdotes deſint, clericos ſive etiam laicos religione & pietate præſtantes, qui pro ungendo orent infirmo; id enim eſt juxta Jacobi monitum, & conſuetudinem antiquam, quæ etiam nunc in pleriſque Eccleſiis viget.

*Nota* 2. Eſt in more poſitum apud pleroſque Græcos, ut plures, immo ſeptem qui hoc adminiſtrent Sacramentum Sacerdotes, infirmum ſucceſſive ungant ſacro Oleo, formamque pronuntient. Repetitio hæc unctionis, ac formulæ a ſingulis Sacerdotibus ſepties facta, viſa eſt Arcudio Sacramenti abſque neceſſitate ulla iteratio, atque unus ex nævis, quibus paſſim Græcorum ritus obſcurantur. Negat vero Goarius conſuetudinem hanc abuſum dici poſſe. Immo contendit, id eſſe Jacobi monito conſentaneum, qui conceſſit, hortatuſque eſt, plures advocandos eſſe Sacerdotes, ut *orent* pro infirmo, *ungentes eum oleo*: atque inculcatum olim Latinis a Gregorio III. qui loco ſupra citato, ait, *cum reverentia deferatur oleum ad infirmos, & eos ungant Sacerdotes.* Neque aſſeri poſſe putat, iterari tunc Sacramentum, tum quia licet hoc Sacramentum unica perfici poſſit unctione, cum forma eidem reſpondente; tamen plurimarum partium unctiones, repetitis etiam verborum formulis, eum invicem ſervant ordinem, ut ad unum perficiendum Sacramentum referantur. Eccur ergo unctiones repetitæ a pluribus Sacerdotibus tam congruum aptumque non poſſunt invicem habere ordinem, ut nonniſi unius totius partes, membraque, morali quadam conjunctione inter ſe coaptatæ computentur? Tum etiam quia poſſunt plures Sacerdotes eo animo omnes infirmum ungere, formulamque pronunciare, ut omnes ſimul velint unicum tantum Sacramentum perficere, quo caſu unicum duntaxat Sacramentum eſſet; non ſecus ac unicum Euchariſtiæ Sacramentum perficitur, dum plures Sacerdotes ſimul conſecrationis verba proferant. Accedit etiam, morem hunc indicari, ac probari quodammodo in ſupra citata Ruthenorum Synodo a Benedicto XIII. approbata, per hæc verba. *Quanquam in Græca Eccleſia receptum fuerit, prout aliquando etiam in Latina, ut ſeptem Sacerdotes, hiſque deficientibus, tres ſaltem advocarentur ad miniſtrandum hoc Sacramentum, hique omnes materiam adminiſtrarent, & formam proferrent; ſciant autem Eccleſiæ Paſtores, plures ea de cauſa adhiberi ſolitos Sacerdotes, cum ob reverentiam ejuſdem, & gratiæ copiam, quam confert, tum ut plurium Sacerdotum preces effectum Sacramenti coadjuvent.* Nolo contra Goarii opinionem Græcos reprehendere, abuſuſque in hujus Sacramenti adminiſtratione inſimulare. Cavendum vero eſt, ne hujuſmodi conſuetudo occaſionem præbeat exiſtimandi contra Eccleſiæ definitionem, plures eſſe neceſſarios presbyteros ad Sacramentum iſtud conficiendum; aut damnandi eos, qui per unicum Sacerdotem conferant, juxta Eccleſiæ ſuæ morem, ac ſi minus recte adminiſtrent.

§. IV.

*De Extremæ Unctionis ſubjecto.*

SUbjectum hujus Sacramenti homo eſt; pro cujus ſalute a Deo inſtitutum fuit. At non quicumque homo, ſed qui Chriſtianus ſit, qui ſit infirmus, ac etiam peccati capax: quamobrem pueri ante uſum rationis, & qui nunquam rationis uſum exercuerunt amentes, quod per viſum, auditum &c. non potuerint peccare, hujus Sacramenti incapaces habentur. Græci præter infirmos, etiam ſanos & bene valentes ungere ſolent in remiſſionem peccatorum, quod liquet ex eorumdem Euchologio, aſſeruntque Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, *in cenſura adverſus Auguſtanam Lutheranorum Confeſſionem lib. 1. cap. 7.* Leo Allatius *de conſenſu Eccleſiæ Occident. & Oriental. lib. 9. cap. 16.* & Arcudius *lib. 5. c. 4.* Quinimmo ipſemet Epiſcopus, poſtquam feria 5. majoris hebdomadæ, Infirmorum Oleum ſollemni ritu conſecravit, non jubet illud aſſervari ad ægrotos ſuo tempore deferendum, ſed totum ſtatim inſumit, omnes inungendo adſtantes, ut Goarius ait, in ſuis ad Euchologium notis. Narrant etiam Joannes Nathanael presbyter, ac magnus Oeconomus Cretenſis in reſponſione ad quæſita ſibi facta a Viviano Epiſcopo Anagnino circa mores Græcorum, Græcos Sacerdotes, loco ſatisfactionis, in Sacramentali confeſſione pœnitentibus imponendæ, ſolitos fuiſſe in nonnullis locis, haud exigua tamen accepta mercede, eoſdem Sancto oleo inungere ut tali pacto a peccatorum reliquiis, pœniſque pro iis ſubeundis, abſolverentur; quem abuſum poſt Nathanaelem improbavit etiam Arcudius *lib. 5. c. 4.* Arcudius in ea fuit ſententia, ut Græci presbyteri hac unctione verum Sacramentum perficere contendant, cujus capaces eſſe non ſolum infirmos, ſed etiam ſanos ac vegetos corpore homines, plures docere ait eorumdem Auctores. Sed quod mirum eſt, etiam apud Latinos illa Græcorum opinio ſuos eſt nacta patronos. Nam Juveninus *de Sacrament. diſſert. 7. q. 7. cap. 3.* & Saintebeuve *de Sacrament. Extrem. Unction. diſp. 5. art. 3.* & Cyrillus Juriſconſultus Neapolitanus in ſua *Inſtitutione Canonica*, ex illa Græcorum conſuetudine quæ licet antiqua ſit, nunquam tamen ab Eccleſia, ne quidem in Florentina Synodo, ubi Græcorum errores abuſuſque examinati fuere, improbata fuit; concludunt, ſanos quoque ac bene valentes homines hujus eſſe Sacramenti capaces. At errant viri ceteroquin docti. Jacobus enim infirmos ungendos præſcripſit: *Infirmatur quis in vobis &c.* Quæ verba ita Theologi unanimi conſenſu ſunt interpretati, ut inde plane confici exiſtimarint, ſolum infirmum eſſe capacem hujus Sacramenti ſubjectum; unanimis vero Theologorum conſenſus efficax eſt ad dogma Catholicum

 con-

conſtabiliendum argumentum. Accedit etiam, quod in Florentinæ Synodi decreto ſtatuatur. *Hoc Sacramentum, niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet*; & a Tridentino Concilio *ſeſſ. 14. cap. 3. declaratur etiam, eſſe hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præſertim, qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.*

Goarius vero, ut Græcos ab errore vindicet, quod compertum habeat, eſſe a communi Eccleſiæ fide alienum aſſerere, ſanos, beneque valentes homines aptum eſſe hujus Sacramenti ſubjectum, ait Græcos non adhibere ſanis hominibus unctionem hanc, tamquam Sacramentum, ſed veluti cæremoniam, ac ſacramentalem quamdam benedictionem. Goari opinionem probare viſus eſt Sanct. Mem. Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſana lib. 7. c. 20.* per hæc verba, quibus adverſariorum diluit ſophiſmata: *A ſilentio Concilii Florentini rectius deducimus, ſapientiſſimis illis Patribus fuiſſe perſuaſum, ſanctam Unctionem a Græcis Sacerdotibus non adhiberi hominibus bene valentibus, tamquam Sacramentum, ſed veluti meram cæremoniam, & ſacramentalem quamdam benedictionem: Græci enim, qui de ſingulis ſuis ritibus coacti ſunt rationem reddere, gravem utique reprehenſionem non evaſiſſent, ſi comperti fuiſſent, hac in re a communi, & conſtanti Eccleſiæ Latinæ traditione, & praxi aberrare.* Quamobrem jure meritoque, ait, Græcorum morem, juxta Arcudii explicationem, gravis fuiſſe erroris inſimulatum, atque damnatum a Raymundo, Gonzalez, aliiſque. *Quocirca*, ſubdit, *Epiſcopi Latini, in quorum potiſſimum commodum hanc materiam prolixius tractavimus, Diœceſibus præſidentes, quas Fideles incolunt ritus Græci, diligenter invigilent, ne iidem in eo verſentur errore, ut credant per unctionem, de qua loquimur, Sacramentum conferri; & fecere interdicant, ne ea unctio loco ſatisfactionis per confeſſarios imponenda, Pœnitentibus injungatur*: id illis vetitum eſt etiam Conſtit. ſup. cit.

*Nota*. Quamquam Goarius probare videatur, tolerari poſſe in Græcis hujuſmodi unctionem, quæ præ ſe meram ferat cæremoniam; tamen non adeo facile ab omni poſſe abuſu vindicari crediderim. Primum, quod ferri nullo modo poſſe videatur, ut inſtitutum a Chriſto Domino Sacramentum pro arbitraria cæremonia adhibeatur. Quodque difficile non ſit hujuſce abuſus originem detegere. Ex Innocentii I. ad Decentium epiſtola, nonnulli Scriptores deducunt, in more fuiſſe poſitum etiam apud Latinos, ut ad medendos corporis langoures, unctio aliqua a Sacerdotibus fieret ſacro Oleo, quæ Sacramentalis non eſſet, & a Jacobo indicata, ſed mere cæremonialis, eique, de qua Marcus c. 6. loquitur, reſpondens. Veriſimile eſt hanc etiam apud Græcos in uſu fuiſſe, qui progreſſu temporis loco precum quas ex arbitrio fortaſſe Sacerdotes recitabant, Extremæ Unctionis formulam adhibere cœperunt. Deinde ſæpe a nobis citatus Hieremias Patriarcha, aliique Græci ſcriptores unctionem hanc verum eſſe Sacramentum docent: nec deſunt presbyteri apud eos, qui dum hanc adhibeant, ſeſe Sacramentum adminiſtrare velle aſſerunt; atque eorum plerique, qui unguntur, Sacramentum ſe ſuſcipere credunt. Hæc vero, vel ipſo Goario teſte, manifeſte præſeferunt abuſum. Denique Nathanael ſupracitatus frequentes hujuſmodi unctiones ex presbyterorum avaritia deſumere videtur, qui ſolent ab ungendis pecuniam accipere. Hujuſmodi abuſus cæremoniam ſuſpectam faciunt, quæ ſane, ſi ab iis ſeparari non poſſit, videtur potius tollenda. Neque certo conſtat, a PP. Florentinæ Synodi hac de re Græcos fuiſſe interrogatos, ut inde confici poſſit, ab eis fuiſſe approbatam cæremoniam, quam loquimur. In ſupra vero citatis tractatus *de Synodo Diœceſana* verbis, Summus Pontifex ſupponit cum Adverſariis, quos refellit, hanc fuiſſe in Synodo controverſiam expenſam, ac ſtatuit, præmiſſo examine non potuiſſe, niſi ut meram cæremoniam permitti. Et ſane ſublatis abuſibus ut cæremonia tolerari antea potuiſſet, cum nullum de ea eſſet Eccleſiæ judicium; at modo adeſt Summi Pontificis ſententia, verbis mox indicandis expreſſa.

Diſputatum eſt ſub Urbano VIII. & deinceps anno 1747., num ex Græcorum Euchologio delenda eſſent quædam verba, quæ innuere videntur, licitum eſſe, hoc Sacramentum etiam bene valentibus adminiſtrare; ſed in conſeſſu habito anno ſupra indicato die 5. Septembris definitum eſt, approbante etiam ipſo Pontifice Maximo Benedicto XIV., *nihil ex textu immutandum eſſe, ſed quæ neceſſario ſervari debent adnotari oportere in Monito, initio Euchologii præponendo*. Prodit vero Euchologio præfixum monitum, in quo declaratur, *ſolis eſſe infirmis hujuſmodi Sacramentum adminiſtrandum*; *Nihil vero*, inquit ſapientiſſimus Pontifex in Epiſtola de Nova Euchologii editione, *nihil neceſſe viſum eſt Euchologii textum hic mutare, propterea quod illius verbis undequaque perpenſis, apparuit, rectum illis ſenſum, ſanamque interpretationem, tribui poſſe. Neque enim ibi dicitur, ut Sacramentum miniſtretur iis, qui bene valent; ſed ut ii quoque inungantur, qui ad Eccleſiam ſe conferunt; id quod percommode intelligi poteſt de iis etiam, qui gravi morbo afflicti, poſſunt nihilominus ad Eccleſiam vel pedibus ſuis accedere, vel aliorum ope deferri: ibique ut propriæ devotioni magis ſatisfaciant, Extremæ unctionis Sacramentum ſibi miniſtrari poſtulant: cujuſmodi exempla in ipſa quoque Occidentali Eccleſia non deſunt, uti videre licet apud Martene* de Antiquis Eccleſiæ Ritibus lib. 11. cap. 7. art. 2. n. 7. & 8. & penes Mabillonium in præfatione ad ſæculum primum in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini §. 9. n. 101. Addit præterea Pontifex, *quod quamvis Græcis diſerte vetitum fuerit, Extremæ Unctionis Sacramentum aliis conferre, præterquam ægrotis, & quidem gravi morbo laborantibus: iiſdem nihilominus interdictum non eſt, quominus oleo lampadis, quod ad ſanandas infirmitates in Eccleſia aſſervatur, inungant energumenos, aliosque, qui vel devotionis gratia, vel ut aliquo incommodo liberentur hujuſmodi unctionem petunt: quum oleum in ea lampade aſſervatum, nequaquam ab Epiſcopo, aut Sacerdote conſecratum ſit, ad effectum utendi eo in Extremæ Unctionis adminiſtratione*. Addit præterea nec licere extra gravis infirmitatis caſum, unctionem hanc, vel una cum forma, aut etiam omiſſa Sacramenti forma, adhibere, *cum minime liceat*

ceat



*ceat Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, in arbitrariam quamdam, licet piam, cæremoniam convertere*, ut nos ſupra expoſuimus. Nec licere Parochis, oleum hujuſmodi ad ægrotos, alioſque petentes mittere, ad hoc ut eo in ſuis infirmitatibus ſe liniant; & contra facientes a Tribunali Eccleſiaſtico puniendos declarat, *vel tamquam abutentes Sacramento Eccleſiæ, vel tamquam ſuſpectos non rectæ fidei circa hujuſmodi Sacramentum.*

Denique, Unctionem pro Pœnitentia, ſive ſatisfactione a confeſſario imponi Pœnitenti non poſſe decernit; hujuſmodi vero abuſum ex eo apud Græcos nonnullos ortum exiſtimat, quia in Canone 74. ex iis, qui in verſione Arabica Niceno Concilio tribuuntur, ſtatutum legitur, ut ſi quis Fidelis cum Infideli muliere impudice verſatus fuerit, poſt diuturnam peractam pœnitentiam, Eccleſiæ reconcilietur *per Aquam benedictam, & Oleum Infirmorum*. Ex quo, ſi fides habenda ſit Joanni Nathanaeli in reſponſione de moribus Græcorum, & Franciſco Riccardo de Expeditione ſacra cap. 12. abuſus ille inductus eſt, ut pœnitentibus divitibus, pro Sacramentali pœnitentia, hujuſmodi unctio imponeretur. Improbatus autem fuit hujuſmodi abuſus ab Innocentio IV. Clemente VIII., aliiſque Romanis Pontificibus, ac etiam ab eodem S. Mem. Benedicto XIV. conſt. *Etſi Paſtoralis.*

Armeni, ut teſtatur Galanus feria 5. majoris hebdomadæ, non oleum Græcorum more, ſed butyrum, poſt lotionem pedum conſecrare, ſive benedicere ſolent, per hæc verba: *Sanctifica Domine hoc butyrum, ut medicamentum omnium ægritudinum, & ſanitatem afferat animabus, corporibuſque illorum quibus applicatur in memoriam illius unctionis, quæ in Chriſti pedibus a Magdalena facta fuit.* Atque hoc deinde ungere ſolent omnes. Unctio hæc eo fine adhibita, ut in memoriam revocetur ea, qua Magdalena pedes unxit Jeſu, remiſſionemque peccatorum obtinuit, non videtur improbanda. Nec refert, quod Galanus opponit, unctionem hanc alias Eccleſias non uſurpare: nam particularis Eccleſiæ ritus, qui fidei, & morum honeſtati contrarii non ſunt, in Orientalibus Eccleſiis ab Apoſtolica Sede tolerantur, ut pluries dictum eſt. Iiſque præſertim dum aliquam Chriſti Domini actionem in memoriam revocent. Jure vero reprehenditur oratio illa, quam in hujuſmodi uſurpant unctione, quaque aſſeritur univerſam Eccleſiam ab Apoſtolis accepiſſe unguenti hujuſmodi benedictionem, *ut veniens Spiritus Sanctus ſanctificet illud in remedium omnium ægritudinum &c.* Nam falſum eſt, ut diſcurrenti per antiquorum Patrum traditionem liquet, univerſam Eccleſiam hanc accepiſſe ab Apoſtolis conſuetudinem, ac butyri benedicendi rationem: ex qua falſa præſumptione, qua putant ex Apoſtolis ortum ducere hujuſmodi preces, vana in iis fides atque ſpes conſurgit, qua putant, vim huic unguento inditam eſſe, qua ægritudines omnes curari poſſint (1).

# TRACTATUS
## DE ORDINE.

ORdo ſumitur dupliciter. 1. Pro ſpeciali quadam poteſtate ſtabili exercendi aliquod officium relate ad conficiendam Euchariſtiam, certo ritu ſacro ſollemni collata. Et hoc ſenſu eſt quid permanens. 2. Pro ipſa Ordinatione ſeu ritu ſacro, quo poteſtas illa confertur. Et hoc ſenſu eſt quid tranſiens, & Sacramentum, definiturque: Sacramentum novæ legis, quo ſtabiliter confertur poteſtas ad conſecrandam Euchariſtiam, & ad alia Eccleſiaſtica miniſteria, ad eam aliquo modo ſpectantia rite obeunda.

Quæſt. I. *Quot ſunt Ordines?*

*Reſp.* Septem, ſcilicet Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorciſtatus, Lectoratus, Oſtiariatus. Ex Concil. Flor. & Trid. ſeſſ. 23. c. 2. Tres priores dicuntur majores, & ſacri, tum ob votum ſollemne caſtitatis annexum, tum quia propius pertinent ad Euchariſtiam. Primus Ordo ſeu Sacerdotium ſubdividitur in duos Ordines tamquam in duas ſpecies; nempe in Sacerdotium majus, ſeu Epiſcopatum, & Sacerdotium minus, ſeu Presbyteratum.

Prima Tonſura non eſt ſtricte Ordo, ſed prima diſpoſitio ad Ordines; nam per eam non traditur poteſtas ad ullum miniſterium pertinens ad Miſſæ ſacrificium: ſed ſolum confertur aliqua dignitas, qua homo conſtituitur in ſtatu clericali, ſitque capax recipiendi beneficia Eccleſiaſtica, & Ordines. Unde cum c. 11. *de ætate præf.* dicitur per eam conferri Ordinem clericalem, Ordo ibi ſumitur late pro ſtatu clericali, ſeu nota per quam quis ex ſtatu Laicorum evehitur ad ſtatum clericalem.

Quæſt. II. *Sunt ne ſinguli Ordines Sacramentum?*

*Reſp.* Eſt de fide quod Ordo generatim ſumptus, ſive Ordinatio aliqua, ſit vere & proprie Sacramentum. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. can. 3. Secundum omnes Catholicos Presbyteratus eſt verum Sacramentum. Idem ſentiunt plerique de Epiſcopatu, ut diſtincto a Presbyteratu. Certum etiam multis videtur, Diaconatum eſſe verum Sacramentum. Idem multi, paucis exceptis, docent de Subdiaconatu. Sed non pauci id negant de Minoribus. (2)

Vid.

(1) *Quoad Extremam Unctionem hæc addemus ex Benedicti XIV.* Inſt. Eccl. 81. *Ait enim* ibid. §. 2. *Ex can.* ſi quis de alio de Conſecr. *diſt. 4. colligi vetitum eſſe Parochis aliud chriſma quam ab Epiſcopo ſuo conſecratum adhibere, omni quacumque exemptione excluſa, ut ex Paſſerino.*

*Ibidem §. 4. habetur, quod cum novum benedicitur chriſma, vetus comburi debeat, nec liceat abſque neceſſitate veteri chriſmate uti ad Extremam Unctionem, cum novum haberi poſſit, ut ex can.* 122. *diſtinct.* 4. de Conſecratione *colligunt Doctores. Licet porro oleo conſecrato admiſcere aliquid olei non conſecrati, quod tamen ſit in minori quantitate, quam conſecratum; ſed nec fas, nec ratio permittit, ut vetus oleum, cum poteſt novum haberi, ea admiſtione perpetuetur.*

*Item §. 6. ait non licere deferre ſacra Olea niſi Subdiaconis, vel Diaconis, vel Sacerdotibus.*

(2) *Ordinem verum eſſe novæ Legis Sacramentum ex conſenſu Theologorum omnium, & Conc. Trid.*

de-

✠ Vid. c. 14. *De Synod. Diœceſ.* in quo fuſim hæc controverſia tractatur, & monentur Epiſcopi, non poſſe indubitanter ſacrilegii damnari, qui cum conſcientia peccati lethalis Ordines, Diaconatu inferiores, ſuſcipere non reformidant, ne tali pacto, controverſiam ignorare aut illam videantur decidere.)

Quæſt. III. *Quænam eſt materia & forma Ordinum?*

*Reſp.* Certum eſt, illorum formam eſſe verba prolata ab Epiſcopo illorum miniſtro, dum materiam eſſentialem applicat. Sed Theologi diſſentiunt circa eſſentiam materiæ Presbyteratus, & Diaconatus. In praxi diligenter obſervanda ſunt ea omnia, quæ in Pontificali Romano præſcribuntur: tum quia id tutius eſt ad valorem; tum quia ritus integer neceſſarius eſt ſaltem ex præcepto. Hinc ſi quid forte omiſſum fuerit, illud caute ſupplendum eſt, ex c. 1. & ult. *de Sacram. non iterandis*.

✠ Eodem lib. 7. cap. 16. plura hac de re explicantur, & n. 1. 12. & 13. legitur Sacr. Cong. Conc. aliquando reſpondiſſe, iterandam ſub conditione Ordinationem presbyteri, in qua ordinandus non acceſſit ad porrectionem Calicis cum vino, & Patenæ cum Hoſtia.)

Quæſt. IV. *An ad validam ordinationem requiritur contactus phyſicus inſtrumentorum?*

*Reſp.* Quamvis multi putent, ſufficere contactum morale pateræ, quo quis calicem tangens cenſetur & patenam ſuperpoſitam tangere; tamen quia hoc non eſt omnino certum, in praxi curandum eſt, ut ſemper immediate, ac phyſice tangantur & Calix, & Patena cum Hoſtia. Idem dic de aliis: nam circa Sacramentorum valorem tenemur ſequi in praxi partem tutiorem, relicta incerta, licet probabiliore.

Quæſt. V. *Quiſnam eſt Miniſter Ordinis?*

*Reſp.* Solus Epiſcopus eſt miniſter ordinarius omnium Ordinum ex Concil. Flor. & Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. can. 7. Ex commiſſione tamen Papæ ſimplex Sacerdos conferre poteſt, 1. Tonſuram & minores Ordines; ex Concil. Trid. c. 10. id aperte ſupponente, & ex praxi recepta. Nam Cardinales in propriis Eccleſiis, & Abbates eos de facto conferunt. 2. Subdiaconatum, ut fatentur omnes, & de facto hoc privilegium Abbatibus pluribus conceſſum eſt. De Diaconatu negant multi.

Epiſcopatum vero & Sacerdotium nunquam conferri niſi ab Epiſcopo conſtat ex Traditione; & perpetua praxi Eccleſiæ, in qua nunquam ab alio collata ſunt.

Quæſt. VI. *Quoſnam Epiſcopus poteſt licite ordinare?*

*Reſp.* Solos ſuos ſubditos, vel habentes dimiſſorias, vel ſpeciale ad id privilegium, ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 8. ubi ordinans ſubditum alienum ſine conſenſu & teſtimonio proprii Ordinarii de probitate & moribus ordinandi, ſuſpenditur ad annum a collatione Ordinum: ordinatus vero ab executione Ordinis ſuſcepti, quamdiu videbitur proprio Ordinario. Item non licet Epiſcopo ordinare etiam ſuos in diœceſi alterius ſine hujus conſenſu.

Porro ex triplici capite quis cenſetur ſubditus alicujus Epiſcopi, ut poſſit ab eo ordinari. 1. Ratione originis, quia nempe in ejus diœceſi natus eſt: *Dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occaſione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ, ſeu permanentiæ ejus patris in illo loco: quo caſu nullatenus ejuſmodi fortuita nativitas, ſed vera tantum & naturalis patris origo erit attendenda*. Ita Innoc. XII. conſt. *Speculatores*. 2. Ratione domicilii, qui in ejus diœceſi habitat animo ibi perpetuo manendi. 3. Ratione beneficii, quod in ejus diœceſi poſſidet, ex c. 3. *de tempor. ordin. in 6*. In Gallia tamen haberi ſolet ratio ſolius originis.

*Nota*. Omnis & ſolus mas baptizatus poteſt valide ordinari, non tamen invitus.

✠ *Nota*. Ex c. 16. citati libri DE SYNODO, Epiſcopus Ordines collaturos, laudabiliter ſub cenſuris præcipit, ne quis canonico impedimento irretitus, aut ſine legitimo patrimonio ad Sacros Ordines accedat. Sed improbatur Epiſcopi proteſtatio, ſe non habendi intentionem ordinandi irregulares, cenſuris innodatos, legitimo patrocinio, aut beneficio &c. carentes *n. 1.* Si quis aliquo ex iis impedimentis detentus, ordinetur ſub tali proteſtatione, cui alligata fuerit Epiſcopi intentio, erit iterum abſolute ordinandus: ſi dubia ſit Epiſcopi intentio, Ordinatio ſub conditione erit iteranda.)

Quæſt. VII. *An ſervanda ſunt interſtitia?*

*Reſp.* Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 11. ſtatuit, ut Minores ordines per temporum interſtitia conferantur, *niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur*. Inter ultimum autem Ordinem minorem uſque ad ſacros Ordines annus interjiciatur: *Niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi aliud expoſcat*, ibid. A ſubdiaconatu ad Diaconatum, & ab hoc ad Sacerdotium ſimiliter annus interjici debet, ex cap. 13. & 14. Circa quæ interſtitia Epiſcopus diſpenſare poteſt ob Eccleſiæ neceſſitatem, vel utilitatem. Sed non poteſt

*definitione* ſeſſ. 23. cap. 3. *certum eſt. Id vero Sacerdotio convenire una eſt omnium Theologorum Catholicorum vox, nec ſine periculo gravis erroris id negaretur de Epiſcopatu, quamvis diverſum non eſſe Ordinem a Sacerdotio, ſed ejus extenſionem, perfectionem, complementum teneretur. De Diaconatu quanquam certum non ſit de fide ex ſenſu quorumdam Theologorum, attamen ex Tridentini definitione inferri poſſe videtur.*

*De cæteris ſingularibus Ordinibus diſceptant Theologi, quamvis de Subdiaconatu aliquanto minor ſit quæſtio præ cæteris inferioribus. Hanc definiendam*

*Pontifex nequaquam ſe aſſumpſiſſe profitetur. Quare vetat Epiſcopis, ne Sacrilegii crimine in ſuis Synodis eos damnent, qui cum conſcientia peccati lethalis Ordines Diaconatu inferiores ſuſciperent. Quamvis alio nomine ſacrilegii gravis reos ſtatuerent, cum ſacra Ordinatio fieri plerumque non ſoleat, nec poſſit extra Miſſarum ſolemnia, in quibus recens initiati ſacra Euchariſtia participant, cui irreverentiam gravem irrogaret ille, qui cum conſcientia gravis peccati ad eam ſuſcipiendam accederet*. Bened. XIV. De Synod. Diœceſ. lib. 7. cap. 14. per totum.



teſt ſine diſpenſatione Papæ duos majores Ordines una die conferre, ex cap. 13. & cap. *Literas de tempor. Ordin.*

Porro minores Ordines conferri poſſunt Dominicis, & aliis feſtivis diebus. Sacri vero ſolum quatuor temporibus, aut Sabbato Sancto, vel Sabbato de Paſſione, c. 3. *de tempor. Ordin.* Tonſura autem clericalis quocumque die & hora.

✠ Lib. 7. c. 63. n. 5. refert, Sac. Congr. Conc. reſpondiſſe, Ordines minores, & Subdiaconatum eodem die non eſſe conferendos.

Quæſt. VIII. *Quænam requiruntur, ut quis licite ordinetur?*

*Reſp.* Sequentia, 1. Confirmatio, & Tonſura quæ ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 4. non debet conferri niſi iis, qui fidei rudimenta calleant, & ſciant legere ac ſcribere, & de quibus probabilis conjectura ſit, eos clericatum elegiſſe, ut Deo fidelem cultum præſtent.

2. Certa ætas. Pro Minoribus nulla a jure definitur; ſed Concil. Trid. ſtatuit ſolum, ut non conferantur, niſi iis, qui ſaltem linguam latinam calleant, c. 11. Pro Subdiaconatu requiruntur anni XXII. pro Diaconatu XXIII. pro Presbyteratu XXV. Ex Conc. Trid. c. 12. ſufficit ex uſu recepto, ut hi anni ſint inchoati. Pro Epiſcopatu requiruntur anni XXX. completi, c. 7. *de elect.* In Gallia ſufficit annus XXVII. inchoatus, ex Concordat.

3. Immunitas ab omni cenſura, & irregularitate.

4. Status gratiæ, morum probitas, bona fama, vocatio divina, intentio gloriæ Dei promovendæ ſerviendo Eccleſiæ.

5. Certa ſcientia. Conc. Trid. requirit, ut ſuſcepturi Subdiaconatum & Diaconatum ſint litteris, & eis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, inſtructi, ut ſuſcepturi Sacerdotium poſſint populum docere neceſſaria ad ſalutem, & ſciant neceſſaria ad ſacramenta rite adminiſtranda, ſeſſ. 23. cap. 13. & 14. Item ex Patribus & Conciliis debent Scripturas ſacras & Canones ediſcere & ſcire.

6. Sæcularis non poteſt licite ordinari, niſi titulum ſubſtentationis habeat ex beneficio, vel patrimonio, vel penſione ſufficienti ad victum honeſtum: ita ut ſi quis fingat titulum, aut pactum ineat de reſtituendo, vel non exigendo eo, quod datur illi in titulum, peccet mortaliter, & ſuſpenſus ſit, ex Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. ubi antiquorum canonum pœnas ſuper his innovat, & ex Urbano VIII. conſt. *Secretis*. Idque teſte Fagnano declaravit Sac. Congr. Card. Nec obſtat cap. *Cum ſecundum de præbend.* Nam ibi agitur ſolum de iis, qui nullo requiſito titulo ordinati ſunt; non autem de iis, qui titulum finxerunt, quibus fraus patrocinari non debet. Nec ordinato licet ſine licentia Epiſcopi reſignare, aut alienare titulum, ad quem promotus eſt, niſi aliunde habeat unde commode vivat, ex Conc. Trid. c. 2. cit. Quod ſi quem Epiſcopus abſque titulo ordinaret, teneretur ei neceſſaria ad ſuſtentationem ſuppeditare, c. 4. & 16. *de præbend.*

*Nota*. Qui ordinatur per ſaltum, hoc eſt qui ſuſcepit Ordinem ſuperiorem, inferiore prius non recepto, peccat mortaliter, & manet ſuſpenſus ab uſu Ordinis ſic ſuſcepti, c. unic. *de Clerico per ſaltum promoto*. Si tamen non miniſtraverit, poteſt Epiſcopus ex legitima cauſſa cum eo diſpenſare, Concil. Tridentin. ſeſſion. 23. capit. 15.

## ✠ APPENDIX

### *De Univerſæ Orientalis Eccleſiæ circa Ordinem diſciplina.*

UNiverſa Orientis Eccleſia circa Ordinem, ac Eccleſiaſticam Hierarchiam cum Romana Eccleſia Orthodoxam fidem conſervat. Sed circa diſciplinam Orientales Eccleſiæ, tum a Latina, tum invicem diſſident, atque earum nonnullæ poſt ſeparationem a Romana, & Apoſtolica Eccleſia, abuſus pleroſque, contra antiquæ Eccleſiæ morem, ac veterum Patrum traditionem habent, & fovent. Ut paucis, quæ magis præcipua ſunt, complectamur, traditionem hanc in quatuor §§. diſtribuemus. In primo agemus de Ordinum numero, juxta cujuſcumque Eccleſiæ Orientalis morem: In altero de Ordinis materia, & forma: In tertio de ordinandorum ætate, aliiſque, quæ ad rite ſuſcipiendos Ordines deſiderantur, ubi etiam de obligatione Clericorum. In quarto vero, de Miniſtro ordinario hujus Sacramenti.

### §. I. *De numero Ordinum, quos Orientales admittunt.*

ECcleſia ſemper præter Sacerdotium alios Ordines habuit majores, minoreſve, per quos veluti per gradus quoſdam homines in Sacerdotium tenderent. In Latina Eccleſia minores ſunt, Oſtiariatus, Exorciſtatus, Lectoratus, & Acolythatus; majores vero præter Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus; qui Ordinum numerus non novus, ſed antiquus eſt, atque a primis deductus Eccleſiæ temporibus. Totidem enim Ordines numeravit Cornelius Papa tertio Eccleſiæ ſæculo in Epiſt. ad Fabium Antiochenum, ut legere eſt apud Euſebium *lib. 1. hiſt. Eccl. c. 33.* ac Conc. Carthag. II. De hoc vero Ordinum numero ita loquuntur, ut non recenter excogitatum, ſed ex majorum traditione ab Eccleſia acceſſitum deſignent. Ex Orientalibus cum Latinis conſentiunt Armeni, qui, teſte Galeno, Ordinationis ritum, poſtquam a Græcis ſeparati ſunt, ex Sacramentario, quod Gregorio Magno tribuitur, accepere. Hinc Minores Ordines habent, conferuntque Latinorum more, eamdemque ac iſti habent adminiſtrandi Subdiaconatus, Diaconatuſque rationem; licet in Presbyteratu conferendo ſolam manuum impoſitionem pro materia habeant. Qua de re injuria reprehendi videntur a Galano: nam in Gregorii Sacramentario ſola manuum impoſitio veluti Presbyteratus materia deſignatur; habetur enim: *Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput ejus teneant*: atque oratio illa, quæ, Epiſcopo manus imponente, recitanda præſcribitur, ea dicitur, qua Presbyter conſecratur: Accedit etiam, nunquam Eccleſiam, collatam hoc modo Armenis, aliiſque Orientalibus Ordinationem habuiſſe irritam, aut ſuſpectam, ut infra dicemus.

Orientales reliqui, licet omnes in Clerum homines cooptare ſoleant Tonſura, eoſque ita ad ordines diſpone-

ponere Latinorum more; tamen circa Ordinum numerum a Latinis diſſident. Incipiam a Græcis: Gregorius Hieromonachus in Synopſi de Sacramento Ordinis: *ſeptem*, ait, *erant antiqui Ordines*, quos ita recenſet Gabriel Philadelphienſis c. 3. quod eſt, *de quantitate & numero Ordinis. Septem ſunt Ordines Sacerdotii. 1. Eſt Janitorum, & Acolytorum. 2. Exorciſtarum, 3. Lectoris. 4. Subdiaconorum. 5. Sacrorum Diaconorum. 6. Sacerdotum. 7. Principum Sacerdotum Epiſcoporum*. Confeſſio denique Orientalis Eccleſiæ contra Lutheranos reſponſo III. habet: *Sacerdotium complectitur omnes gradus: oportet nihilominus, ut detur per ordinem. Hoc eſt Lector, Cantor, Lampadarius, Subdiaconus, Diaconus, de quibus latius tractant ritualia Pontificum, quæ dicitur* Τακτικά. Cenſet Emmanuel Schelſtrate in nota ad hunc locum, Græcos olim habuiſſe etiam Oſtiarios & Exorciſtas; ſed ſi Ordinem ſecernamus a quibuſdam officiis Eccleſiaſticis nulla ſacri characteris nota conſpicuis facile comperiemus, Græcos præter Lectoratum, & Subdiaconatum, quem inter minores Ordines recenſent, alios non habuiſſe Ordines. In Eccleſia enim per plura ſæcula, præter Clericos ſacro Ordinis charactere inſignitos qui a Græcis ſemper per manuum impoſitionem initiari conſueverunt, quippe in gradu conſtitui dicebantur, fuere alii miniſtri, qui ſine ulla ordinatione officiis nonnullis Eccleſiaſticis deputabantur, quæ Chriſtianorum quiſque, Epiſcopo mandante, exercere poterat; quouſque inter Clericos, ſive potius homines divino ſervitio addictos Patres recenſent. Sic Ignatius *in epiſt. ad Antiochenos*, recenſens eos, qui Eccleſiæ eſſent addicti, numerat, *Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorciſtas, & Confeſſores*: Et Epiphanius *in fidei expoſitione*, poſt Epiſcopum, ait, eſſe *Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum, & Lectorem: poſt hos vero venire Exorciſtas, linguarum interpretes in ſacris Lectionibus, & Concionibus, quos Laborantes ſequuntur, qui mortuorum corpora curant*. Colligitur hæc diſtinctio ex Epiſt. S. Baſilii *ad Amphilochium, canone* LI. ubi habetur, *quod adverſus Clericos ſtatutum eſt, canones indefinite ediderunt unum in iis, qui lapſi ſunt, ſupplicium decerni jubentes, a miniſteriis ſcilicet motionem, ſive ſint in gradu, ſive etiam in miniſterio, quod non impoſitis manibus datur, perſeverent*. Id etiam non obſcure indicavit Epiphanius diſtinguens a Lectoribus Exorciſtas, interpretes, alioſque; liquet preterea ex eo, quod Exorciſtæ, quos Latina Eccleſia pro initiatis clericis habet, non ordinarentur in Orientali Eccleſia: *Exorciſta*, inquit Auctor Conſt. Apoſt. *lib.* VIII. *c.* 26. *non ordinatur: hoc enim eſt ſpontaneæ conceſſio divinæ erga homines benevolentiæ & gratiæ*: Et quod Græca Eccleſia a mille & amplius annis præter Lectoratum, & Hypodiaconatum alios inferiores ſive minores Ordines non agnoverit, quin novitatis ab aliquo inſimulatam fuiſſe ſciamus. Hos tantum Ordines recenſent Euchologia a mille & amplius annis exarata: Et Joan. VIII. Romanus Pontifex, ubi pacem iniit cum Photio, hæc ſcripſit ad Imperatorem: *Volumus autem ſecundum Canones, ut talis promoveatur per ſingulos gradus Eccleſiaſticos probatus, ut ſit primum Lector, deinde Acolythus* (Acolythum Subdiaconum vocat) *poſtea Diaconus, tum Presbyter, poſt Epiſcopus*. Damaſcenus, denique in Dialogo contra Manichæos, ait: *primus gradus Lectoris eſt, deinde Subdiaconi, tum Diaconi, poſtea Presbyteri, ac tandem Epiſcopi*; atque iis ſimilia longe antea PP. Concilii Sardicenſis aſſeruerunt *can.* X.

Atque hinc facile patet, nunquam in Græca Eccleſia alios fuiſſe minores Ordines præter Lectoratum, & Subdiaconatum, in quibus Clerici ſacro charactere inſigniti eſſent; ſed habuiſſe ac etiam nunc nonnullas Eccleſias habere homines eccleſiæ ſervitio addictos, & ad Eccleſiaſtica quædam officia ſine Ordinis collatione a Pontificibus deputatos; ut de Exorciſtis loquitur Auctor Conſt. Apoſtolicarum loco ſupra citato, & Euchologia nonnulla aſſerunt de *Cantoribus, Oeconomis, Templi Cuſtodibus, Diaconis ſecundis* & aliis quos Pontifices officiis deputare, ſive in Eccleſiaſticum ordinem inſtituere ſolent, per hæc verba, *Gratia Sancti Spiritus te inſtituit in Oeconomum, in Templi Cuſtodem, in Diaconum ſecundum &c.* Quæ verba iis reſpondere videntur, quibus Exorciſtæ antiquitus initiabantur: ut ex ſupra citatis ex Auct. Conſt. verbis liquet.

*Nota* Chriſtophorus Campanas Canonarcha Chius apud Papadopoli *reſp.* 1. *pag.* 5. ait, *Janitorum, Deputatorum ſeu Ceroferariorum, & Camiſatorum, aliorumque ſacræ dignitatis, quas non ordines, ſed officia vocat Simeon Theſſalonicenſis, mihi videntur Ordines eſſe, non ſane diſtincti, quemadmodum penes Latinos, ſed immixti, adnexique Lectoris ordinationi*. Sed ex iis, quæ ſunt ſupra explicata palam fit, officia illa nec Ordines eſſe, nec Lectoris ordinatione conferri, cum diſtincta ab ordinatione cæremonia ad eadem homines deputari debeant. Accedit etiam, quod Summus Pontifex Benedict. XIV. Conſt. *Etſi Paſtoralis*, ut infra referemus, aperte negat, Lectoratus Ordinem alios tres minores Latinorum Ordines complecti; aſſerit vero, Subdiaconatum Græcorum more collatum, Acolythatum & Oſtiariatum involvere.

Quod ſpectat ad alios Orientales, parum ii a Græcis diſſident. Tonſuram Lectoratui præmittunt, ut Græci, ita Cophti, Syri Neſtoriani, & Maronitæ, qui Ordines ſuos hinc incipiunt, Syri vero Jacobitæ Cantoratui, quem cum Maronitis veluti gradum habent ad Lectoratum, Tonſuram neutiquam præmittunt, etſi in compendio ordinationum per Morinum edito pag. 479. ordinandi Diaconi caput in crucis modum tonderi ab Epiſcopo præcipiuntur.

Apud Cophtos, ut ex eorumdem Pontificali a Kirkerio latine verſo, & a Morino edito colligitur, hæ ſunt ordinationes: 1. *Anagnoſtæ* ſive *Lectoris*. 2. *Subdiaconi*. 3. *Diaconi*. 4. *Presbyteri*. 5. *Hegumeni* ſeu Archipresbyteri, qui a Kirkerio redditur *Prælatus, ſive is, qui curam ſubditorum, dictus Abigumenos animarum habet*. 6. *Archidiaconi*. In eo vero, quod nuper ad Sacr. Congr. de prop. Fide tranſmiſſum, & ab eadem in Vaticanam Bibliothecam illatum eſt, extant præterea ordinationes *Epiſcopi, & Metropolitani*, quo ritu & Patriarcham Alexandrinum conſecrari poſſe, ac ſolere adnotatur. Ita Aſſem. tom. III. part. 2. pag. 789.

Syri Neſtoriani hos conferunt peculiari conſecratione, vel benedictione Ordines. 1. *Lectoris*. 2. *Hypodiaconi*. 3. *Diaconi*. 4. *Archidiaconi*. 5. *Presbyteri*. 6. *Chorepiſcopi, & Periodevtæ ſeu Viſitatoris*. 7. *Epiſcopi*. 8. *Metropolitani*. 9. *Patriarchæ*. Sed Epiſcopi, & Metropolitani, ſi pauca excipias, una eademque ordinatio eſt. At Timotheus II. Patriarcha, rejectis Periodevta & Chorepiſcopo, eorum loco Cantorem, & Exorciſtam poſuit.



Maronitæ has habent ordinationes: 1. *Cantoris*, ſeu Pſaltæ: 2. *Lectoris*: 3. *Subdiaconi*: 4. *Diaconi*: 5. *Archidiaconi*: 6. *Presbyteri*: 7. *Periodevtæ ſeu Viſitatoris*: 8. *Archipresbyteri*, *quem Churi* vocant: 9. *Chorepiſcopi*: 10. *Epiſcopi, & Metropolitani*: 11. *Patriarchæ*. Syri vero Jacobitæ uno eodemque ritu ordinant *Epiſcopum, Metropolitam, & Patriarcham*: item uno eodemque ritu conſecrant *Chorepiſcopum, Periodevtam, Hegumenum, Abbatiſſam, & Diaconiſſam*: ceteras *Cantoris, Lectoris, Subdiaconi, Diaconi, Archidiaconi, & Presbyteri* ordinationes communes habent cum Syris Maronitis, Aſſem. loc. cit.

*Nota* 1. Ut in nonnullis Euchologiis Græcorum, præter Ordines, quos ſupra diximus, recenſentur *Cantores, Ceroferarii, Deputati, Archidiaconi*, & alii, qui ſine vera ordinatione ad officia quædam deputantur; ita de iis dicendum eſt, quæ ex Cophtis, Syriſque retulimus. Nam Archidiaconi, Archipresbyteri, Chorepiſcopi, Viſitatores non ſacro charactere inſigniti, ſed deputatione quadam ad certa officia deſtinantur. Idem de Cantore dici poſſe videtur, quem ante Lectoratum Maronitæ, Syrique Jacobitæ, & Græcorum nonnulli inſtituunt.

*Nota* 2. Renaudotius *tom.* II. *Liturg. Orient. diſſert. de Patriarcha Alexandrino* pag. 412. ait: Neſtorianos, Syroſque Jacobitas a graviſſimo iteratæ ordinationis crimine excuſari non poſſe, qui Patriarchas, vel Metropolitas, qui antea Epiſcopi conſecrati eſſent, ita promovent, conſecrantque, ut Epiſcoporum manuum impoſitionem ſuſcipiant, iiſdemque precibus ordinentur, quibus Epiſcopi conſecrari ſolent. Non ita Maronitæ, nec Cophti; ſed ii, inquit, in aliud incidunt contra canones ac univerſæ Eccleſiæ diſciplinam vitium: Nam dum Patriarcham, ſive Epiſcopum conſecrant, ſi Monachum aſſumant, qui nullum antea ſuſceperit Ordinem, minorum Ordinum nullam rationem habent, ſed a Diaconatu ordinationem incipiunt, hac ſervata interſtitiorum ratione, ut primo die Diaconum, altero Presbyterum, tertio *Kamas*, hoc eſt Hegumenum ſive Archipresbyterum ordinent, expectaturque deinceps Dominicus dies, ut Epiſcoporum manuum impoſitione Patriarcha conſecretur. Semper vero Eccleſia univerſa vetuit ſacros Ordines conferre, quin minores antea fuerint collati, ordinationeſque ſecus factas, quas per ſaltum vocant, tamquam illicitas habuit, ac reprobavit.

*Nota* 3. Quod non ſint reprehendendi Orientales, quod ſolum Diaconatum, & Presbyteratum inter ſacros majoreſque Ordines habeant: nam etiam in Latina Eccleſia Diaconatu inferiores Ordines per plura ſæcula omnes inter minores habiti ſunt. Subdiaconatum enim inter ſacros Ordines primum recenſuit, vel Urbanus II. in Conc. Benevent. anni 1091. ubi permiſit, ut interdum, *ſed rariſſime opportunitate exigente, & non ſine Romani Pontificis vel Metropolitani licentia*, Subdiaconus eligi poſſet in Epiſcopum, quem ex ſolo cœtu eorum, qui ſunt in ſacris conſtituti, aſſumendum veteres canones ſanciverant; vel, ut alii cum Thomaſſino malunt, Innoc. III. Nam, ut alios omittam, Urbanus laudatus in Can. 1. antedicti Concilii ait, *nullus deinceps in Epiſcopum eligatur, niſi qui in ſacris Ordinibus conſtitutus religioſe vivens inventus eſt. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum, ac Presbyteratum, hos ſiquidem ſolos primitiva legitur Eccleſia habuiſſe, ſuper his ſolum præceptum habemus Apoſtoli &c.*

Neque iis vitio verti poteſt, ſi Diaconatu inferiores Ordines inter Sacramenta non habeant a Chriſto Domino inſtituta, ſed inter gradus ab Eccleſia ſtabilitos, in quibus Ordinis Sacramento initiandi probarentur quodammodo, & ad digne Sacerdotium ſuſcipiendum diſponerentur: hæc enim opinio eſt, quam doctiſſimi inter Latinos Theologi tuentur, quæque non ſolum ab Eccleſia non improbatur, ſed etiam probari videtur a Bened. XIV. *de Syn. Diœceſ. lib.* VII. *cap.* 24. Nos vero ſupra dum Ordines ab officiis diſtinximus, ac diximus Ordines præ ſe characterem ferre, communiorem opinionem ſequuti ſumus, quæ iis Græcis Patribus conſentanea haberi poteſt, qui diſtinguentes inter officia, & gradus ſive Ordines, Sacerdotii gradus conſtituere Lectoratum, Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum.

*Nota*. Quod ab Apoſtolica Sede in Conſtit. *Etſi Paſtoralis*, pro Græcis hac de re decretum fuit, ad alios quoque Orientales pertinet, qui proprium, non ſecus ac Græci ſervare tenentur ritum. Hæc ibi leguntur §. VII. n. 6. *Epiſcopi Græci in Ordinibus conferendis ritum proprium Græcum in Euchologio deſcriptum ſervent, in quo etſi nonnulli de minoribus Ordinibus prætermiſſi videantur, eos tamen vel nunquam habuiſſe, vel eorum exercitium aliis Ordinibus eſſe adnexum iidem Græci affirmant.* Et n. 7. *Inde tamen dubitationes quandoque oriri ſolent, quinam nimirum Ordines ſupplendi ſint ab eo, qui primum ritu Græco aliquibus Ordinibus fuit initiatus, deinde ritu Latino ad reliquos eſt promovendus. Quas controverſias ut de medio penitus tollamus, certamque tradamus regulam in poſterum ſervandam, ita decernimus: qui ritu Græco clericus, & Lector tantum fuit initiatus, atque ex benignitate Sedis Apoſtolicæ obtinuit, ut majores Ordines Latinis cæremoniis ſibi conferantur, is antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores Ordines omiſſos debet ritu Latino ſuſcipere. Si vero, præter Lectoris Ordinem, ad Subdiaconatum etiam Græco ritu aſcendit, & ex diſpenſatione itidem Apoſtolica facultas ſibi facta ſit ceteros Ordines ritu Latino ſuſcipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, ex minoribus Exorciſtatum tantummodo ſupplere cogitur: cum per Subdiaconatum Græco ritu collatum, Acolythatum, Oſtiariatum recepiſſe cenſeatur. Idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus Ordinibus, Diaconatum, aut etiam Presbyteratum Græce ſuſcepit, & Latino poſtea ritu ad ſacrum Presbyteratus reſpective Ordinem, aut Epiſcopatum promovendus ſit ex Apoſtolica conceſſione: nimirum Exorciſtatus Ordinem in ipſo, antequam Presbyter ordinetur, aut Epiſcopus conſecretur, eſſe ſupplendum.*

## §. II. *De materia, & forma.*

DE materia, & forma hujus Sacramenti non levis controverſia eſt inter Theologos. Nos rem paucis expediemus, eaque unice explicabimus, quæ ad tuto riteque hujuſmodi Sacramentum recipiendum deſiderantur. Eugenius IV. in ſæpe citato decreto pro Armenorum inſtructione, hæc habet: *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo: ſicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & Patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per Calicis vacui cum Patena vacua traditionem, & ſimiliter de aliis, per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem. Forma Sacerdotii talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro vivis, & mortuis: in nomine Patris &c. & ſic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.*

Scholaſticorum plerique Eugenii decretum præ oculis habentes rati ſunt, nullum irritumque eſſe Ordinis Sacramentum, ſi ea materia & forma non adminiſtretur, quæ in dicto decreto indicantur. Noſtrum non eſt hanc nunc controverſiam expendere, ſed ſatis eſt indicare, Eccleſiam Romanam ratam habere ordinationem Orientalium ſine ulla inſtrumentorum porrectione, collatam per ſolam Epiſcopi manuum impoſitionem, perque preces huic manuum impoſitioni reſpondentes, ſive quod Eugenius de materia tantum, & forma integrante atque acceſſoria loquutus ſit, quam optavit ab Armenis ſuperaddi manuum impoſitioni jamdiu ab illis adhibitæ, ut Eccleſiæ Latinæ moribus ſe prorſus accommodarent, ac rituum uniformitate firmius eidem adhærerent, quod bene ponderant Menardus, Becanus, & Morinus, ut ait BENEDICTUS XIV. *de Syn. Diœceſ. lib. 7. c. 15.* ſive etiam ut alii malunt, quod in Latina Eccleſia forma & materia, de quibus Eugenius loquitur, Eccleſia auctoritate eidem a Chriſto Domino conceſſa, ut neceſſariæ determinatæ ſint ad hujus Sacramenti valorem. *Quum de forma loquimur*, inquit Morinus c. 6. §. 2. pag. 3. exercit. 5. *ut quum loquuti ſumus de materia his verbis* Inſtrumentorum porrectionem non eſſe materiam, *addidimus de induſtria*, perpetuam: *ſi enim quis contenderet, ea inſtrumenta poſtquam ab Eccleſia communiter uſurpata ſunt, veram cum precibus, quæ cum priore manuum impoſitione concipiuntur, materiam & formam conſtituere, atque etiamſi velit, cum verbis, quæ cum poſteriore manuum impoſitione recitantur; nec id inficiarem, nec aſſererem. Quamobrem enim non poterit Eccleſia Sacramento Ordinis, ut ſæpe fecit Sacramento Matrimonii, novas pro materia & forma conditiones apponere, quarum prævaricatio Sacramentum reddat irritum & nullum, cum Chriſtus nullam materiam aut formam hujus Sacramenti non ſecus ac Matrimonii in ſpecie definiverit? Sane ſupra vidimus Ordinationes ſæpe irritas & inanes antiquitus declaratas, eo quod regulæ a Canonibus pro ordinationis materia præſcriptæ, obſervatæ non fuiſſent.* Atque hinc patet, jure meritoque Sac. Congr. Concilii aliquando reſpondiſſe, ſub conditione iterandam ordinationem Latini Presbyteri, in qua ordinandus, qui manuum impoſitionem receperat, non acceſſit ad porrectionem Calicis cum Vino, & Patenæ cum Hoſtia; ut notat Bened. XIV. cap. ſup. cit. Ac etiam recte docere Carolum Franciſcum a Breno *lib. 3. c. 3. q. 3. §. dicendum primo*; Miſſionarium conſultum a Latino, qui a Græco Epiſcopo Sacerdotium ſuſceperat, reſpondere oportere, petendam eſſe ab Epiſcopo Latino iterationem Presbyteratus, ſaltem ſub conditione.

Sed quamquam ad Latinos quod ſpectat, res ita ſe habet; tamen certum eſt, Apoſtolicam Sedem ratas habuiſſe ſemper, ac etiam nunc habere Græcorum aliorumque Orientalium Ordinationes, quæ ſola manuum impoſitione, precibuſque eidem reſpondentibus, modo mox indicando, conferuntur. De iis enim Ordinationibus, non ſolum nihil dubitatum fuit in Conciliis Lugdunenſi, & Florentino, quibus Græci cum latinis adfuere, ſed nihil præterea dubitavit Clemens VIII. qui Ruſſorum Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, ad Catholicam unitatem admiſit cum Ordinibus, quibus, ſecundum ritum Græcorum, inſigniti fuerant in ſuo Schiſmate: Immo Apoſtolica Sedes præcepit, Epiſcopos Græcos in ordinibus conferendis ritum proprium Græcum in Euchologio deſcriptum ſervare, ut ſupra ex Conſt. *Etſi Paſtoralis*, retulimus. Sed videamus, quid ipſi in ſingulis Ordinibus pro materia, & forma habeant.

Clerici inſtitutio apud Græcos, terna crucis conſignatione, capillorum tonſione, & Sanctæ Trinitatis invocatione perficitur, eaque Tonſura continetur. Lectoratus materia apud Græcos, in manus impoſitione ſuper ordinando ab Epiſcopo facta, conſtituenda videtur: quæ manus impoſitio, de qua ſermo occurrit *lib. 8. c. 22. Conſt. Apoſt. & can. 14.* ſeptimæ Synodi, hodie ea Epiſcopi actione, qua ordinandum Lectorem cruce manu expreſſa obſignare ſolet, continetur, ut ex Balſamone, Theſſalonicenſi, aliiſque Goarius oſtendit. Forma vero ſunt verba illa, quæ tunc Epiſcopus pronunciat, *Domine Deus Omnipotens elige ſervum tuum hunc, & eum ſanctifica &c.* Atque hinc patet, traditionem Codicis Apoſtolici, quæ poſt hanc orationem ab Epiſcopo Lectori fit, pro materia haberi non poſſe, cum tunc ordinatio peracta jam ſit; cumque hæc porrectio, nonniſi ad indicandum fiat munus, quod ob ſuſceptam ordinationem exercere debet. Manus impoſitionem, cum precibus Græcorum ſimilibus eidem reſpondentibus pro hujuſce Ordinis materia, & forma, habent etiam Syri Neſtoriani, Jacobitæ, Maronitæ, & Cophti, ut ex eorumdem libris oſtendit Aſſemanus *Tom. XX. 1. part. pag. 800. & ſeq.*

Ex iis, quæ a Græcis, Cophtis, & Syris in ordinatione Subdiaconi obſervantur, facile patet, conſecrationis illius formam conſiſtere in illa precatione, quæ paucis mutatis apud omnes eadem eſt, cujus quidem initium apud Græcos eſt: *Domine Deus noſter*: apud Syros, Maronitas, & Jacobitas, *Deus æterne, qui reges unxiſti*; apud Cophtos, *Domine Deus omnipotens*: Ibi enim manus Ordinando imponitur, quæ pro materia habetur, eaque impoſitio, ſive capiti, ſive temporibus ejus fit, ac ſimul imploratur Deus, *ut dignum faciat illum gradu Subdiaconatus, concedatque ei donum Spiritus Sancti, ut contrectet vaſa miniſterii Eccleſiæ, amet decorem domus Dei,*

adſit



*adſit januis templi, accendat lampades, ſitque veluti oliva uberes juſtitiæ fructus referens in Sancta Eccleſia.* In ritu vero Neſtorianorum, inquit Aſſeman. loco cit. pag. 804., nec ita expreſſa eſt ordinationis forma, nec manus ordinando imponitur, dum ea recitatur, ſed poſtquam pronunciata fuerit, ſignare dicitur Epiſcopus ordinati caput, hoc eſt, Crucis ſignum manu formare, contra comunem Eccleſiæ Orientalis morem in Conſtitutionibus Apoſtolicis fundatum, quibus ita ſancitur: *Subdiaconum ordinaturus, Epiſcopus, manus ſuper illum imponens*; & in omnibus Euchologiis præſcriptum, in quibus manus impoſitio ſive capiti juxta Græcos, ſive temporibus juxta Syros, & Cophtos, in ordinatione Subdiaconi præcipitur. Sed cum impoſitio manus, quæ Subdiacono fit, ut Goario aliiſque videtur, qui Subdiaconatum non a Chriſto, ſed ab Eccleſia inſtitutum eſſe contendunt, ſit mera cæremonia, non vero ſacra, vera, & Ordinis effectiva manus impoſitio ex divina inſtitutione: cumque Concil. Carthaginienſe IV., & Gregorii Magni Sacramentarium, ac vetus ordo Romanus Subdiacono manus impoſitionem denegent, benedictionem tamen, ſine manus licet attactu quocumque, concedant; non adeo facile dubitandum eſt de Subdiaconi ordinatione modo ſupra indicato a Neſtorianis facta; præſertim cum in ea precatione, quam Pontifex Neſtorianus recitat, lædi non videatur ordinationis ſubſtantia: dicitur enim: *Elige eos electione ſancta ſecundum multitudinem gratiæ tuæ, eoſque in miſericordia tua redde dignos, qui defectus ſuppleant in Eccleſia tua ſancta, & da eis Domine benignitate tua, ut ſine macula cum puro corde, & conſcientia bona tibi miniſtrent*, quibus verbis quidquid ad Subdiaconos pertinet includitur: Subdiaconus enim nihil aliud eſt, quam Eccleſiæ Miniſter Diacono inferior; & defectus in Eccleſia ſupplere, eſt omnia, quæ ſupra ſunt enumerata officia, in Eccleſia obire.

Diaconi materia apud Orientales Græcos, Syros ſive Neſtorianos, ſive Jacobitas, ſive Maronitas, & Cophtos Epiſcopi manus impoſitione tota continetur: forma vero in verbis illis ſita eſt, quæ apud Græcos incipiunt, *Domine Deus noſter*: apud Cophtos, *Domine Deus Omnipotens*: apud Neſtorianos, *Deus noſter bone*: apud Maronitas vero & Jacobitas, *Deus qui Eccleſiam tuam ædificas*, ut fuſe oſtendit Morinus exercit. 2. cap. 3. & 4., & ut aliæ preces ad formam non ſpectant, ita traditio *Flabelli*, ſeu *veli Calicis*, apud Græcos; *Flabelli*, & *Thuribuli* apud Syros Jacobitas; & *libri Apoſtolorum* apud Neſtorianos, atque iis ſimilia, quæ poſt manuum impoſitionem, ac forma jam pronunciata, fiunt, ad ſubſtantiam hujus Ordinis non pertinent.

Presbyteratus materia apud Orientales omnes, ne Armenis quidem exceptis, ut §. 1. adnotavi, eſt manuum impoſitio. Huic reſpondens forma, apud Græcos oratio eſt, quæ incipit, *Deus in virtute magnus*: apud Neſtorianos, *Domine Deus fortis omnipotens*: apud Cophtos, *Domine Deus Omnipotens, qui omnia creaſti*: apud Syros Jacobitas, & Maronitas eſt ea, cujus initium eſt, *Deus magne, & admirabilis*. Aliæ orationes non ad formam referuntur, ſed ad implorandam a Deo gratiam, & Sacramenti effectum; & quæ deinceps Presbytero tradi ſolent, indicant ſuſcepti Ordinis uſum, atque ad materiam non pertinent.

## §. III. *De Ordinandorum ætate, de aliis quæ ad rite ſuſcipiendos Ordines deſiderantur, deque obligationibus Ordinibus adnexis.*

VArii Ordines, qui ſunt veluti gradus per quos homines ad Sacerdotium adſcendunt, & in quibus probari debeant, num hoc digni ſint Ordine, atque ita exerceri, ut digni fiant, ſemper determinata ætate ab Eccleſia conferri conſueverunt. Latina vero in Tridentino Concilio ſtatuit, ut qui prima Tonſura initiandi ſint, rationis uſu polleant, qui in ſeptennio ætatis anno præſumitur, & licet pro minoribus Ordinibus definitum tempus non deſignaverit, tamen a ſeptimo ad decimum quartum annum conferri ſolent, concurrentibus in ordinandis qualitatibus a Concilio prædicto deſideratis. Subdiaconi ætatem voluit eſſe ann. XXII. Diaconi XXIII., Presbyteri XXV. & Epiſcopi XXX. Apud Græcos, ut habet can. IV. Synodi Quini ſextæ, ad Lectoratum deſiderantur octodecim anni; ad Subdiaconatum vero requiruntur anni XX., ad Diaconatum XXV. ad Presbyteratum denique anni triginta. Sed Græcis & Albanenſibus, qui in Italia, eique adjacentibus Inſulis ſub Latinis Epiſcopis degunt, ab Apoſtolica Sede Concilii Trident. decretum inculcatum eſt Conſtit. *Etſi Paſtoralis*, ubi hæc habentur: *Quod tamen de ætate Ordinandorum a Sacroſancto Trident. Concilio præſcriptum eſt, omnino ſervari volumus. Nullus proinde ex prædictis Græcis, ſeu Albanenſibus ad Subdiaconatus Ordinem ante viceſimum ſecundum, ad Diaconatus ante viceſimum tertium, ad Presbyteratus ante viceſimum quintum ſuæ ætatis annum abſque Apoſtolica diſpenſatione promoveatur.*

Quamquam omnes canones Eccleſiæ Orientalis a Patribus editi Subdiaconi, Diaconi, Presbyterique ætatem, qua ratione de Græcis diximus, præſcribunt; tamen apud Syros Neſtorianos, Cophtoſque a multis annis nulla in ordinandis ætatis ratio haberi ſolet. Neſtoriani enim Diaconos ſeptennes, vel octennes ordinant, Presbyteros vero XVI. XVII. & XX. annorum, qui non ſolum antiquis canonibus, ſed etiam ſuorum hac de re majorum ſtatutis repugnant. Nam Sobenſis ab Aſſemanno relatus in Epitome canonum par. 6. c. 4. de ætate Lectorum; Hypodiaconorum, & Diaconorum, & Presbyterorum hæc decernit: *Qui ætate pueri ſunt, etſi ſcientiam habeant, & ſcripturas legere didicerint, non eſt dextera manus illis imponenda, dum pueri ſunt, ſed Lectores tantummodo ſiant. Quum vero ad adoleſcentiam pervenerint, Hypodiaconi ordinentur. Diaconi vero, qui adoleſcentiam ſuperant, & juvenem ætatem attingunt, veluti qui ad annum undecimum octavum & ultra pervenerunt, manus impoſitionem ſuſcipiant. Presbyteri vero, qui ad virilem ætatem pervenerunt, & prudentiam natura convenientem ſunt aſſequuti: Si autem ſunt, qui quintum ſupra viceſimum annum ætatis & ultra attigerunt, iſti Presbyteratus Ordinem ſuſcipiant. At vero juxta antiquum mandatum ante annum trigeſimum Presbyter non ordinatur.*

De Cophtis hæc habentur Conſtit. *Eo quamvis tempore. Prematuram hujuſmodi ordinationem apud Cophtos veteri uſu, & diſciplina invaluiſſe teſtatur P. Thomas a Jeſu* de Converſ. Gent. lib. VII. pag.

X 2 361.

361. Conferuntur, *inquit*, Ordines, excepto Presbyteratu, etiam immediate poſt Baptiſmum parvulis, ſimulque dantur Tonſura, & quatuor gradus, & Diaconatus, & Subdiaconatus; nec hiſce conferendis interſtitia, vel tempora particularia determinata ſunt. Ubi ſacros Ordines recipiunt, caſtitatem, & abſtinentiam pollicentur, jejunare videlicet diebus mercurii & veneris, & tempore Adventus, & Quadrageſimæ &c. Inſuper etiam Quadrageſimas Apoſtolorum Petri & Pauli, & Aſſumptionis. Quando autem infantulis, aut pueris ſacri Ordines conferuntur, pro eis ſpondent, & hæc vota obſervant ipſorum parentes, donec decimum ſextum ætatis annum, aut circiter exegerint. Additur præterea, vigentem hanc conſuetudinem aſſerere Franciſcum a Breuo, & Patrem Bervart Societatis Jeſu Miſſionarium: deinceps teſtati ſunt Miſſionarii in reſponſionibus ad eumdem Pontificem, qui eorum hac ſuper re relationem exquiſierat.

Collatam hoc modo in infantili ætate ordinationem, *concordi*, ait idem Pontifex, *Theologorum & Canoniſtarum ſuffragio definitum eſſe*, validam, *ſed* illicitam *cenſeri, dummodo nullo laboret ſubſtantiali defectu materiæ, formæ, & intentionis in Epiſcopo ordinante: non attenta contraria ſententia, quæ raros habet aſſeclas, & quæ ſupremis Tribunalibus, & Congregationibus Urbis nunquam arriſit*. Dubia, quæ ex hoc oriuntur, reſolventur infra.

Etiam apud Græcos circa Ordinandorum ætatem contra Canonum ſtatuta, ac conſtantem majorum uſum, poſt medium elapſi ſæculi abuſus irrepſit, ob pravam Margunii doctrinam, qui in notis ad Nomocanonem docuit, nullam in ordinationibus habendam eſſe ætatis rationem, ac vanam eſſe omnem de ætate quæſtionem ex quo apud nonnullos abuſus invaluit, ut Presbyteri, Diaconi, & Hypodiaconi longe ante ætatem a canonibus præſcriptam ordinentur.

1. Itaque ad licite ſuſcipiendos Ordines præter Confirmationem, & Tonſuram, ſerviendi Eccleſiæ voluntatem, ac ſtatum gratiæ, & alia, de quibus Auctor diſſerit, ætas requiritur Eccleſiæ lege præſcripta, vel juxta Eccleſiæ Orientalis canones, ubi ſunt in uſu; vel ſecundum Tridentini decretum, hac in parte etiam Græcis in Italia degentibus ab Apoſtolica Sede inculcatum. Ab hujuſmodi lege ſoli Romani Pontifices, vel ii, qui ab iſtis diſpenſandi facultatem habuerint, diſpenſare poſſunt.

2. Requiritur ſufficiens ſcientia, ea ſcilicet, quæ ad exercitium Ordinis ſuſcipiendi eſt neceſſaria; dedecet enim, ut ad Officium Ordinemque promoveantur, qui illius adminiſtrandi ſint incapaces. Hinc Eccleſiæ lege ſtatutum eſt, ut Ordinandi prius examinentur. Conſt. *Etſi Paſtoralis num.* 19. Græcorum præſulum conſcientia oneratur: *Ut dignos dumtaxat, & quos litteris, & his quæ ad Ordines exercendos pertinent, bene inſtructos eſſe noverint, ad ſacra miniſteria aſſumant*; & n. 4. habetur, *promovendi ad Sacerdotium, & Presbyteri, qui præficiendi fuerint Eccleſiarum regimini, examinentur antea diligenter, ſi præcipue de Horis canonicis, & Miſſarum officiis ſecundum diſtinctionem temporum exequendis ſint ſufficienter inſtructi, ut ad hæc nonniſi digni admittantur*. Hujuſmodi examen jure ad Epiſcopos ſpectat, qui Eccleſiis præſunt; poſſunt vero etiam Presbyteros examinatores conſtituere, ac debent etiam, dum eorum hac in re conſilium prudenter credant eſſe neceſſarium; *Etſi* enim *non erit neceſſitatis*, inquit Papadopoli reſp. 1. ſect. 10. *æquitatis certe, atque modeſtiæ erit, ſi ſapientes, peritoſque Eccleſiæ Sacerdotes Epiſcopus ad tantum opus ac neceſſariam inquiſitionem admittat*.

3. Etiam apud Orientales immunitas deſideratur ab omni cenſura, & irregularitate; ii enim niſi ex Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione ordinari non poſſunt; ordinatique ab Ordinis exercitio ſuſpenſi manent. Quod Latinis irregularitas, Græcis dicitur ἀκανονίαν, & ut irregularitas Latinorum jure non ſolum uſum, ſed etiam Ordinum ſuſceptionem impedit, ita jure Græcorum, atque Orientalis Eccleſiæ. Hæc etiam jure ſpectato Orientali, vel ex defectu oritur, vel ex delicto; ex defectu irregulares habentur ex Græcæ Eccleſiæ Canonibus. 1. Qui ætatem præſcriptam non habent. 2. Qui neceſſaria deſtituuntur ſcientia. 3. Qui ex legitimo non ſunt matrimonio. 4. Servi. 5. Bigami; ſive bigamia ſit vera, ut in eo qui duas ſucceſſive duxit uxores; ſive interpretativa, quæ in eo eſt, qui duxit unicam, ſed viduam, aut quomodocumque ab altero vitiatam; aut cum quis virginem quidem duxit, ſed poſt matrimonium adulterata eſt, ſi poſt adulterium maritus eam vel ſemel cognoverit; ſi vero non cognovit poſt ejus adulterium, nulla irregularitas habetur: ſicut non ſit irregularis vir conjugatus ſi adulteretur, vel ſi eam duxerit, quam antea defloraverit. 6. Qui publicis ratiociniis obligati ſunt, hoc eſt calculatores, hypothecis publicis, theſauriſque præpoſiti; addicti curiæ jurejurando ſtipendiove, ut Judices, Advocati, Fiſcales, & qui in matricu'as militum relati ſunt. Hi enim, donec his negotiis, & obligationibus civilibus implicantur, rejiciuntur; recipiendi tunc, cum aut relictis officiis rationem adminiſtrationis reddidere, aut miſſione quacumque ſive honeſta, ſive cauſſaria, ſive etiam turpi, cingulum militiæ reſolventes, milites eſſe deſiere. Ita Papadopoli. 7. Qui vitium habeant corporis: en verba Theodori Prodromi in canon. 76. Apoſtolorum: *Animo & corpore ſanum, eum, qui neque cæcus, neque claudus, neque abſciſſis naribus, neque ſurdus eſt; denique non vitiatum, & maculatum, vel ſemiputridum corpore, Canon ceteroqui dignum jubet Ordinibus admoveri*. Addit Alexius Ariſtenus: *neque gibboſum, neque inſanabili laborantem morbo, vel aſpectu horridum, aut ridiculum conditione corporis ad ſacra fas provehi*. 8. Amentes, animi morbo laborantes. 9. Neophyti. 10. Infames: *infamem vero & inhoneſtum dicimus*, inquit citatus Prodromus interpretatione ad Trullanam Synodum, *quandoque male audientem penes ſanctiores, & venerabiliores, quandoque eum, qui facto vel conſtitutione legis ad infamiam adigitur. Atque hæc Leguleiis uſitata; at canonibus infamis eſt, quiſquis in crimine ſordeſcit. Quare lex quidem infamiam dividit: Canon vero diviſam per legem circumplexus: unam agnoſcit infamiam quæ ex delicto eſt, quæque infamias a lege conſtitutas penitus penituſque complectitur*. Utraque infamia, Papadopoli teſte, etiam apud Græcos hominem ab Ordinibus arcet. 11. Lenitatis defectus etiam jure Orientali excludit ab ordine. Irregularitatem hanc parit apud nos homicidium voluntarium, aut membri muti latio, ſi ſine facientis





culpa ſit, qualem facit Judex, Apparitor, Carnifex, dum ſuo juſto funguntur officio, & accuſatores, & teſtes in cauſſa criminis, ſi mors aut mutilatio ſequatur, & milites in bello juſto, vulnerantes, & occidentes, hæc locum habere in jure Orientali patet ex Chiliareno Patriarcha *Jur. Græc. lib.* III. *ſent. Synod. l.* 2. *tit. de homicid. Latron.* ajente; *Clerici enim quomodocumque occidentes, deponuntur, nulla habita differentia beſtium, vel Latronum, vel aliquorum aliorum*; & ex Prodromo *ad can.* LXXVI. *Ap.* dicente; *& Judices ad mortem damnantes rejiciuntur a Clero, & Sacerdotio; nam hi homicidæ cenſentur, ſin minus opere, certe juſſu & ſententia*. Atque hinc liquet, eamdem circa irregularitatem ex defectu eſſe Orientalis ac Latinæ Eccleſiæ doctrinam, ut abunde Papadopoli demonſtravit.

Ex delicto irregulares ſunt, 1. In hæreſim, vel apoſtaſiam a fide incidentes. 2. Voluntarie occidentes, vel mutilantes hominem membro, quod diſtinctum, & completum in corpore officium habeat, ut ſunt manus, & pes &c. ac etiam mandantes. 3. Indebite Ordines ſuſcipientes, vel exercentes, ut qui cenſura irretiti Ordines ſuſcipiunt, vel exercent; Hinc Conſtitutione, quæ eſt pro Italo-Græcis, irregulares declarantur qui Ordinem exercuerint, quem ſine proprii Epiſcopi dimiſſoriis, vel a Schiſmatico Epiſcopo ſuſceperint, quod ſuſpenſi a jure Ordinem exerceant. 4. Jure Græcorum ab Ordine repelluntur inceſti, beſtialitatis, ac ſodomiæ rei, & Simoniaci, ac Foeneratores. Notat vero Papadopoli, quod horum rei ab Ordinibus abſtineantur poſt legitimam criminum probationem, quocumque modo crimen delatum ſit: cum occultum crimen hominem ab Ordinibus rejicere nequeat, idque contra Margunium. Id verum eſt in foro exteriori, ſed ſi canones eos, qui in hujuſmodi crimina inciderint, irregularitatem ſubire decernant, non video cur, confeſſarius hos ſecreto monere non debeat proprio delicto ſeſe incapaces Ordinis conſtituiſſe, atque etiam hortari, ut, ſi ex contritione eorumdem eos Ordinibus dignos credat, diſpenſationem petant. Si vero crimen ſit juxta Orientalis Eccleſiæ Canones, quod nonniſi ad forum externum deductum ex Ordinibus rejiciat, veram puto hac in parte Papadopoli ſententiam. 5. Eunuchos, quibus non ſponte cæſa virilitas, jus Græcorum ab Ordine non repellit, Can. 1. Nicænæ Synodi: quibus vero volentibus, & conſentientibus ſecta ſit virilitas, ii irregulares habentur, ex eodem Canone. 6. Ad licitam Ordinis ſuſceptionem ſervanda eſt præſcripta ab Eccleſia interſtitiorum lex: Quod ſpectat ad Græcos, Concilium Conſtantinopolitanum ultimum, quod eſt VIII. Oecumenicum, ſic ſtatuit: *Canon eſt, qui dicit, non oportere quemquam ex Neophyto, ſive ſit Neophytus in fide Chriſtiana, ſive in Ordine Clericorum, Epiſcopum renunciari, ne, ut ait Apoſtolus, inflatus incidat in judicium, & laqueum diaboli. Hinc ergo convenienter dicimus, neminem ex Ordine Senatorio, & Laico gradu recens eo dumtaxat animo, & conſilio in Clericum, vel monachum attonſum, ut Epiſcopi, vel Patriarchæ dignitatem aſſequatur, honoris gradum oportere conſcendere, etiamſi in unoquoque gradu divini Sacerdotii longiori tempore verſatus probetur. Neque enim ætatis cauſſa, ſed ambitionis attonſus eſt. Quod ſi quis nulla ſuſpicione ambitionis, vel honoris ſpe tactus, ſed recta honeſtaque Chriſti diſciplina inductus in clericum, vel monachum attonſus eſt, perque omnes gradus Eccleſiaſticos definitis temporibus vitam agendo inculpatam tranſiſſe reperiatur, ad Epiſcopatus honorem evehatur ita, ut in Lectoris munere annum, in Subdiaconi duos, in Diaconi tres, in Sacerdotis quatuor annos expleat. Pie vero, diuque in Clero verſatis, vel monachorum Ordine, tempus ab Epiſcopis, qui pro tempore fuerint, contrahi poteſt. Si quis præter hanc ſanctionem ad ſupremum Epiſcopatus honorem provectus fuerit, rejiciatur*. Hinc ſtandum Græcis, ait Papadopoli, non vero Balſamoni, qui trium menſium intervallum inter ſuſcipiendos Ordines ſtatuit: nec Alexio Ariſteno, qui annum integrum moræ unicuique Ordini præfixit, licet id cum Tridentino decreto conveniat.

De interſtitiorum lege cit. Conſtit. hæc leguntur: *Cum ex Eccleſiæ diſciplina a Græcis olim recepta promoti ad aliquem Ordinem ſacrum, ſi per aliquod temporis intervallum in eo non fuerint verſati, ad altiorem gradum aſcendere non poſſint, quo nimirum Ordinandorum fides, morumque probitas eo temporis ſpatio cognoſci valeat; qua lege Græci, ſeu Albanenſes in Italia, & Inſulis adjacentibus commorantes dubio procul tenentur. Nihilominus cum prædicti Græci ſeu Albanenſes Ordinarios ſuos quibus ſubjiciuntur, habeant Latinos, a quibus tamquam alieni ritus ſacris Ordinibus initiari prohibentur, ac proinde cum Romam, vel in Calabriam, ubi ſunt Epiſcopi a S. Sede Apoſtolica ad Ordinationes ritu Græco exercendas deputati, repetitis vicibus, non ſine quampluribus incommodis, & expenſis, ad Sacros Ordines juxta temporum intervalla ſuſcipiendos ſeſe conferre deberent, Nos eoſdem Græcos, ſeu Albanenſes gratiis, & favoribus proſequi, eorumque incommodis conſulere volentes, de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, præfatis Epiſcopis Græcis Romæ & in Calabria pro tempore degentibus licentiam, & facultatem impertimur, ut Græci, ſeu Albanenſes hujuſmodi ex longinquis regionibus accedentes, qui minoribus, ſive majoribus Ordinibus initiari cupiunt, ad omnes Ordines promoveri valeant tribus diebus feſtivis, non autem continuis, ſed aliquo temporis intervallo Antiſtitis ordinantis arbitrio ſeparatis, non ſervata interſtitiorum lege, nec requiſita ad hoc ab iis, qui initiantur ſuorum reſpective Ordinariorum Latinorum licentia*, ſive *diſpenſatione*. Declarat vero ab hac interſtitiorum lege non ſolvere, ſive diſpenſare, qui domicilium habent, vel commorantur in eadem Provincia, in qua Græci ritus Epiſcopi ſacras ſoleant Ordinationes exercere, exceptis tamen Alumnis, & Convictoribus ritus Græci, qui in Collegiis Urbis Calabriæ, & Siciliæ degunt, quos concedit tribus diebus feſtivis ordinari poſſe *arbitrio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Adminiſtratoris, vel Protectoris, ſive Epiſcopi Præſidentis, ſeu Rectoris utriuſque Collegii Italo-Albanenſium pro tempore exiſtentium, ſi eorumdem Collegiorum neceſſitas, & utilitas exigat*. Denique diſpenſat cum iis, qui hactenus hac non ſervata lege bona fide ordinati ſunt, ut in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, & ad majores aſcendere valeant ſervatis ſervandis.

4. Clericus ſecularis ritus Græci, qui in Italia de-

gat, *quamvis alias ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate, ad ſacros Ordines promoveri prohibetur, niſi prius legitime conſtiterit, eum Eccleſiaſticum beneficium, vel Patrimonium, quod ſibi ad vitam honeſtam ſufficiat, pacifice poſſidere, ac proinde deficiente titulo beneficii, per legitima documenta Ordinarium certiorem facere præcipitur de ſufficienti Patrimonio, ut valeat ſacris Ordinibus initiari: Loco autem dicti Patrimonii, nec Clericus uxoris ſuæ dotem aſſignare præſumat, nec Ordinarius eam acceptare valeat.* Conſt. ſup. cit.

Summus Pontifex in Italo-Græcis, ſi Beneficium deſit, patrimonium proponit, ut ſufficiens ad Ordines ſuſcipiendos titulus, juxta Tridentini decretum, quo ſtatuitur, ne quis abſque titulo Patrimonii, ubi titulus Beneficii deſit, ſacris initietur. Sed cum de aliis Græcis, Orientalibuſque reliquis agitur, penes quos antiqua illa diſciplina viget, ut nonniſi ſemel in die ab unico ſacerdote in una Eccleſia celebretur, ceſſat, inquit Papad. *Reſp. 2. ſect. 3. §. 10.* hæc de Patrimonio quæſtio, cum penes hos nemo ſine titulo Beneficii poſſit ad ſacros Ordines provehi. Ita Ariſtenus *ad can. 6. Concil. Chalced.* Macharius Hieromonachus *in 2. coll. can. c. 12.* Prodromus *de interpret. ad ſept. Synod.* & alii Juris Græcor. Interpretes, inter quos Hier. *de ritibus Eccleſ. ad Germ.* Ep. 3. hæc habet; *Oportet autem deſiderantem ad ſacra provehi primum quidem interrogare, an velit in Eccleſia, cui per titulum addictus eſt, permanere, & nunquam diſcedere ſine commendatitiis Epiſcopi litteris: & ſi juratus promiſerit, initietur. Nam ſine titulo neminem licet initiare, ne quando error fiat, Eccleſiamque dedecoret.* Rationem hanc affert, quia cum ſemel duntaxat in Eccleſia Græca quolibet die ſacrificium celebretur, quilibet Sacerdos aut Miniſter Eccleſiam habeat oportet, in qua vel ipſe ſolus ſacris inſerviat, vel viciſſim cum aliis eidem addictis Eccleſiæ Sacerdotibus Numini ſacra faciat, facientibuſque miniſtret.

Hactenus de iis, quæ ad rite ſuſcipiendos Ordines deſiderantur. Tractandum ſupereſt de obligatione, quam ſubeunt. Ex iis, quæ ſunt ab Auctore expoſita tractatu de obligationibus, facile patet, quænam ſint etiam Orientalium Clericorum obligationes. Ubi lex, vel conſuetudo vigeat, veſtibus propriis uti debent: a culpa vero excuſari poſſe videntur Syri illi Neſtoriani, qui ob motam in Eccleſiaſticos perſecutionem in Perſide uſum omiſere diſtinctarum veſtium, ac a multo tempore adhibere non ſolent; nam hæc veſtium diſtinctio per plura ſæcula nequidem apud Latinos omnes obtinuit, ut viri docti obſervarunt: debent illud Eccleſiæ ſervitium præſtare, quod ſit Ordini adnexum: in ſacris conſtituti more ſuo canonicas horas recitare debent, nec poſſunt poſt ſacros Ordines conjugia celebrare. Hic duo examinanda ſuperſunt, primum circa obligationem eorum qui in infantili ordinati ſint ætate apud Cophtos, & Syros Neſtorianos; alterum circa eorum clericorum conjugium, qui poſt ſacros Ordines inlere matrimonium, vel ad Secundas, & tertias quoque nuptias contra canonum ſtatuta tranſierunt, ut ex abuſu fieri a Cophtis, Syriſque Neſtorianis res eſt omnino explorata.

Quod ſpectat ad primum, Sacræ Congregationis decretum adeſt, quod Conſt. confirmavit ſua Bened. XIV. *Diaconi in ætate puerili ordinati, licet ante decimumſextum ætatis annum miniſtraverint in Ordine ſuſcepto, & in ſtatu cælibi, tamen non cenſentur ante nuptias Ordinationem ratam habuiſſe, eo quod nihil faciendi ſint actus illi, quos in ætate puerili, & ante ſextumdecimum ætatis annum exercuerint.* Conſt. cujus initium *Anno vertente*, confirmatur decretum, ac deinceps ſubditur: *Ut vero quæ decreta ſunt, plenius intelligantur, opus eſt aliquantum digredi; hac enim ratione procedendo via munietur, ut ad propoſitum finem veniamus.*

*Nemo eſt*, qui ignoret *duobus modis religioſam profeſſionem fieri, vel, ut melius dicamus, duplicem eſſe profeſſionem religioſam, unam expreſſam, alteram vero tacitam. Expreſſa fit, cum debitis ſervatis ſollemnitatibus tria vota caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ conceptis verbis emittuntur, quæ in Conſtitutionibus Ordinis, in quo quis ſe velle vivere profitetur, præſcripta ſunt: Tacita autem in eo poſita eſt, cum quis ea exercet, & operatur, ex quibus arguitur, ad vivendum in aliqua religione ſe obligare voluiſſe, etſi ſolemniter, & expreſſe eam profeſſus non fuerit.*

*Tacita profeſſio a ſacro Trident. Concilio juxta communiorem ſententiam ſublata non eſt, ut late teſtantur Navarrus, Azorius, Sanchez, Fagnanus. Sed cum in eodem Concilio decretum fuerit, nullas ac irritas eſſe profeſſiones, quæ in quacumque Religione fiunt antequam integer annus probationis expletus fuerit, hinc recte deducitur, etiamſi a Concilio tacita profeſſio ſublata non ſit, eam tamen locum non habere, ſi actus, ex quibus illa inducitur, peracti non fuerint poſt annum decimumſextum ætatis profitentis, & poſtquam annus probationis completus eſt, ita ut a Concilio Tridentino magna ex parte temperata ſit diſpoſitio Epiſt. decretalis:* Is qui de Regularibus in *6. & Clementinæ 1. ſub eodem titulo* de Regularibus.

*Ad inſtar Conciliaris diſpoſitionis a nobis conſtitutum eſt, ut Diaconi Cophti in infantili ætate ordinati, ubi ad annum decimumſextum ætatis ſuæ pervenerint a Præfecto Miſſionum interrogentur, num velint, necne, perſeverare in Ordine ſuſcepto, & obligationes omnes Ordini adnexas implere, ut inde ſtatui poſſit, quid in futurum in reliqua eorum vita ab ipſis ſervandum ſit. Itaque quemadmodum ſtabilita per Concilium ætate anni decimiſexti ad profeſſionem Regularem emittendam, tacita locum non habet, etiamſi ante prædictam ætatem actus illi expleantur, ex quibus ſecundum Canonicas diſpoſitiones tacita profeſſio inducitur; ſed omnes illi nullo in numero, & pro nihilo habentur ad tacitam profeſſionem Regularem inducendam, niſi expleti fuerint poſt annum ætatis decimumſextum, & poſtquam anno probationis evoluto expreſſa profeſſio emiſſa non eſt: ita conſtituto a Nobis anno decimoſexto, quo, ut dictum eſt, Præfectus Miſſionum Diaconos in puerili ætate Ordinatos interrogare debet, velintne, an ſecus, perſeverare in Ordine ſuſcepto, & obligationibus Ordini conjunctis ſatisfacere, ex Ordinis exercitio ante annum decimumſextum eorum ætatis peracto nulla tacita ratihabitio argui debet: cum ad ſummam hujuſmodi actus tacitam ratihabitionem importare poſſint, ſi geſti fuerint poſt annum*





*XVI. eo caſu, quo Præfectus Miſſionum anno XVI. eorum ætatis ipſos interrogare, quemadmodum ab illo fieri debere ſæpe monitum eſt, neglexerit.*

Ad alterum caput quod ſpectat, hæc pro Italo-Græcis ſtatuta ſunt §. VII. nu. 16. & 17. ſæpe cit. Conſtit. *Etſi expetendum quam maxime eſſet, ut Græci, qui ſunt in ſacris Ordinibus conſtituti, caſtitatem, non ſecus ac Latini ſervarent: nihilominus, ut eorum Clerici, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri uxores in eorum miniſterio retineant, dummodo ante ſacros Ordines Virgines, non Viduas, neque corruptas duxerint, Romana non prohibet Eccleſia: Eos autem, qui Viduam, vel corruptam duxerunt, vel ad ſecunda vota, prima uxore mortua, convolarunt; ad Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum promoveri omnino prohibemus. Præterea ſi quis Subdiaconus, vel Presbyter, poſt ſacram Ordinationem, uxore mortua, aliam duxerit, vel ſi uxorem non habeat, ducere præſumpſerit, nedum excommunicationis latæ ſententiæ pœna, aliiſque, noſtra & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, ſeveriſſime punietur, verum etiam ſtatim ab Ordine erit deponendus, & ab illegitima uxore ſeparandus. Matrimonium enim poſt recenſitos Ordines contractum, nullum irritumque declaramus.* Hæc quoad Græcos, & Albaneſes in Italia, eique adjacentibus Inſulis degentes.

Ad Cophtos, alioſque Orientales quod ſpectat, en Summi Pontificis verba ex altera pro Cophtorum inſtructione edita Conſtitutione deprompta: *Præmiſſa in præcedenti inſtructione Eccleſiæ Orientalis conſuetudine retinendi cum Ordine ſacro uxorem, quæ tamen ante Ordinis ſuſceptionem accepta ſit, atque indicata etiam controverſia, an matrimonium ab Orientalibus initum poſt Ordinem ſacrum irritum ſit, an potius dumtaxat illicitum, tranſitus factus eſt ad aliam quæſtionem: an rectum probeque factum, ac utile videretur, an potius ſcandalo eſſe poſſet, aliquem diſpenſare, qui uxorem poſt Ordinem ſacrum duxerit, ut eam retinere, ac ſimul ſacro Ordine perfungi, & ſacra munia exercere poſſit, quia hujuſmodi diſpenſationes interdum a Sede Apoſtolica conceſſæ fuerunt. Cum autem quæ ad quæſtionem definiendam neceſſaria videbantur, non ſatis nota, ac perſpecta eſſent, placuit rem differre, & interim exquirere, quæ opus erant, ut plenius de re tota inſtrueremur. Cum autem ad noſtram cognitionem, quæ expectabamus, relata ſunt, auditis Congregatorum ſuffragiis in ea fuimus ſententia, ut nemini facultas diſpenſandi concederetur, ſed Sedi Apoſtolicæ reſervaretur, ut cum caſus contigerit, & diſpenſatio poſtuletur, mature expendantur, quæ neceſſe eſt conſiderare, ut vel concedatur, vel denegetur diſpenſatio, cum de re graviſſima, ac magni momenti agatur. Decretum autem conditum eſt in hæc verba:* Recurrant ad Apoſtolicam Sedem in caſibus particularibus, in quibus, ſi ob graves cauſſas diſpenſatio ſuper matrimonio inito poſt Ordines ſacros concedenda videbitur, tunc nullum verbum fiat de renovatione conſenſus: „ *Haud ignotum eſt, quanta difficultas occurrat, quoties ſuper matrimonio ex impedimento dirimenti nullo diſpenſatio conceditur, ſolita conditione, ut inter conjuges conſenſus renovetur: cum accidere poſſit, & nonnunquam contigerit, ut mulier haud contenta viro, vel vir uxorem faſtidiens, ut ſe in libertatem vindicet, eorum alter, vel uterque novum conſenſum præbere renuat. In decreto mox relato haud mens noſtra fuit, renovationem conſenſus excludere, cum matrimonium extra dubitationem nullum eſt: ſed cum gravis illa controverſia, ut dictum eſt, adhuc vigeat, an matrimonium in Eccleſia Orientali poſt Ordinem ſacrum contractum, perinde nullum ſit, ac in Eccleſia Occidentali, an potius ſit ſolummodo illicitum; Et cum hujuſmodi controverſia (exceptis Italo Græcis, quorum matrimonia poſt Ordinem ſacrum inita, ſtatutum eſt, nulla, & irrita eſſe, ut in noſtra Conſtitutione, quæ incipit:* Etſi Paſtoralis *§. 7. n. 18. quæ quinquageſimaſeptima in ordine Bullarii noſtri tom. 1.) quod ceteros Orientales Græcos nullo adhuc Decreto Apoſtolico definita fuerit, licet Tribunalia hujus Almæ Urbis opinioni eorum adhæreant, qui hæc Matrimonia nulla exiſtimant: nihilominus ſatius viſum eſt, ut advenienti caſu concedendi diſpenſationem, conditio renovationis conſenſus non exprimatur. Decretum autem, de quo agitur, nunc etiam a Nobis ſollemniter confirmatur.*

*Nota.* Quod attinet ad Clericorum privilegia, Orientalis Eccleſiæ clerici iiſdem gaudent, quæ Latini habent. Hinc Sac. Congr. de P. F. 4. Febr. 1676. referente Eminentiſs. Nerlio, declaravit, *Percutientes Clericos Ruthenos unitos incurrere in excommunicationem, cum Clerici prædicti eiſdem omnibus privilegiis canonis, & fori immunitatis, & libertatis gaudeant, quibus clerici Latini potiuntur.*

## §. IV. *De Miniſtro.*

DE Miniſtro Ordinis eadem eſt Orientalium, ac Latinorum ſententia; Nobis vero nonnulla notanda erunt, quæ vel ob rituum varietatem, vel ob ſchiſmata, & abuſus, qui in Oriente ſunt, peculiari indigent examine. Rem vero exordiar ab iis qui in Italia degunt Græcis ſub Latinis Epiſcopis. De iis itaque in ſæpe cit. Conſtitut. habetur. Primo ad tollendam omnino in ordine conferendo rituum commixtionem, ſub pœna perpetuæ ſuſpenſionis a divinis prohibetur, *ne Latinus quicumque Epiſcopus etiam ſubjectos ſuæ juriſdictioni Græcos, neque Græcus quilibet Antiſtes Latinos quovis prætextu, ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, ad primam Tonſuram, vel ullum Ordinem ſive majorem, ſive minorem promovere præſumat: alioquin tam Ordinans, quam Ordinatus perpetuam, ut præfertur, ſuſpenſionem ſe ſubdituros intelligant.* 2. Prohibetur Latinos ex Latinis progenitos ac Latino ritu educatos, juxta ritum Græcum ſub ſpe retinendi uxores, ad ſacros Ordines promoveri, etiam in locis, ubi Græcus ritus ſervatur. 3. Diſpenſatur cum Italo-Græcis, qui ad hanc diem a Latino Epiſcopo ſunt ordinati, cum animo tamen in Græco ritu permanendi, ut poſſint in eodem ritu permanere, & ad majores etiam Ordines a Græco Epiſcopo cum dimiſſoriis tamen Latini Ordinarii, græce promoveri, cum clauſula ne id in poſterum inconſulta Sede Apoſtolica attentetur. 4. Decernitur Italo-Græcos cum diſpenſatione Apoſtolica ad aliquos Ordines ob defectum Græcorum Præſulum promotos, poſſe ſine alia diſpenſatione cum dimiſſoriis Ordinarii ad

majores Ordines græce a Græco Antiſtite promoveri: ordinatos vero a Latino Epiſcopo ſine hac diſpenſatione, debere in Latino ritu manere, nec poſſe amplius Latinum Epiſcopum eum ad Græcum Antiſtitem mittere cum dimiſſoriis, ut Ordines reliquos Græco more recipiat ſine diſpenſatione Apoſtolica; maxime ſi poſt ſuſceptos a Latino Antiſtite Ordines, latine vixerit, cum Latinus ritus ſemel aſſumptus ſine Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione deſeri nequeat. 5. Non eſſe ordinandos Græcos ſine dimiſſoriis Latini Diœceſani ad Tonſuram, vel aliquem Ordinem, atque ita ordinatos manere ſuſpenſos, fierique ſi miniſtraverint irregulares, ſicut Latini, a quibus cenſuris ſola Apoſtolica Sedes diſpenſare poteſt. 6. *Non eſſe admittendos Epiſcopos Schiſmaticos ſive pro Ordinibus, ſive pro aliis Sacramentis conferendis, ſed impediendos, quod S. Apoſtolica Sedes deſuper conſulatur, & reſponſum habeatur; quos vero communionem S. Romanæ Eccleſiæ habere conſtiterit, eis Pontificalia exercendi facultatem Ordinarios Latinos in ſuis Diœceſibus libere concedere poſſe.* 7. Ordinatus a Schiſmaticis etſi rite, dum ſervetur debita forma, recipere quidem Ordinem, ſed non exequutionem; hos vero correctos, & emendatos, reconciliandos eſſe cum poenitentia ſalutari, *dummodo errores, ſi quos amplexi fuerint, ſin minus ſchiſma abjurent in judicio, vel publice, vel ſecreto pro qualitate facti.* 8. *Sed in Ordinibus per eos alias rite ſuſceptis miniſtrare* permittendos non eſſe, *niſi cum ipſis ſuper irregularitate, hujuſmodi occaſione contracta, auctoritate Sedis Apoſtolicæ fuerit diſpenſatum.*

Atque hinc quoad Orientales reliquos patet. 1. Hominem unius ritus non poſſe licite ab alterius ritus Epiſcopo ordinari, ordinatumque ſuſpenſum manere, ac ita miniſtrantem fieri irregularem. 2. Idem dicendum, ſi ſine proprii Epiſcopi dimiſſoriis ordinetur. 3. Requiri diſpenſationem ab Apoſtolica Sede, ut quis rite ab alieni ritus Epiſcopo ordinetur. 4. Ordinatos ab Hæreticis, & Schiſmaticis ſervata debita materia, & forma, valide eſſe ordinatos, ſed manere ab Ordinum exercitio ſuſpenſos; nec poſſe, dum in Orthodoxæ Eccleſiæ communionem recipiantur, ordines exercere, niſi antea ab irregularitate abſolvantur. 5. Demum, Apoſtatas, & in hæreſim lapſos, dum ad Eccleſiam redeant, non eſſe iterum ordinandos; quippe ex hæreſi, vel Apoſtaſia non amittitur ordo, qui præ ſe indelebilem fert characterem. Quamobrem in errore maximo ſunt Syri Neſtoriani, qui Diaconos, Presbyteroſque Apoſtatas iterum ordinant, juxta canonem centeſimum decimum Synodi habitæ a Joſue Barnan Patriarcha an. 810. quo ſtatuitur, Diaconis & Presbyteris, qui Chriſtum abnegaverint, iterum ab Epiſcopo manus imponendas eſſe, ſi ex tota virtute ſua poenitentiam exhibuerint.

*Nota*. Ex dubiis propoſitis Sac. Congr. a Fr. Joſepho de Hieruſalem Ord. Min. Strict. Obſerv. Præf. Miſſionum in Æthiopia, conſtat Archiepiſcopum illius nationis non ſolere Ordines conferre, niſi dum octo aut decem mille ordinandi ſint ex diverſis partibus congregati: eos vero ita ordinare ſolere. Diſpoſitis per Eccleſiam Ordinandis, Archiepiſcopus per eam celeriter diſcurrendo, manus imponendo ſingulis Presbyteris, dicit, *accipe Spiritum Sanctum*: Diaconis vero non manus, ſed Crucem Patriarchalem ſuper caput imponit. Ad hæc Supremæ Inquiſ. Conſultores 10. Aprilis 1704. ita reſponderunt: *Ordinatio Presbyteri cum manuum impoſitione, & formæ prolatione, prout in dubio, eſt valida: ſed Diaconi ordinatio cum ſimplici Crucis Patriarchalis impoſitione omnino invalida eſt: quo vero ad praxim admittendi Presbyteros, & Diaconos ad exercitium ſuorum Ordinum poſtquam Catholicam fidem ſuſceperint, ſequentia obſervanda ſunt.*

*Si Sacerdos abſolute dicat, ſe ordinatum fuiſſe cum manuum impoſitione, ac verborum prolatione, & nihil aliud obſtet, poterit Miſſionarius, poſtquam cum illo ſuper irregularitate diſpenſaverit, eumque ab excommunicatione abſolverit, eumdem ad exercitium ſuorum Ordinum admittere juxta ritum approbatum, & expurgatum, in quo fuit ordinatus.*

*Si vero idem Sacerdos ingenue fateatur, ſe non recordari de materia, & forma ſuæ Ordinationis, vel de una, aut altera dubitare, non poteſt admitti ad exercitium ſuorum Ordinum donec ſub conditione fuerit reordinatus.*

*Tandem ſi abſolute aſſerat, vel manuum impoſitionem, vel formæ prolationem, ſive utramque omiſſam fuiſſe, reordinandus erit abſolute, antequam ad exercitium ſuorum Ordinum admittatur: quia vero quilibet Sacerdos etiam valide ad Sacerdotium ordinatus, fuit invalide ad Diaconatum promotus; idcirco ut poſſit ſuos Ordines exercere, debet, ſi Sanctiſſimo placuerit, facultatem diſpenſandi Miſſionariis impertiri, cum illo tamquam per ſaltum ordinato, ac jam ſuſpenſo propter ſubſequens ſuorum Ordinum exercitium ſuper irregularitate diſpenſari, & ab officio ceſſare, quouſque per Epiſcopum Catholicum ad Diaconatus Ordinem promoveatur.* Si hæc facultas Miſſionariis conceſſa non ſit, in hujuſmodi caſibus tenentur recurrere ad Apoſtolicam Sedem.

FINIS PARTIS PRIMÆ TOMI TERTII.

# THEOLOGIA
## MORALIS UNIVERSA
## R. P. GABRIELIS ANTOINE

*A REVERENDO PATRE*

## *PHILIPPO DE CARBONEANO*

PRIDEM NOTIS, ET APPENDICIBUS AD USUM MISSIONARIORUM
POTISSIME AD SACROS CHRISTIANORUM RITUS, ET ECCLESIÆ ORIENTALIS
DISCIPLINAM SPECTANTIBUS AMPLIFICATA,

*Dein novis acceſſionibus ex geminis ſcholarum & Eccleſiæ Doctoribus* S. THOMA AQUINATE *&* S. BONAVENTURA CARD. *depromptis ad* PAROCHOS, CONFESSARIOS, *præſertim vero ad* STUDIOSAM JUVENTUTEM *informandam aucta, & illuſtrata*

## *A R. P. BONAVENT. STAIDEL M. C.*

ACCEDUNT

TRIA OPUSCULA EX AUREO MELCHIORIS CANI DE LOCIS THEOLOGICIS LIBRO DESUMPTA, ET DISCEPTATIO PROOEMIALIS DE LEGE DIVINA.

## EDITIO X. ABSOLUTISSIMA
## A JO. DOMINICO MANSI
ARCHIEPISCOPO LUCENSI

MEDULLITUS INSPECTA, PERMULTIS ALIIS ADDITIONIBUS EX OPERIBUS
BENEDICTI XIV. ET CLEMENTIS XIII. & XIV.

*Litteris apoſtolicis excerptis locupletata, correcta, nonnullis figuris æneis in fronte quorumdam Tractatuum ornata,*

ET IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

## *TOMI TERTII PARS SECUNDA.*

VENETIIS MDCCLXXXII.
APUD ANTONIUM ZATTA
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

majores Ordines græce a Græco Antiſtite promoveri, ordinatos vero a Latino Epiſcopo ſine hac diſpenſatione, debere in Latino ritu manere, nec poſſe amplius Latinum Epiſcopum eum ad Græcum Antiſtitem mittere cum dimiſſoriis, ut Ordines reliquos Græco more recipiat ſine diſpenſatione Apoſtolica; maxime ſi poſt ſuſceptos a Latino Antiſtite Ordines, latine vixerit, cum Latinus ritus ſemel aſſumptus ſine Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione deſeri nequeat. 5. Non eſſe ordinandos Græcos ſine dimiſſoriis Latini Diœceſani ad Tonſuram, vel aliquem Ordinem, atque ita ordinatos manere ſuſpenſos, fierique ſi miniſtraverint irregulares, ſicut Latini, a quibus cenſuris ſola Apoſtolica Sedes diſpenſare poteſt. 6. *Non eſſe admittendos Epiſcopos Schiſmaticos ſive pro Ordinibus, ſive pro aliis Sacramentis conferendis, ſed impediendos, quod S. Apoſtolica Sedes deſuper conſulatur, & reſponſum habeatur: quos vero communionem S. Romanæ Eccleſiæ habere confiterit, eis Pontificalia exercendi facultatem Ordinarios Latinos in ſuis Diœceſibus libere concedere poſſe.* 7. Ordinatus a Schiſmaticis etſi rite, dum ſervetur debita forma, recipere quidem Ordinem, ſed non exequutionem; hos vero correctos, & emendatos, reconciliandos eſſe cum poenitentia ſalutari, *dummodo errores, ſi quos amplexi fuerint, ſin minus ſchiſma abjurent in judicio, vel publice, vel ſecreto pro qualitate facti. 8. Sed in Ordinibus per eos alias rite ſuſceptis miniſtrare* permittendos non eſſe, *niſi cum ipſis ſuper irregularitate, hujuſmodi occaſione contracta, auctoritate Sedis Apoſtolicæ fuerit diſpenſatum.*

Atque hinc quoad Orientales reliquos patet. 1. Hominem unius ritus non poſſe licite ab alterius ritus Epiſcopo ordinari, ordinatumque ſuſpenſum manere, ac ita miniſtrantem fieri irregularem. 2. Idem dicendum, ſi ſine proprii Epiſcopi dimiſſoriis ordinetur. 3. Requiri diſpenſationem ab Apoſtolica Sede, ut quis rite ab alieni ritus Epiſcopo ordinetur. 4. Ordinatos ab Hæreticis, & Schiſmaticis ſervata debita materia, & forma, valide eſſe ordinatos, ſed manere ab Ordinum exercitio ſuſpenſos; nec poſſe, dum in Orthodoxæ Eccleſiæ communionem recipiantur, ordines exercere, niſi antea ab irregularitate abſolvantur. 5. Demum, Apoſtatas, & in hæreſim lapſos, dum ad Eccleſiam redeant, non eſſe iterum ordinandos; quippe ex hæreſi, vel Apoſtaſia non amittitur ordo, qui præ ſe indelebilem fert characterem. Quamobrem in errore maximo ſunt Syri Neſtoriani, qui Diaconos, Presbyteroſque Apoſtatas iterum ordinant, juxta canonem centeſimum decimum Synodi habitæ a Joſue Barnan Patriarcha an. 810. quo ſtatuitur, Diaconis & Presbyteris, qui Chriſtum abnegaverint, iterum ab Epiſcopo manus imponendas eſſe, ſi ex tota virtute ſua poenitentiam exhibuerint.

*Nota*. Ex dubiis propoſitis Sac. Congr. a Fr. Joſepho de Hieruſalem Ord. Min. Strict. Obſerv. Præf. Miſſionum in Æthiopia, conſtat Archiepiſcopum illius nationis non ſolere Ordines conferre, niſi dum octo aut decem mille ordinandi ſint ex diverſis partibus congregati: eos vero ita ordinare ſolere. Diſpoſitis per Eccleſiam Ordinandis, Archiepiſcopus per eam celeriter diſcurrendo, manus imponendo ſingulis Presbyteris, dicit, *accipe Spiritum Sanctum*: Diaconis vero non manus, ſed Crucem Patriarchalem ſuper caput imponit. Ad hæc Supremæ Inquiſ. Conſultores 10. Aprilis 1704. ita reſponderunt: *Ordinatio Presbyteri cum manuum impoſitione, & formæ prolatione, prout in dubio, eſt valida: ſed Diaconi ordinatio cum ſimplici Crucis Patriarchalis impoſitione omnino invalida eſt: quo vero ad praxim admittendi Presbyteros, & Diaconos ad exercitium ſuorum Ordinum poſtquam Catholicam fidem ſuſceperint, ſequentia obſervanda ſunt.*

*Si Sacerdos abſolute dicat, ſe ordinatum fuiſſe cum manuum impoſitione, ac verborum prolatione, & nihil aliud obſtet, poterit Miſſionarius, poſtquam cum illo ſuper irregularitate diſpenſaverit, eumque ab excommunicatione abſolverit, eumdem ad exercitium ſuorum Ordinum admittere juxta ritum approbatum, & expurgatum, in quo fuit ordinatus.*

*Si vero idem Sacerdos ingenue fateatur, ſe non recordari de materia, & forma ſuæ Ordinationis, vel de una, aut altera dubitare, non poteſt admitti ad exercitium ſuorum Ordinum donec ſub conditione fuerit reordinatus.*

*Tandem ſi abſolute aſſerat, vel manuum impoſitionem, vel formæ prolationem, ſive utramque omiſſam fuiſſe, reordinandus erit abſolute, antequam ad exercitium ſuorum Ordinum admittatur: quia vero quilibet Sacerdos etiam valide ad Sacerdotium ordinatus, fuit invalide ad Diaconatum promotus; idcirco ut poſſit ſuos Ordines exercere, debet, ſi Sanctiſſimo placuerit, facultatem diſpenſandi Miſſionariis impertiri, cum illo tamquam per ſaltum ordinato, ac jam ſuſpenſo propter ſubſequens ſuorum Ordinum exercitium ſuper irregularitate diſpenſari, & ab officio ceſſare, quouſque per Epiſcopum Catholicum ad Diaconatus Ordinem promoveatur.* Si hæc facultas Miſſionariis conceſſa non ſit, in hujuſmodi caſibus tenentur recurrere ad Apoſtolicam Sedem.

FINIS PARTIS PRIMÆ TOMI TERTII.

# THEOLOGIA
## MORALIS UNIVERSA
## R. P. GABRIELIS ANTOINE

*A REVERENDO PATRE*

## *PHILIPPO DE CARBONEANO*

PRIDEM NOTIS, ET APPENDICIBUS AD USUM MISSIONARIORUM POTISSIME AD SACROS CHRISTIANORUM RITUS, ET ECCLESIÆ ORIENTALIS DISCIPLINAM SPECTANTIBUS AMPLIFICATA,

*Dein novis acceſſionibus ex geminis ſcholarum & Eccleſiæ Doctoribus* S. THOMA AQUINATE & S. BONAVENTURA CARD. *depromptis ad* PAROCHOS, CONFESSARIOS, *præſertim vero ad* STUDIOSAM JUVENTUTEM *informandam aucta, & illuſtrata*

## *A R. P. BONAVENT. STAIDEL M. C.*

ACCEDUNT

TRIA OPUSCULA EX AUREO MELCHIORIS CANI DE LOCIS THEOLOGICIS LIBRO DESUMPTA, ET DISCEPTATIO PROOEMIALIS DE LEGE DIVINA.

EDITIO X. ABSOLUTISSIMA

## A JO. DOMINICO MANSI

ARCHIEPISCOPO LUCENSI

MEDULLITUS INSPECTA, PERMULTIS ALIIS ADDITIONIBUS EX OPERIBUS BENEDICTI XIV. ET CLEMENTIS XIII. & XIV.

*Litteris apoſtolicis excerptis locupletata, correcta, nonnullis figuris æneis in fronte quorumdam Tractatuum ornata,*

ET IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

*TOMI TERTII PARS SECUNDA.*

VENETIIS MDCCLXXXII.
APUD ANTONIUM ZATTA
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# NOI RIFORMATORI

## Dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. F. Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitor Generale del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Theologia Moralis univerſa a R. P. Paulo Gabriele Antoine primum concinnata &c.*, non v'eſſer coſ'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 4. Novembre 1768.

( Angelo Contarini Proc. Riform.

( Alvise Vallaresso Riform.

( Francesco Morosini 2. Cav. Proc. Riform.

Regiſtrato in Libro a carte 364. al Num. 2601.

*Davidde Marcheſini Segr.*

Regiſtrato al Magiſtrato della Beſtemmia in libro a carte 5.

*Andrea Grattarol Segr.*

---

# NOI RIFORMATORI

## Dello Studio di Padova.

Concediamo Licenza ad *Antonio Zatta* Stampator di *Venezia* di poter riſtampare il Libro intitolato: *Theologia Moralis Univerſa P. Gabrielis Antoine &c.*, *a P. Dominico Manſi Archiepiſc. Lucenſi Medullitus inſpecta &c.*, oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 27. Ottobre 1774.

( Andrea Querini Riform.

( Girolamo Grimani Riform.

( Sebastian Foscarini Cav. Riform.

Regiſtrato in Libro a Carte 171. al Num. 742.

*Davidde Marcheſini Segr.*



# INDEX.

## TOMI TERTII PARS SECUNDA.

### TRACTATUS

De Matrimonio.


Cap. I. *De ſponſalibus quæ ſunt præparatio ad illud.* Pag. 1
Cap. II. *De natura & proprietatibus Matrimonii.* 5
Cap. III. *De impedimentis Matrimonii.* 15


### Appendix I.


*A quibus, & qualiter obtinendæ ſint diſpenſationes Matrimoniales.* 38
Art. I. *Unde, & quomodo obtinenda Romæ diſpenſatio.* 39
Art. II. *De executione diſpenſationis.* 44
Art. III. *Quid in impedimentis Matrimonialibus poſſint Epiſcopi.* 52


### Appendix II.


*De Orientalis Eccleſiæ circa Matrimonia diſciplina.* 52


### TRACTATUS.

De Cenſuris, & Irregularitatibus.


Cap. I. *De Cenſuris in genere.* 58
Cap. II. *De Excommunicatione.* 68
Cap. III. *De Interdicto.* 72
Cap. IV. *De ſuſpenſione.* 73
Cap. V. *Irregularitate.* 75


### Appendix.


*De damnatis ab Eccleſia propoſitionibus, ubi decreta quoque nonnulla ad diſciplinam pertinentia recenſentur.* 1
Cap. I. *De variis cenſurarum notionibus.* ibid.
Cap. II. *Referuntur propoſitiones damnatæ an. 412. & item an. 416.* 2
Cap. III. *Refertur propoſitio Abbatis Joachim de unione Divinæ Trinitatis in natura, damnata in Conc. Lateran. IV. anno 1215.* 3
Cap. IV. *Referuntur propoſitiones ann. 1276. a Joanne XXII. contra doctrinam D. Joan. de Poliaco Doctoris Pariſienſis, damnatæ in Extravagant.* Cum inter nonnullos de verb. ſignif. *ac item alia propoſitio ab eodem damnata in Concil. Lugdunenſi.* ibid.
Cap. V. *Recenſentur propoſitiones damnatæ anno 1311. in Concilio Generali Viennenſi ſub Clemente Pontifice Maximo hujus nominis V. & ſunt errores Muliercularum quarumdam, quæ* Beguinæ *vocabantur, & in illuſionibus vitæ ſpiritualis miſerrime jacebant. Referuntur deinde aliæ propoſitiones in eodem Concilio damnatæ.* ibid.
Cap. VI. *Refertur propoſito damnata an. 1418. in Concilio Coſtantienſi OEcumenico ſub Jo. XXIV. tempore ſchiſmatis ante creationem Martini V., qui deinde hujus propoſitionis damnationem adprobavit: eſt autem propoſitio circa occiſionem Tyrannorum.* ibid.
Cap. VII. *De ſchiſmate hujus temporis.* ibid.
Cap. VIII. *Referuntur propoſitiones damnatæ anno 1418. ſub Joan. XXIV. ante creationem Martini V. in Concilio Conſtantienſi ſeſſione 4. contra Joannem Wicleffum.* 4
Cap. IX. *Recenſentur propoſitiones Joannis Hus damnatæ veluti errores contra fidem eodem anno.* ib.
Cap. X. *Recenſentur Propoſitiones damnatæ in Concilio Baſileenſi ſub Eugenio IV. antequam Concilium eſſet acephalum anno 1435. decerptæ ex libro Auguſtini Romani Archiepiſcopi Nazareni.* 5
Cap. XI. *Referuntur nonnullæ propoſitiones Magiſtri Oxonienſis damnatæ in Congregatione Complutenſi, quarum damnationem Auctoritate Apoſtolica confirmavit Sixtus IV. an. 1648.* ibid.
Cap. XII. *Recenſentur duæ Propoſitiones circa Hominis animam rationalem, quas Leo X. damnavit in Concilio Lateranenſi ſeſſ. 8. an. 1513.* 6
Cap. XIII. *Referuntur Propoſitiones* xli. *Martini Lutheri a Leone X. damnatæ anno 1520 per Bullam.* Exurge Domine. ibid.
Cap. XIV. *Monitum ad Eccleſiæ Paſtores, & Confeſſarios circa eorum vitium, ac deteſtandum peccatum, qui Orthodoxas ſcholas, Theologoſque Catholicos invidioſo Bajaniſmi, & Janſeniſmi nomine traducunt.* 7
Cap. XV. *Recenſentur novem, ac ſeptuaginta Propoſitiones Michaelis Baji, olim a Pio V. & Greg. XIII. ac deinde ab Urb. VIII. an. 1674. confixæ in Bulla.* In eminenti. 8
Cap. XVI. *De variis hominis ad ultimum finem comparati ſtatibus, de libertate, deque Chriſti gratia: ubi ea potiſſimum declarantur, quæ ad explicanda Lutheri, Baji, Janſenii, Queſnelliique ſyſtemata, atque ad vindicandas ab omni nota Catholicorum opiniones neceſſaria videntur.* 11
Cap. XVII. *Decretum SS. D. N. Alexandri VII. Feria 5. die 30. Januarii 1659.* 14
Cap. XVIII. *Decretum alterum ejuſdem Pontificis die 24. Septemb. 1665.* 15
Cap. XIX. *Decretum tertium ejuſdem Alexandri VII. die 18. Martii 1666.* 18
Cap. XX. *Decretum SS. D. N. Innocentii XI. die 2. Martii 1679.* 19
Cap. XXI. *Propoſitiones duæ de omnipotentia donata, & ſubjecta creaturæ, quæ die 23. Nov. an. 1697. ab Innoc. XI damnatæ ſunt ut temerariæ ad minimum, & novæ.* 24




UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cap. XXII. *Propoſitiones duæ de Confeſſione diverſis temporibus proſcriptæ.* ibid.
Cap. XXIII. *Propoſitio unica ab Innocent. X. damnata an. 1647. in Congregatione Generali Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis.* ibid.
Cap. XXIV. *Propoſitiones duæ ab Alex. VIII. damnatæ 24. Aug. 1690.* 25
Cap. XXV. *Conſtitutio Innocentii XI. proſcribentis octo, & ſexaginta Theſes, quæ prætextu Orationis quietis a Michaele de Molinos docebantur.* ibid.
Cap. XXVI. *Refertur Decretum alterum SS. D. N. Alexandri Papæ VIII. die 7. Dec. 1690.* 28
Cap. XXVII. *Breve Innoc. XII. proſcribentis tres & viginti Theſes, quæ prætextu amoris erga Deum puriſſimi in Galliis docebantur.* 31
Cap. XXVIII. *Recenſentur quinque Janſenii Propoſitiones cum cenſura eiſdem affixa in Conſtitutione Innocentii X.* Cum occaſione. 32
Cap. XXIX. *Recenſentur Queſnelii Propoſitiones damnatæ a Clemente XI. in Conſtitutione* Unigenitus. 33
Cap. XXX. *Recenſetur Conſtit. Bened. XIV. qua damnantur quinque de duello propoſitiones, & novæ pœnæ in duellantes decernuntur.* 35
Epistolæ Encyclicæ *atque Decreta Apoſtolica felicis Recordationis Benedicti XIV. ad materiam morum ſpectantia.* 37
Declaratur *Unicam comeſtionem diebus Jejunii ab omnibus ſervandam eſſe, &c.* 38
De Jejunii *Diſciplina &c.* ibid.
Declarantur *Quæſtiones circa Jejunium &c.* 39
De Usuris *aliiſque injuſtis quæſtibus.* 42
De Applicatione *Miſſæ Parochialis pro Populo &c.* 44
Decretum *Juſſu Sanctiſs. Domini noſtri &c.* 47
Mercimonia *Super Eleemoſynis Miſſarum &c.* ibid.
Declaratio *SS. D. N. Benedicti PP. XIV. cum inſtructione ſuper Dubiis reſpicientibus Matrimonia &c.* 48
Matrimonia *Occulta quibus, & quomodo ſint permittenda &c.* 49
Constitutio *Qua confirmantur Litteræ jam editæ adverſus Confeſſarios &c.* 51
Constitutio *Contra Clericos Sæcularibus Negotiis ſe immiſcentes.* 53
Cessiones *Commodi exigendi fructus Beneficiorum prohibentur &c.* 55
Resignationes *Beneficiorum cum reſervatione Penſionis, &c.* 56
Casus Episcopales *in ſynodo Diœceſana &c.* 57
*Caſus Reſervati, quibus non eſt adnexa Excommunicatio.* 58
Instructio *pro Confeſſariis in Farfenſi Synodo edita.* 60
*Variæ formulæ actus contritionis, quem ut Pœnitentes eliciant &c.* 62
*Actus Contritionis a Pœnitente eliciendus priuſquam Sacramentaliter abſolvatur.* ibid.
*Alius actus.* ibid.
*Alius actus ſimilis.* ib.
*Actus Contritionis in tentationibus utilis &c.* ib.
*Monita pro Confeſſariis ordinariis Monialium.* ib.
*Monita pro Confeſſariis Monialium extraordinariis.* 64
Appendix *trium Decretorum: unum Celſiſſimi, ac Reverendiſs. Epiſcopi Tridentini; alterum Sac. Rom. Inquiſitionis; tertium FF. Min. editum in Capit. Gen. Mantuano, circa uſum opinionis Probabilis.* 65

TRA-



# TRACTATUS DE MATRIMONIO.

## CAPUT PRIMUM.

*De Sponſalibus quæ ſunt præparatio ad illud.*

Quæſt. I. *Quid ſunt Sponſalia?*

*Reſp.* Sponſalia ſunt promiſſio mutua & legitima Matrimonii, *l. 1. §. de Sponſal.*

Quæſt. II. *Quænam requiruntur ut Sponſalia ſint valida?*

*Reſp.* Sequentia. 1. Verus conſenſus datus cum animo ſe obligandi, & per verba, vel alia ſigna externa declaratus, & acceptatus. Nam hæc ad veram promiſſionem obligantem requiruntur.

2. Deliberatio ſufficiens ad mortale: nam ſponſalia obligant ſub mortali ad contrahendum Matrimonium.

3. Mutua promiſſio, ut conſtat ex definitione, quia hic contractus eſt onerofus, & una pars non cenſetur velle ſe obligare, niſi altera viciſſim repromittat; unde promiſſio unius includit hanc conditionem: *Si tu repromiſeris*; & ideo dicuntur ſponſalia, & l. 1. *§. de Sponſal.* repromiſſio, hoc eſt reciproca promiſſio. Hinc ſi Titius Matrimonium promittat Bertæ, & hæc promiſſionem acceptet, ſed non repromittat, non ſunt ſponſalia.

4. Habilitas utriuſque ad contrahendum Matrimonium valide & licite: nam promiſſio de re impoſſibili, vel illicita, nulla eſt. Hinc habentis votum ſimplex caſtitatis perpetuæ, vel ingrediendi Religionem, vel ſuſcipiendi Ordinis ſacri, invalida ſunt ſponſalia, licet jurata, c. 6. *Qui Clerici &c.* Idem dic de ſponſalibus perſonæ catholicæ cum hæretica ſine diſpenſatione factis: nam ſunt promiſſio rei illicitæ.

5. Jure canonico ſeptennium completum, c. 4. & 5. *de deſponſat. impub.* Tamen juxta multos valent, ſi militia ſuppleat ætatem, id eſt, ſi ante ſeptennium aperte conſtet, ſponſos habere ſufficientem uſum rationis ad talem contractum. Controvertitur, an inita ex metu gravi injuſte incuſſo a parte contrahente valeant. Sed conſtat, ea poſſe a metu paſſo reſcindi; quia habet jus ut reſtituatur in priorem ſuam libertatem.

*Sed quid ſi ſponſalia contracta ſint ab impeditis, v. gr. conſanguineis, ſub conditione, ſi Papa diſpenſet?*

*Reſp.* Non valent, ſi ſciverint Papam non ſolere diſpenſare in tali impedimento: quia tunc conditio cenſetur impoſſibilis. Quod ſi diſpenſare ſoleat, ſed abſit juſta cauſſa diſpenſationis, debent diſſolvi; cum tunc illicitum ſit diſpenſationem petere & dare. Si vero Papa ſoleat in tali caſu diſpenſare, & adſit juſta cauſa, juxta multos valent ſponſalia, & poſita diſpenſatione fiunt abſoluta: quia ſunt ſub conditione poſſibili, honeſta, & relata ad tempus quo perſonæ erunt habiles.

*Nota.* Sponſalia filiorum familias inconſultis parentibus contracta, ſunt illicita, utpote contra præceptum honorandi parentes. Immo ſervari non debent, ſi inde grave ſcandalum timeatur. Idem dicunt aliqui, ſi parentes juſta de cauſſa contradicant, cum Matrimonia invitis rationabiliter parentibus ſint illicita; ſecus, ſi poſtea conſentiant.



Quæſt.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quæſt. III. *Quomodo contrahuntur ſponſalia?*

*Reſp.* Multipliciter. 1. Expreſſe dicendo, *Accipiam te conjugem. Promitto tibi Matrimonium*; vel tacite, ut ſi parentes promittant pro liberis præſentibus, nec contradicentibus poſt pubertatem, c. unic. *de deſponſat impub. in 6.* Nam hæc liberorum taciturnitas cenſetur tacitus conſenſus. 2. Inter præſentes vel inter abſentes per procuratorem, aut litteras &c. 3. Abſolute, vel conditionate. Sed conditionate contracta non pariunt obligationem nec impedimentum, niſi conditione impleta, cujus eventum expectare tenentur promittentes, ex cap. unic. *de ſponſ. in 6.* at hac poſita fiunt abſoluta. 4. Publice, vel clandeſtine: nam ad illa jure communi non requiritur præſentia Parochi & teſtium, ut teſte Fagnano declaravit Sac. Congr. Card. quia Conc. Trid. nihil ſtatuit, nec immutavit circa ſponſalia, quæ ante illud clandeſtine contracta valebant, cum ante illud ipſa Matrimonia clandeſtina eſſent valida, ideoque & ſponſalia, quæ ſunt quid acceſſorium & præparatio ad Matrimonium. A jure autem veteri non eſt diſcedendum, niſi per novum exprimatur, ex l. 32. cod. *de appellat.* Jure tamen particulari multarum diœceſeon, præſertim Galliæ & Belgii, ſponſalia celebrari debent coram Parocho & teſtibus. In quibus diœceſibus, ſi coram Parocho non fuerint contracta, ſunt nihilominus rata & obligatoria, inducuntque impedimentum publicæ honeſtatis, juxta Rituale Cameracenſe, & Synod. Mechlinienſem, cum a Concil. Trid. ſint relicta intacta, atque relicta in terminis & diſpoſitioni juris communis.

Quæſt. IV. *Quot effectus habent Sponſalia?*

*Reſp.* Tres: 1. Eſt gravis obligatio contrahendi Matrimonii tempore præfinito; aut ſi nullum tempus per ſponſos vel per conſuetudinem conſtitutum ſit, parte una opportune id exigente, niſi altera juſtam habeat cauſſam differendi. Nam omnis contractus oneroſus obligat ex juſtitia, ideoque ſub mortali in re gravi. *Hi qui de Matrimonio contrahendo pure & ſine omni conditione fidem dederunt, commonendi ſunt, & modis omnibus inducendi, ut præſtitam fidem obſervent*, ait Innoc. III. c. 2. *de ſponſ.* Hinc qui culpabiliter reſilit a ſponſalibus, perdit ſuas arrhas; & tenetur reddere alteri parti ſuas, immo & ei reſtituere impenſas factas, & damna, ſeu quanti ejus intererat talem contractum impleri: quia in hoc injuriam fecit.

2. Eſt jus inchoatum ad rem in corpora mutua, quo fit ut quamvis uſus ſit ſponſis illicitus, tamen ſi ſponſus fornicetur cum alia, vel ſponſa cum alio, peccet contra caſtitatem ſimul & juſtitiam. Nam abuſus rei ex juſtitia alteri debitæ eſt contra juſtitiam. Ergo cum corpus ſponſorum ſit ipſis ſponſis ex juſtitia debitum, licet nondum traditum; abuſus ejus alteri conceſſus, eſt contra juſtitiam. Quæ injuſtitia, utpote in re gravi, mortalis eſt, ideoque explicanda in confeſſione. Sed in ſponſa longe gravior eſt, cum ipſa per fornicationem longe vilior, ac deterior fiat.

3. Eſt impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis.

Quæſt. V. *Quibus ex cauſſis diſſolvuntur Sponſalia?*

*Reſp.* Diſſolvuntur. 1. Mutuo ſponſi, & ſponſæ conſenſu, c. 2. *de ſponſal.* ſicut alii contractus. Nam ſinguli poſſunt cedere juri ſuo; & *Omnis res, quæ per quaſcumque cauſſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*, c. 1. *de reg. jur.* idque etſi fuerint juramento firmata: quia in omni juramento promiſſorio ſubintelligitur conditio: *Niſi promiſſarius remittat*. Modo tamen ambo ſint puberes; nam impuberes ante pubertatem reſilire non poſſunt, c. 7. *de ſponſal. impuber.* Quod ſtatutum eſt, ne ob inconſtantiam ac levitatem ſæpius nova contrahant ſponſalia, & rurſus diſſolvant. Sed impubes, cum pervenerit ad pubertatem, poteſt pro libito illa diſſolvere; niſi intervenerit copula, c. 29. *de ſponſal.*

2. Per Matrimonium valide contractum cum alia perſona, quamvis fuerint jurata ex c. 22. & 31. *de ſponſal.* Quia res tradita per contractum indiſſolubilem, non poteſt amplius tradi priori promiſſario. Sed pars, quæ ſic contraxit, altera rationabiliter invita, peccat mortaliter violando contra juſtitiam fidem datam: unde in cit. cap. dicitur, quod ei eſt de violatione fidei pœnitentia injungenda. Nec ſecundum multos ſponſalia poſtea reviviſcunt, cum per illud Matrimonium extincta ſint. Obligatio autem ſemel extincta non reviviſcit, ex lib. 98. *de ſolut.* Non tamen diſſolvuntur per ſecunda ſponſalia etiam jurata: quia hæc nulla ſunt, cum ſint promiſſio de re illicita præſtanda.

3. Per ſuperveniens impedimentum Matrimonii dirimens, v. gr. affinitatem inter ſponſos contractam, ex unius fornicatione cum perſona conſanguinea alterius in primo & ſecundo gradu, c. 1. *de eo qui cognovit &c.* Nam tunc res promiſſa fit illicita, & jure impoſſibilis.

4. Per diſceſſum unius in regionem longinquam ſine conſenſu alterius, c. 5. *de ſponſal.* nam cenſetur juri ſuo cedere.

5. Secundum multos, per notabilem moram culpabilem ſponſi vel ſponſæ in contrahendo Matrimonio infra tempus conſtitutum. Quia qui eſt in tali mora, cenſetur alteri obligationem remittere, quamvis ipſe ex parte ſua adhuc teneatur, ſi alter velit, Matrimonium inire: nam culpa non liberat eum ab obligatione contracta; alias commodum ex culpa reportaret.

6. Per fornicationem ſponſi vel ſponſæ cum tertia perſona poſt ſponſalia etſi jurata, c. 25. *de jurejur.* Quia in ſponſalibus intelligitur hæc conditio: *Niſi contra legem ſponſalium feceris*. Et quia fornicans frangit fidem, & ſuſpectus alteri redditur de fide in futurum ſervanda. Præterea tunc eſt notabilis mutatio. Idem dicunt multi, ſi ſponſa permiſerit ſe ab alio impudice tangi: quia per hoc fit notabiliter vilior, & ingerit metum, ne fidem marito non ſervet. Quod etiam extenditur ad ſponſum, ſi exercuerit actus turpes circa aliam valde frequentes. Sola tamen pars innocens libera eſt, nec privatur jure ſuo ob alterius culpam. Sponſus vero, qui cognito ſuo jure reſiliendi cognovit carnaliter ſponſam, tenetur illam ducere; nam per hoc cenſetur ſuo juri renuntiaſſe, & ſponſalia renovaſſe.

7. Per profeſſionem unius in religione approbata, aut per ſuſceptionem Ordinis ſacri, nam utraque Matrimonii incapacitatem parit. Tamen ſecundum multos non licet ſponſo ſacros Ordines ſuſcipere, quia frangeret fidem alteri datam in materia gravi juſti-

tiæ.



tiæ. At licet ingredi religionem; quia vel ex natura rei, vel ſaltem ex diſpoſitione Eccleſiæ hæc conditio in ſponſalibus includitur; *Niſi voluero ingredi religionem*. Cum autem una pars ingreditur religionem, altera juxta multos poteſt ante ejus profeſſionem reſilire: quia ingrediens religionem hoc ipſo cenſetur renuntiare ſponſalibus, vel ſaltem dare alteri cauſſam juſtam reſiliendi, ob incommodum quod pati deberet, expectando per annum ut ei nubat. Sed ſi egrediatur, tenetur Matrimonium contrahere cum parte id exigente, nam quamvis jura ingreſſum religionis ſponſis permittant, nuſquam tamen eos liberant ſimpliciter ab obligatione ſponſalium: & quamvis ingrediens cedat juri ſuo, manens in ſæculo non cedit. Immo ex communi ſententia votum religionis poſt ſponſalia etiam jurata factum obligat ad ingreſſum religionis, & ſic ipſa ſponſalia diſſolvit, quia directe tendit ad altiorem perfectionis ſtatum, quem impedire non debent ſponſalia de futuro. Enim vero Matrimonium nondum conſummatum non impedit vim & obligationem hujus voti, etſi poſt illud emiſſi.

8. Ob quamlibet mutationem notabilem in altero ſupervenientem ſponſalibus, quæ ſi prius extitiſſet, a ſponſalibus merito abſterruiſſet, & ob quam conſenſus datus non cenſeatur ſecundum prudens judicium extendi ad talem caſum, ut ſi ſuperveniat notabilis deformitas, aut infirmitas, morbus contagioſus, mutilatio, ex cap. 25. *de jurejur.* Item infamia, graves inimicitiæ inter utramque familiam, vel inter ipſos ſponſos ortæ, paupertas, ſponſæ corruptio, etſi per vim, defectus dotis promiſſæ, magna mutatio morum in pejus, hæreſis ob periculum ſubverſionis in ſe vel in prole &c. Quia hæc eſt intentio virtualis ſpondentium, qui non cenſentur voluiſſe ſe obligare ad ſtandum promiſſis in his caſibus, & ſuperveniente notabili mutatione, qua prævisa judicio prudentum promiſſio non eſſet facta. Promiſſio autem non obligat ultra intentionem promittentis, niſi ratione deceptionis aut alterius injuſtitiæ.

Porro diverſa eſt ratio in ſponſalibus ac in aliis contractibus. Nam ipſa majorem libertatem poſtulant, cum ad mutuum amorem, & ad contrahendum vinculum indiſſolubile Matrimonii ordinentur. Idque etiamſi jurata eſſent: quia juramentum intelligitur, rebus in eodem ſtatu permanentibus, & includit omnes conditiones contractus cui adjicitur.

*Idem dic*, ſi quid iſtorum vel ſimile antea latens detegatur poſt ſponſalia: ut ſi quæ putabatur legitima, vel nobilis, vel dives, vel virgo, talis non ſit, ex lib. 5. *de ſponſal.* ubi reſiliens ex ſponſalibus ob cauſſam præcedentem ignoratam, non amittit ſuas arrhas, quas amitteret, ſi injuſte reſiliret. Ratio eſt, quia reſpectu ignorantis res ſunt notabiliter mutatæ ſpectata priore ejus voluntate, cum denuo inveniat defectum notabilem prius ignoratum: & in jure res cum primum innoteſcit, idem præſtat ac ſi tum fieret, ex c. 4. *de except.* Secus eſſet, ſi aliquid iſtorum ante ſponſalia non latuerit, cum eo non obſtante ſciens ac volens promiſerit, excepta hæreſi. Non poſſunt tamen diſſolvi ſponſalia ob hæreditatem alterutri obvenientem: quia alter per hoc non eſt factus deterioris conditionis.

9. Si ex matrimonio mali exitus timeantur ex c. 18. *de ſponſal.* vel grave ſcandalum, perturbatio &c. Nam tunc executio eſt illicita, nec fuit intentio ſpondentium ſe in tali caſu obligare.

Porro pœna in ſponſalibus primo reſilienti appoſita non obligat juſte reſilientem: quia pœna juſta ſupponit culpam, & innocenti injuſte infligeretur. At obligat in conſcientia injuſte reſilientem, quia infert injuriam propter quam debet ex pacto pœnam promiſſam ſubire.

*Sed an ſponſalia diſſolvuntur per ſubſequens votum ſimplex perpetuæ caſtitatis in ſæculo ſervandæ?*

*Reſp.* Alii aſſerunt, quia putant ſponſalia fieri ſub hac tacita conditione: *Niſi me Deus ad ſanctioris vitæ rationem vocaverit*. Alii cum S. Antonino negant, tum quia id neque ex natura rei, neque ullo jure probari poteſt, nec fiunt ſub conditione prædicta, ſed ſolum niſi ſtatus religioſus eligatur. Nam nullo jure nec traditione oſtenditur, ineſſe ſponſalibus hanc tacitam conditionem: tum quia ex cap. 5. *Qui clerici &c.* feminæ, quæ Matrimonium promiſit, pœnitentia imponitur de fide mentita, quamvis poſt ſponſalia votum caſtitatis emiſerit; tum quia Deus non acceptat promiſſionem rei prius promiſſæ & debitæ alteri, tanquam factam in damnum & contra jus illius. Sic obligatio dandi domum promiſſam Petro diviti, non ſolvitur per votum dandi illam hoſpitali. Igitur, inquiunt, qui poſt ſponſalia vovit caſtitatem, nec poteſt ab altera parte obtinere remiſſionem ſponſalium, tenetur Matrimonium inire, & debitum petenti reddere: ſed ei petere non licet, quia valet votum in his omnibus, quæ injurioſa non ſunt; unde ſponſalibus, vel Matrimonio diſſolutis tenetur ſervare continentiam.

Porro ex communi ſententia votum ſimplex caſtitatis vel religionis ſponſalia præcedens, facit illa irrita, ex c. 6. *Qui clerici vel voventes*. Quia tunc ſunt promiſſio rei illicitæ faciendæ, nempe ineundi Matrimonium, & executio eſt peccatum.

*Nota*. Ad diſſolvenda ſponſalia requiritur auctoritas judicis eccleſiaſtici in his caſibus. 1. Si moraliter non conſtet de ſufficientia vel veritate cauſſæ diſſolvendi; alias enim diſſolvens ſe committeret probabili injuſtitiæ periculo, immo eſt injuſtitia in dubio privare alterum jure per illa acquiſito. 2. Si ſponſalia ſint publica, cauſſa autem diſſolvendi occulta, ex c. 7. *de ſponſal.* nam debitus ordo, & evitatio ſcandali id exigunt.

✠ Huic loco addendam cenſui neceſſariam doctrinam, qua in lib. VII. c. 59. cit. tract. DE SYNODO explicatur, qua ratione ſe gerere debeant Parochi cum iis, qui doctrinam Chriſtianam ignorant, & matrimonium contrahere contendunt: *In Synodo Bononienſi, habita anno 1634. dicitur, non poſſe viros, & feminas a Matrimoniis contrahendis, hoc nomine prohiberi, quod doctrinam Chriſtianam ignorent; quamvis deceat, ut Parochus ejuſmodi prohibitionem illis comminetur, quo facilius eoſdem inducat ad Fidei rudimenta addiſcenda; idem ſentit Romaguera, in notis ad Conſtitutione Synodales Gerundenſes lib. IV. tit. 1. c. 1. ubi cum in hanc offenderit Synodalem ſanctionem*. „ Renovantes Conſtitutionem, in ultima Synodo editam, circa doctrinam Chriſtianam ſtatuimus, & ordinamus quod de cetero ad ſponſalia per verba de præſenti non admittantur, qui do-



ctri-

ctrinam Chriſtianam neſcierint, & confirmati non fuerint „ loco eam illuſtrandi, uti alias ſolet, tacite impugnat, docens, fas non eſſe Epiſcopo, quemquam a Matrimonio arcere, hanc ſolam ob cauſſam, quod doctrinam Chriſtianam ignoret, ſed dumtaxat poſſe blandis verbis, atque adhortationibus eum inducere ad Matrimonium differendum, donec Chriſtianis imbuatur inſtitutis: nec diſſimilia ſunt, quæ in hanc rem adduxit Marcellus Severoli in ſuo Voto, impreſſo par. 14. rec. dec. n. 52. & 53.

2. *Fulcitur hæc opinio quorumdam Theologorum auctoritate, qui cum ignorantiam doctrinæ Chriſtianæ non invenerint in vulgatis verſiculis, in quibus enumerantur impedimenta Matrimonium impedientia, aſſerere proinde non dubitarunt, neminem poſſe ob illam ſolam a Matrimonio celebrando cohiberi: ita docuit Thomas Sanchez* lib. III. de Matr. diſp. 15. num. 9. *inquiens*: „ Neſcio tamen, qua ratione poſſit *Epiſcopus* ob hanc ignorantiam arcere aliquos a Matrimonio contrahendo, cum ipſius non ſit impedimenta Matrimonii ſtatuere, nec hoc impedimentum ab Eccleſia ſtatutum ſit “ *& ſequitur Diana* in edit. Coordin. tract. 6. com. 2. reſol. 55.

3. *Verum huic doctrinæ & Rituale Romanum, & S. Carolus Borromæus, & quamplurimæ Epiſcopales Synodi, ac Summorum Pontificum edicta adverſantur; etenim Rituale Romanum* tit. de Matrim. *de iis loquens, qui Matrimonio ſunt jungendi, ait*: „ Uterque ſciat rudimenta Fidei, cum ea deinde filios ſuos docere debeant. „ *S. Carolus* in Concilio Provinciali Mediolanenſi v. par. 3. (Act. Eccl. Mediol. par. 1. p. 286.) *hæc ſtatuit*: „ Parochus, quos Sponſos experiundo viderit doctrinæ Chriſtianæ rudimenta plane ignorare, ne Matrimonio illos ante jungat, quam ea item ratione cognovit didiciſſe, quæ eo de genere illos plane ſcire oportet „: *Quæ verba advertens Franciſcus Amatus Pouget* inſtit. Cathol. tom. 2. par. 4. ſect. 1. cap. 8. §. 1. n. 6. *inquit* „ Non accedendum prius ad connubii legem, quam teneantur præcipua religionis myſteria, Chriſtianæque vitæ ratio, & conjugatorum officia probe noſcantur. „ *In Archiepiſcopali Bononienſi Cardinalis Gabrielis Paleotti* par. 3. pag. 157. *cavetur, ne Parochus ad tertiam deveniat Matrimonii denuntiationem, niſi certo noverit, Sponſos principalia Fidei noſtræ myſteria didiciſſe, & ſaltem* „ Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolicum, & Præcepta Decalogi memoriæ mandaſſe: „ *Idem edixere innumeræ Synodi, collectæ a Genetto* Theolog. Moral. tom. v. tract. 5. c. 2. q. 17. *quibus addimus Synodum Farfenſem habitam an. 1685. a Cardinali Barberino: Ceſenatenſem habitam an. 1693. a Cardinali Denhoff: Neapolitanam habitam an. 1694. a Cardinali Cantelmo: Ariminenſem habitam anno 1724. a Cardinali de Via: Neapolitanam habitam an. 1726. a Cardinali Pignatello: Sabinienſem habitam an. 1736. a Cardinali Albano, omnes* ad titulum de Matrimonio; *ac demum in Congregatione, habita coram ſan. mem. Innocent. XII. an. 1697. decretum eſt, non eſſe a Parochis Matrimonium in Eccleſia proclamandum niſi antea Sponſos repererint in Chriſtianæ religionis rudimentis ſufficienter inſtructos, quod quidem decretum confirmatum fuit a fel. rec. Clemente XI.* in ſuo Bullario pag. 326. *Idem edixit Cardinalis de Rohan* in ſuo Rituali Argentinenſi, ad tit. de Matrim. pag. 255. *ubi Parochos diligenter inveſtigare juſſit*, an Matrimonio jungendi teneant rudimenta Fidei. *Ac denique Nos ipſi in noſtra Encyclica epiſtola ad univerſos Epiſcopos (quæ eſt* 42. in noſtro Bullario §. 11.) *hæc ſcripſimus* „ Verum, cum Matrimonio jungendi non ſint, ſi Parochus, ut debet, prius interrogando deprehenderit, marem, ſeu feminam, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ignorare; vix tantæ, ac tam luctuoſæ ignorantiæ locum relinquet Epiſcopus, qui Paſtores animarum admoneat officii ſui, & huic ſi deſint, negligentiæ repetant pœnas.

4. *Quamobrem cum doctrina tradita in citata Synodo Bononienſi an. 1634. a communi Eccleſiæ ſenſu, & praxi diſcordet, eſt omnino reformanda, & corrigenda, ſi uti reapſe correcta fuit in alia Synodo Diœceſana Bononienſi, celebrata a Cardinali Boncompagno an. 1699. l. 11. c. 9. atque demum a Nobis* Notific. 9. & Notific. 46. *ubi ad Matrimonium contrahendum, neminem admitti præcepimus, Chriſtianis inſtitutis nondum ſatis edoctum.*

5. *Neque in contrarium facit, quod ajebat Sanchez, nimirum non poſſe Epiſcopum nova impedimenta Matrimonium impedientia ſtatuere: huic enim difficultati in primis reponimus, ab Epiſcopo repellente a Matrimonio contrahendo ignorantes Chriſtianæ religionis neceſſaria rudimenta, nullum de novo poni impedimentum, ſed illud explicari, & inculcari, quo iidem jam detinentur: Enimvero cum Matrimonium inter Fideles unum ſit ex ſeptem novæ Legis Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutis, atque e numero eorum, quæ dicuntur* vivorum, *nemo, ſine gravi ſacrilegio, illud celebrare poteſt in ſtatu peccati mortalis, quod optime perpendit Didacus Covarruvias* ſuper 4. Decr. part. 2. de Matrim. c. 6. in princ. *inquiens*: „ Exiſtens in mortali crimine non poteſt abſque novo peccato Matrimonium contrahere; tractat enim indecenter Sacramentum hoc maximum “ *nec Parochus licite eidem Matrimonio aſſiſtit. Quamvis enim juxta communiorem, magiſque receptam ſententiam non ſit Sacramenti Matrimonii Miniſter*, ut in præcedenti capite diximus, *nihilominus in multis comparatur Miniſtro, nec licite ſua præſentia, & auctoritate firmare poteſt contractum, quem ſcit a contrahentibus ſacrilege iniri, quemadmodum proſequitur Cardinalis Lauræa* in 4. ſent. tom. 3. diſp. 22. art. 2. num. 549. *& pluribus Franciſcus Maria Muſcettula Archiepiſcopus Roſſanenſis* in ſua de Sponſalibus & Matrimoniis, *quæ extat poſt ſecundam impreſſionem*, obſervat. bon. mem. Zauli ad ſtatuta Faventina, *iterumque edita eſt Neapoli an. 1741. Qui autem Fidei rudimenta ignorat, quæ ex gravi præcepto ſcire tenetur, quamdiu illa non addiſcit, cum poteſt, verſatur in ſtatu peccati mortalis, ac propterea jure, ac merito a Matrimonio contrahendo arcetur. Deinde idem Sanchez* cit. diſp. 15. n. 3. & lib. VII. diſp. 6. n. 6. *Baſilius Pontius* de Matrim. lib. VI. cap. 7. *Gaſpar Hurtado* diſp. 25. de Matrim. difficul. 1. n. 1. *& Perez* de Matrim. diſp. 23. ſect. 1. n. 1. *non ſolum in Epiſcopo, ſed etiam in Parocho facultatem agnoſcunt impediendi ad tempus Matrimonium ex aliqua rationabili cauſſa; puta ad ſedandum ſcandalum vel ad detegendam alicujus*

ob-



*objecti impedimenti veritatem; nec tamen inde confici autumant, verum & proprium impedimentum eorum auctoritate Matrimonio apponi; ſiquidem illa prohibitio temporaria eſt, atque ablato ſcandalo & detecta falſitate objecti obſtaculi, ſine ulla diſpenſatione ceſſat, & extinguitur. Idem autem contingit in re noſtra; Epiſcopus enim ignorantibus Chriſtianæ religionis inſtituta, & præcepta, Matrimonium interdicit ſolum ad tempus, donec ſcilicet illa addiſcant, quod ſi hæc prohibitio diuturna ſit, & perſeveret, id per accidens eſt, atque unice oritur ex culpa eorum, qui illis erudiri aut recuſant, aut negligunt.*

6. *Unum tamen advertendum addimus, quod recte conſideravit Giribaldus* de Sacr. Matrim. tract. 11. cap. 3. dub. 13. num. 112. *nimirum quandoque evenire, ut quis præcipua Fidei noſtræ myſteria & ſciat, & credat; cetera pariter, quæ neceſſitate præcepti ſunt addiſcenda, aliquo ſaltem rudi modo perceperit: ſed quia hebetis eſt ingenii, & exilis memoriæ, poſt omnem adhibitam diligentiam, illa memoria retinere, & recitare non valet, in hoc autem rerum ſtatu, non debet perpetuo arceri a Matrimonio, quod eſt inſtitutum in officium naturæ, & propterea nemini ſine propria culpa eſt denegandum, ſed curabit Parochus, ut qui eo memoriæ defectu laborat, frequenter audiat, quæ ſemel craſſe didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur. Inter celeberrimas Conſtit. Gibertinas editas a Jo. Matth. Giberto Epiſcopo Veronenſi, quas alibi commendavimus tom. V. c. 23. legitur*: „ Cum autem quilibet Chriſtianus Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolorum, Præcepta Dei atque Eccleſiæ ſcire debeat, retinendo ſaltem ſenſum; & Sacerdotibus, ac Prædicatoribus munere ſibi impoſito, prout tenentur, fungentibus nullus ſe in veritate excuſare poterit, quod a quo neceſſaria ad ſalutem addiſcere poſſit, non habeat; ideo præmiſſa neſcientes, ut magis confundantur &c. in faciem Eccleſiæ ad Matrimonium contrahendum non admittantur „ *ubi Cardinalis Auguſtinus Valerius* in notis *ad rem ſubdit*: „ Adverte non eſſe arcendos &c. qui ut neceſſaria ad ſalutem perdiſcant, faciunt quod in ſe eſt, ſicut qui ſcholas doctrinæ Chriſtianæ frequentant; quia non ob incuriam, aut negligentiam, ſed ob ingenii, memoriæve imbecillitatem ea non addiſcunt. „)

## CAPUT II.

### *De natura & proprietatibus Matrimonii.*

Quæſt. I. QUid eſt (*Vide N. 17*) *Matrimonium?*

*Reſp.* Matrimonium dupliciter accipitur, nempe pro contractu, & pro vinculo per talem contractum inducto. Matrimonium pro contractu acceptum recte definitur: Contractus legitimus, quo vir & femina ſibi mutuo tradunt, & acceptant poteſtatem corporum in ordine ad actum generationis, & ſe obligant ad ſe mutuo juvandum & perpetuo cohabitandum. Matrimonium vero pro vinculo acceptum communiter definitur: Maris & feminæ conjunctio maritalis ac legitima individuam vitæ conſuetudinem retinens, ex c. 11. *de præſumpt.* Sumptum autem pro Sacramento eſt contractus, modo dictus gratiæ ſignificativus & collativus.

Matrimonium, pro vinculo ſumptum dividitur in legitimum, ratum, & conſummatum. Legitimum eſt illud, quod legitimo conſenſu inter perſonas non impeditas contractum eſt: quale etiam nunc eſt inter non baptizatos. Unde ut tale non eſt Sacramentum, aut ſaltem præſcindit a ratione Sacramenti.

Ratum dicitur, quod eſt & legitimum & Sacramentum, ſed nec dum copula carnali conſummatum: tale eſt inter ſolos baptizatos.

Conſummatum eſt illud, quod accedente copula carnali extrinſece completur.

Quæſt. II. *Quænam eſt materia, & forma, & miniſter hujus Sacramenti?*

*Reſp.* Circa hoc diſſentiunt Theologi. Aliqui docent, materiam eſſe conſenſum contrahentium exterius expreſſum: formam vero, verba quæ profert ſacerdos, qui proinde ejus miniſter eſt.

Alii longe communius contendunt, ipſos contrahentes ponere materiam & formam, ideoque eſſe ejus (1) miniſtros: ſed in aſſignanda illa materia & forma inter ſe diſſident. Secundum multos materia eſt mutua corporum traditio, forma vero mutua corporum acceptatio, facta ſigno ſenſibili conſenſum internum exprimente. Secundum alios, materia eſt conſenſus internus contrahentium; forma ſunt ſigna externa conſenſum illum exprimentia. Demum ſecundum alios materia ſunt corpora habilia, forma eſt mutuus conjugum conſenſus.

Quæſt. III. *An & qualis requiritur conſenſus ad valorem Matrimonii?*

*Reſp.*

(1) *Abſtinendum Bened. XIV. ab ea cenſet quæſtione inter Theologos agitata, num Parochus ſit hujus Sacramenti Miniſter, ſeu potius ipſi contrahentes ſimul materia, forma, & miniſtri hujus Sacramenti habeantur. Utriuſque ſententiæ fundamenta late expoſita videnda ſunt* in Synodo Diœceſ. lib. 7. c. 28. *Quanquam non obſcure inclinare viſus eſt in ſententiam, quæ contractus, & Sacramenti totum quicquid contrahentibus vindicat. Merito tamen reprehendendi ſunt illi, qui a contracturis matrimonium non exigunt ſcientiam doctrinæ Chriſtianæ, ſaltem eorum quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Mandavit enim Clemens, & ipſemet Bened. XIV. in quadam Encyclica, quæ eſt in ejus Bullario* Tom. 1. n. 42. *ut Parochus ab inituris Matrimonium exquirat interrogando, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, & ſi deprehenderit ignoraſſe, matrimonio jungendi non ſunt. Monet inſuper cum Giribaldo, illos, qui præcipua Fidei myſteria ſciunt, ea vero quæ ſunt de neceſſitate præcepti rudi ſolum modo tenent, illos quidem poſſe aliquandiu retineri a matrimonio celebrando, atque interim Parochus illos diligenter doceat, & ſi deprehenderit rudiores eſſe ingenio, & exilis memoriæ ut doctiores fieri non valeant, tentetur tandem conjungere.* Ibid. c. 29.

*Reſp.* Requiritur verus conſenſus internus, mutuus, de præſenti, per verba, & alia ſigna ſenſibilia expreſſus, plene deliberatus, in ſe liber & immunis a metu gravi injuſto, ex Conc. Flor. Itaque

1. Requiritur verus conſenſus internus & mutuus: *Nam Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris conſenſum*, cap. 25. *de ſponſ.* Conſiſtit enim in contractu legitimo, qui eſt eſſentialiter duorum conſenſus. Hinc ſi conſenſus ſit ex alterutra parte fictus, nullum eſt Matrimonium, c. 26. *de ſponſ.* Qui tamen ficte conſenſit, peccavit graviter, tum contra reverentiam Sacramenti, falſo & ſine intentione adhibendo ejus ſigna; tum contra juſtitiam, quia in contractu oneroſo, ſi unus bona fide ponat partem ſuam, habet jus ut etiam alter adjiciat ſuam, & ſic ponatur æqualitas. Unde tenetur injuriam reſarcire, & damna compenſare, immo & tollere deceptionem, vere conſentiendo & contrahendo: niſi aliqua cauſſa gravis obſtet, qualis eſt magna conditionis inæqualitas, vel ſi gravia mala, capitales inimicitiæ, diſſidia, ſcandalum grave ex tali Matrimonio merito timeantur; quo caſu ſufficit pecuniaria compenſatio. Excipiuntur etiam hi caſus, nempe ſi tanta fuerit evidentia fictionis, ut mulier cenſeatur voluntarie decepta fuiſſe, quia volenti non fit injuria; vel ſi mulier decepta, ipſum etiam deceperit, ſimulando ſe eſſe virginem, cum non eſſet.

2. Conſenſus debet eſſe de præſenti, ex cap. 31. *de ſponſal.* Quia per ſola verba de præſenti fit traditio, in qua conſiſtit Matrimonium, quo traditur mutua corporum poteſtas, nam per verba de futuro fit ſolum promiſſio. Ideoque debet eſſe mutuo acceptatus, ex cap. 3. *de ſponſ. duorum*: nam traditio non eſt completa, nec dat jus ſine acceptatione. Porro iiſdem omnino verbis, quibus conjuges proprium conſenſum exprimunt, ſignificant etiam ſe acceptare obligationem, & conſenſum ab altero expreſſum; nam hæc verba; *accipio te in meum, vel in meam*, aut æquivalentia, utrumque ſignificant, nempe & obligationem propriam, & acceptationem obligationis alterius conjugis: nec poſſunt unum ſine altero velle, & exprimere; cum enim ſit contractus, conſtans eſſentialiter ex utriuſque obligatione, non poteſt vir, v. gr. dicere. *Volo eſſe tuus vir*, quin eo ipſo dicat virtualiter, & implicite: *Volo te habere in uxorem*, & conſequenter volo te habere mihi obligatam, ſine qua obligatione non eſſet uxor, nec vir ejus maritus. Item non poteſt vir velle accipere mulierem in legitimam uxorem, quin ſimul velit eſſe ejus maritus, ideoque ſe ei ut uxori obligare, cum nequeat habere illam uxorem, niſi ipſe velit eſſe ejus maritus, & ſe ei obligare; idem eſt de uxore.

3. Debet eſſe plene deliberatus, hoc eſt, factus cum advertentia de ſe ſufficienti ad mortale. Nemo enim poteſt obligationem gravem ſibi liberam contrahere, niſi plene conſentiat. Item debet eſſe in ſe liber; nam omnis contractus humanus exigit eſſe in ſe liber, & non in cauſſa tantum. Unde non valet, ſi datus ſit in ebrietate voluntaria, in qua fuerit præviſus, nec debet eſſe extortus ex metu (Vid. N. 180. & ſeq. duos.) gravi injuſto: nam conſenſus ſic extortus invalidat Matrimonium, ut dicetur infra.

4. Utriuſque conſenſus debet eſſe ſimul moraliter, ita ut unius partis conſenſus perſeveret moraliter, nec revocatus ſit, dum exprimitur conſenſus alterius: alioqui non eſſet mutuus duorum in idem conſenſus. Sufficit tamen ſi conſenſui unius phyſice præterito non revocato, accedat conſenſus alterius, licet interpoſito intervallo; nam id omni contractui ſufficit, & alias non poſſet iniri Matrimonium per litteras, vel procuratorem.

5. Ille conſenſus debet ſigno aliquo externo exprimi: quia eſt contractus humanus, ideoque nonniſi modo ſenſibili perficiendus; & quia mutua requiritur conſenſus acceptatio. At non poteſt acceptari niſi cognoſcatur, nec cognoſci niſi per aliquod ſignum externum declaretur. Quamvis autem ad ejus valorem ſufficiat quodvis ſignum ſufficienter eum manifeſtans, ex Catech. Rom. & ex Conc. Florent. quod non requirit verba abſolute, ſed cum addito *regulariter*; tamen verbis proprie dictis exprimi debet, dum poteſt; quia verba vocalia melius ac clarius, quam alia ſigna, conſenſum exprimunt; proinde uſurpari debent in contractu tanti momenti, dum poſſunt.

Quæſt. IV. *An ad Matrimonii valorem requiritur, ut intendatur copula?*

*Reſp.* Nego: Sed ſufficit quod intendatur ſaltem implicite & confuſe tranſlatio dominii corporum in ordine ad actum conjugalem, ſeu jus ad copulam. Quia 1. Matrimonium nihil eſt aliud eſſentialiter, quam mutua traditio, & acceptatio poteſtatis corporum in ordine ad copulam, dando & recipiendo jus ad copulam. Unde copula ſupponit jam Matrimonium conſtitutum. Item eſſentia Matrimonii conſiſtit in conjunctione animorum per mutuam traditionem poteſtatis corporum ad finem Matrimonii ſaltem confuſe cognitum. 2. B. Virgo & S. Joſeph ex communi ſenſu Eccleſiæ, verum contraxerunt Matrimonium; licet non intenderint copulam, immo ſe per votum obligarint ad ſe abſtinendum ab ea. 3. Valide initur Matrimonium cum voluntate ingrediendi religionem ante illius conſummationem.

Quæſt. V. *An ſufficit conſenſus conditionatus?*

*Reſp.* 1. Valet Matrimonium, ſi conditio ſit de præſenti, & extet; vel de præterito, & extiterit: quia, poſita conditione, conſenſus tranſit in abſolutum, cum ſit aut fuerit id, ad quod ut præſens aut præteritum conſenſus alligatus eſt. Secus, ſi conditio non ſubſiſtat; nam tunc abeſt conſenſus; quippe contrahentes ab initio conſentire nolunt, niſi ſtatuto tempore impleatur conditio. Si autem conditio honeſta & poſſibilis ſit de futuro contingenti, non perficitur Matrimonium, donec impleatur conditio, ex c. 5. *de condit.* quia non perficitur niſi conſenſu, quo contrahentes ſibi mutuo tradunt actu poteſtatem ſuorum corporum, in ordine ad actum generationis: at non tradunt niſi conſenſu abſoluto, aut in abſolutum tranſeunte, ut patet ex aliis contractibus; nam voluntas non vult tradere niſi poſita conditione. Itaque valor Matrimonii ſuſpenditur uſque ad conditionis eventum, quem tenentur contrahentes expectare, & eum non impedire, ſi conditio non ſit turpis.

Hinc qui ſub conditione de futuro unam duxit, ſi ante impletam conditionem aliam abſolute ducat, valebit hoc ultimum Matrimonium, licet ſit illicitum: Si autem duxerit duas ſub tali conditione, valebit



lebit cum illa, cum qua conditio prius implebitur. Si vero conditio non impleatur, nullus eſt contractus, c. 3. *de condit.*

Porro quamvis ſecundum multos, adveniente conditione Matrimonium perficiatur ſine novo conſenſu; modo prior conſenſus non fuerit revocatus, quia ceteri contractus conditionati poſita conditione fiunt abſoluti; tamen in praxi curandum eſt, ut ſic contrahentes impleta conditione conſenſum renovent, & quidem coram parocho & teſtibus, ne forte ab alterutra parte revocatus fuerit; & quia multi alii novum conſenſum abſolute exigunt. Item contrahentes debent coram Parocho & teſtibus affirmare conditionem eſſe impletam, niſi hi ejus impletioni interfuerint; quia Conc. Trid. exigit, ut intelligant Matrimonium vere contractum eſſe.

*Reſp.* 2. Si conditio appoſita repugnet naturæ, indiſſolubilitati, vel fini Matrimonii, aut ejus bono ac fidei, irritum eſt matrimonium, ex cap. ult. *de condit.* ibi. *Si conditiones contra ſubſtantiam conjugii inſerantur, puta ſi alter dicat alteri, contraho tecum, ſi generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam ditiorem; aut, ſi pro quæſtu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque ſit favorabilis, caret effectu*, Ratio eſt, quia nihil poteſt ſine ſua ſubſtantia ſubſiſtere: at ſubſtantia Matrimonii ex inſtitutione divina conſiſtit in conſenſu & obligatione ad perpetuam ſocietatem, ad fidem conjugalem ſibi ſervandam, & ad prolem non impediendam, ſed ſuſcipiendam & educandam.

Si conditio non adverſetur ſubſtantiæ & fini Matrimonii, non illud irritat in foro externo, licet ſit turpis; ut ſi quis dicat: Contraho tecum ea conditione, ut victum furto quæras; vel etiam ſit abſolute impoſſibilis, ex cap. cit. ibi: *Licet aliæ conditiones appoſitæ in Matrimonio, ſi turpes aut impoſſibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Quæ conſtitutio, ex Delugo, valet etiam in foro interno, quando aliunde non conſtat de carentia conſenſus. Quamvis enim Eccleſia non poſſit ſupplere conſenſum Matrimonii, ſi deſit, (cum nulla poteſtas humana poſſit dare poteſtatem tui corporis ad uſum conjugii ſine tuo conſenſu) tamen cum præſumantur contrahentes (niſi aliud conſtet) voluiſſe contrahere Matrimonium ſecundum leges, & ſenſum quo verba in jure intelliguntur, recte cenſentur implicite voluiſſe, non obſtante conditione impoſſibili aut turpi, contractum valere. Ceterum in foro conſcientiæ ſtandum eſt dicto contrahentis, an habuerit vere intentionem contrahendi, non obſtante tali conditione; quam ſi non habuerit, nullum eſt Matrimonium ob defectum conſenſus; nam conſenſus ſub conditione non eſt actus, niſi poſita conditione. ſi ergo conditio non poteſt poni, nunquam erit conſenſus.

Quæſt. VI. *An ad valorem matrimonii requiritur conſenſus parentum?*

*Reſp.* Nego. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. *Ubi eos anathemate damnat, qui falſo affirmant, matrimonia a filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata vel irrita facere poſſe.* Sed addit ea ſemper fuiſſe ab Eccleſia prohibita. Sunt etiam contra præceptum divinum honorandi parentes, niſi ipſi, ſuum conſenſum rogati, ſine juſta cauſſa denegent, itaut non ſint rationabiliter inviti. Ratio autem cur ejuſmodi Matrimonium ſit validum, eſt, quia omnis homo ſufficienti ratione & legitima ætate præditus, plenum atque integrum habet dominium in corpus ſuum, independenter a parentibus.

Porro in Gallia Matrimonia ſine conſenſu parentum contracta, non cenſentur invalide contracta, niſi quoad aliquos effectus civiles, ut declaravit Ludovicus XIII. & habetur in actis Cleri Gallicani, tom. 3. Immo valent etiam quoad illos, ſi filii familias excedant annos XXX. & filiæ XXV. modo ſcriptis requiſierint conſenſum parentum, ex edicto Henrici II.

⊕ Addidimus huic quæſtioni, quæ hac de re luculenter expoſita ſunt in l. VII. DE SYNODO DIOECESANA c. 13. ubi n. 2. indicantur civiles leges, quibus irrita declarantur inita a ſervis, & filiisfamilias ſine conſenſu parentum vel dominorum matrimonia. N. 3. canones recenſentur, quibus Eccleſia ratas quondam habuit hujuſmodi civiles leges. Num. 4. ſequenti modo res exponitur. *Verum poſtea conſultius viſum eſt Eccleſiæ, præfatas civiles leges pluribus ſæculis a ſe, aut approbatas, aut toleratas corrigere, & abrogare, ſtatuitque, ut deinceps nuptiarum validitas a ſolo pendeat contrahentium conſenſu, nequaquam autem a nutu eorum, ſub quorum dominio, vel poteſtate contrahentes exiſtunt, quod generatim ſancitum legimus* in cap. Cum locum, de ſponſal. & matrim. in cap. Licet; & in cap. Tua de ſponſa duorum; *ſpeciatim vero de ſervis reſcripſit Adrianus Papa ad Archiepiſcopum Saliſburgenſem* in c. Dignum de conjugio ſervorum: „ Nec inter ſervos matrimonia debent ullatenus prohiberi, & ſi dominis contradicentibus, & invitis contracta fuerint, nulla ratione ſunt, propter hoc, Eccleſiaſtico judicio diſſolvenda." *ac tandem de filiisfamilias, poſt alias ſanctiones indicatas ab Juenino* cit. diſſ. 10. q. 5. c. 3. ar. 1. *definivit Tridentinum* ſeſſ. 24. c. 1. de reform. matrim. *ubi anathemate perculit*, qui falſo affirmant matrimonia a filiisfamilias, ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe.

5. *Quamobrem non licet hodie eaſdem civiles leges jamdiu ab Eccleſia reſciſſas excitare, earumque obtentu, firmitatem adimere aut ſervorum, aut filiorumfamilias connubiis, quibus domini, vel parentes non annuerunt. Quod autem affirmat Bohemerus* jur. Eccl. Proteſtantium l. IV. tit. 9. §. 6. *nempe in Pomerania, Weſtphalia, & Bohemia, ubi adhuc remanent veſtigia antiquæ ſervitutis, & etiam hodie reperiuntur* homines proprii, *hoc eſt exiſtentes ſub dominorum proprietate, iſtorum connubia non aliter eſſe valida, quam ex dominorum conſenſu, aut eſt accipiendum de ſervorum conjugiis, quoad effectus civiles, aut non eſt admittendum a Catholicis, illis in regionibus degentibus, qui ſanctioribus Eccleſiæ legibus reguntur. Intra fines pariter pœnarum civilium concluditur edictum a Chriſtianiſſimo Rege Henrico II. in Comitiis Bleſenſibus anni 1579.* art. 30. *promulgatum, atque a Ludovico XIII. an. 1629. & 1639. renovatum, quo nulla, & invalida declarantur Matrimonia a filiisfamilias contracta ſine conſenſu parentum; illud ſiquidem verbum* in-

invalida, non eſſe aliter explicandum, quam per ſolam relationem ad contractum civilem, *ejuſdem Ludovici nomine, Clero Gallicano reſponderunt Regis Commiſſarii, ut habetur* tom. III. rerum, & decretorum Cleri Francici: *teſtaturque Lovetus, in Pariſienſi Senatu Conſiliarius*, tit. 6. litt. M. *ſcribens*. „ Nullitas matrimonii proveniens ex defectu conditionum, quas requirit art. 40. Bleſenſis Conſtitutionis, nullatenus attingit ipſum Sacramentum, quod nihilominus in iſto matrimonio exiſtit: non agitur de Sacramento matrimonii, aut ejus eſſentialibus cæremoniis, ſed de validitate conventionum matrimonialium, de acceſſoriis matrimonii, de dotis validitate, & communitate inter virum, & uxorem, quæ conditiones non dependent ex Theologicis deciſionibus, ſed ex edictis in Parlamento verificatis: *Item oſtendit Iſaacus Habertus Epiſcopus Vabrenſis* in libro de juſtitia connubialis edicti *a Ludovico XIII. conditi, ubi hæc habet*: „ Non multum laborandum eſt de conciliandis Regiis edictis cum Eccleſiæ ſententia: nullo ſiquidem edicto, matrimonia filiorumfamilias invalida, ac nulla eſſe, abſque conſenſu parentum, tutorumve, conſtitutum eſt, etſi hic error multis impoſuerit. Prohibita quidem ſunt, ſed invalida, & nulla eſſe, hauquaquam definitum. Unde etiam Deceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtens Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus, ea iterum prohibuit, ac auſterius interdixit: invalida tamen, ac nulla eſſe, contra Tridentinæ Synodi decretum, ac Theologorum unanimem in Regno ſuo ſententiam, minime ſanxit. *Idem tradit Cabaſſutius* in theor. & prax. jur. Canon. lib. III. c. 26. n. 5. & 7. *ubi Brodeum carpit, quod Regium edictum ad ipſam etiam Sacramenti rationem protraxerit. Idem docet Gerbaſius in libro, quem inſcripſit* Tractatus pacificus &c. p. 504. *Idem Natalis Alexander* Theolog. dogm. & moral. tom. VI. de Sacram. Matrim. c. 3. ar. 3. prop. 4. *Quocirca neſcimus, qua ratione Juenin.* in cit. diſſert. 10. c. 3. ar. 2. *metuerit, ſuum calculum adjicere tot Doctorum Gallicanorum ſententiæ, Regis etiam declaratione firmatæ, & decidere noluerit, an revera in Gallia matrimonia inita a filiisfamilias ſine conſenſu parentum ſint valida quoad ſubſtantiam, etſi civilibus effectibus deſtitui, nemo dubitet. Neque extra inſtitutum vagati ſumus, dum hæc prolixius enarravimus: Siquidem verebamur, ne Epiſcopi, prædicti Juenin. aliorumque, contra communem ſapientiorum Galliæ doctorum ſenſum idem ſcriptitantium auctoritate decepti, non audeant in ſuis Synodis declarare, matrimonia a Filiisfamilias, invitis ac inſciis parentibus contracta, etſi illicita, valida tamen eſſe; ac proinde integrum non eſſe Contrahentibus, quamdiu eorum alter ſuperſtes eſt, alias nuptias inire: quam profecto Synodalem declarationem ad conſulendum animarum ſaluti, non ſolum utilem, ſed maxime neceſſariam reputamus.*)

Quæſt. VII. *An matrimonium valide contrahitur per procuratorem, & inter abſentes?*

*Reſp.* Affirm. Quia 1. Eccleſia ſic contrahi permittit, ut patet ex praxi præſertim inter Principes. 2. Alii contractus valide fieri poſſunt inter abſentes per procuratorem, vel per litteras, ergo & Matrimonium; nam Chriſtus evehendo contractum Matrimonii ad rationem Sacramenti, nihil immutavit de natura contractus. 3. Sic valide contrahebatur ante Concil. Trid. ut patet ex cap. ult. *de procurat. in* 6. ubi Bonifac. VIII. id expreſſe declarat. Concil. autem Trid. non irritavit, niſi matrimonia clandeſtina: at ea quæ per procuratorem fiunt coram parocho & teſtibus, non ſunt clandeſtina.

Sed ex eod. cap. ult. *de procurat. in* 6. ad tale matrimonium tria requiruntur. 1. Ut procurator ad hoc habeat mandatum ſpeciale. 2. Ut procurator alium ſibi non ſubſtituat, niſi hoc ei ſit ſpecialiter commiſſum. 3. Ut procurator antequam contraxerit, non fuerit a domino revocatus: alioqui matrimonium nullum eſt, etiamſi tam ipſe quam pars, quacum contrahit revocationem ignoret: quia tunc deeſt conſenſus illius, cujus nomine procurator contrahit: qui conſenſus ſuppleri non poteſt a jure in matrimonio, ſicut poteſt ſuppleri in aliis contractibus: nam alii contractus per procuratores facti valent etiam revocato mandantis conſenſu, modo revocatio neque procuratori, neque parti innotuerit, l. 15. §. *Mandati*. Poſt Conc. Trid. autem requiritur etiam præſentia parochi & duorum teſtium.

*Dices*. Si hoc ita ſit, quare ergo ſponſi poſtea præſentes in facie Eccleſiæ conjunguntur? *Reſp.* Hoc fit, non quod Matrimonium reparetur invalidum, ſed vel ad ſupplendas ſollemnitates omiſſas, vel ad confirmandum contractum, vel ad majorem ſecuritatem, ne forte alteruter conſenſum, antequam procurator contraxerit, revocaverit. Tribus illis conditionibus quarta addenda eſt, ne procurator fines mandati excedat ſui: mandans enim non cenſetur conſentire, niſi ſerventur ab ipſo præſcriptæ conditiones. L. *Diligenter D. mandati*.

Item valet Matrimonium per litteras contractum, modo coram parocho & teſtibus legantur litteræ ſignificantes utriuſque conſenſum de præſenti, de quarum veritate ſatis illis conſtet: nam contractus ſic facti valent. Hic tamen contrahendi modus non eſt uſurpandus ſine gravi neceſſitate, quæ rariſſime poteſt contingere. Qui autem ſic contraxerunt, poſtea coram poſiti contractum ratum habeant, ne forte conſenſus ab alterutro fuerit revocatus.

Quæſt. VIII. *An Matrimonium eſt indiſſolubile* (1) *quoad vinculum, ſeu tranſlationem dominii?*

*Reſp.* 1. Quodvis Matrimonium abſolute contractum eſt & ſemper fuit ſine ſpeciali licentia Dei inſolubile, ex cap. unic. *de voto in* 6. & ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. idque tum jure divino naturali; nam ſolubilitas vinculi repugnat finibus Matrimonii, qui ſunt prolis conveniens generatio, ejuſdem recta educatio, & arctiſſima inter conjuges animorum conjunctio.

(1) *Circa indiſſolubilitatem matrimonii male ſentiunt, ac ſcribunt recentiores Proteſtantes, ex N. 19. & 21. Unde cautos eſſe oportet (N. 390.) illos præſertim Profeſſores Catholicos, qui ſtudioſæ Juven: uti prælegunt ipſorum Commentaria de Naturali Juriſprudentia. ex. gr. libros Puffendorfii* de Officio hominis, & civis &c.



ctio. Et licet non ſit conſummatum, ordinatur tamen ex ſe, ut conſummetur, & proles procreetur. Tum jure divino poſitivo, ex Matth. 19. ubi Chriſtus Matrimonium ad ſuam primævam inſtitutionem revocans, ſic ait: *Qui fecit hominem ab initio, maſculum, & feminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

Deus tamen quodlibet Matrimonium, etſi conſummatum, poteſt etiam quoad vinculum diſſolvere tamquam ſupremus creaturarum omnium & jurium illarum dominus, auferendo utrique conjugi dominium in corpus alterius, & ſua providentia impediendo incommoda inde ſequi nata.

*Reſp.* 2. Matrimonium conſummatum baptizatorum nullo caſu diſſolvi poteſt ab hominibus. *Prob.* 1. ex Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*: & Luc. 16. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur*: & Cor. 7. *Iis qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat &c.* 2. Ex perpetua praxi Eccleſiæ, quæ id nunquam permiſit. 3. Ex Conc. Florent. decreto de Sacram. *Quamvis ex cauſſa fornicationis liceat thori ſeparationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas eſt; cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit*. Et ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. can. 5. & 7. Ratio eſt, quia hoc Matrimonium eſt ſignum perfectum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem, ex c. 5. de *bigam.* quæ conjunctio eſt indiſſolubilis; Verbum enim nunquam humanitatem aſſumptam amittet.

Porro abſoluta illa inſolubilitas eſt ex præcepto Chriſti addito juri naturali.

Non obſtat illud, Matth. 19. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Nam ſenſus eſt: Quicumque dimiſerit uxorem, videlicet quoad thorum & cohabitationem abſolute ac in perpetuum, niſi ob ejus fornicationem, mœchatur, hoc eſt, reus ſit mœchiæ alienæ, ſeu *facit eam mœchari*, ut habetur Matth. 5. & qui aliam duxerit quacumque ex cauſſa, mœchatur, mœchia ſcilicet propria. Unde Chriſtus duo ibi docet, nempe & propter ſolum adulterium dimiſſionem abſolute & in perpetuum quoad thorum & cohabitationem fieri poſſe per ſe & vi contractus Matrimonii; & facta tali dimiſſione non poſſe novum iniri Matrimonium vivente conjuge. Nam Chriſtus ipſe ea quæ hic obſcure dixerat, ad vitandas interrogantium calumnias, alibi diſcipulis clare exponit, nempe Matth. 5. *Qui dimiſerit uxorem ſuam excepta fornicationis cauſſa, facit eam mœchari*: & Marc. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. Etſi uxor &c.*

Nihilominus Chriſtus ſatisfecit interrogationi factæ de dimiſſione, quoad vinculum. Nam cum dimiſſio quoad vinculum includat poteſtatem dimittendi unam, & ducendi alteram, Chriſtus has duas dimiſſiones ſejungens priorem conceſſit, poſteriore negata; priorem que dimiſſionem abſolutam ac perpetuam, & vi contractus Matrimonii factam, quoad thorum ſcilicet & habitationem, reſtrinxit ad ſolam fornicationem, ſeu adulterium.

*Reſp.* 3. Matrimonium infidelium non diſſolvitur hoc ipſo quod unus conjugum ad fidem convertitur, altero remanente in infidelitate, cum fuerit validum, etiamſi contractum ſit in gradu ab Eccleſia prohibito; quia infideles non ſubjiciuntur legibus Eccleſiæ. At ex Dei diſpenſatione in favorem religionis Chriſtianæ conceſſa, conjux fidelis habet jus diſſolvendi illud etſi conſummatum, & contrahendi aliud, ſi infidelis nolit ei cohabitare, vel ſi velit quidem cohabitare, ſed non ſine Creatoris injuria, Chriſtum blaſphemando, religionem chriſtianam contemnendo, vel ſi non patitur fidelem chriſtiane vivere, aut ad infidelitatem aliudve peccatum inducat. Patet ex cap. *Quanto de divort.* & ex 1. Cor. 7. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi*. Diſſolvitur autem per aliud Matrimonium converſi ad fidem. Quod ſi converſus non ineat aliud Matrimonium, non poteſt infidelis aliud contrahere: quia diſſolubilitas eſt ſolum conceſſa in gratiam fidei.

Immo multi docent, Matrimonium infidelis ad fidem converſi diſſolvi poſſe, ſi alter converti nolit, quamvis velit cohabitare pacifice, ex c. *Judæi*, & can. *Spe* 28. q. 1. ſi vero uterque infidelis conjugatus baptizetur, eorum Matrimonium ſit ratum per baptiſmum: nam hoc ipſo quod tales communi conſenſu baptizantur, dant ſignum externum, quod conſentiant in Matrimonium præcedens, ut juxta Chriſti inſtitutionem ſit inſolubile; & ſi conſummetur poſt baptiſmum, ſit abſolute indiſſolubile.

✠ Vid. c. 4. l. VI. ejuſdem Tractatus de Synodo in quo SS. D. N. clarius hujuſmodi controverſiam exponit n. 3. *Quod plus negotii*, inquit, *faceſſit Epiſcopis, eſt Matrimonium ab Hebræis in infidelitate contractum, & conſummatum, de quo diſputatur, an & quando per converſionem alterutrius conjugis ad Chriſtianam Fidem dirimatur. Certum eſt Infidelium conjugium ex privilegio in Fidei favorem a Chriſto Domino conceſſo & per Apoſtolum Paulum* 1. ad Cor. c. 7. *promulgato diſſolvi, cum conjugum alter Chriſtianam fidem amplectitur, renuente altero in ſua infidelitate obdurato cohabitare cum converſo; aut cohabitare quidem volente, ſed non ſine contumelia Creatoris, hoc eſt non ſine periculo ſubverſionis conjugis Fidelis, vel non ſine execratione ſanctiſſimi nominis Chriſti, & Chriſtianæ religionis deſpicientia: ex hoc vero ſit, integrum non eſſe conjugi converſo, tranſire ad alia vota, prius quam Infidelis interpellatus, aut abſolute recuſaverit cum eo cohabitare, aut animum ſibi oſtenderit, cum illo quidem cohabitandi, ſed non ſine Creatoris contumelia, uti colligitur ex celeberrima Decretali Innocentii III.* in c. Quanto de divortiis, *notantque Sanchez* de Matrim. lib. VII. diſp. 74. n. 12. *Salmanticenſes* tr. 9. de Matrim. cap. 4. n. 48. *Cardinalis de Laurea* de Matrim. diſp. 16. n. 198. *Clericatus* de Sacram. Matrim. dec. 23. n. 24. *At quandoque evenit, conjugem Infidelem in longinquas abiiſſe regiones, aut ita latitare, ut inter-*

*pellari nequeat, & tunc dubitatur, an interpellatione omiſſa, fas ſit converſo alias inire nuptias. Aſſirmant plerique, quibus adſtipulantur Sanchez* cit. loc. n. 14. *Genuenſis* in praxi Cur. Archiepiſc. Neapolit. cap. 7. n. 20. *Riccius* in praxi part. 2. reſol. 24. *Alii ex adverſo, inter quos Pontius* lib. VII. de Matrim. c. 48. n. 22. *in eo rerum ſtatu neceſſariam putant diſpenſationem Summi Pontificis, cujus eſt declarare, in quibuſnam circumſtantiis deſit obligare præceptum Divinum, quo prædicta interpellatio, ante reſciſſionem matrimonii, videtur injuncta, atque huic poſteriori ſententiæ, in quadam cauſſa Florentina diſcuſſa 17. Jan. 1722. adhæſit ſacra Congr. Conc., cujus judicio Nos omnia ſubjecimus rationum momenta, quæ a diſſidentibus inter ſe Doctoribus, in utramque partem afferuntur, uti legere eſt* Tom. II. Theſaur. Reſol. p. 117. & ſeq. *Nec Sedes Apoſtolica difficilem ſe præbet tam petentibus diſpenſationem, quum urgens cauſſa ſuadeat concedendam: etenim, ſicut in præfata cauſſa Florentina animadvertimus, Greg. XIII. locorum Ordinariis, Parochis, & Presbyteris Miſſionariis Societatis Jeſu, in Angola, Æthyopia & Braſilia degentibus poteſtatem fecit diſpenſandi cum quolibet conjuge, qui Chriſtianæ religioni nomen dedit, ut novum poſſit matrimonium inire, omiſſa interpellatione alterius conjugis infidelis, in quem conſtat legitime interpellari non poſſe, & nos ipſi, ad Petri Cathedram evecti, facultatem conceſſimus Apoſtolico Nuncio Venetiis commoranti, ut in ſimili rerum eventu poſſit ab ejuſdem interpellationis onere relevare conjuges converſos, exiſtentes in loco pio Catechumenorum ejuſdem Civitatis Venetiarum, quod habetur* in noſtra Conſt. 3. noſtri Bullarii Tom. II.

4. *Sed alia hinc oritur controverſia de temporis momento, quo reſcindatur fœdus connubii, de quo eſt ſermo. Plerique Doctores ſentiunt, interpellato conjuge infideli, eoque, aut expreſſe abnuente legitime cohabitare cum fideli, aut intra terminum ſibi in interpellatione præfixum, nihil reſpondente, diſſolutum ſtatim cenſeri vinculum conjugii, quo erant ambo conſtricti: alii arbitrantur, tunc primum dirimi, cum conjux converſus alteras nuptias contrahit; ab iſtius autem controverſiæ deciſione, alterius pendet enodatio difficultatis, de qua non ſemel contingit in Eccleſiaſticis Foris diſputari. Fingite, Titium Hebræum Chriſtianam fidem amplecti; poſtquam fuit Baptiſmate ablutus uxorem ſuam Næviam, quam in Judaiſmo pertinacem reliquit, interpellet, an velit ſecum cohabitare ſine Creatoris contumelia: Nævia aut expreſſe renuat, aut intra præfinitum ſibi temporis intervallum nihil reſpondeat: aliud deinde matrimonium cum Hebræo viro contrahat Nævia, Titius autem Chriſtianus cœlibem ſtatum eligat. Fingite rurſus, poſt aliquot annos, Næviam cum ſuo ſecundo viro ad Chriſtianam Fidem converti, volente adhuc Titio cœlibatum; gravis ſtatim excitatur quæſtio, an Nævia redire debeat ad Titium ſuum primum virum, an potius permanere cum ſecundo. Hujus autem quæſtionis deciſio ab alia pendet quam antea proponebamus. Etenim ſi matrimonium Titii cum Nævia reſciſſum fuit, ſtatim ac Nævia interpellata renuit cum Titio legitime cohabitare; uti opinantur Doctores primæ ſententiæ, valide profecto potuit eadem Nævia alteri ſe copulare viro, cum quo propterea perſeverare debet, etiam cum ambo Chriſtianorum Sacris ſunt initiati: at ſi matrimonium in infidelitate contractum, tunc ſolum diſſolvitur, quando conjux converſus aliud conjugium init, uti exiſtimant Doctores ſecundæ ſententiæ, cum Titius, in caſu, aliam non duxerit uxorem, illegitimum certe fuit novum matrimonium a Nævia, nondum a priori vinculo ſoluta contractum; atque idcirco cum Chriſtianam fidem amplectitur, tenetur ad primum virum redire. Verum cum res contigerit Florentiæ an. 1726. & de ea diſceptaretur in Sac. Congr. Conc. Nos pro noſtro, quod tunc gerebamus, Secretarii munere, diſſertationem elucubravimus, qua luculenter oſtendimus, ex enunciatis ſententiis poſteriorem eſſe, tam inter antiquos, quam inter recentiores Theologos, & Canoniſtas, fere communiter receptam: ex quo concluſimus, virum Hebræum, de quo res erat quippe cum ſecunda uxore quam juxta præmonſtratum caſum duxerat, Baptiſmum petebat, poſt illud ſuſceptum teneri redire ad primam jampridem Chriſtianam factam, & adhuc perſeverantem innuptam; & Sac. Congr. ne latum quidem unguem a noſtra ſententia receſſit, eoque libentius eam eſt amplexata, quod, Nobis pariter ſuggerentibus, compererit, ita conſentientibus Theologis in conſilium adhibitis, fuiſſe ab eadem definitum an. 1679. & 1680. in ſimili caſu, qui Florentiæ quoque evenerat: quæ omnia legenda ſunt* in Theſ. reſ. Tom. 6. pag. 336. & 391. ac ſeq.

5. *Alter ejuſdem cauſſæ articulus, Sac. Congr. diſcuſſioni tunc quoque propoſitus indeciſus remanſit: quærebatur itidem, an ſaltem jus eſſet Summo Pontifici, primum matrimonium, in infidelitate contractum, & conſummatum, ſuprema ſua auctoritate relaxandi, veniamque concedendi conjugi, tardius ad Fidem converſo, ut in prædictis rerum circumſtantiis, poſſet cum ſecunda uxore permanere. Opportuna etiam de hac, longe utique graviori quæſtione fuit a Nobis emanata diſſertatio, quæ extat* Tom. 4. Theſ. reſ. pag. 130. & ſeq. *in qua plures allegavimus Doctores, hanc poteſtatem Pontifici aſſerentes, ſimulque contendentes, eam reipſa exercuiſſe S. Pium V. & Greg. XIII., ſicut cit. diſſertatione fuſe habetur; ſed Sac. Congr. ſatius duxit a ſententia ferenda ſe abſtinere, quoniam, etiam data Pontifici poteſtate reſcindendi prius vinculum conjugii in infidelitate contracti, nihilominus, quod Nos Sac. Congr. inſinuare non prætermiſimus, merito dubitabatur, num eæ adeſſent graviſſimæ cauſſæ, quæ neceſſariæ ſunt ut per Apoſtolicam diſpenſationem dirimatur.*

6. *Itaque Epiſcopus diœceſi præſidens, in qua ob admixtionem Chriſtianorum cum Hebræis, interdum caſus occurrant, de quibus diſſeruimus, utiliter de iiſdem ſermonem inſtituet in Synodo, ſalubriter in ea formam inſeret interpellationis a conjuge converſo, alteri faciendæ in ſua perſiſtenti perfidia, quam formulam integram refert Clericatus* cit. loc. *prudenter denique ſuis Parochis doctrinam tradet, a Sac. Congr. Conc. approbatam, ſecundum quam dijudicare debeant, an, & quando, per converſionem alterutrius conjugis ad Chriſtianam Fidem,*

*alter*



*alter in infidelitate relictus libertatem nanciſcatur a vinculo matrimonii, quo erat obſtrictus. Irrepſerat intolerabilis abuſus, quod maritus Hebræus ad Fidem converſus libellum repudii juxta ritum Judaicum ad uxorem tranſmittebat in ſua infidelitate perſiſtentem, cujus ope libelli uxor Hebræa ad alia vota tranſibat. Adverſus autem hunc abuſum edita eſt a nobis Conſt. quæ incipit:* Apoſtolici miniſterii, *edita die 16. Septembris 1749. in ſecundum tomum noſtri Bullarii inſerenda. Futiliter autem hæc pertractarentur in Synodo diœceſis, a qua Hebræi coguntur perpetuo exulare, nec proinde unquam in ea caſus eveniunt, de quibus hactenus.*

*Reſp.* 4. Matrimonium baptizatorum ratum, ſed non conſummatum, diſſolvitur in duobus caſibus. 1. Per profeſſionem ſolemnem in religione approbata, ex c. *Verum*, & c. *Ex publicis de converſ. conjug.* & ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. can. 6. Quia conditio (Niſi religionem profitear ante conſummationem) jure ſaltem eccleſiaſtico appoſita eſt contractui Matrimonii, in favorem boni communis, cui perſona privata cedere nequit. Dum autem unus conjugum religionem ingreſſus eſt, alter non poteſt cum altero contrahere, niſi poſt profeſſionem prioris, cum per hanc ſolam diſſolvatur Matrimonium.

*Nota*. Conjugibus ante conſummationem conceduntur duo menſes ad deliberandum de religione ſuſcipienda, ex c. *Ex publico* cit. intra quod tempus conjux cogitans de religione non tenetur conſummare, nec poteſt ſine injuria ad id cogi. Sed hoc exacto tenetur reddere debitum, ſi exigatur ab altero: tamen quamdiu matrimonium non eſt conſummatum, tamdiu liberum eſt conjugibus religionem ingredi; & uno profitente, poteſt alter ad alias nuptias tranſire, ex c. *Verum* cit. Secus, ſi Matrimonium conſummetur, etiam per vim & primo menſe.

2. Ex Canoniſtis & Theologis plurimis diſſolvitur per auctoritatem Papæ, qui tamquam ſupremus Vicarius Dei poteſt, ob cauſſam valde gravem, ſolvere tale Matrimonium.

*Prob.* 1. Ex facto plurium Pontificum, qui in hoc diſpenſarunt, ut Martini V. & Eugenii IV. teſte S. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 21. §. 3. Pii II. & Pii IV. teſte Navarro, Greg. XIII. teſte Præpoſito, & Clementis VIII., & Urbani VIII. teſte Conrado &c. 2. Quia cum poſſit Papa diſpenſare in profeſſione religioſa, per quam dirimitur Matrimonium ratum, cur non poſſet in Matrimonio ipſo rato; nam profeſſio religionis eſt fortius vinculum, quam ſit vinculum Matrimonii rati; cum profeſſio religionis hoc vinculum diſſolvat, juxta illud juris axioma: *Si vinco vincentem te; a fortiori vincam te*: 3. Talis poteſtas expedit bono Eccleſiæ & ſaluti animarum. At Chriſtus dedit ſuo Vicario omnem poteſtatem, quæ bono Eccleſiæ & ſaluti animarum expediret.

Nec obſtat illud Chriſti: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, Matth. 19. Quia hæc verba ſpectant Matrimonium conſummatum, quo ſolo conjuges fiunt una caro, ut docet Alexander III. c. *Ex publico*. Unde Matrimonium eſt quidem inſolubile, ſed ab ipſis contrahentibus, & poteſtate mere humana, qualis non eſt hæc poteſtas Papæ, qui non diſſolvit illud ut homo, ſed ut Vicarius Chriſti, & ejus diſpenſator. Cum autem Matrimonium ratum ſit duntaxat ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia per charitatem, quæ in multis juſtis diſſolvitur, non debet eſſe ita inſolubile ſicut conſummatum; quod eſt ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia per carnis aſſumptionem, quæ nunquam diſſolvetur, c. *Debitum*, de bigam.

Nec inde ſequitur, Matrimonium conſummatum poſſe etiam diſſolvi auctoritate Papæ: nam hoc eſt omnino indiſſolubile ob perfectam ſignificationem unionis Chriſti cum Eccleſia per aſſumptionem humanitatis. Et hoc Matrimonium a rato differt integraliter, ſicut perfectum ab imperfecto ſeu minus perfecto in ratione ſigni. Nam Matrimonium ratum caret integrali perfectione, quæ complet conſummatum in ſua perfecta ſignificatione unionis Chriſti cum Eccleſia per aſſumptam carnem: quam quidem perfectionem habet Matrimonium conſummatum.

Nec obſtat quod Matrimonium ratum ſit Sacramentum. Nam licet ſit Sacramentum, pendet tamen a contractu humano tamquam fundamento, ſuper quo contractu poteſtatem habet Eccleſia; quamvis Eccleſia nil poſſit circa Sacramenta a contractu humano independentia.

Quæſt. IX. *Num & quando licitum eſt divortium, ſeu ſeparatio conjugum, quoad thorum duntaxat & habitationem, manente vinculo conjugali.*

*Reſp.* Ob varias cauſſas licite fieri poteſt, ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. can. 8. & ex jure canonico, tit. *de divortiis*.

1. Illud licite fit in perpetuum ob alterius conjugis fornicationem, per quam intelligitur non ſolum adulterium, ſed etiam omnis illicitus concubitus cum alio ſuppoſito, ut inceſtus, ſodomia, beſtialitas; his enim criminibus frangitur fides conjugalis, ex Matt. 5. & c. 5. & 8. *de divort.* Immo tenetur divortium facere, niſi uxor reſipiſcat, ex Prov. 8. *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt, & impius*, & ex c. 3. *de adulter.* Nam alioqui fieret particeps ejus peccatorum, tegumentum ei præbendo; *& ne peccato ejus conſentire videatur, dum correctionem debitam non apponit*, ait S. Th. Aliud eſt de uxore, niſi ipſa certo ſciat virum adulterum ex divortio emendandum; quia uxor cum non ſit ſuperior, non tenetur illum punire, nec cenſetur ejus adulterio connivere.

Porro eſt æquale jus divortii in utroque conjuge ob adulterium. Nam quoad thorum, ſiſtem ac debitum conjugale, pares ſunt vir & uxor, ex 1. Cor. 7. Et nemo tenetur debitum promiſſum præſtare ei, qui pactum primus violavit.

Divortium tamen non eſt licitum in his caſibus, 1. Si adulterium condonatum ſit etiam tacite, exercendo actum conjugalem, poſtquam cognitum eſt: nam ex cap. *Si illic* 32. q. 1. injuria condonata non poteſt poſtea puniri. 2. Si vir ipſe uxorem proſtituerit, ex cap. 6. *de eo qui cognovit &c.* aut ſi fornicandi cauſſam dederit, v. g. denegando ei injuſte debitum; nam par non eſt, ut qui cauſſam crimini injuſte dedit, ex eo commodum percipiat.

3. Si adulterium non fuit culpabile, ut ſi uxor bona fide alteri nupſerit, putans virum ſuum eſſe mortuum; nam privatio debiti eſt pœna, ideoque ſupponit culpam. 4. Si uterque conjux adulterium patravit, ex cap. 4. & 5. *de divort.* ita ut pars quæ poſt compartis adulterium fornicata eſt, teneatur



ad

ad hanc redire, eique debitum reddere; *cum Matrimonii jus in utroque læſum conſiſtat, & paria delicta mutua compenſatione tollantur*, cap. 6. *de adulter.*

✠ Quæres quid cenſendum, ſi vir aliud agens, indirecte occaſionem adulterii præbeat, ut puta, uxorem domo injuſte expellendo, eamve deſerendo, aut neceſſaria alimenta denegando? Reſpondeo cum Sanchez l. v. de divortio diſp. 5. in tali caſu poſſe virum divertere, ſi uxor adulteretur, c. *ſignificaſti*, *de divort.* Ubi vir non cogitur adulteram recipere uxorem, non obſtante allegata per ipſam exceptione. Quod ſi vir in cauſſa fuerit, ipſam injuſte expellens, ubi *gloſ. v. materiam* reddit rationem; quia mulier nulla ad fornicandum adduci debet ratione, c. *ita ne*, 32. q. 5. Idem deducitur c. *ex litteris de divort.* ubi non auditur uxor allegans ſe adulterium admiſiſſe, eo quod vir ei neceſſaria denegarit alimenta. Ubi *gloſ. v. compulſa* eam reddit rationem; quod non ſit ignoſcendum turpiter viventi prætextu paupertatis. *l. Palam D. de ritu nuptiarum.* Quod tamen intelligendum eſt, niſi vir ea intentione uxorem repuliſſet, alimentiſve privaſſet, quo illa neceſſitate urgente adulterium perpetraret. Quia tunc perinde eſt ac in adulterio connivere. Utrum dici poſſit virum adulterii cauſſam dediſſe negando debitum conjugale? Reſpondeo cum citato Sanch. negationem debiti non poſſe dici adulterii cauſſam, ſed potius occaſionem, cum eo non tendat, ut fœmina fornicetur: & *Nota* præcedenti probavimus virum poſſe divertere ab uxore adultera, quæ domo injuſte expulſa fuerat alimentiſque defraudata, tunc enim debito, & cohabitatione defraudatur. Ex dictis collige, doctrinam P. Antoine intelligendam eſſe de debito conjugali eo fine negato, ut uxor fornicetur, quæ eſt ſententia *Sanchez*, *Abulenſ.* 19. *c. Matth.* p. 56. *caſu* 2. *Sylva* V. *divortium p.* 9. *fin. Alioumque apud eumdem Sanchez loc. cit.* ✠

*Nota*. Conjux innocens poteſt privata auctoritate ſe ſeparare quoad thorum, modo ei conſtet de alterius adulterio: cum debitum negari poſſit ſine ſcandalo, & jus negandi habeat ob violatam ſibi fidem contractus Matrimonii. At ſeparatio quoad habitationem (quod eſt proprium divortium) cum ſit publica, requirit auctoritatem judicis eccleſiaſtici, ex cap. 5. & 6. *de divort.* alioqui ſcandalum & perturbatio orietur. Poſſet tamen auctoritate privata fieri ad tempus ob grave periculum animæ, vel corporis imminens, quod aliter declinari nequeat. Parti autem ob adulterium dimiſſæ non licet ingredi religionem, vel ſuſcipere ſacros Ordines ſine conſenſu partis innocentis, quæ habet ſemper jus revocandi alteram.

2. Licitum eſt divortium ſupradictum ob comparis hæreſim ſupervenientem, c. 6. *de divort.* vel ob ſævitiam, vel ob alia crimina, ex quibus imminet animæ corporiſve periculum. Nam Matrimonium non tollit jus naturale vitandi proprium periculum animæ & corporis. Non tamen licitum eſt ob alia crimina, quæ neutrum periculum ſecum afferunt c. 2. *de divort.* Porro poſt ſententiam divortii non perpetui, ſed ad tempus, v. g. donec nocens mores emendarit, innocens non poteſt mutare ſtatum per profeſſionem, vel ſacrum Ordinem ſuſcipere; quia nocens ſaltem emendatus poteſt auctoritate judicis repetere conjugem. Immo ceſſante periculo omni, & conjuge emendato, uxor ad virum redire debet: nam *ceſſante neceſſitate illud quoque ceſſat, quod pro neceſſitate factum eſt*, c. *Ordinationes*, 9. q. 1.

3. Fieri poteſt ex mutuo conſenſu, ſtudio vitæ perfectioris in religione, ex Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum . . . aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet &c.* Quod ſi unus poſt conſummatum Matrimonium religionem ingredi velit, debet & compars ingredi, c. 4. *de converſ. conjugat.* niſi in ſæculo manens caſtitatem voveat, nec ſit de incontinentia ſuſpecta, c. 8. eod. tit. Ut autem vir ſacros Ordines ſuſcipiat, ſufficit, ſi uxor caſtitatem in ſæculo voveat cap. 5. eod. tit.

Quæſt. X. *An Polygamia ſeu pluralitas uxorum ſimultanea eſt licita?* (*Vid. N.* 17.)

*Reſp.* Eſt illicita & irrita poſt Evangelium promulgatum. *Prob.* 1. ex Luc. 16. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur.* Ergo a fortiori mœchatur, qui priore retenta alteram adjungit. Et Matth. 19. *Qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos*, (unicum cum unica conjungens) *propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una &c.* Ubi Chriſtus licentiam antiquis Patriarchis & Iſraelitis factam revocat, & Matrimonium ad primævam inſtitutionem reducit. *Et non dixit: Tres, vel plures, ſed duo: nec dixit, Adhærebit uxoribus, ſed uxori*, ait Innocentius III. c. 8. *de divort.* 2. Ex perpetua Eccleſiæ traditione & praxi. 3. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitam, anathema ſit.* Eſſe etiam irritam polygamiam ſupra docet his verbis; *Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi Chriſtus Dominus apertius docuit &c.*

Immo polygamia, ſine licentia Dei, adverſatur legi naturali. Quia 1. impedit ſaltem communiter bonam prolis educationem, & pacem domeſticam ad eam neceſſariam: Nam vix fieri poteſt, ut non ſit aliqua prædilectio & diſtinctio, vel neglectus aliquarum uxorum, nec invidia, jurgia, rixæ inter illas uxores, aliaque mala inde naſcantur, idque ex natura rei, ſpectato fœminarum nativo ingenio. Quare uxorum pluralitas adverſatur pacificæ cohabitationi conjugum, aut gubernationi domeſticæ, qui eſt ſecundarius Matrimonii finis, ut docet Ariſtoteles. Uxor quippe non ſubditur viro ut famula, ſed ut ſocia & comprincipium, & in domeſtica gubernatione cum viro & ſub viro principatum tenens. 2. Æqualitas contractus Matrimonii ideoque ejus juſtitia exigit, ut ſicut uxor tradit totaliter dominium ſui corporis viro, ſic ſuum totaliter tradat vir uxori: ita ut uterque eo æqualiter uti poſſit, nec alteri tradere ſine injuria alterius. Unde Innocentius III. c. 8. *de divort.* ait: *Nec ulli unquam licuit ſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum.* Et S. Hieron. in c. 19. Matth. ait Chriſtum *adducere in teſtimonium ſacram ſcripturam & naturalem legem*, ut unitatem uxoris ſtatuat.

Hinc infideles non poſſunt ad baptiſmum admitti, niſi unam tantum uxorem primo loco acceptam retineant, ceteris ut illegitimis dimiſſis. c. 8. *de divort.* Si tamen alia fidem ſuſciperet, præferenda eſſet: nam poteſt converſus, omnibus uxoribus infidelibus dimiſſis, aliam fidelem ducere.



Deus tamen polygamiam Patriarchis licitam reddidit ad multiplicandum populum Dei, dividendo in plures uxores jus quod ex natura contractus una habebat totaliter in corpus mariti; & ſuppeditando media, ne inde bona educatio & pax familiarum impediretur, & alia mala ſequerentur.

Nunquam (Vid. N. 20.) autem conjunctio ejuſdem fœminæ cum pluribus viris permiſſa fuit. Quia hæc adverſatur fini etiam primario Matrimonii, nempe generationi prolis, quæ ut plurimum plurium commixtione virorum impeditur, ita ut vel nunquam, vel ſaltem rariſſime ſequatur, ut patet in meretricibus. Et quando non impeditur, incertum reddit patrem prolis, quod prolis educationi adverſatur. Finis autem primarius Matrimonii eſt tum generatio prolis, tum ejus educatio.

## CAPUT III.

### *De Impedimentis Matrimonii.*

IMpedimenta Matrimonii alia ſunt impedientia tantum, quæ reddunt illud ſolummodo illicitum. Alia dirimentia, quæ inſuper efficiunt invalidum, ſi fuerit attentatum; unde ſic vocantur, non quod Matrimonium ſemel valide contractum dirimant, cum Matrimonium ſemel validum ſit indiſſolubile, ſed quia faciunt ne valide contrahi poſſit. Porro ſemper dirimunt non obſtante ignorantia invincibili, ſive juris, ſive facti circa illa. Quia non ſunt pœnæ, quæ culpam ſupponant, ſed inhabilitates morales ad Matrimonium ob bonum commune ſtatutæ, quæ non requirunt cognitionem ſui ut contrahantur, cum bonum commune poſtulet, ut etiam ab ignorantibus contrahantur. Infideles tamen, cum non ſint ſubjecti legibus Eccleſiæ, non adſtringuntur impedimentis ſolius juris Eccleſiaſtici; unde ob illa ſeparari non debent, ſi convertantur.

Quæſt. I. *Quot ſunt impedimenta impedientia tantum?*

*Reſp.* Sunt quatuor, quæ nunc certo vigent, & ſub mortali obligant, cum materia præcepti ſit gravis. Hoc verſu continentur:

*Eccleſiæ vetitum, tempus, ſponſalia, votum.*

Primum itaque eſt Eccleſiæ vetitum, id eſt prohibitio ab Epiſcopo vel Parocho facta de non contrahendo ob dubium impedimenti alicujus, donec veritas innoteſcat, c. 2. *de Matrim. contract. &c.* cap. ult. *de clandeſt. deſponſat.* Item prohibitio a Conc. Later. IV. & Trident. facta, ne contrahantur ſine præviis denuntiationibus, vel earum diſpenſatione.

Secundum eſt tempus, quo nuptiæ ſunt interdictæ, quod jure novo Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 10. eſt ab Adventu uſque ad diem Epiphaniæ incluſive, & a die Cinerum uſque in octavam Paſchæ incluſive. Sed quia ibi loquitur de ſolemnibus nuptiis, jure communi ſecundum multos ſolum prohibetur hoc tempore ſub mortali ſollemnitas nuptiarum, nempe benedictio ſponſi & ſponſæ, traductio ſponſæ ad ædes ſponſi, choreæ, & convivia nuptialia. Unde Rituale Rom. dicit ſolum hoc tempore *ſollemnitates nuptiarum prohibitas eſſe: ut nuptias benedicere, ſponſam traducere, nuptialia celebrare convivia: Matrimonium autem omni tempore contrahi poteſt.* Matrimonii tamen conſummationem tunc prohiberi declaravit Sac. Congreg. teſte Pagnano, eo quod hæc non conveniat tempori, devotioni, & pœnitentiæ dicato. Immo ex conſuetudine, vel jure particulari multarum diœceſum, Matrimonii celebratio dicitur etiam tunc non permitti abſque ſpeciali cauſſa, & licentia Epiſcopi.

Tertium, ſponſalia prius cum alio contracta & nondum diſſoluta. Quia tunc violaretur in re gravi fides alteri data, & promiſſio oneroſa ei facta, & ab eo acceptata, quæ obligat ex juſtitia graviter in re gravi, ex c. *Agatho* 27. q. 2.

Quartum eſt votum ſimplex caſtitatis in ſæculo ſervandæ, vel ingrediendi religionem, vel ſuſcipiendi Ordinem ſacrum, vel nunquam nubendi, c. 6. *Qui Clerici &c.* Nam votum jure divino naturali obligat ad ſui obſervationem, ne fides Deo data violetur. Validum tamen eſſet Matrimonium, ex cap. cit. Nam ex natura rei res alicui promiſſa poteſt alteri valide, licet illicite, dari. Ac votum ſimplex non corporis traditionem, ſed ſolam promiſſionem complectitur. *Poſt votum ſimplex adhuc remanet homo dominus corporis ſui, & ideo poteſt ipſum dare alteri, ſcilicet uxori*, S. Thom. in 4. diſt. 38. q. 1. a. 2. q. 2.

Quæſt. II. *Quænam obſervanda ſunt circa Banna, ſeu denuntiationes futuri Matrimonii?*

*Reſp.* Sequentia, 1. Licet ad valorem Matrimonii non requirantur; cum nullo jure ob earum defectum irritetur, tamen graviter præcipiuntur a Conc. Later. IV. & Trid. ſeſſ. 24. c. 1. Quare qui ſine illis, vel legitima diſpenſatione Epiſcopi contrahunt, & Parochus aſſiſtens, peccant mortaliter. Quia violant præceptum Eccleſiæ in re gravi, ubi agitur de graviſſimis malis impediendis: niſi tamen excuſaret urgentiſſima neceſſitas, qualis reperitur in articulo mortis; ut ſi concubinarius brevi moriturus velit & debeat contrahere Matrimonium cum concubina; tunc ſi nequeat adiri Epiſcopus vel ejus Vicarius, Parochus per epichejam poterit interpretari legem illam in tali caſu non obligare.

2. Ex præcepto fieri debent tribus diebus feſtivis continuis, non tamen immediatis, ab utriuſque contrahentis Parocho, vel Parochis in Eccleſia inter Miſſarum ſollemnia, niſi ex cauſſa juſta Ordinarius diſpenſet, ex Conc. Later. IV. c. 51. & Trid. ſeſſ. 24. c. 1. Quare ſi contrahentes ſint diverſarum parochiarum, debent fieri denuntiationes in utriuſque parochia, & tunc unus Parochus non poteſt Matrimonio aſſiſtere, niſi habeat teſtimonium alterius Parochi de illis factis. Quod ſi alteruter ſponſus non ita pridem in aliqua parochia commoretur, denuntiationes fieri debent eo in loco, ubi diutius manſerit, ut facilius impedimenta, ſi quæ fuerint, detegantur. Quoad vagos vero Parochus nihil debet agere ſine licentia Ordinarii, ut jubet Conc. Trid.

✠ *Nota*. In lib. 8. cit. tract. c. 69. num. 1. de publicatione Matrimonii in Eccleſia facienda, hæc ha-

habentur: *Et ne recedamus ab exemplo matrimonii, cui hactenus inſtitimus*, Innoc. III. *in Concilio Generali Lateranenſi* relat. in cap. Cum inhibitio de clandeſt. deſponſat. *Matrimonium priuſquam celebretur, publice in Eccleſia denuntiari præcepit, eamdemque publicationem ter faciendam ſtatuit Tridentinum* cit. c. 1. ſeſſ. 24. de ref. Matrim. *niſi Epiſcopus aut omnes, aut earum aliquam omittendam cenſuerit, quod ejuſdem judicio & prudentiæ relinquitur. Parochus autem matrimonio intereſſe præſumens, cui legitimæ non præceſſerint denuntiationes, ſuſpenſione ab officio triennio duratura, aut etiam graviori pœna plecti jubetur* in c. Cum inhibitio, §. fin. *a qua quidem ſuſpenſione, cujus tempus eſt a jure determinatum, non poſſe eumdem, intra triennium, ab Epiſcopo abſolvi docent Sanchez* de Matr. lib. 3. diſp. 42. n. 2. *Guttierez* de Matr. c. 75. n. 2. *Pontius* lib. 5. c. 37. n. 22. *Ipſis vero Contrahentibus, quia Eccleſiæ mandatum in re ſane gravi contemnunt, condignam pœnitentiam injungendam* in eod. cit. §. fin. *ſtatuitur. Teſtibus tamen, qui ejuſmodi matrimoniis aſſiſtunt, nulla pœna, neque a Conc. Later. neque a Trid. reperitur impoſita: at nihilominus pleræque Diœceſanæ Synodi in illos duxerunt animadvertendum pœna excommunicationis latæ ſententiæ. quamvis porro Soto* in 4. diſt. 28. q. 1. art. 2. §. *Quod igitur, abſonum viſum ſit, a particulari Synodo illam in prædictos teſtes irrogari pœnam, a qua infligenda Concilia Generalia abſtinuerunt, ac proinde præfatas Conſtitutiones irritas exiſtimaverit: rectius tamen earumdem validitatem propugnat, atque a Soti argumentis vindicat Sanchez* cit. lib. 3. diſp. 46. n. 8. *Etenim cum teſtes præfati auctoritatem præſtent matrimonio ab Eccleſia interdicto, graviter profecto in Eccleſiæ leges delinquunt; quapropter Synodales Conſtitutiones eorum culpam debita coercentes pœna, nihil agunt contra Canones, ſed Canones ipſos tuentur, ac favent, ſicut animadvertit etiam Fagnanus* in cit. cap. Sicut olim, n. 78. de accuſat. *ubi loquens de Synodo Provinciali, quod in re, quam in præſens verſamus, non plus auctoritatis habet, quam Diœceſana, ait:* Non tamen horum poteſtas adeo reſtringitur, quin multa ſtatuere poſſint circa ea, quæ totam provinciam concernunt, præter jus commune .... ſuiſque decretis jus commune adjuvare, addendo novas pœnas, vel antiquas augendo.)

3. Inter ſingulas proclamationes, item inter ultimam & ipſam Matrimonii celebrationem intercedere debet aliquod intervallum, juxta cujuſque diœceſis ſtatuta.

4. Eſt mortale ſi una e tribus omittatur, niſi probabilis adſit ſuſpicio Matrimonium poſſe malitioſe impediri; tunc enim Conc. Trid. permittit unicam denuntiationem præmitti, aut etiam nullam de licentia Ordinarii, ſi hoc putetur neceſſarium ad amovendum periculum.

5. Si intra duos menſes poſt factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, illæ repetantur, niſi aliter Epiſcopo videatur. Ita *Rituale Rom.* quia interea poſſent ſponſi contraxiſſe aliquod impedimentum.

6. Qui extra confeſſionem novit aliquod impedimentum, etiam occultum, inter nupturientes, tenetur ſub mortali illud detegere, tum ex præcepto Eccleſiæ, tum jure naturali. Nam tunc agitur de bono communi, ſalute proximi, & valore Sacramenti; & quiſque graviter tenetur, præſertim jubente ſuperiore, impedire grave damnum proximi, qualis eſt nullitas Matrimonii, ex qua plura peccata & incommoda oriuntur, ut concubinatus, illegitimitas filiorum, unde Conc. Camerac. ann. 1565. jubet excommunicari eum, qui verum impedimentum ſciens reticuerit, ſicut qui falſum finxerit.

Nec obſtat quod nequeas probare impedimentum; nam unus teſtis fide dignus Matrimonium impedit ex cap. 27. *de ſponſal.* donec oppoſitum probetur. Quod ſi inde orietur infamia denuntiato, teneris privatim admonere, ut a Matrimonio deſiſtat: quod ſi nolit, teneris monere Parochum. Item quiſque tenetur declarare ſi alteruter habet impedimentum prohibens, ob præceptum Eccleſiæ; & quia quiſque tenetur impedire peccatum proximi & peccati executionem, cum poteſt ſaltem ſine ſuo gravi damno.

7. Parochus, cognito impedimento, tenetur prohibere Matrimonium, nec ei aſſiſtere, ſed remittere ad Epiſcopum vel ejus officialem.

Quæſt. III. *Quot ſunt impedimenta dirimentia?*

*Reſp.* Poſt Conc. Trid. ſunt quindecim his verſibus comprehenſa:

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,*
*Ætas, affinis, ſi clandeſtinus, & impos,*
*Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto.*
*Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.*

Porro eſt peccatum mortale contrahere cum aliquo ex hiſce impedimentis: nam fit contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi, & attentatur Sacramentum, quod non poteſt effici. Hinc ne quidem metus gravis excuſaret a peccato: nam vel cum aliquo ex his ſcienter contrahens ex metu gravi intenderet contrahere, & tunc tentaret Sacramentum, quod non poteſt efficere; vel ſolum fingeret ſe intendere, & tunc fingeret ſe miniſtrare Sacramentum, quod non vult miniſtrare, quod utrumque eſt graviter injurioſum Sacramento.

I. *Error.* Si ſit circa ſubſtantiam perſonæ, jure etiam naturali Matrimonium irritat. Quia impedit conſenſum in ſubſtantiam contractus, nempe in perſonam, quacum contrahitur: nam perſona eſt ſubſtantiale ac primarium objectum Matrimonii, cum ſit res ipſa, circa quam contractus Matrimonii primario verſatur. At nullus eſt contractus ſine conſenſu circa ſubſtantiale objectum illius. Idque etiamſi error ſit ſolum concomitans, quia adhuc deeſt conſenſus actualis poſitivus eſſentialiter requiſitus ad hunc contractum: nam quod incognitum eſt, non poteſt eſſe actu volitum. Unde Lia pro Rachele obtruſa Jacobo, *Gen.* xxix. non fuit vere ejus uxor, niſi poſtquam ipſe detecta fraude Liam acceptavit in uxorem.

Si vero error ſit ſolum circa qualitatem, ſeu accidentia perſonæ, ut nobilitatem, divitias, virtutem, virginitatem, indolem &c. non dirimit Matrimonium, etiamſi alterius contrahentis dolus ei cauſam dediſſet. Quia nihilominus adeſt conſenſus abſolutus in perſonam, cum qua contrahitur, quæ eſt objectum



directum ac ſubſtantiale hujus contractus: nam defectus accidentium non tollit ſubſtantiam rei, nec conſenſum abſolutum in rem ipſam, cauſa 29. q. 1.

Excipe 1. niſi error qualitatis redundet in errorem perſonæ, ut cum qualitas perſonam determinat, diſtinguitque a quavis alia: ut ſi intendas contrahere cum primogenita, quam aliter non noviſti, & ejus loco detur ſecundogenita: nam error circa talem qualitatem impedit conſenſum circa objectum ſubſtantiale per illam determinatum. 2. Niſi conſenſus datus ſit ſolum ſub conditione talis qualitatis, circa quam erratur, ut ſi dicas: *Accipio te in uxorem, ſi es dives, vel nobilis &c. Secus, non te accipio.* Tunc enim qualitate iſta non ſubſiſtente matrimonium nullum eſt, propter defectum conſenſus in perſonam alligati tali qualitati: nam conſenſus conditionatus non ſubſiſtit, non ſubſiſtente conditione, cui alligatur. Sed tunc requiritur ut contrahens habeat actu voluntatem non aliter contrahendi, vel antea habuerit, nec revocarit. Verum ſi conditio exterius non exprimatur, contractus in foro externo cenſetur abſolutus: unde ſi quis interius conſenſiſſet tantum ſub conditione ſi ſit dives, nobilis &c. cogeretur illam ducere, & conſenſum abſolutum dare.

II. *Conditio.* Conditio ſervilis ignorata, dum perſona libera contrahit cum perſona ſerva putans eſſe liberam, ex c. *Si quis ingenuus*, 29. & ex c. 2. & 4. *de conjugio ſervorum.* Ratio hujus impedimenti eſt, ut tollatur magna contractus inæqualitas, & ut impediatur gravis injuria perſonæ liberæ ignoranti illata. Valet tamen Matrimonium, ſi perſona libera cognoſcebat alterius ſervitutem, ex c. cit. nam tunc conſentit in illam inæqualitatem: vel ſi perſona ſerva ducat aliam ſervam, putans eſſe liberam; quia par eſt utriuſque conditio, *ib.* Nomine perſonæ ſervæ hic intelligitur mancipium, in quod dominus habet plenum jus vendendi, donandi, & quibuslibet operibus ſervilibus occupandi.

✠ 1. Conditionis nomine hic intelligitur ſtatus ſervitutis. Servorum vero quadruplex eſt genus, nempe adſcriptitiorum, domeſticorum, mancipiorum, & ſervorum pœnæ.

Domeſtici ii ſunt, qui operas ſuas hero locant pacta pro iiſdem mercede, & qui noniſi penes eaſdem operas a dominis pendent.

Adſcriptitii, ſeu ſervi glebæ ſunt ii, qui certos agros colere, & exercere tenentur in commodum domini cujuſcumque, ad quem prædicti agri devenerint: iis ſolum deductis, quæ ad vitæ ſubſtentationem neceſſaria fuerint. Et ii ratione ſolum glebæ ſui agri a dominis ſuis pendent.

Mancipia, ſeu ſervi ſtricte ſumpti, ſunt ii, in quos patronus plenam habet libertatem, adeo ut eos tamquam rem ſuam vendere poſſit, aliis locare, quo voluerit tranſmittere, & in iis quibus velit licitis operibus occupare.

Denique ſervi pœnæ, ii ſunt, qui ex judicis ſententia pœnæ alicui mancipati ſunt, puta qui damnati ſunt ad triremes, ad exilium perpetuum, ad mortem, quam fuga declinaverunt.

Nulla hic movetur difficultas de domeſticis, aut ſervis glebæ: ii enim vere liberi ſunt, adeoque ſi quis ſervitutem eorum ignoret, non deſinet verum contrahere matrimonium, cum matrimonium hoc nulla lege, jure nullo decernatur invalidum. Tota igitur difficultas eſt de mancipiis, ac ſervis pœnæ: de mancipiis ſatis Auctor; hoc unum quærimus in præſenti, an valeat matrimonium ab iis contractum, qui ſervi pœnæ dicuntur? *Reſp.* Valere quoad Sacramentum: quia impedimentum conditionis matrimonium dirimens eſt juris poſitivi eccleſiaſtici: nulla vero eccleſiaſtica lex irrita declarat hujuſmodi hominum matrimonia.

2. Si liber cum ancilla ex errore contraxit, & injuriam paſſus eſt, poteſt propria auctoritate recedere, ſecluſo ſcandalo, quod ſequeretur, ſi matrimonium publicum eſſet, quo in caſu eccleſiæ judicio fieri ſeparatio oporteret. Nec ſolum liber, ſed etiam ſervus, cum matrimonium ſit nullum, recedere poteſt. Quid vero, ſi pars libera, cognita ſervitute, manere in contracto conjugio velit? Si perſona ſerva, bona fide contraxit, ſicque liberam partem decepit, non tenetur matrimonium renovare; ſi vero fraudulenter conjugem decepit liberum, tunc non ratione contractus, qui nullus fuit, ſed ratione illatæ injuriæ conſentire tenetur libero conjugi contrahere volenti. Servitus matrimonio rato ſuperveniens matrimonium non dirimit. Nam quod ſemel valuit in hac materia, ſemper valet.

3. Tres ſunt caſus in quibus jura diſponunt, ſervum per matrimonium libertatem nanciſci. 1. Eſt, cum dominus dotem conſtituit ancillæ. 2. Quando dominus ancillam in conjugem recipit, aut domina ſervum. 3. Eſt, quando dominus tradit ſervum, aut ancillam libero ignoranti talem ſervitutem; aut ſi ipſe non tradat, conſentit tamen, nec detegit ignoranti veritatem. Diſputant in utramque partem Theologi, valeat ne matrimonium in his tribus caſibus, præſertim in ultimo? Opinio affirmans videtur probabilior, quia ſervitus iſta nullius momenti eſt: cum, matrimonio contracto, continuo evaneſcat, & pars libera non fiat deterioris conditionis. Matrimonium cum *libera*, quæ prius fuit ancilla, & poſtea aſſecuta eſt libertatem plenam, validum eſt. Si vero ancilla nondum evaſit *libera*, ſed promiſſionem habet a domino obtinendæ poſt breve tempus libertatis; tunc ſi tempore ſervitutis contrahat, matrimonium nullum eſt. Idem dicendum; ſi libertatem aſſequatur ad tempus, puta ad biennium, poſtea redigenda in ſervitutem: quia tunc revera manet ſervitus, licet per breve tempus abrupta.)

III. *Votum.* Scilicet votum ſollemne caſtitatis per profeſſionem factam in religione approbata, vel per ſuſceptionem Ordinis ſacri, ex Conc. gen. Later. I. c. 21. & Lat. II. c. 7. ex c. un. de voto in 6. & ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. can. 9. ibi: *Si quis dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto ... anathema ſit.* Item votum ſimplex caſtitatis in Societate Jeſu poſt biennium novitiatus emiſſum, ex Bulla Greg. XIII. *Aſcendente Domino &c.* Matrimonium contrahendum dirimit, quamvis antea contractum non diſſolvat. Religioſi autem, Moniales, Clerici in Sacris conſtituti, & Laici in gradibus prohibitis tentantes inire Matrimonium, excommunicantur ipſo facto, ex *Clement.* de conſang.

✠ Habes itaque ſollemne votum ex ſola lege Ec-

eccleſiæ

cleſiæ Matrimonio dirimens impedimentum eſſe, quæ primum prohibuit tantum Deo conſecratis viris, aut virginibus Matrimonium contrahere, ac deinde etiam contractum dirimere voluit.)

IV. *Cognatio*. Triplex eſt cognatio dirimens Matrimonium. Prima dicitur legalis, & eſt vinculum, ſeu propinquitas perſonarum orta ex adoptione perfecta, per quam perſona extranea aſſumitur in filium vel filiam, ac hæredem neceſſarium, & tranſit in patriam poteſtatem adoptantis. Hæc Matrimonium dirimit in perpetuum inter adoptantem, & adoptatum adoptatique poſteros uſque ad quartum gradum incluſive; inter adoptatum ſeu adoptatam, & filios aut filias adoptantis, ſed ſolum uſquedum liberi ſunt a poteſtate patria per mortem adoptantis, vel per emancipationem, c. un. *de cognat. legali*.

✠ 1. Duæ ſunt ſpecies adoptionis, quarum altera adrogatio dicitur, altera generali vocabulo adoptio appellatur. Adrogationis hæc ſunt propria. 1. Quod eorum tantum eſt, qui ſunt ſui juris. 2. Quod fieri debet auctoritate Principis. 3. Adrogatus tranſit in poteſtatem Adrogantis, fitque ejus hæres neceſſarius. Porro rogabatur & qui adoptabat & qui adoptabatur; ille, an vellet eum, quem adoptaret, ſibi juſtum filium eſſe; hic, an id fieri pateretur, unde & adrogationem dictam eſſe ſcribit Cajus *l. 2. Dig. de Adoptionib.* Adoptio ſimplex eorum eſt, qui ſunt in poteſtate, fitque auctore Patre, qui in poteſtate habet imperium magiſtratus; per hanc adoptatus neque a naturalis Patris vel Avi poteſtate egreditur, neque adoptivo Patri ex teſtamento neceſſario ſuccedit, ſed tantum ſuccedendi jus habet ab inteſtato; primam non alteram impedimentum matrimonio præſtare communis eſt Theologorum ſententia.

Aſſumptio *perſonæ extraneæ*, ideſt perſonæ quæ non eſt in poteſtate adoptantis, ut in ea ſunt hæres, vel filius: unde perſona etiam conſanguinea adoptari poteſt, quia eſt extranea hoc ſenſu, quod eo careat conjunctionis gradu ad quem adoptatur in *filium*, vel *filiam*, vel *neptem*, & *deinceps*, quia *ex leg. Nec apud, cod. de hæred. inſtit.* non poteſt quiſquam adoptari in fratrem, vel parentem. Hæ duæ ſpecies cognationis legalis etiam ſoluta adoptione per mortem adoptantis, vel per emancipationem adoptati matrimonium dirimunt.

Quare facilior eſt modus efficiendi, ut filius adoptatus cum filia carnali adoptantis contrahere poſſit, ſi eorum alteruter ſecundum formam civilium legum emancipetur.

1. Ab iſta ſpecie legalis cognationis excludendi ſunt primo nati illegitimi adoptantis; hi enim non cenſentur eſſe in poteſtate Patris ſui, *§. ult. Inſtit. de nupt.* 2. eadem ratione emancipati, quæ eſt probabilior opinio, *Covar. in ep. par. 2. c. 6. §. 5.* 3. excludendi ſunt fratres, & ſorores adoptivi, hi enim, ſi ſint ex diverſa familia, inter ſe contrahere nullo jure prohibentur. Vid. *Covar.*

2. Conditiones a civili jure præſcriptæ ut quis poſſit adoptare, iſtæ ſunt. 1. ut adoptans ſit ſui juris. 2. major viginti quinque annis. 3. ut ſit maſculus; fœminæ namque adoptari quidem poſſunt, ſed non adoptare niſi ex privilegio. 4. ut adoptans habeat naturalem generandi potentiam. Non tamen excluduntur ii, qui cum a nativitate habuiſſent illam, ex accidenti amiſerunt, aut ſecti gladio, aut facti ex morbo eunuchi: ſed excluduntur frigidi ex natura *leg. 2. dig. de adopt.* 5. ut adoptans ſit ejus ætatis, quæ adoptati ætatem excedat annis decem & octo. 6. ut perſona extranea cum adoptatur præſens ſit adoptanti, & in adoptione conſentiens, non enim fieri poteſt per litteras, aut per procuratorem adoptio, *l. neque & l. poſt mortem finali dig. de adoptionib.* conſule *inſt. lib. 1. tit. XI. de adopt.*)

Secunda eſt cognatio ſpiritualis, quæ eſt vinculum, ſeu propinquitas perſonarum jure Eccleſiaſtico inducta, ratione Baptiſmi, & Confirmationis. Irritat Matrimonium inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem; nec non inter Patrinos ſeu ſuſceptores, & baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem; item inter confirmantem, & confirmatum, confirmatique Patrem, & Matrem. Inter hos, & non plures contrahitur, ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 2.

Porro non contrahitur a Procuratore, ſed a ſolo mandante, ut teſte Fagnano reſolvit Sac. Congreg. Nam hic ſolus a Parentibus baptizandi deſignatur, & Patrinus reputatur, & ut cauſſa principalis ſuſcipit ac tangit per Procuratorem tamquam per inſtrumentum, qui non agit nomine ſuo ſed mandantis. Contrahitur tamen etiam a Laico baptizante in caſu neceſſitatis; qui proinde non poteſt ducere puellam a ſe baptizatam, vel ejus Matrem

✠ 1. Excipe hunc ſolum caſum, patrem ipſum, qui prolem propriam, modo tamen legitimam, in caſu neceſſitatis baptizat c. *ad limina 3. q. 1.* cap. *ſi vir de cognat.* Dixi, *prolem legitimam*: nam ſi pater in caſu neceſſitatis baptizat filium quem ex concubina ſuſcepit, cognationem cum ea contrahit, itaut illam in uxorem ducere nequeat. Diſparitatis rationem hanc reddunt Theologi, quia legitimi conjuges habent jus acquiſitum petendi debitum, quo non debent privari propter opus religioſum, & laudabile; concubinarius vero nullum jus habet petendi a concubina debitum.

2. Error facti in ſuſcipiente impedit, ſive in patre reſpectu propriæ prolis, ſive in alio quocumque, ne impedimentum cognationis ſpiritualis contrahat. Prob. 1. pars ex *cap. 2. de cognat. ſpiritual.* Ubi ſic loquitur Alexander III. *ſi vir vel mulier ... ex ignorantia filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperit, eos ignorantia excuſare videtur*. Prob. 2. pars, quia etſi ad contrahendam cognationem hanc neceſſaria non ſit intentio ejuſdem contrahendæ, ut male cenſent aliqui apud Sanchez lib. VII. diſp. 58. at certe neceſſaria eſt intentio fungendi munere patrini, cum nemo ſimpliciter invitus poſſit patrinus conſtitui: ſed qui per errorem levat filium Petri, exiſtimans ſe levare filium Joannis, intentionem hanc non habet, ergo non contrahit cognationem ſpiritualem cum filio aut parentibus Petri, neque etiam cum filio, aut parentibus Joannis: quia revera non ſuſcipit filium Joannis; Secus dicendum, ſi habeat intentionem ſuſcipiendi puerum præſentem, quiſquis ille ſit. Ita Sanch. ibid. n. 7. Bonacina n. 7. & alii. Longe alia ratio eſt de eo qui baptizat filium unius, credens ſe alterius filium baptizare, quia miniſter Sacramenti tenetur habere animum & intentionem baptizandi perſonam præſentem, quæcumque ea ſit, ne irritum faciat Sacramentum.

3. Mul-



3. Multi exiſtimant cognationem ſpiritualem non contrahi ab eo qui infantem ſuſciperet extra baptiſmum ſollemnem.

4. Suſceptores, ſeu Patrinus, & Matrina poſſunt inter ſe matrimonio jungi, quia inter eos nulla emergit cognatio. Sacra Congreg. Cardinalium Concil. Trident. Interpretum cenſuit, non Confirmatum, ſi ſuſcipiat aliquem in Sacramento Confirmationis, non contrahere cognationem ſpiritualem, vide Genet. de Matr. cap. 6.

5. Sedes Apoſtolica difficilius diſpenſat in impedimento cognationis ſpiritualis, quam in impedimento cognationis carnalis, ut advertit Fagnanus in *c. ex litteris, de cognat. ſpirituali*, ubi ſubdit etiam, ei qui carnaliter cognovit perſonam, cum qua cognatione ſpirituali junctus erat, ſi diſpenſationem petat, non ſolum cognationem, ſed etiam crimen admiſſum, in ſupplicatione exprimendum eſſe. Is enim conſtans eſt curiæ Romanæ ſtylus: ſtylus autem jus facit. Ita Pyrrhus Corradus lib. VIII. c. 8. n. 12.)

Tertia eſt cognatio naturalis, quæ dicitur conſanguinitas, & eſt propinquitas ſeu conjunctio ſanguinis inter perſonas, vel ab eodem ſtipite propinquo deſcendentes, ut ſunt Fratres, & cognati, vel quarum una deſcendit ab altera, ut ſunt pater, & filia, avus, neptis &c. Hæc diſtinguitur per lineas, & gradus.

Linea eſt ordinata ſeries perſonarum ſanguine junctarum, conſtans certis gradibus, & duplex eſt, nempe recta, & tranſverſa ſeu collateralis.

Linea recta eſt ordinata ſeries aſcendentium, & deſcendentium, ab eodem ſtipite directe procedentium, quorum ſcilicet unus ab altero deſcendit, ut Patris, Filii, Nepotis, Pronepotis &c. In hac linea juxta jus Canonicum non computatur perſona, quæ eſt communis ſtipes, id eſt, ex qua aliæ ducunt originem.

Collateralis ſeu tranſverſa eſt ea, quæ continet perſonas deſcendentes quidem ab uno communi ſtipite, ſed quarum nulla deſcendit ab altera: unde dicuntur collaterales, ut ſunt frater, & ſoror, conſobrinus, & conſobrina &c. Per gradum hic intelligitur diſtantia perſonarum conſanguinearum inter ſe a communi ſtipite.

Ad cognoſcendos gradus hæ ſunt regulæ. 1. In linea recta tot ſunt gradus, quot generationes ſeu perſonæ, dempto ſtipite: ſive tot gradibus una perſona diſtat ab alia, quot generationibus ſeu perſonis inferior a ſtipite deſcendit. Sic filius vel filia diſtat a Patre, & Matre uno gradu; Nepos vel Neptis ab Avo, & Avia duobus gradibus; & ſic deinceps. 2. In linea collaterali, ſi perſonæ æqualiter a communi ſtipite diſtent, eo gradu inter ſe diſtant, quo diſtant ab eodem ſtipite, ſive tot gradibus inter ſe diſtant, quot generationibus deſcendunt a communi ſtipite. Sic frater, & ſoror ſunt in primo gradu, conſobrini ſeu liberi fratrum in ſecundo, horum filii in tertio, & ita deinceps, c. *Ad ſedem* 35. q. 5. Nam cum adæquata horum conjunctionis ratio ſit unio cum ſtipite, non poſſunt magis, aut minus inter ſe diſtare, quam a ſtipite.

Si vero perſonæ inæqualiter diſtent a communi ſtipite, in eo gradu ſe contingunt, quo remotior diſtat a ſtipite. Nam perſonæ collaterales non debent magis, aut minus inter ſe diſtare, quam una diſtet a ſtipite, qui eſt horum propinquitatis ratio. Unde filia, & frater Patris ſunt conſanguinei in ſecundo gradu; & ſi una ſit in quinto, altera in quarto, cenſentur eſſe inter ſe in quinto, ſicque inter illas non eſt impedimentum, c. *Vir de conſanguin.*

✠ S. Pius V. in Conſt. *Sanctiſſimus* 1565. ſtatuit, *quod de cetero in quibuſcumque diſpenſationibus conſanguinitatis & affinitatis*, excepto ſolum primo gradu, de quo ſtatim, *ſufficiat remotiorem tantum gradum exprimere*.

Circa hæc caute obſervandum 1. Regulam, quæ ſtatuit, ut in linea tranſverſa gradus remotior ad ſe trahat propinquiorem, non ita eſſe generalem, ut nullas patiatur exceptiones. Si enim gradus propinquior ſit gradus primus, gradus vero remotior non ſit ultra quartum, obreptitia erit diſpenſatio ſine gradus propinquioris mentione obtenta, cum *in eo primo gradu Sanctitas Sua nunquam diſpenſare intendat*, ut expreſſe tradit S. Pius V. in ſup. citat. Conſt. Dixi, *ſi gradus remotior non ſit ultra quartum*; ſi enim ex iis, qui contrahere volunt, alter eſſet in primo gradu, alter in quinto, nulla opus eſſet diſpenſatione, ut ſanior pars Theologorum docet poſt Covarruviam, cujus deciſioni ſubſcribit editor collat. Pariſ. Tom. 2. pag. 150. Idipſum docere videtur Pyrrhus Corradus lib. 7. *praxis diſpenſationum Apoſtol.* c. 7. n. 72. quia, inquit, licet unus tantum ſit in quinto gradu, omnes tamen cenſentur eſſe in eodem quinto gradu. Contrarium docet Tournely in Tract. de Matrimonio, & pro ſe adducit Corradum, in quo nihil reperi quod ejus faveat opinioni.

Obſervandum 2. Quod S. Pius V. ſtatuendo *ut gradus remotior trahat ſecum propinquiorem*, ſimul ſtatuerit, ut qui in aliis, ultra primum, gradibus omiſerint gradum propinquiorem, declaratorias ab Apoſtolica Sede litteras obtinere teneantur, quibus conſtet diſpenſationem ſine mentione gradus propinquioris habitam, de *ſubreptionis*, vel *obreptionis vitio notari non poſſe*. Quæritur autem, an eæ litteræ ſint neceſſariæ ut diſpenſatio valide executioni mandetur? Aſſerunt Gallorum aliqui, ſed alii melius negant poſt Sylvium hic qu. 54. ar. 4. Salman. 1. ar. 9. c. 24. Pontas V. *Diſpenſe de mariage*, caſ. 13. niſi timeatur ſcandalum plebis, quæ quandoque exiſtimat gradum propinquiorem debere computari. Si tamen etiam in caſu ſcandali prædictæ litteræ non peterentur, diſpenſatio non deſineret eſſe valida.

Nec nocent Brevia duo, alterum quidem Urbani VIII. 1624. alterum Innoc. X. in quibus declaratur, Officiales quoſdam invalide diſpenſaſſe cum partibus, quæ remotiori tantum expreſſo gradu litteras declaratorias ſuper propinquiori gradu non obtinuerant, quia ut bene notat Corrad. num. 71. Juſtis lib. 2. cap. 13. Reiffenſt. 172. Officiales non poſſunt valide exequi prædictam diſpenſationem, niſi partes antea prædictas litteras obtinuerint; quia licet diſpenſatio, quæ tacito propinquiori gradu obtenta fuit, nec ſubreptitia, nec obreptitia ſit, ut conſtat ex citata S. Pii V. Conſt. ea tamen prædictas litteras requirit pro foro externo, ut non ſolum licite, ſed & valide executioni mandetur. Dixi pro foro externo, quia ſi diſ-

ſi diſpenſatio pro foro interno petatur, nec propinquioris gradus expreſſio, nec litteræ declaratoriæ requiruntur, ut ait Reinffeſt. n. 181.

Quia tamen omnis & quæcumque ſcrupuli cauſſa in hiſce materiis reſecanda eſt, ſolliciti eſſe debent, qui in gradu mixto diſpenſationes petunt, ut gradus propinquior ſemper exprimatur; idque ad validitatem executionis neceſſarium cenſent, ut dixi, Galli non contemnendi Auctores. Obſervandum deinde in gradu inæquali ſeu mixto, qui gradum primum attingit, (puta ſi patruus filiam ſororis ſuæ, vel amita filium fratris ſui ducere velit) exprimendum eſſe quis ſexus ſit in primo gradu, an vir, an mulier, quia longe difficilius conceditur, ut filius ſororis, vel fratris in uxorem ducat amitam, quam patruus aut avunculus ſororis, vel fratris filiam. Et hoc merito conſtitutum eſt; quia honeſtati & ordini repugnare videtur, ut amita, quæ jure naturali ſuperior eſt filio fratris ſui, & quæ quaſi alia mater certam in eum auctoritatem habere debet, eidem nubat, eique tamquam capiti ſubjecta ſit. Quæ ordinis ſubverſio locum non habet, cum patruus fratris, vel ſororis filiam ducit in uxorem, quia hæc inferior, & ſubjecta manet, ut antea erat.

Obſervandum 3. In exprimendo gradu mixto ſeu inæquali ſemper incipiendum eſt a gradu maſculi, ſive is propinquior, ſive remotior ſit. Sic relatio materteræ ad filium fratris dicitur a ſecundo ad primum; relatio vero patrui ad filiam ſororis vel fratris, dicitur a primo ad ſecundum.)

Conſanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ irritat Matrimonium ſaltem jure humano, ex reſp. Nicolai I. ad conſulta Bulgar. c. 39. ibi: *Inter eas perſonas, quæ parentum liberorumve locum inter ſe obtinent, nuptiæ contrahi non poſſunt, veluti inter Patrem & Filiam, vel Avum & Neptem, vel Matrem & Filium, vel Aviam & Nepotem, uſque ad infinitum.* Immo juxta multos etiam jure naturali, ſaltem ſecluſa neceſſitate extrema conſervandi ſpeciem humanam; tum quia concubitum inter aſcendentem & deſcendentem refugit ipſa natura, ut valde indecentem; & gentes omnes ratione naturali duce eum nefandum habuere, ut patet ex l. ult. c. de *rit. nuptiarum*, ubi dicitur: *Jure gentium inceſtum committit, qui ex gradu aſcendentium vel deſcendentium uxorem duxerit.* Tum quia eſt contra reverentiam debitam progenitoribus: nam per conjugium fit æqualitas, ſeu mutua ſubjectio quoad debitum, & per actum conjugalem turpitudo quædam alterius revelatur, ex c. 18. *Levit.* Quod repugnat reverentiæ, quam deſcendentes debent aſcendentibus: omnes quippe aſcendentes habent rationem principii, & ſuperioris; deſcendentes vero loco liberorum habentur, cum cauſſa cauſſæ ſit etiam cauſſa cauſſati. Deus autem ut naturæ auctor, & matrimonii inſtitutor, non cenſetur conceſſiſſe poteſtatem contrahendi matrimonium per ſe habens indecentiam ac repugnantiam cum natura rationali; & nemo habet poteſtatem tradendi dominium corporis ſui, niſi dependenter a Deo, qui eſt ſupremus rerum ac jurium omnium Dominus. Certe omnes fatentur, nullum eſſe jure naturæ matrimonium in primo gradu, ut inter Patrem & Filiam, aut Matrem & Filium, quia id exigit reverentia ſpecialis ſuo principio immediato debita.

Conſanguinitas in linea collaterali nunc irritat matrimonium dumtaxat uſque ad quartum gradum incluſive, c. *Non debet de conſanguin.* ex Concil. gener. Later. IV. cum antea uſque ad ſeptimum dirimeret; & quidem juxta multos jure naturali in primo gradu, ut inter fratrem & ſororem, extra neceſſitatem conſervandi, vel propagandi genus humanum. Quia conjugium fratris cum ſorore continet gravem indecentiam, ut patet ex communi ſenſu hominum etiam Ethnicorum, qui has nuptias ſemper exhorruere: unde Abraham, *Geneſ.* XII. judicavit Ægyptiis perſuaſum iri Saram non eſſe uxorem ſuam, ſi putarent eam eſſe ejus ſororem. In aliis vero ſolo jure humano, cum in ſecundo gradu poſſit Papa diſpenſare, ex Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 5. & infidelium matrimonia in eo gradu valida ſint, ex c. 8. *de divort.* Ratio autem impedimenti conſanguinitatis, & affinitatis eſt. 1. Ob reverentiam quam ipſi conſanguinei ſibi mutuo debent propter originem ab eodem ſtipite tractam, & ſanguinis communionem. 2. Ad removendum periculum fornicationis, ſeu inceſtus, a quo valde arcet impotentia matrimonii ſecum ineundi: nam alioqui cum conſanguinei & affines, aut in eadem domo commorentur, aut paſſim ſe inviſant, & familiari conſuetudine utantur, magnus fornicationi pateret aditus. 3. Ad amicitiæ vincula protendenda cum extraneis.

*Nota.* 1. Conſanguinitas inter duas perſonas poteſt eſſe duplex ex duplici capite. 1. Quia ſunt duo ſtipites: ut ſi duo fratres contrahant cum duabus feminis inter ſe conſobrinis, liberi ex his duobus conjugiis nati erunt in ſecundo gradu ex parte Patrum, & in tertio gradu ex parte Matrum, & tunc dicuntur eſſe in ſecundo & tertio ex duobus ſtipitibus. 2. Quia licet ſit unus ſtipes, ab eo deſcendentes inter ſe Matrimonia contraxerunt, ex quibus nati liberi ſunt dupliciter conſanguinei. Cum autem eſt duplex conſanguinitas, tunc eſt quoque duplex impedimentum, quod exprimi debet in petitione diſpenſationis.

*Nota* 2. Graviter peccaret, qui etiam propter mortis periculum ſine diſpenſatione abſolute contraheret cum perſona conſanguinea, vel affini in gradu prohibito, & copulam exerceret. Nam tunc cum Matrimonium ſit nullum, copula eſſet fornicatio, immo inceſtus lege naturali prohibitus. *Azor.*

*Nota* 3. Spuriorum duorum liberi ac nepotes contrahunt eadem impedimenta Matrimonii inter ſe, & cum legitimis parentum filiis ac nepotibus. Quia hæc fundantur in communione ſanguinis ejuſdem, qui perinde ſpuriis ac legitimis communicatur.

✠ Qui forte cum impedimento conſanguinitatis *ſcienter Matrimonium* contrahere præſumpſerit, debet ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 5. ſeparari ab ea, quam duxit, abſque ulla *ſpe diſpenſationis conſequendæ: idque*, ait Sancta Synodus, *in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſi quidem ſollemnitates requiſitas*, ac proclamationes, *in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubjiciatur pœnis: non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cujus ſalubria præcepta temere contempſit. Si vero ſollemnitatibus adhibitis impedimentum*

ali-



*aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis diſpenſari poterit.* Non video cur hic Neapolitani hujus operis Editores addunt, *ſi nempe aliunde adſit ſufficiens diſpenſandi cauſſa.* Cur enim, qui bona fide ignorato impedimento matrimonium contraxit, & opere etiam fortaſſe conſummavit, cognito deinde impedimento, omnia alia remota cauſſa, ob hanc unice, quod jam matrimonium bona fide cum illa inierit muliere, diſpenſationem habere non poterit? Id ſane apud Tridentinos Patres tantum valuit, ut ſufficiens eſſe crediderint ad faciliorem reddendam diſpenſationem, ac innuere ſatis videntur hujuſmodi diſpenſandi motivum tale eſſe, ut ad alia motiva comparatum faciliorem diſpenſationem reddat. Si conſideretur, quam difficile ſit hujuſmodi hominibus ſeparari, & quæ ex hac ſeparatione ſequi poſſent incommoda, nemo dubitabit, quin Eccleſiæ hæc unica ſufficiens ſit diſpenſandi, ac facile etiam diſpenſandi cauſſa.

Variæ aſſignantur cauſſæ, ex quibus Romani Pontifices ab impedimento ſive conſanguinitatis, ſive affinitatis diſpenſare conſueverunt. Earum vero aliæ vocantur *honeſtæ*, quæ ſcilicet nullum oratoribus probrum, & dedecus imprimunt. Aliæ ex oppoſita ratione vocantur *infamantes*. Cauſſæ honeſtæ ad tredecim revocantur.

Prima eſt *Anguſtia loci*: cum nempe locus originis adeo anguſtus eſt, ut oratrix ſeu mulier nullum in eo reperire poſſit paris ſecum conditionis, cui nubat, niſi conſanguineum vel affinem. Hæc clauſula ſolitarie ſumpta non prodeſt iis, qui ſunt in gradibus propinquis: neque iis, qui urbes Epiſcopales incolunt: niſi certum ſit eas *non excedere numerum trecentorum focularium*: & in hoc caſu exprimi debet qualitas perſonarum, *ut ſint ex honeſtis familiis, quæ tamquam cauſſa veniunt verificanda.* Ita Pyrr. Corrad. lib. 7. prax. diſpenſ. cap. 5. n. 44. quem citat, & ſequitur Auct. Collat. Andeg. pag. 37.

Sed quid juris, ſi oratrix paris conditionis hominem inveniat in loco ei vicino, in quo commoratur?

*Reſp.* Sanchez lib. 8. diſp. 19. n. 13. & Pyrr. ibid. n. 35. diſpenſationem valere; tum quia alioqui reſponderet Papa ſub hac conditione, quam tamen non ponit, *dummodo in alio loco vicino ſuæ patriæ virum paris conditionis invenire nequeat*: tum quia durum exiſtimatur feminam cogi extra proprium oppidum nubere, ne ſic parentum conſortio deſtituta maneat; tum quia id eſt a Sac. Card. Congr. declaratum per hæc, quæ refert Sanchez verba: *Clauſula illa, quæ diſpenſationibus occaſione dotis incompetentiæ apponi ſolet, videlicet quia virum ſibi non conſanguineum vel affinem paris conditionis invenire nequit, verificatur, & juſtificatur per diligentiam dumtaxat præſtitam in ipſo loco mulieris, & non in locis circumvicinis.* Porro nomine loci, ob cujus anguſtiam conceditur iſta diſpenſatio, non intelliguntur *ſuburbia Civitatis, licet aliquantulum ab eo diſtent, quamvis ſi per milliare ſive paullo minus diſtent, licite videatur hujuſmodi cauſſam admitti poſſe, prout admiſſam diu vidimus*, inquit ſæpe citatus Pyrrhus n. 42. Addit Auctor. Collat. Pariſ. tom. 3. pag. 453. quod durum eſt reſpectu puellæ, ut a familiæ ſuæ ſinu egrediatur, alio ſibi maritum quæſitum, non habere locum in maſculo, qui facilius alium in locum traſmigrare poteſt.

Secunda cauſſa præcedenti affinis, eſt *anguſtia locorum*, originis nempe & domicilii, ſcilicet cum oratrix in aliam v. gr. diœceſim, vel in alium diœceſis locum ſe tranſtulit, tunc enim exprimitur utrumque locum adeo anguſtum eſſe, ut in neutro reperire illa poſſit hominem ejuſdem ſecum conditionis, niſi affinem & conſanguineum. Pyrrhus ibid. c. 2. n. 8. & 9. Cauſſam hanc multi prætereunt, ideoque cum præcedente confundere videntur.

Tertia cauſſa eſt *anguſtia locorum* non quidem ſimpliciter, ſed cum clauſula hac: *Quod ſi oratrix extra dictum locum nubere cogeretur, dos quam ipſa habet non eſſet competens neque ſufficiens, ut cum ea invenire poſſet virum, cui juxta ſtatus ſui conditionem nuberet.* Et hæc quidem clauſula non requiritur in omnibus gradibus, ſed tantum in quibuſdam propinquioribus, v. gr. in ſecundo, & tertio a communi ſtipite: quia quo propinquior eſt conſanguineorum, vel affinium gradus, eo major & urgentior requiritur cauſſa ad diſpenſandum.

Quarta cauſſa eſt *incompetentia dotis* oratricis, quæ vel indotata manebit, vel ſaltem idoneam & ſtatui ſuo convenientem fortunam non inveniet, niſi conſanguineo, vel affini nubat. Et hæc cauſſa admodum juſta eſt, ne puella, ſi innupta manſerit, incontinentiæ periculum ſubeat. Si vero viro inæquali nupſerit miſere vivat, cum inæqualia conjugia triſtes effectus parere conſueverint. Ceterum nihil intereſt, an oratrix dotanda ſit ab eo ipſo, cui nubet, an ab alio, qui eam in hujus matrimonii gratiam dotare velit. Ita Corrad. lib 7. c. 2. n. 48. ubi duo notatu digna ſubnectit. 1. Non vitiari diſpenſationis Breve, etſi is, qui puellam ducere vult, afferat ſe eam dotare velle, cum tamen alius in oratoris gratiam id facturus ſit: quia mendacium iſtud eſt in re, quæ ad diſpenſationem nihil confert. 2. Dotem, quæ ſufficit ut puella virum ſibi parem ducat in vicinia, vel alio quovis loco extraneo, ſed quæ inſufficiens eſt ut eadem nubat viro pari in proprio loco originis, merito judicari incompetentem. Liquet id ex declaratione Sac. Congr. ſuperius allata, atque ex allegatis ibidem rationibus. Idipſum docet Sanchez l. 8. diſp. 19 n. 29.

Idem cum prædictis auctoribus dicendum, ſi femina dotem quidem habeat, ſed adeo litibus involutam, ut ipſam ſine ſtudio viri ſolertis, & induſtrii recuperare, tueri, & conſervare non poſſit. Si enim vir litem in ſe ſuſcipere, & ratione vel peritiæ, vel auctoritatis, qua pollet, eamdem ad felicem exitum perducere valeat, merito poſtulabitur, & obtinebitur diſpenſatio, quia pietatis eſt mulieri auxilio deſtitutæ, ne bonorum jacturam ſubeat, provide opitulari. Idipſum potiori jure verum erit, cum lis eo matrimonio, & non aliter extingui poteſt, quia alia tunc accedit cauſſa, nempe bonum pacis.

Duo hic moventur dubia. Primum eſt, an dote carere cenſeatur puella, quæ ſatis habet boni ut viro paris conditionis nubat, non autem ut nubat conſanguineo, vel affini, ſed ditiori aut potentiori, qui ejuſdem nuptias exoptat? Alterum eſt, an etiam do-

FIGURA AD DIGNOSCENDUM DIVERSOS CONSANGUINITATIS GRADUS.

| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | | | IV. Abavus, Abavia. | | | | |
| | | | IV. Propatruus, Proamita. | III. Proavus, Proavia. | IV. Proavunculus, Promatertera. | | | |
| | | | III. Patruus magnus, Amita magna. | II. Avus, Avia. | III. Avunculus magnus, Matertera magna. | IV. Proavunculorum Filius, & Filia. | | |
| | | IV. Propatruorum Filius, Filia. | II. Patruus, Amita. | I. Pater, Mater. | II. Avunculus, Matertera. | III. Magnorum Filii. | IV. Proavunculi, aut Materteræ Nepotes. | |
| | IV. Propatruorum Nepotes. | III. Patrui Magni Filii. | I. Frater & Soror Conſanguinei. | Perſona de qua agitur, ſive ſtipes. | I. Frater, & Soror Uterini. | II. Conſobrinus, Conſobrina Germani. | III. Magnorum Nepotes, & Sobrini. | IV. Proavunculi Pronepotes. |
| IV. Propatruorum Pronepotes. | III. Patrui Magni Nepotes, qui Sobrini. | II. Conſobrinus Conſobrina Germani. | | I. Filius, Filia. | | II. Uterinorum Filii. | III. Avunculi, aut Materteræ Nepos. | IV. Magnorum Pronepotes. |
| IV. Patrui magni Pronepotes. | III. Conſobrini, ſeu Patruelis Filii. | II. Filii Fratris | | II. Nepos, Neptis. | | | III. Illorum Nepotes Uterinorum. | IV. Avunculi Pronepos. |
| IV. Patruelis. Nepotes. | III. Fratris Nepotes. | | | | | | | IV. Uterinorum Pronepotes. |
| IV. Fratris Pronepotes. | | | | | | | | |



tem non habere dicenda ſit ea, quæ quidem de facto nihil poſſidet, ſed parentes habet divites?

*Reſp.* Ad primum negative. Neque enim ea eſt Eccleſiæ intentio, ut faveat puellis gradum ſuperiorem ambientibus, ſed tantum ut eaſdem liberet a periculo incontinentiæ, & ab incommodis, quæ inæqualia conjugia comitari ſolent. Ab iis vero liberantur viris nubendo paris conditionis, & fortunæ. Ita Sanchez ib. n. 17. Pontius l. VIII. c. 1. n. 23. Reinffeſt. tom. 4. in append. n. 83. & alii contra Navarr. Ledeſmam &c.

*Reſp.* Ad alterum etiam negative cum ſanioribus Juris conſultis, quos ſequitur Pontas V. *Diſpenſe de mariage* caſ. 30. Ratio eſt, quia quæ divites habet parentes, jus habet eoſdem compellendi, ut idoneam dotem juxta facultates ſuas ſibi ſubminiſtrent, prout habetur l. fin. cod. *de dotis promiſſione*. Hinc Pyr. Corrad. l. VII. cap 2. n. 23. *Parum refert*, inquit, *quod juxta præſentem ſtatum nihil habeat illa, quæ jus habet ſuccedendi in bonis parentum, ac eos compellendi ad illam dotandam ſtatim juxta ipſius oratricis qualitatem .... quod procedit etiamſi pater ob aliquam cauſſam recuſaret illam dotare ... unde in hoc caſu deſtinatum habetur pro facto. Idipſum docet Fagnanus* in c. 1. *de magiſtris* n. 6. *divitiæ Patris*, inquit, *arguunt divitias filii etiam nihil actu habentis*.

Aliter diſcurrendum erit. 1. Si pater ſit quidem dives, ſed plures habeat filios, quibus, præſertim maſculis, non tantum dare queat, quantum dandum eſt filiæ, ut hæc juxta ſtatum ſuum nubat. Ratio eſt, quia Pater non tenetur puellam ceteris filiis præponere, immo nec id aliquando poſſet ſine injuſtitia, unde tunc verum eſt filiam congrua dote carere. 2. Si puella, licet moralem habeat certitudinem conſequendæ dotis ſive ex teſtamento ſive aliter, aut habere ſe credat, iis tamen bonis nonniſi poſt tempus moraliter longum potiri debeat. Ratio eſt; tum quia cum ad iſta nullum adhuc jus habeat, & hominis voluntas mutari poſſit, vere adhuc dicitur pauper & dotis inops: tum quia cum onera matrimonii ſtatim ac ipſum matrimonium incipiant, ſtatim requiritur dos in re præſens, non autem ſufficit futura in ſpe. Ita ferme Sanchez, Pontius, &c. Ex quibus cum prædictis Theologis colliges, quod ſi, ut ſæpe contingit, parentum bona ita ſe habeant, ut ii, dum vivunt, non poſſint parte ſe bonorum privare ad competentem filiæ dotem, neceſſaria filia cenſebitur dote carere: quia ex bonis aliquando ſolum adventuris, & quæ hic & nunc a parentibus dari non poſſunt, actualia matrimonii onera ſuſtineri nequeunt. Conſule Sanch. l. VIII. diſp. 19. n. 32. & Pyrrhum Cor. l. 7. c. 2. n. 12. qui merito notat incompetentiam dotis cauſſam eſſe verificatu admodum difficile, & circa quam attentione opus eſt maxima, ut devitentur *fraudes quæ deſuper evenire poſſunt*, cum oratoris executoriſque animarum jactura. Addit falli etiam eos, qui dotis incompetentiam cum paupertate confundunt, eamque ſatis eſſe credunt, ut oratores *evadant ſolitam ſolutionem expenſarum in diſpenſatione requiſitarum*. Alias plures cauſſas diſtinctim affert Pyrrhus, quæ ad prædictas referri poſſunt.

Quinta cauſſa eſt *bonum pacis*, ſive inter Regna, ſive etiam privatas inter familias gravibus invicem inimicitiis odiiſque ſejunctas, aut prope diem disjungendas, inſtaurandæ, vel confirmandæ. Cauſſa hæc æquitati conſentanea eſt, inquit S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 2. quia in id præcipue ſollicita eſſe debet Eccleſia, ut inter Principes, & inter privatos firmet pacem, qua nihil homini in hac vita præſtantius. Porro cum de inimicitiis jam exiſtentibus agitur, neceſſe eſt eas coram eo, qui ad diſpenſationem delegatur, in ſpecie, & non in genere ſolum, *plene & concludenter omnino probari per teſtes ſuper dictis inimicitiis deponentes; adjecta qualitate & cauſſa inimicitiarum; hæ enim non præſumuntur cum ſint facti*. Ita Pyr. n. 71.

Sexta cauſſa eſt *ætas puellæ* annum viceſimumquartum excedentis. Hæc cauſſa ſola non ſufficit in gradibus proximioribus, puta in ſecundo, vel primo & ſecundo; ſufficit tamen in aliis: idque eo magis, quo plus puella receſſit ab ætate annorum duodecim, qua nubilis eſſe cœpit. Ratio eſt, quia eſt locus timendi, ne diu hæc marito deſtituta aut in ſuum corpus peccet, aut ſine parentum conſenſu nubat. Unde diſpenſationes hujuſmodi facilius conceduntur, ac minor ab Officialibus Romanæ curiæ exigitur compoſitio, quam in aliis ſupra expoſitis cauſſis, ait idem Pyrrhus. Cum autem in ſupplicatione præmittatur *Oratricem hactenus virum paris conditionis, cui nubere poſſet, non inveniſſe*, dubitare quis poſſet, an executor diſpenſationis inquirere teneatur, num illa ſufficientem in inquirendo viro adhibuerit diligentiam. Reſpondet Pyrrhus n. 93. ſatis eſſe, ut puella ætatis exceſſum probet, nec requiri ut ſtricte maritum quæſierit: immo præſumendum eſt morali uſam eſſe diligentia ut virum inveniret; nec id probare tenetur, debet tamen verum id eſſe a parte rei. Cauſſa hæc locum non habet in vidua ſecundas nuptias contrahere volente, inquit cit. Pyrrhus n. 83.

Septima cauſſa eſt *periculum vitæ*. Id vero dupliciter contingit. 1. Dum puella commoratur in loco ad litus maris ſito, ac propterea continuis piratarum, & infidelium incurſionibus obnoxio, unde fit ut neminem niſi conſanguineum invenire poſſit, qui ſecum in eodem loco commorari velit. 2. Cum quis committit crimen pœna capitali dignum, quod tamen familia condonare parata eſt, ſi hanc, vel illam e conſanguineis ſuis ducere velit. Hæ cauſſæ juſtæ ſunt, quia æquum eſt cum iis diſpenſetur, qui ſine gravi incommodo Eccleſiæ legibus obſequi nequeant.

Octava cauſſa, quæ præcipue apud Belgas & Germanos viget, eſt *periculum ſeductionis*, cum ſcilicet oratores cum conſanguineis matrimonium inire procurant, ne hæreticos aut hæreſeos ſuſpectos ducere cogantur. Hac nulla æquior eſſe poteſt cauſſa, cum matrimonia catholicos inter atque hæreticos, tum ad contrahentes, tum ad prolem comparata ſint plena periculi.

Nona cauſſa eſt *conſervatio bonorum in eadem familia*. Ratio eſt, quia reipublicæ bonum exigit ut locupletes in ea familia conſerventur, & quia ampla unius familiæ bona ad aliam transferri non ſolent ſine magno totius familiæ diſpendio, & quia plurimas ſecum ferant lites, quamobrem cauſſa hæc ad *bonum pacis* revocatur. Eadem tamen cauſſa in gradibus propinquioribus; puta in ſecundo, & in tertio, non admittitur ſine maximis favoribus, ait Pyr. Corrad. ib. n. 101.

De-

Decima cauſſa præcedenti affinis, eſt *illuſtris conſervatio familiæ*: & id quoque rationi maxime conſentaneum eſt, cum plurimum reipublicæ interſit illuſtres familias conſervare.

Undecima cauſſa eſt *excellentia meritorum*. Qui enim de Eccleſia ſint bene meriti, ſive ob res in bello egregie actas contra Infideles, & Hæreticos, ſive ob Eccleſiæ jurium defenſionem, vel alios ob titulos, remunerari debent, ac decet ut favoribus hujuſmodi alios etiam Eccleſia ad eadem vel ſimilia præſtanda alliciat. Sunt vero hæc in Eccleſiam merita ab executoribus gratiæ diſpenſationis verificanda, inquit cit. Pyrrhus.

Duodecima cauſſa eſt, cum *oratrix filiis ex alio viro procreatis gravata eſt*, & orator eorumdem curam ſuſcepturum ſe ſpondet. Hæc cauſſa non adeo facile ſola admittitur, niſi poſtquam *orator idonee cavit ſe dictis filiis alimenta præſtaturum*.

Decimatertia cauſſa eſt, cum contrahentes ex *certis & rationabilibus* cauſſis moventur &c. Et hæc diſpenſationum ſpecies *ſine cauſſa* vocatur; non quod omni cauſſa careat, ſed quia oratores eaſdem cauſſas, Pontifici propoſitas, executori aperire non tenentur; unde nec iis earumdem verificationem exigere debet, non obſtante clauſula, *diligenter informes*: prout Romæ judicatum fuit, referente Pyr. Corrad. ibid.

Cauſſæ *infamantes* quinque recenſetur a Pyr. Corrado, eæque ad tres deduci poſſunt.

Prima eſt, cum Partes ob nimiam in colloquiis & tota agendi ratione familiaritatem, ſecluſa tamen copula, viciniæ ſcandalum dederunt, adeo ut niſi ambæ conjungantur, futurum ſit, ut puella neminem inveniat cui nubere poſſit.

Secunda eſt, cum partium familiaritas eo uſque progreſſa eſt, ut prolem habuerint; ita ut non aliter quam mutua partis utriuſque conjunctione ſcandalo inde procreato occurri poſſit.

Tertia eſt, cum partes licet conſanguineæ vel affines matrimonium contraxerunt, nec jam a ſe invicem ſine gravi ſcandalo, aut diſpendio poſſunt ſeparari. In his autem caſibus exprimendum eſt, an partes impedimentum ante nuptias cognoſcerent, aut dumtaxat cognoverint poſt contractum matrimonium; an ſtatim ac ejus notitiam habuerunt, ab omni commercio carnali abſtinuerint, an eo fine peccaverint, aut nimia uſæ fuerint familiaritate, ut facilius Apoſtolicam Sedem flecterent, & optatam diſpenſationem conſequerentur. Sane, ut jam ab an. 1536. annotavit Conc. Colonienſe p. 1. cap. 33. graviter errant, qui nulla, vel minus legitima, vel ficta cauſſa exhibita diſpenſationem extorquent. Quis hujuſmodi deceptores apud Deum, *qui renes & corda ſcrutatur, omnemque hypocriſim ac fraudem execratur*, ſecuros dixerit? Summopere igitur Reſcriptorum Apoſtolicorum executores examinare, ac ſcrutari debent, an preces veritate nitantur; cum & id diſtricte mandet R. Pontifex, & de hoc eorum conſcientiam expreſſiſſimis verbis oneret. Cavere etiam deberent, qui diſpenſationes quærunt, ne ad eos recurrant Bancarios, qui, ut obviam quamque lucri occaſionem arripiant, ſupplicationes ad arbitrium fingunt, idque iis inferunt, non quod veritati congruat, ſed quod conſequendæ diſpenſationi neceſſarium ſit.

An conſanguinei, qui aliquam ex prædictis habent diſpenſationis obtinendæ cauſſam, ſed prævium, quem commiſerant, inceſtum non expreſſerunt in ſupplicatione, valide contrahant, expendendum in appendice de diſpenſatione.

V. *Crimen*. Duo crimina præter raptum irritant Matrimonium. Primum eſt homicidium, quo duo ex prævia conſpiratione, etſi abſque prævio adulterio, conjugem alterutrius occidunt, ſive per ſe, ſive per alium phyſice, vel moraliter, conſilio, ſuaſione, imperio, ex intentione poſtea matrimonium inter ſe ineundi, c. 1. *de converſion. infidel.* vel quo poſt admiſſum adulterium interficitur, etſi ſine prævia conſpiratione, conjux unius ab alterutro adultero, ex intentione contrahendi Matrimonium cum ſuperſtite conjuge, licet mortem illam nolente, & ignorante, c. 3. *de eo qui duxit, &c.* Nec refert an vir, aut uxor occidatur.

Homicidium vero patratum ſine intentione ineundi Matrimonii, vel ſine prævia conſpiratione, & adulterio, non dirimit Matrimonium, quia jura exprimunt. Idem dic de tentata, ſed non perfecta cæde, quia requiritur mortis machinatio efficax, & perfecta; cum leges illæ ſint pœnales, ideoque ſtrictæ interpretationis.

Secundum eſt adulterium, ſic commiſſum, ut adulteri ante, vel poſt adulterium, quantum eſt de ſe, Matrimonium ineant viva comparte, vel ſaltem promittant ſe inituros illa mortua, cap. ult. *de eo qui duxit &c.* Ad hoc autem neceſſe eſt, 1. Ut adulterium ſit conſummatum, & quidem ſcienter, ut tale ab utroque commiſſum. 2. Ut promiſſio facta ſit tempore Matrimonii ſive ante, ſive poſt adulterium & ab altero acceptata; non tamen, ut ſit mutua, nec juxta multos, ut ſit ſincera. Ratio hujus impedimenti eſt, ne ſpe Matrimonii futuri ſumatur anſa machinandi mortem conjugis. Ac valet Matrimonium inter adulteros poſt mortem conjugis, niſi alteruter ejus necem machinatus fuerit, vel, dum viveret, Matrimonium promiſerit, c. 6. *de eo qui duxit, &c.*

✠ Ad hoc impedimentum ex crimine adulterii cum matrimonio attentato, vel cum promiſſione matrimonii contrahendum hæ conditiones requiruntur. 1. Ut ſecundum matrimonium vivente prima uxore conſummatum fuerit: ſi enim vel nunquam præceſſerit adulterium, vel nonniſi poſt legitimæ conjugis mortem conſummatum fuerit, *quamvis utrique ipſorum pro eo, quod in hoc graviter deliquerint, ſit pœnitentia injungenda, non eſt tamen matrimonium quod adulter poſt uxoris obitum cum adultera contraxit, dirimendum* c. fin. hoc tit.

Neceſſe 2. Ut quæ contrahit cum adultero, prius ejuſdem matrimonium cognoſcat, alioqui enim ex bona ſua fide excuſatur, & cum eo jam ſoluto poteſt contrahere ſi velit prout definitum eſt ab Innoc. III. c. *Veniens*, *hoc tit.* Immo non tantum inter tales verum deinceps matrimonium conſiſtere poteſt, ſed & tenetur verus adulter poſt ſuæ conjugis mortem eam ducere, quam matrimonii ſui neſciam cognovit, ſi ei matrimonium ſpoponderit, aut cum ipſa de præſenti contraxerit, c. 2. & penult. hoc tit. ubi hæc additur ratio: *Quia dignum non eſt, ut prædictus vir, qui ſcienter contra canones venerat, lucrum de ſuo dolo reportet.* Si tamen quæ bona fide contraxerat, reſcito adulteri conjugio, cum eodem maritaliter vivere



vere perrexerit, jam contractum eſt hujuſmodi impedimentum, ut docet auctor Collat. Andeg. ex c. *ſi quis uxore*.

Neceſſe eſt 3. Ut prius matrimonium validum fuerit, quia ceteroqui deeſſet adulterium.

Oportet ut adulterium ſit utrinque formale; non enim ſufficeret, ut duo proprium ſuum conjugium ſcirent, ſi neuter conjugium alterius cognoſcat. Ita Juriſperiti, & Theologi omnes ex c. 1. hoc tit. ubi res clare ab Alexandro III. deciſa invenitur. Unde ſi quis vivente uxore, quam bona fide crederet mortuam, feminæ, quæ vel libera eſſet, vel libera exiſtimaretur, nuptias ſub conditione copulæ ſponderet, nihil contraheret impedimenti.

Adulterium, & promiſſio debent ſimul ſub eodem matrimonio concurrere. 1. Quia clare colligitur ex c. 1. & fin. hoc tit. 2. quia lex civilis & eccleſiaſtica impedire voluerunt, ne quid contra vitam legitimæ conjugis attentaretur: atque ſola futuri matrimonii promiſſio, quæ in ſecundis nuptiis ſupervenit, non præbet fundamentum ſufficiens metuendi uxoricidii; alioqui hæc promiſſio ab omni adulterio ſecluſa pareret impedimentum *criminis*, quod falſum eſt: aliunde vero adulterium, quod vivente prima uxore commiſſum eſt, non ſatis inducit ad inferendam ſecundæ uxori mortem: ergo &c.

Promiſſio ſive præcedat, an vero ſequatur adulterium perinde eſt c. final. hoc tit. Verum ſi promiſſio etiam acceptata ante adulterium revocetur, impedimentum non contrahitur: quia promiſſio revocata non magis ſubſiſtit, quam ſi facta non fuiſſet, ſecus vero ſi promiſſio facta, & acceptata poſt adulterium revocetur.

Promiſſio quæ ab altero complice vel expreſſe vel implicite, ac virtualiter acceptata non fuerit, impedimentum non inducit; quia promiſſio ſine acceptatione nullius eſt momenti, ſed mera pollicitatio. Hæc autem acceptatio verbis, aut ſignis exterioribus manifeſtari debet; neque enim ſola ſufficeret complicis taciturnitas, quia in rebus nocivis taciturnitas non cenſetur pro conſenſu.

*Nota* 1. Promiſſio ſola de ineundo matrimonio poſt mortem conjugis, irrita eſt, quia dat occaſionem vitæ conjugis inſidiandi. Vide *Pontas* hic caſu 1.

*Nota* 2. Ad contrahendum impedimentum ex morte conjugis non requiri, ut utraque pars ſit fidelis, unde ſi mulier Fidelis maritum occidat, ut nubat Gentili ad fidem convertendo, non ſtabit matrimonium. Ita ſtatuit Cæleſtinus III. c. 1. *de converſione infidelium*, ubi omnino vetat ne Chriſtianæ quædam mulieres nubant Saracenis, *qui dum in captivitate eſſent, earumdem viros inſidiis & machinationibus ipſarum occiderant*. Eccleſia enim, etſi nihil Gentilibus præcipere poteſt, poteſt tamen aliquid præcipere Chriſtianis in ordine ad Gentiles, de quo vide Sanchez lib. VII. diſp. 78. n. 3. & 4. ubi docet Ethnicum, qui uxorem interfecit, animo ducendi adulteram infidelem, non fieri poſt ſuſceptum baptiſma ad ineundum cum ipſa matrimonium inhabilem. Cujus rei hæc eſt ratio, quod cum uterque infidelis eſſet, neuter Eccleſiæ legibus conſtringi potuit, neuter proinde impedimentum contraxiſſe cenſendus eſt.)

VI. *Diſparitas cultus ſeu religionis*. Hæc irritat Matrimonium inter perſonam baptizatam, & non baptizatam. Idque ſolo jure Eccleſiaſtico per univerſalem, & antiquiſſimam conſuetudinem vim legis habentem, non tamen ante ſextum ſæculum inducto. Unde S. Monica, teſte S. Auguſt. l. IX. Confeſſ. c. IX. nupſit viro infideli; & Sancta Clotildis Clodoveo Regi nondum baptizato. De Matrimonio Hebræorum, & infidelium in infidelitate contracto, vide *Notam* adjectam quæſt. VIII. c. II.

At valet Matrimonium perſonæ Catholicæ cum hæretica, vel cum apoſtata baptizato, cum nullo jure irritetur, licet ſit prohibitum jure eccleſiaſtico, immo & naturali, ſi ſit morale periculum ſubverſionis. Secluſo tamen periculo, & poſitis certis conditionibus, ſecundum communem ſententiam, licitum eſt ex diſpenſatione Papæ, & reipſa hanc Urbanus VIII. ob communem religionis utilitatem conceſſit Henricæ Borboniæ, ut nuberet Carolo Anglorum Regi Hæretico.

✠ De Matrimonio perſonæ Catholicæ cum Hæretica, vide lib. VI. c. 5. ejuſdem Tractatus de Synodo Diœceſana, ex quo ſequentia referimus; *In Divinis*, inquit, *cum Hæreticis communicant Catholici, qui cum iiſdem ſeſe Matrimonio jungere non dubitant: Etenim cum Matrimonium unum ſit ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutis, idem eſt Matrimonium cum Hæretico contrahere, ac unum, idemque Sacramentum, una cum eodem, vel conficere, ſi nimirum ipſimet contrahentes ſint talis Sacramenti Miniſtri, quod magis communiter opinantur Scholaſtici, vel ſaltem percipere, ſi ſcilicet, quod alii, præſertim ex recentioribus Theologis, autumant, illius Miniſter ſit ſolus Sacerdos: utrumque autem, & illicitum, & ſacrilegum eſſe, nemo dubitat: Quare Eccleſia iiſdem ſere legibus, quibus Chriſtianis interdixit, ne connubia inirent cum Infidelibus, Catholicos pariter a ſacrilegiis nuptiis cum Hæreticis contrahendis deterruit: Concilium Laodicenum* can. 10. (tom. 1. collect. Hard. Col. 784.) *ait* „ Quod non oporteat indifferenter eccleſiaſticos fœdere nuptiarum Hæreticis ſuos filios filiaſque conjungere; " *Agathenſe* can. 67. *relato a Gratiano XXVIII.* qu. 1. tom. XVI. „ Non oportet cum Hæreticis miſcere connubia, & vel filios, vel filias dare, ſed potius accipere, ſi tamen profiteantur Chriſtianos futuros eſſe ſe, & Catholicos. „ *Concilium Chalcedonenſe* can. 14. *Lectoribus, & Cantoribus, inter inferiores Clericos interdicit*: „ Hæretico vel Pagano, vel Judæo ſe conjungere, niſi forte promittat ſe ad orthodoxam Fidem perſona orthodoxa copulanda transferre: „ *Haſce vero ſanctiones roboravit Bonifacius VIII.* in cap. Decrevit, de Hæreticis in 6. *ubi dote privandam ſtatuit mulierem, quæ ſcienter viro hæretico nupſerit. Iis igitur in provinciis, in quibus ejuſmodi conjugia, non ſine Sacrorum Canonum contemptu, paſſim celebrantur, debet Epiſcopus, in ſua præſertim Synodo, ab illis in propriarum animarum perniciem contrahendis catholicos abſterrere, quod Nos faciendum edicimus* in noſtra Conſtit. 34. c. 3. noſtri Bullar. tom. 1. *Præcipuæ quoque Epiſcopalis muneris partes erunt, maxima Catholicis denuntiare pericula, quæ tam ipſis, quam naſcituræ ſoboli, ex præfatis imminent nuptiis, quæ propterea cohoneſtari nequeunt,*

ob-

obtentu ſolitæ conſuetudinis ( verius corruptelam dicerent ) niſi ea amoveantur pericula, quod tamen vix evenire poſſe, recte notant *Layman.* Theol. Moral. lib. v. tract. 10. part. 1. cap. 14. num. 2. *Pirhing.* ad tit. de ſponſal. & Matrim. nu. 166. *Reiffenſtuel* ibid. n. 360. *Engel.* ad tit. de Matrim. contract. contra interdict. Eccleſ. §. 1. n. 2. *Gobat* Theol. experim. tract. 9. cap. 22. n. 116. *Nicolaus Serrarius* in *opuſc.* de Catholicorum cum Hæreticis Matrimoniis, *Van-Eſpen.* J. E. part. 2. tit. 13. cap. 9. n. 10. *aliique paſſim.*

4. *Curam inſuper idem ſubibit Epiſcopus ritus nuptiarum quæ a Catholicis celebrantur in locis Hæretico Principi ſubjectis; ut enim legibus pareant ab eodem Principe latis, pœnaſque evadant tranſgreſſoribus inflictas, coguntur alicubi Catholici, Matrimonium inter ſe contracturi, Acatholicum Miniſtellum adire, ſuumque in conjugium conſenſum coram eo præſtare; dubitatur autem an id ſine piaculo fieri queat. Certum utique eſt, ita initum Matrimonium viribus carere, ſi inibi publicatum fuerit Tridentini decretum* c. 1. ſeſſ. 24. de reform. Matrim. *nec conſentientes, veros conjuges fieri, niſi, ſive antea, ſive poſtea, juxta præſcriptam a Tridentino normam, Matrimonium celebraverint, coram alterutrius contrahentium legitimo Parocho, aliove Sacerdote, Parochi vices gerente, & duobus teſtibus: ſed difficultas tantum eſt, an poſtquam Tridentini ſanctioni ſunt obſequuti, aut ad eidem poſtea obſequendum ſunt parati, licite poſſint etiam legibus Patriæ obtemperare, & coram Heterodoxo Miniſtello ſe ſiſtere. Negat Leſſius* in auct. cul. 24. V. Hæreticorum converſatio, *ejuſque opinio veriſſima eſſet, ſi Hæreticus Miniſtellus adhiberetur tamquam perſona ſacra, quæ ſacram cæremoniam intenderet exercere, ac per eum ſanctitatem tribuere contractui Matrimoniali: tunc ſiquidem viderentur Catholici eum agnoſcere tamquam legitimum Chriſti Miniſtrum, ritumque hæreticum approbare, & profiteri. Verum, cum plerumque res aliter ſe habeat, illeque Catholicorum Matrimoniis ſolum aſſiſtat, tamquam Miniſter mere politicus, neque virtute verborum, quibus conjugibus bene apprecatur, ullam credat ſanctitatem accedere eorum conjugio, quod Sacramentum eſſe, noſtri temporis Hæretici communiter inficiantur, rectius idcirco ſe eidem ſiſtentes Catholicos, ut Patriæ legibus morem gerant, graviaque evitent incommoda, quæ ſecus ſibi imminerent, a culpa excuſant Joannes Verays* in ſuo Paſtorali tr. 13. art. 7. *Arſdekin.* Theolog. tripartita tom. 2. part. 1. tract. 4. de Matrim. cap. 8. §. 2. n. 17. *La Croix* lib. 6. par. 3. de Matrim. nu. 735. *Pietre* quein. Theolog. part. 6. pag. 448. *In hac quoque ſententia fuit Sac. Congr. Sancti Officii, quæ hanc quæſtionem diligenter, uti ſolet, examinavit, & die 19. Novemb. anni 1672. in eum, qui ſequitur modum, definivit:* „ Catholici qui Matrimonio juncti ſunt coram Parocho, & teſtibus Catholicis, in pluribus locis ( ita invaluit conſuetudo ) ſolent coram Miniſtro Hæretico, ſeu Proteſtante rurſus conjungi ad evitanda gravia damna; neque poteſt conſuetudo hæc a Clero corrigi. Peccant ne? Et quo peccato Catholici, ſic denuo conjuncti coram Miniſtro Hæretico? Et quomodo ſe gerere debeat erga illos Ordinarius loci? Sac. Congreg. reſpondit: Quatenus Miniſter aſſiſtat Matrimoniis Catholicorum, uti Miniſter politicus, non peccare contrahentes. Si vero aſſiſtat, ut Miniſter addictis ſacris, non licere, & tunc contrahentes peccare mortaliter, & eſſe monendos. „

5. *Huic Sacræ Congregationis ſententiæ noſtram Nos auctoritatem adjecimus,* in noſtra Conſtit. 35. §. 10. noſtri Bullar. to. 1. *ubi Fidelibus degentibus in regno Serviæ, finitimiſque regionibus, interdiximus, ne, Matrimonio inter ſe, catholico ritu, celebrato, illud renovare præſumant coram* Caddi, *noſtram tamen interdictionem hac temperavimus limitatione, niſi ſcilicet nuptiarum cæremonia expleta coram* Caddi, *actus ſit mere civilis, nullamque contineat Mahometi invocationem, aliudve ſuperſtitionis genus includat. Hujuſmodi decreta in unum collecta, & diſertius explicata juſte ac ſancte, præcipuum locum occupabunt in Synodo, ſi quæ fiat ab Antiſtite, ſeu Vicario Apoſtolico cui concredita ſit cura Fidelium, loca incolentium Hæretico Principi ſubjecta: quinimmo oportebit eidem Synodo adjungere inſtructionem, qua ſolerter edoceantur Fideles prædictam civilem cæremoniam, coram Hæretico Miniſtello expleudam, vires, & firmitatem non tribuere conjugiis Catholicorum, quibus propterea abſtinendum erit ab omni conjugali conſuetudine, niſi ſuas nuptias coram Miniſtro Catholico, & duobus teſtibus rite celebraverint. Inepte autem ſimiles inſtructiones introducentur in Synodum Diœceſis ab Hæreticorum regionibus quam longe diſſitæ.*

VII. *Vis*, ſi injuſte inferatur, pœnis, vexationibus, minis, quæ metum gravem incutiant ad conſenſum extorquendum. Nam metus gravis injuſte a quovis etiam alio tertio incuſſus ad extorquendum conſenſum, irritat Matrimonium, cap. 14. 15. & 28. *de ſponſal.* Sufficit metus mali gravis probabiliter imminentis, ſive illud ſit grave abſolute, & in ſe, ſive tantum reſpective ad timentem; æque enim notabiliter tollit injuſte involuntarium perfectum. Ratio impedimenti eſt, quia ſi eſſet validum, cum natura ſua ſit inſolubile, injuria nunquam poſſet tolli, nec pars innocens in priorem ſtatum reſtitui, & inde graviſſima incommoda ſequerentur: nam Matrimonia coacta infelices habere ſolent exitus, cum non fundentur in mutuo amore. Præterea fidelium Matrimonium ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, quæ fundatur in amore libero ac voluntario, non in coactione.

Dixi 1. *Metus gravis*: nam levis metus etſi injuſtus, non irritat ex c. 6. *de ſponſal.* quia non notabiliter minuit libertatem; & facile contemni potuit. 2. *Injuſte*: nam ſi metus ſit juſte incuſſus ab homine, valet Matrimonium, ex c. 10. *de ſponſal.* & c. 2. *de adulter.* quia fuit ſufficienter voluntarium in ſuo principio, & nulla intervenit injuria. Sic valet ex metu juſtæ excommunicationis, vel pœnæ a judice intentatæ contractum. Unde qui contraxit ſponſalia, compelli poteſt metu cenſuræ ad Matrimonium, c. cit. Immo valet etiamſi metus juſte incutiatur a privato homine, ut ſi ſtupratori filiæ ſuæ minas pater intentet, ſe eum apud judicem delaturum, niſi eam ducat. Nam qui juſte procedit, non dicitur vim inferre; ſecus, ſi minetur ſe eum occiſurum. 3. *Ad*



*extorquendum conſenſum*: nam ſi metus injuſte incutiatur ob alium finem, v. gr. vindictam, ut ſi quis ad placandum inimicum necem minantem ducat ejus filiam, vel ſi injuſte detentus in carcere ob aliam cauſſam, ut eo ſe liberet, ducat filiam judicis, vel cuſtodis, valet Matrimonium. Quia ille metus, ut ſupponitur, non eſt per ſe directe cauſſa Matrimonii, ſed tantum occaſio; nam ille ſponte tale medium evadendi eligit. 4. *A quovis alio &c.* Nam ſi metus ortus ſit a cauſſa naturali, vel ſponte ſuſceptus, v. gr. ex metu naufragii, ſeu mortis inſtantis, valet Matrimonium: quia tunc ſine alterius injuria, & a nullo alio niſi a ſe ipſo compellitur ad contrahendum. *Vide dicta de metu in Contract.*

✠ Quæſt. I. *An preces importunæ, ac ſæpius repetitæ metum juſtum incutiant, qui ſufficiens ſit ad infirmandum Matrimonium?*

*Reſp.* Affirmative. Si cum iis juncta ſit reverentia perſonæ rogantis, & inſtantis, ſeu metus reverentialis, adeoque duæ impulſiones concurrant; videlicet hominis auctoritas, & precum importunitas. Exemplum eſt: Si Princeps, cui reverentia debetur, non ſemel, ſed ſæpe inſtanter roget, aut jubeat Matrimonium, cui, ſpectatis perſonarum circumſtantiis, difficillimum ſit tam moleſte inſtanti contradicere, uti notavit Sanchez lib. 14. diſp. 7. Coninck diſp. 28. dub. v. Leſſius lib. 11. c. 17. n. 15.

Quæſt. II. *An Matrimonium ex gravi metu initum, ſubſequenti copula vel cohabitatione ratificetur.*

*Reſp.* 1. Si poſt Matrimonium ex metu gravi injuſte illato contractum, habeatur copula ſponte & affectu maritali, ideſt animo vivendi conjugaliter, omnino validatur Matrimonium. Ita D. Th. in 4. diſt. 29. qu. unic. art. 3. D. Bonav. ibid qu. 2. n. 23. D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 7. & alii quos refert & ſequitur Sanchez lib. iv. diſp. 18. n. 2. Ratio eſt 1. quia ad valorem Matrimonii hujus ſolum requirebatur conſenſus perſonæ, quæ metum paſſa erat, cum præceſſerit & virtualiter perſeveret conſenſus illius, qui metum incuſſit; ſed qui copulam maritali affectu habet, conſenſum ſuum præſtare incipit. 2. quia cap. 4. *De his qui accuſare*, ſic habet ſummarium: *invita deſponſata, ſponte cognita contra Matrimonium non auditur.*

2. Si copula non ſponte, ac libere, ſed ex gravi metu ſubſequitur, lethaliter peccant ambo contrahentes, nec vires ſumit Matrimonium. Peccant quidem, quia actum pure fornicarium exercent. Fornicatio autem etiam gravi extorta metu, non deſinit eſſe peccatum. Neque hinc ratificatur Matrimonium, quia ſi poſitivus conſenſus metu gravi extortus non ſufficit ad valorem Matrimonii, multo minus valebit tacitus conſenſus, qui per copulam habetur, ſi pari extorqueatur metu.

3. Matrimonium ratione metus invalidum, validatur per ſpontaneam cohabitationem, etiam ſine copula, ex cap. 21. *de ſponſal.* & unanimi Canoniſtarum doctrina: quia cohabitatio ſpontanea, eſt ſignum ſufficiens novi conſenſus, qui ſolum ad Matrimonii valorem deſiderabatur. Ut autem per cohabitationem ratificetur prius Matrimonium, quatuor requiruntur conditiones. Prima eſt ut cohabitatio ſit ſpontanea. Ratio eſt quia cohabitatio etiam longo tempore perſeverans, ſi coacta ſit, liberi conſenſus indicium eſſe non poteſt. Porro cohabitatio cenſetur ſpontanea, cum eo uſque ſublata eſt incuſſi timoris cauſſa, ut metum paſſus, vel fugere vel commode reclamare potuerit. Non enim ſufficit, ut deſinat metus cauſſa, niſi etiam ceſſent ea, quæ impediunt ne is, cui incuſſus eſt timor, reclamet. Unde conſultus in ſimili materia Navarrus reſpondit; Monialem patris timore profeſſam, uno poſt ejus obitum anno reclamare potuiſſe, quia per illud tempus impedierat communitas ne reclamaret.

Secunda eſt, ut habitatio, a copula ſejuncta, ſit diuturna, vel potius, ut ſufficienter duraverit, quod quidem, ut & alia in quibus nihil a lege definitum eſt, diſcutiendum relinquitur arbitrio Judicis, qui in dubio fugiendi opportunitatem, habitationiſque moram perpendet. Quod ſi conſtet de habitatione ſpontanea, ſufficiet momentanea habitatio, quæ ſemper in foro externo præſumitur, cum illico & incontinenti, utique non mathematice, ſed moraliter loquendo, non fugit quæ fugiendi opportunitatem habuit. Aliud eſt de foro conſcientiæ, in quo etiam poſt ablatam omnem metuendi cauſſam, nulla habitatio Matrimonium ratificabit, ſi defuerit animus ratificandi, ut bene docet Sanchez lib. iv. diſp. 18. n. 6.

Tertia conditio, ut Matrimonium per cohabitationem aut copulam ratificetur, eſt, ut pars metum paſſa ſciat illud nullum fuiſſe, & invalidum: ſi enim ex errore quo exiſtimabat validum fuiſſe Matrimonium, cohabitet aut copulam habeat, nunquam ratificabitur prius Matrimonium, ut docent Navarrus c. 22. n. 76. Sylveſter V. *Matrimonium* qu. 10. Pirhing. in tit. *de ſponſal.* n. 213. & alii, quos inter late diſcurrit Sanchez l. 11. diſp. 36. n. 3. Ratio eſt, quia nihil tam contrarium eſt conſenſui, quam error: atqui cum pars metum paſſa vel cohabitat, vel alteri copulatur, qui exiſtimat ſe eidem legitimo Matrimonio conjunctum eſſe, revera operatur ex errore, qui quidem ad errorem perſonæ reducitur, cum putet ſe conſentire in eam, quæ ſua ſit, & quæ tamen ſua non eſt. Immo major is eſſe videtur error facti quam perſonæ, cum integræ contractus ſubſtantiæ ignorantiam importet: unde fit ut pars ſic contrahens ita neſciat id quod facit, ut ſæpius, ſi ſciret, non eſſet factura. Quamquam etſi ſic affecta eſſet, ut ſi Matrimonii præcedentis invaliditatem compertam haberet, illud vel copula vel cohabitatione ratum facere vellet, haud tamen propter errorem ratificaretur, ſicut a ſimili non valet Matrimonium liberæ cum ſervo, etſi hæc eidem, cognita ejus ſervitute, nihilominus nuptura fuiſſet; ergo. 2. quia invalide profeſſus nihil agit, cum ex errore profeſſionem ſuam valere exiſtimans, eamdem renovat, & ſic denuo profitetur, quia poſterior conſenſus non majorem habet vim, quam prior, cui innititur; ergo idem a pari dicendum in præſenti caſu, cum Matrimonium ſummam exigat libertatem.

Quarta demum conditio, ut adhuc perſeveret conſenſus partis quæ metum incuſſit. Ratio eſt quia ad Matrimonii valorem requiritur ut pars utraque conſenſum ſimul apponat, ſi non phyſica ſimultate, at ſaltem morali: hoc autem deeſt, cum altera pars conſenſum retractat; hinc enim efficitur, ut unius ſolum partis conſenſio interveniat; ergo.

VIII. *Ordo Sacer*, nempe Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium, ob annexum votum ſollemne caſtitatis, & Legem Eccleſiaſticam, c. 1. *de Cleric. conjug.* & ex Concil. gener. Later. I. c. 21. & Later. II. c. 7. & Trid. ſeſſ. 24. c. 9.

✠ Ordo ſacer impedimentum eſt ex lege Eccleſiæ conſtitutum. In Latina Eccleſia eſt omnino certum nullum atque irritum reddere Matrimonium deinceps contractum: in Orientali vero non eſt ita compertum, cum nondum ſit Eccleſiæ definitione declaratum, Canones, qui Orientalibus Matrimonium poſt Diaconatum inire prohibent, dirimens impedimentum ſtabilire. At ſacræ Urbis Congregationes Matrimonia hujuſmodi irrita ſemper decreverunt. *Vide* Ap. *ad Tract. de Ord.*)

IX. *Ligamen* eſt vinculum prioris conjugii ſive rati tantum, ſive conſummati, quo durante, ſecundum jure divino eſt invalidum: nam in lege nova polygamia nec licita nec valida eſt. Hinc conjux non poteſt aliud Matrimonium inire, niſi habeat certitudinem moralem de morte compartis: c. 2. *de ſecund. nupt.* ibi: *Nullus ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet quod ab hac vita migravit conjux ejus.* Alioqui enim exponeret ſe periculo mœchandi.

Quod ſi poſt contractas bona fide ſecundas nuptias dubitet de morte prioris conjugis, tenetur quam primum diligenter inquirere veritatem & interim abſtinere a petendo debito, non tamen a reddendo; nam petendo exponeret ſe periculo fornicandi, & negando inferret injuriam poſſeſſori bonæ fidei. Si vero de prioris conjugis vita conſtiterit, tenetur poſteriorem ſtatim relinquere, & ad priorem reverti, ex eod. cap. nam ſubſiſtit prius Matrimonium, & poſterius invalidum eſt.

Si vero uterque mala ſeu dubia fide proceſſit, neutri licet petere, & reddere debitum: quia neutri eſt poſſeſſio juris pro petendo debito; nam poſſeſſio juris inchoari nequit cum mala vel dubia fide. Si autem unus tantum cum dubio contraxit, hic non poteſt petere debitum, etſi debeat reddere: nam contraxit mala fide, & ſine judicio prudenti de morte conjugis.

Porro ſola abſentia multorum annorum, nec ſola fama fundat certitudinem moralem ſufficientem. Sed requiritur teſtimonium authenticum mortis conjugis approbatum ab Ordinario, ſine cujus licentia Parochi non debent tunc agere. Quod ſi deſit teſtimonium authenticum conjugis jam diu abſentis, neceſſe eſt ut hanc teſtentur homines fide digni.

X. *Honeſtas*, ſeu juſtitia publicæ honeſtatis, eſt quædam affinitas, ſeu propinquitas perſonarum jure civili, & Canonico inducta, proveniens vel ex ſponſalibus validis & abſolutis, vel ex Matrimonio rato non conſummato ob publicam morum honeſtatem. Si ex ſponſalibus oriatur, Matrimonium irritat ſolum inter ſponſum, & conſanguineam ſponſæ in primo gradu, & viciſſim, ex Conc. Trid. ſeſſ. 24 c. 3. Idque etiam ſi ſponſalia poſtea fuerint juſte diſſoluta, c. *Si quis* 27. qu. 2. etiam mutuo conſenſu ex c. 5. *de deſponſat. impub.* Nam hoc impedimentum non a contrahentium voluntate pendet, ſed ab Eccleſiæ, quæ illud conſtituit, inſtituto, & quæ voluit illud eſſe perpetuum, eo quod non deceat Matrimonium contrahi inter perſonas, quæ ſibi factæ ſunt propinquæ per ſponſalia. Si ex Matrimonio rato oriatur, irritat uſque ad quartum gradum conſanguinitatis incluſive, ut declaravit S. Pius V. in Bulla 62. aſſerens Conc. Trid. circa hoc nihil innovaſſe.

✠ Ut impedimentum honeſtatis præſtent ſponſalia, neceſſe eſt, ut certas habeant conditiones.

1. Debent eſſe valida ex Trid. ſeſſ. 24. c. 3. *Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt, S. Synodus prorſus tollit; ubi autem valida fuerint primum gradum non excedant*: unde ſi impotens voto ſollemni, vel ordine ſacro ligatus, aut alio quocumque impedimento dirimente conſtrictus ſponſalia celebret cum muliere, poterit hæc detecta rei veritate ejuſdem conſanguineis nubere, quia ſponſalia irrita pro nihilo hodie reputantur: aliud erat ſecundum jus antiquum: tunc enim *ex ſponſalibus, quacumque ratione eſſent nulla, dummodo non eſſent nulla ex defectu conſenſus, oriebatur efficax ad impediendum, & dirimendum ſequentia ſponſalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia diſſolvendum, impedimentum*, c. unic. *de ſponſal.* &c. in 6.

Ex tradita doctrina ſolvuntur hi caſus. 1. Si Titius ante ſponſalia cum Clotide contracta, ejuſdem Clotidis ſororem cognoviſſet, poſſet utique cum ea Clotidis ſorore contrahere Matrimonium, quia ſponſalia cum Clotide nulla, & invalida fuerunt ob affinitatem exortam ex prævia copula cum Clotidis ſorore: non poſſet vero ob eamdem affinitatem cum Clotide ipſa contrahere.

2. Si Cajus abſolute ſponſalia contraxerit cum Bertha, & poſtea carnaliter copuletur cum ejus ſorore Sempronia, neutram in uxorem accipere poteſt; non Bertham ob impedimentum affinitatis conſurgens ex copula, quam habuit cum ſorore ejus; non Semproniam ob impedimentum publicæ honeſtatis, ortum ex ſponſalibus pure, & abſolute contractis cum Bertha.

3. Quæres. *Si ſponſalia filiorum familias clam patre facta cenſeantur valida, ex iis inducetur ne impedimentum publicæ honeſtatis?*

*Reſp.* Naſci quidem exinde impedimentum publicæ honeſtatis: verum non inde ſequi, ſponſalia illa fuiſſe valida. Quod totum quale ſit, breviter ſic accipe ex cap. V. præcitatæ diſſertationis *de ſponſalibus & matrimoniis, quæ &c.* doctiſſimo adnotatore in *Mantiſſa de ſponſal. filior.* ex jure civili p. 2. n. 23. Jure antiquo, Honeſtas etiam ex irritis ſponſalibus inducebatur. Id quidem ſuſtulit Trid. Synodus, vetans ex ſponſalibus undecumque invalidis id impedimentum inferri: ſed tamen Trid. Sanctio intelligenda eſt de initio irritis: nam ex initio validis ſponſalibus, ſed poſtea ob diſſenſum, mortem, fornicationem, notabilem ſponſi unius mutationem evadentibus invalidis, oritur optime illud impedimentum: de quibus omnibus vide Fagnanum in cap. *ad audientiam de ſponſal.* n. 27. ubi & Decretum Cong. Cardinalium ſuper ea re, idque a Papa comprobatum affert.

Venio nunc ad ſponſalia, maxime indigna, inſcio aut diſſentiente patre facta. Ea quidem ex multorum ſententia ab initio fuere valida, etſi poſtea ob offenſiones, quæ prævidentur, irrita fiunt, h. e. minime





nime obligatoria. Hæc opinio quum haud paucos patronos præferat, ſatis habet virium, ut ex dictis ſponſalibus inducatur impedimentum: Nam in iis quæ ſubſtantiam Sacramenti tangunt (cujuſmodi ſunt omnia impedimenta dirimentia) tutior inſiſtenda eſt via. Etenim etſi ſecundum meam ſententiam illa ab incunabulis invalida erant, id tamen negatur ab aliis. Quid reſtat igitur, niſi ut in praxi ita geratur negotium, tamquam ſi revera id impedimentum oriatur, cujus ceteroqui venia, ubi opus fuerit, facillime impetratur. Deinde etiam ſecundum noſtram ſententiam adhuc inferri id impedimentum neceſſe eſt. Dixi enim invalida initio eſſe ſponſalia, ſi juſte pater diſſentiat; at valida (intrinſecus inquam valida) etſi donec id probetur, ea in foro tamquam in ſuſpenſo habebuntur, ſi injuſte: Atqui totum hoc (juſte ne an injuſte) eſt in judicio diſceptandum: quod judicium utpote ex pluribus juris, factique circumſtantiis pendens, non eſt expeditiſſimum. Ad hæc autem & Judex falli ut homo poteſt. Itaque quum non expediat Sacramenti valorem in diſcrimen adduci, ad eam ſe praxim conformare omnes debent, quæ tutior eſt, ac impedimentum honeſtatis ex his ſponſalibus oriturum agnoſcere; ac ſi ſit diſpenſationi locus, eam minime negligere. Atque ea eſt hujus difficultatis enodatio.

2. Ut ſponſalia impedimentum dirimens pariant, debent eſſe certa, ideſt cum perſona quadam ſingulari contracta; unde ſi quis det fidem de ducenda una ex filiabus Titii, nulla ex iis deſignata, non naſcetur prædictum impedimentum; ita omnes ex c. unic. *de ſponſal. in 6.* Adde quod ſponſalia hujuſmodi irrita eſſe multi contendant cum Sanchez lib. 1. diſp. 16.

3. Debent eſſe *abſoluta*, unde qui ſponſalia cum aliqua muliere ſub conditione contraxit, *ſi poſtmodum ante conditionis eventum cum alia prioris conſanguinea per verba contraxerit de præſenti, cum ſecunda remanere debebit*. Ita Bonifacius VIII. ex cit. cap. unic. *de ſponſal.* in 6. Si quis vero poſt contracta conditionate ſponſalia de futuro cum Bertha, alia de futuro ſponſalia, etiam abſolute, cum ejus ſorore contrahat, debebit Bertham ducere, non ejus ſororem. Poſteriora enim ſponſalia non poſſunt inducere obligationem agendi illicite: illicite autem contraheretur matrimonium cum ſorore Berthæ, quia priora ſponſalia obligant ad expectandum conditionis eventum, ante quem non poteſt ſponſus remuni ſub conditione promiſſam tradere alteri. Valeret tamen matrimonium cum Berthæ ſorore contractum: quia ex citato Bonifacii VIII. textu, ſponſalia ſub conditione inita, tunc ſolum publicæ honeſtatis impedimentum inducunt, cum purificata conditione e conditionatis fiunt abſoluta.

Atque hic obiter notandum, nos loqui de conditione, & contingenter, & honeſte futura: quia ſi conditio vel ſit de præſenti, vel de eventu neceſſario, jam habetur abſoluta: ſi vero ſit de re turpi, aut impoſſibili, habetur pro non adjecta. De quo vide Sanchez diſp. 62. lib. VII.

Notandum. Impedimentum honeſtatis publicæ eſſe perpetuum, unde ſi ſponſa, vel moriatur, vel ingrediatur Religionem, non poterit ſponſus cum ejus conſanguineis contrahere ſine diſpenſatione. Idem eſt, ſi ſponſalia mutuo partium conſenſu, vel Officialis ſententia diſſolvantur. Ratio eſt, tum quia ſponſalia hæc antequam diſſolverentur valida erant, & ex validis ſemel ſponſalibus oritur perpetuum honeſtatis impedimentum; tum quia id a Sacra Congregatione definitum eſt, cujus judicio inhærendum eſſe declaravit Alexander VII. an. 1658. ut teſtatur Fagnan. in c. *ad Audientiam* n. 25. *de ſponſal.* Et tunc debet orator in ſupplicatione exponere ſponſalia, vel morte unius partis, vel ex mutuo partium conſenſu diſſoluta eſſe, his ſimilibuſve verbis, *ſed quia alias dictus orator ſponſalia de futuro cum oratricis ſorore ad præſens defuncta, vel Religionem ingreſſa &c. contraxit, quæ quidem oratricis ſoror ab eodem oratore intacta & in nullo penitus attentata, ab humanis deceſſit &c.* Quæ formula ideo apponitur ut intelligat Pontifex impedimentum non oriri e matrimonio rato, etiam non conſummato, quod fortius, & diſpenſatu difficilius vinculum parit. Ita Pyrr. Corrad. lib. VIII. diſp. cap. 7. n. 23. pag. mihi 364.

Honeſtatis impedimentum non ſolum oritur ex ſponſalibus, verum etiam ex matrimonio *rato & non conſummato*. Idque, præterquam expreſſe definitum eſt c. 4. & 8. *de ſponſal.* patet argumento a minori ad majus. Si enim ſponſalia mera, quæ ſunt via ad matrimonium, inducunt impedimentum honeſtatis publicæ, multo magis illud inducet matrimonium ipſum quamvis non conſummatum. Circa hoc quædam notanda, & quidem.

*Nota* 1. Impedimentum e matrimonio rato latius extendi, quam quod oritur e puris ſponſalibus: hoc enim, ut diximus, intra primum lineæ rectæ, vel collateralis gradum ſiſtit; illud vero ad quartum uſque lineæ utriuſque gradum operatur; prout declaravit S. Pius V. in cit. Bulla *ad Romanum* data anno 1568. quam refert Pyrr. Corradus lib. VIII. cap. 7. n. 6.

*Nota* 2. Quod licet ex ſponſalibus invalidis non exurgit impedimentum publicæ honeſtatis, exurgit tamen e quocumque matrimonio invalido, modo invalidum non ſit ex defectu conſenſus, quod definit Bonifac. VIII. in cap. unic. *de ſponſal.* in 6. cui nullo poſteriori jure derogatum eſt, ut bene probat Fagn. in c. *ad Audientiam de ſponſal.*

*Nota* 3. Matrimonium irritum ob impedimentum publicæ honeſtatis non parit aliud honeſtatis impedimentum in præjudicium priorum ſponſalium; hinc matrimonium contractum cum ſorore, matre, vel filia ſponſæ non habet vim quaſi reciprocam diſſolvendi præcedentia ſponſalia, cap. unic. *de ſponſal.* in 6.

Dixi in præjudicio *priorum ſponſalium*: nam ut bene advertit Sanchez diſp. 68. n. 24. quando priori ſorori data eſt fides, & poſtea cum poſteriori initum eſt matrimonium abſque conſummatione, inducit impedimentum ad contrahendum valide matrimonium cum quacumque intra quartum gradum conſanguinea hujus poſterioris, dempta illa cui fides data eſt, quia ex matrimonio irrito perſeverat nunc impedimentum uſque ad quartum gradum, & ſolum textus diſponit non oriri impedimentum ad præcedentia ſponſalia

diſſolvenda cap. unic. *de ſponſal.* in 6. *Ex ſponſalibus puris, certis, dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſus, oritur efficax ad impediendum & dirimendum ſequentia ſponſalia, vel matrimonium, non autem ad præcedentia diſſolvendum, impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis.*

Hinc 1. Si matrimonium Titii cum Bertha invalidum fuerit propter aliquod impedimentum dirimens, ſive cognitum iiſdem, ſive incognitum, ex eodem matrimonio naſcetur impedimentum publicæ honeſtatis, vi cujus nec Titius ullam e conſanguineis Berthæ, nec Bertha ullum e conſanguineis Titii intra quartum gradum ducere poterit; unde celebre hoc axioma, *quod de jure irritum eſt, nullum parit effectum*, non valet in præſenti.

Hinc 2. Ex matrimonio celebrato inter amentes, furioſos, ebrios, metu gravi conſtrictos, & fide non conſentientes, non exurgit impedimentum honeſtatis, quia deeſt conſenſus vel omnis, vel ſaltem liber. Idem dic de matrimonio ex errore circa perſonam, vel cum perſona incerta contracto, cap. *Tua nos* de ſponſalib. *cum in eo*, ideſt matrimonio ſine conſenſu, *nec ſubſtantia conjugalis contrahatur, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri*, ait Innocentius III.

Hinc 3. Si Joannes ſponſalia valide contraxerit cum Bertha, & poſthac matrimonium contrahat cum Maria ejus ſorore, ante ſecundi hujus matrimonii conſummationem poterit contrahere cum Bertha: quia matrimonium, quod propter impedimentum honeſtatis e ſponſalibus ortum non valet, impedire non poteſt quominus Joannes promiſſionem Berthæ factam adimpleat, & adimplere teneatur; ſecus vero dicendum ſi Joannes cum Maria matrimonium inique conſummaverit, neutram ducere poteſt. Non Mariam ob dictum publicæ honeſtatis impedimentum: non Bertham ob impedimentum affinitatis conſurgens ex copula, quam habuit cum ſorore ejus. Unde patet quod affinitas agat retro, & præcedentia ſponſalia diſſolvat; ſponſalia vero ſive de futuro, ſive de præſenti, ſed ante matrimonii conſummationem, non retro agunt nec valent ad diſſolvendum præcedentia. Vid. Sanchez diſp. 68. n. 25.

*Quæritur denique an ex matrimonio clandeſtine contracto naſcatur hoc impedimentum?*

*Reſp.* Negative Sanchez l. VII. diſp. 79. n. 25. quia inquit, tale matrimonium nullum eſt ex defectu conſenſus, cum careat eo genere conſenſus, quem exigit Eccleſia. Affirmant alii, quia qui clandeſtine contrahit, vere conſentit etſi illegitime, non ſecus ac Monachus, qui matrimonio jungitur; ergo ſi ex iſtius falſo conjugio, ſic & ex conjugio illius, qui clandeſtine contrahit, exurgere debet impedimentum publicæ honeſtatis.

XI. *Ætas*, nempe impuberum; nam horum Matrimonium illicitum, & irritum eſt jure Canonico, cap. 10. *de deſponſ. impub.* valet tamen Matrimonium inter pubertati proximos, qui jam habent ſufficientem ad id diſcretionem rationis, & potentiam generandi.

XII. *Affinitas* eſt conjunctio ſeu propinquitas perſonarum orta ex copula carnali completa; ſeu per ſe ſufficiente ad generationem prolis, ſive licita, ſive illicita. Oritur inter conſanguineos viri, & ſolam mulierem, item inter conſanguineas mulieris, & ſolum virum. Ratio eſt, quia vir, & mulier per copulam carnalem ſiunt una caro, ac proinde conſanguinitas unius fit conſanguinitas alterius, & viciſſim, c. *Porro* 35. qu. 5. Affinitas quæ oritur ex licita, ſeu conjugali copula, irritat Matrimonium uſque ad quartum gradum incluſive in linea collaterali perinde ac conſanguinitas, c. 8. *de conſang.* quod in hac parte non fuit correctum. Quæ oritur ex illicita copula, ſolum irritat uſque ad ſecundum incluſive ex jure novo Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. ita ut jam in ulterioribus gradibus Matrimonium ſit validum, immo & licitum ut declaravit S. Pius V. Bulla 52.

*Nota* 1. In affinitate lineæ, & gradus eodem modo computantur, quo ſupra in conſanguinitate: unde quo gradu aliquis conſanguineus eſt uni conjugum vel copulatorum, eodem gradu affinis eſt alteri. Sic conſanguinea uxoris in primo, & ſecundo gradu, & viciſſim conſanguineus mariti in primo & ſecundo gradu, affinis eſt uxori in iiſdem gradibus.

*Nota* 2. Hoc impedimentum eſt ſolum juris humani. Excipiunt multi gradum primum lineæ rectæ, ut inter privignum, & novercam, vitricum & privignam: quia omnes gentes bene inſtitutæ talia connubia ob indecentiam abhorruerunt, ex 1. ad Cor. 5. & ex lib. 4. *Cod. de nupt.* Enimvero cum vitricus & noverca per copulam conjugalem facti ſint una caro, privigna vitrico eamdem fere reverentiam debet quam deberet matri. Quare Matrimonium inter tales dedeceret naturam rationalem: ideoque Deus illud valide contrahendi poteſtatem non dedit.

*Nota* 3. Copula inceſtuoſa cum conſanguineis conjugis non dirimit Matrimonium valide contractum, cum ſit inſolubile; ſed privat nocentem jure petendi debitum, non tamen facultate reddendi, ne pars innocens privetur ſuo jure ob alterius delictum, c. 4. & 10. *de eo qui cognovit &c.*

*Nota* 4. Conſanguinei conjugum vel copulatorum non ſunt affines inter ſe. Sic conſanguinei uxoris non ſunt affines conſanguineis viri, nec hi illis, *cap. 5. de conſang.* Hinc duo fratres valide ducunt cum duabus ſororibus, & filius mariti ex alio conjugio cum filia uxoris ex alio pariter conjugio ſuſcepta.

✠ Si Titius copulam habeat cum Bertha, ipſe & quidem ſolus (non autem ejuſdem conſanguinei) fit affinis conſanguineis Berthæ; adeo ut jam ipſe, defuncta Bertha, nec poſſit ducere matrem, nec filiam, neque neptem Berthæ; immo nec cognatas ejus ad quartum uſque gradum, ſi copula intra matrimonium habita ſit, de quo infra. Idem viciſſim dicendum de Bertha reſpectu conſanguineorum Titii. At vero conſanguinei Titii prædictas Berthæ conſanguineas ducere poterunt, juxta tritum id: *Affinitas non parit affinitatem*, cujus ſenſus eſt Titium per ſuam cum Bertha copulam ſic fieri affinem conſanguineis Berthæ, ut ejuſdem Titii conſanguinei per hoc prædictis Berthæ conſanguineis affines non reddantur. Qua de cauſſa juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam pater & filius, matrem & filiam ejus; fratres duo, duas ſorores, vel eorum unus matrem, alter filiam;





item duo conſanguinei, duas conſanguineas ducere poſſunt. Qua iiſdem de cauſſa Titius etſi Berthæ conſanguineas ducere non poſſit, ejus tamen affines, ver. gr. uxorem fratris Berthæ defuncti poſt Berthæ mortem ducere poterit. Sanchez lib. 7. diſp. 67. nu. 2. &c.

Ut autem cognoſcatur quoto in gradu duæ perſonæ ſibi ſint affines, animadverti debet in affinitate ſicut & in conſanguinitate, diſtingui ſtipitem, lineas, & gradus; ſtipes ſunt duæ perſonæ quæ ſe carnaliter cognoverunt, quæque cum una caro efficiantur, non vocantur affines, ſed principium affinitatis, ſicut pater & mater ſunt principium conſanguinitatis.

Linea eſt ordo, ſeu ſeries perſonarum, quæ ſibi ſunt affines, & hæc itidem ſicut in conſanguinitate duplex eſt, recta ſcilicet, & tranſverſa. Affines in linea recta ii ſunt, qui in eadem linea conſanguinei ſunt uni e perſonis, quæ copulam habuerunt; affines vero in linea tranſverſa, ii conſequenter ſunt, qui in linea tranſverſa iiſdem perſonis conſanguinei ſunt. Unde mihi Titio, qui Bertham duxi, affinis eſt in primo aſcendentium gradu ejuſdem Berthæ filia, quam ex alio matrimonio ſuſceperit. In linea vero tranſverſa affines mihi ſunt, tum ſoror Berthæ, ejuſdemque ſororis filiæ, tum & aliæ ejus conſanguineæ. His poſitis, dicendum eſt, perſonam quamlibet in eo gradu eſſe affinem ei qui copulam habuit cum conſanguinea ſua, in quo ipſa huic illi conſanguinea eſt. Hinc quia duxi Bertham, affinis ſum in primo gradu matri, filiæ, & ſorori ejus, quia mater, filia, & ſoror Berthæ, eidem in primo gradu conſanguineæ ſunt: in ſecundo autem gradu affinis ſum filiæ ſororis ejus, item & ipſius conſobrinæ; in tertio ſobrinæ &c.

Affinitas oritur ex copula carnali, ideſt tam ex illicita, quæ habetur per fornicationem, adulterium, inceſtum, aut ſacrilegium, quam ex licita, quæ habetur ex legitimo matrimonii uſu: cum hoc tamen diſcrimine, quod affinitas ex copula legitima proficiens dirimat matrimonium uſque ad gradum quartum incluſive; quæ vero ex illicita quavis fornicatione oritur, idem non dirimat ultra ſecundum incluſive: unde qui fornicarie puellam cognovit, conſanguineam ejus in tertio gradu ducere valide poteſt, immo & licite, ſi nihil aliud obſit, prout declaravit S. Pius V. Bulla ſua 52. quam videris apud Corradum lib. 7. c. 2.

Ceterum ſicut in conſanguinitate gradus mixtus ex primo & quinto, non inducit impedimentum: ſic nec inducit in affinitate orta ex copula licita. Qua etiam de cauſſa affinitas ex copula illicita non operatur in primo & tertio gradu: quia ſcilicet in hiſce materiis, gradus alias prohibitus non computatur, cum dicit ordinem ad gradum minime prohibitum.

Nihil autem intereſt, an perſona copulæ conſenſerit, an non: unde affinitatem parit copula habita cum dormiente, coacta, ignorante, inſana, ebria, quia hæc ad generationem ſufficiens eſt; ſecus ſi haberetur cum mortua. Ita omnes. Ratio eſt; quia etiam per talem copulam vir & femina efficiuntur una caro, unum corpus.

Affinitas Matrimonio jam contracto ſuperveniens, ut ſi Titius cum uxoris ſuæ ſorore, vel nepte inceſtum commiſerit, Matrimonium non diſſolvit, quod ubi legitime conſummatum eſt, ſola morte diſſolvitur. Sed hunc parit effectum, ut *qui peccavit cum uxoris ſuæ conſanguinea in primo vel ſecundo gradu*, licet eidem uxori quæ jure ſuo privari non meruit, debitum reddere teneatur, non tamen illud exigere poſſit, niſi obtenta ab Epiſcopo diſpenſatione.

Dixi, *qui peccavit cum uxoris ſuæ conſanguinea in primo vel ſecundo gradu*: Si enim in tertio, aut quartu gradu peccaverit, non videtur Matrimonii uſus impediri. Quia ut copula illicita non operatur ultra ſecundum gradum, quoad Matrimonii invaliditatem, ſic nec ultra eumdem gradum operatur, quoad privationem juris conjugalis. Ita Pontas V. *Devoir* &c. caſ. 23. & alii. Quod ſi uterque conjux cum alterius conſanguineis commercium habuerit, vel alter de alterius conſenſu, neuter jam ſervat jus exigendi debiti, quia leges jus illud parti ſolum innocenti relinquunt, & in hoc caſu neutra pars eſt innocens.

Nec obeſt quod mulier, quæ corporis ſui uſum affinibus ſuis concedit, rea magis videatur quam vir ſuus in eodem caſu. Etſi enim id utcumque verum eſt, quia plus ineſſe debet pudoris mulieri, quam viro; certe tamen ex unanimi pene Theologorum & Canoniſtarum ſenſu par eſt utriuſque ſponſi conditio, nec minorem vir uxori fidem debet, quam uxor debeat viro.

Si tamen, ait Bonac. q. 3. punct. 11. uterque conjux ea doloſa intentione cum affinibus ſuis commercium haberet, ut conjugem alteram debito defraudaret; teneretur debitum alteri petenti reddere: quia cum nemini fraus ſua patrocinari poſſit, nemo quoque immunitatem a tali onere acquirere poteſt: & id colligitur ex c. 2. *de cognat. Spirit.*

Ceterum ſolus ille inceſtus privat jure petendi debiti, qui formalis fuerit, non autem qui mere materialis & inculpatus: unde ſi quis, ut ferme Jacob, ratus ſe ad uxorem ſuam accedere, ad ejus ſororem acceſſerit, non privatur ſuo jure; immunis eſt enim ab inceſtu, licet non deſinat contrahere affinitatem. Idem dicendum de muliere, ſi per vim ab affine ſuo fuerit oppreſſa; ſecus ſi libidini ejus, ex gravi mortis metu ceſſerit, quia mori potius debuerat quam fœdari, & ideo poteſt maritus ei debitum negare, juxta Pontas V. *Devoir* caſ. 20.

Porro ad incurrendam pœnam, de qua loquimur, non requiritur ſententia Judicis, prout cum aliis docet Sanchez lib. VII. diſp. 64. num. 18. Vide dicta in tract. de legib. c. 8. q. 2. reſp. 2. pag. 32.

*An autem ab eadem pœna excuſet ignorantia juris, conſule dicta ib. §. 3.*

*Nota*. Qui cum propria ſua conſanguinea peccavit, poteſt ab uxore ſua debitum exigere: quia jura debiti petitionem hoc in caſu non prohibuerunt. Vid. c. 1. *de eo qui cognovit*, in quo nulla ſit mentio de copula cum propriis conſanguineis, aut cum uxoris affinibus habita, ſed de ea tantum, quam quis cum ejuſdem uxoris conſanguineis habere præſumit. Ita Pontas V. *Devoir &c.*

XIII. *Clandeſtinitas* (1). Matrimonium clandeſtinum eſt illud, quod non contrahitur coram Parocho proprio, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus ſaltem teſtibus. Eſt invalidum in omnibus locis, ubi Conc. Trid. decretum de hoc promulgatum vel receptum eſt, ut patet ex his verbis decretis, ſeſſ. 24. cap. 1. *Qui aliter quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt; eos S. Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat.* Quamvis autem ante Conc. Trid. ejuſdmodi Matrimonia fuerint valida, ſemper tamen fuerunt, & ſunt ubique illicita: nam *Eccleſia juſtiſſimis de cauſſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit.*

✠ Vide cap. 68. lib. 7. laudati Tractatus, quod integrum tranſcribimus. *In Diœceſi Valentina ſæpiſſime eveniebat, ab uno eodemque cum pluribus ſponſalia contrahi, atque inde fiebat, ut graves inter utriuſque partis conſanguineos orirentur diſcordiæ, & frequenter in judicio litigandum eſſet, quænam ſponſalia prævalerent, aliiſque forent præferenda: ad proſpiciendum Diœceſis tranquillitati, & tot præcidenda litigia, rogatus fuit Archiepiſcopus, ut in ſua Synodo ſtatueret, nulla atque irrita in poſterum futura ſponſalia, quæ ſine præſentia Parochi, duorumque ſaltem teſtium contraherentur: ſed prudens Archiepiſcopus porrectis ſibi precibus abnuit; tantam quippe poteſtatem ſibi ineſſe non exiſtimavit extendendi ad ſponſalia Decr. Trid.* ſeſſ. 24. c. 1. de reform. Matrim. *quo irrita ſunt clandeſtina conjugia. Actum fuit de hac re in Sac. Congreg. Conc. quæ Archiepiſcopi ſententiam approbavit, ejuſque commendavit conſilium: ſiquidem Tridentinum in citato Decreto nihil innovavit circa ſponſalia, eaque reliquit ſub diſpoſitione juris communis, juxta quod etiam remotis arbitris, valide contrahuntur, quod habetur* lib. 1. Decretor. pag. 99., & pag. 126., *legi etiam poteſt* noſtra Notific. 46. *ubi prolixe de hac materia diſſeruimus.*

2. *Alter Archiepiſcopus ad eliminandum abuſum nimium in dies in ſua Diœceſi inoleſcentem, ut Matrimonium contracturi, nulla præmiſſa illius denuntiatione, infirmitatis Prætextu, Parochum arceſſerent, & coram eo, licet invito, & reluctante, ac duobus teſtibus Matrimonium inirent, Conſtitutionem promulgavit, qua adempta Parochis facultate aſſiſtendi Matrimoniis, quibus non præceſſiſſent debitæ denunciationes, Matrimonia ita contracta, nulla atque irrita decrevit. Sed re delata ad Sac. Congreg. Concil., hæc, teſte Cardin. del Lugo* reſponſ. mor. lib. 1. dub. 43. *Archiepiſcopo mandavit, ut quantocius ſuam revocaret Conſtitutionem: omiſſio quippe denunciationum ſine Epiſcopi diſpenſatione reddit utique Matrimonium illicitum, non tamen efficit invalidum: neque in Epiſcopi poteſtate eſt, novum ſtatuere impedimentum dirimens, quod a ſolo Summo Pontifice poteſt induci: uti pluribus demonſtrant Sanchez* de Matrim. lib. 7. diſp. 1. num. 9. *& Pontius* lib. 6. de Matrim. cap. 1. num. 12. *Quocirca eadem Sac. Congreg. Conc., apud eumdem Sanchez* lib. 3. diſp. 2. num. 12., *validum definivit Matrimonium celebratum coram Parocho, cui ab Epiſcopo fuit generatim interdictum, ne Matrimonio aſſiſtat:* Congreg. Cardinalium reſpondit, valere Matrimonium contractum coram Parocho, cui interdictum eſt ab Epiſcopo, ne interveniat; *Etenim adhuc eſt vere Parochus, ſuæque retinet Parochiæ titulum, & propterea omnibus præſtat qualitatibus, quas Tridentinum expoſcit ad Matrimonii validitatem: prohibitio autem Epiſcopi ſolum operatur, ne ille licite, non itidem ne valide aſſiſtat.*

3. *Aliud eſſet de Matrimonio celebrato contra interdictum Papæ munitum Decreto irritante: Siquidem cum Papa poſſit per ſuam univerſalem legem novum impedimentum dirimens Matrimonio apponere, poteſt etiam in aliquo ſpeciali eventu prohibere, ne inter peculiares perſonas Matrimonium contrahatur, ſimulque decernere, ut contra ſuam prohibitionem contractum, ſit irritum quemadmodum adnotarunt Alexander de Nevo, & Calderinus in* cap. Tua de ſponſa duorum, docetque *Barboſa* in cap. Ad diſſolvendum num. 4. de deſponſat. impuber., *Leander* oper. moral. tom. 1., tract. 9. diſp. de impedimentis Matrimonii qu. 3. *Becanus* in Summ. tit. de Sacram. cap. 45. qu. 1. n. 6., *Smalzgrueber* ad lib. 4. Decretal. tit. 16. num. 9. *Sola vero prohibitio ſine Decreto irritante producit duntaxat impedimentum impediens, non autem dirimens Matrimonium. Quamobrem Alex. III.* in cap. Ex litteris de Matrim. contract. contra interdict. Eccleſ. *validum pronuntiavit Matrimonium initum contra Epiſcopi inhibitionem, & adhuc pendente lite ſuper præviis ſponſalibus a contrahentium altero cum alia perſona ſtipulatis: quod ſi idem Pontifex* in cap. Tua fraternitas, de ſponſa duarum, *irritum declaravit Matrimonium contra Epiſcopi inhibitionem contractum poſt aliud Matrimonium, antea initum, ſed nondum carnali copula conſummatum, non ideo ſecundum Matrimonium irritum dixit, quia eſſet celebratum contra Epiſcopi interdictum, ſed quia ei aliud obſtat Matrimonium, quod licet duntaxat ratum, adhuc tamen induxerat impedimentum dirimens alterius Matrimonii, poſtea attentati, quod integram Decretalem legenti manifeſto patet, ponderatque Gonzalez* in Cap. De muliere, de Matrim. contracto. contra interdictum Eccleſiæ num. 2.

4. *Non prohibetur tamen Epiſcopus ſeveriſſimis pœnis illorum refrænare proterviam, qui contra interdictum Eccleſiæ Matrimonium contrahere præſumunt, quod cum communi tradit Sanchez* lib. 111. diſp. 46. n. 8. *notans inſuper, eas pœnas non eſſe a jure*

præ-

(1) De Clandeſtinitate *varia dubia ſcite proponit, ac ſolvit recens Auguſtinianus Scriptor P. Jacobus Van Boſſuyt* (Theol. Mor. Contracta, *tom. 2. tract. 8. c. 11. §. 5.*) *Quomodo autem Eccleſia potuerit in Trident. Concil. irrita reddere clandeſtina matrimonia, quæ prius valida fuere, colliges ex doctrina S. Bonaventuræ (Brevil. par. 6. cap. 13.) ubi vindicat Eccleſiæ poteſtatem ad moderna matrimonii jura.*



*præfinitas, ſed ejuſdem Epiſcopi permitti arbitrio. Verum etiam in his decernendis, cavere debet, ne ſua abutatur libertate & jus commune infringat, quod alio exponemus exemplo. In Synodo Salmanticenſi edita olim fuerat Conſtitutio, cujus meminit Covarruvias* in 3. Decretal. 2. part. cap. 6. n. 4. *qua excommunicatione latæ ſententiæ innodabantur contrahentes Matrimonium, non præmiſſis publicationibus a Tridentino præſcriptis; & præterea decernebatur, hac excommunicatione irretitos ſtatim eſſe evitandos, licet non eſſent publice, ac nominatim denuntiati. At ejuſmodi Conſtitutio quoad ſecundam ſui partem ſubſiſteri minime potuit, quoniam evitandos pronunciabat, qui juxta Canonicas ſanctiones evitandi nequaquam ſunt. In celebri enim Extravag. Martini V. incipiente* Ad evitanda, *edita in Concilio Conſtantienſi, evitandi decernuntur ſolum excommunicati, publice & nominatim denuntiati, ut publici, & notorii Clericorum percuſſores: uti ponderant Sanchez* de Matrim. lib. 111. diſp. 46. num. 10. *& Cardinalis de Lugo* cit. dub. 45. num. 5. *Quamvis vero Fagnanus* in c. Quod a Prædeceſſore, n. 55. de Schiſmaticis *probare conetur, evitandos etiam eſſe quoſcumque, qui facti notorietate certe dignoſcuntur in excommunicationem incidiſſe juxta poſteriorem ſanctionem Concilii Lateranenſis V.* ſeſſ. 11. §. Statuimus autem, *ejus tamen doctrina fere communiter rejecta eſt, cum ubique moribus ſit recepta laudata Conſtitutio* Ad evitanda, *quod teſtantur Suarez* de cenſ. diſp. 9. ſect. 25. *Layman* Theolog. moral. lib. 1. tract. 5. part. 2. c. 4. n. 2., *Cabaſſut.* in theoria, & praxi jur. Canonic. lib. v. c. 11. n. 3., *Cardinalis Albitius* de inconſtantia in Fide c. 18. n. 23. *Engel.* ad lib. 5. Decretal. tit. 39. n. 56. *Wieſtner* ibid. num. 73., *Reinffeſtuel* n. 138.

*In Diœceſi Kiovienſi, atque in tota Ruthena Provincia, nunquam promulgatum fuerat ſæpius laudatum Decretum Tridentini* ſeſſ. 24. c. 1. de reform. Matrim. *ad præcidenda nihilominus ſcandala, quæ ex clandeſtinis conjugiis in maximam animarum perniciem proveniebant in Diœceſana Synodo Kiovienſi habita die 1. Octobris 1623., atque in Synodo Provinciali Ruthena habita die 6. Auguſti 1626. Conſtitutiones ſunt editæ, in quibus irrita declarata ſunt Matrimonia, aliter quam coram Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus celebrata, eodem plane modo, quo a Tridentino ſtatutum fuerat, licet nulla Tridentini fuerit in illis facta mentio: ſimulque juſſi ſunt ſinguli Rutheni Parochi, eas Synodales Conſtitutiones per ſuas Eccleſias quamprimum promulgare, ſicuti etiam a Tridentino fuerat præſcriptum: iis vero, qui poſt hanc publicationem, ſine Parochi, & duorum ſaltem teſtium præſentia, Matrimonium contraxerunt, injuncta eſt ſeparatio, & veluti nullo inter ſe legitimo connubii fœdere obſtrictis libera facta eſt poteſtas tranſeundi ad alia vota.*

6. *De hiſce Decretis acriter diſceptatum fuit, cum in Sacra Congregatione de Propaganda Fide, tum in Sacra Congregatione Concilii: ſcripſerunt in utramque partem Theologi, & Canoniſtæ, quorum nonnulli exiſtimarunt, nihil eſſe dubitandum de validitate Conſtitutionum, quæ adamuſſim reſpondebant, & verbis, & menti Concilii Tridentini, quod ideo non fuit expreſſe nominatum, ne, illius nomine audito, Rutheni Schiſmatici, quibus eſt inviſum, magis magiſque ab unione retraherentur, & ne ſimiliter Græci ab Orthodoxa Eccleſia ſeparati occaſionem inde arriperent ſpargendi in vulgus, Latinos velle ſuos mores, & ritus in ipſorum Eccleſiam invehere, quam calumniam nobis impingunt, ut plebis animum a Latinis avertant, atque in Schiſmate obduratum detineant.*

7. *Alii ex adverſo fuerunt in ſententia, præfata Synodalia ſtatuta, quamquam Tridentino omnino conformia, viribus tamen carere. Quod hac ratiocinatione manifeſte confici ſunt arbitrati. Tridentinum noluit ſuum Decretum, quo irrita fecit Matrimonia clandeſtina, quempiam afficere, & ligare, niſi poſt triginta dies ab ejuſdem Decreti publicatione facta in Parochia, in qua ipſe degit: Decernit inſuper (ſunt verba Tridentini)* ut hujuſmodi Decretum in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, a die prima publicationis in eadem Parochia facta numerandos: *At in Parochialibus Eccleſiis Ruthenis numquam prædictum Conciliare Decretum fuit promulgatum; itaque Matrimonia inibi aliter contracta, quam Tridentinum præſcripſerit, non poſſunt eſſe irrita, virtute Decreti ejuſdem Tridentini. Unice igitur reſtat, ut irrita ſint, virtute Conſtitutionum a Synodis Ruthenis editarum, earumdemque Synodorum nomine, atque auctoritate, per ſingulas Parochias promulgatarum; hoc autem contingere nequaquam poteſt, nulla quippe peculiaris Synodus poteſt inducere novum impedimentum dirimens Matrimonium, ſeu hujus contrahendi novam formam præſcribere: id enim ad id neceſſaria ſuprema auctoritas, vel Concilii Oecumenici, vel Summi Pontificis.*

8. *Hanc poſtremam opinionem amplexata eſt Sacra Congregatio, quæ die 2. Decembris 1628. reſcripſit, Synodalia Decreta Ruthena per Parochias publicata non potuiſſe firmitatem adimere Matrimoniis, contra formam in iiſdem ſtatutam, contrahendis, & propterea valida definivit Matrimonia clandeſtina inita poſt earumdem Decretorum promulgationem; quodque hinc neceſſario conſequebatur, redintegrari juſſit conjugia hoc tantum nomine reſciſſa, quod aliter eſſent celebrata, quam Synodales expoſcerent Conſtitutiones, conjugeſque ea de cauſa ſeparatos ad cohabitationem inſtaurandam adegit, idque etiamſi poſt ſeparationem alias celebraſſent nuptias, quarum validitati obſtant prima jam legitime contracta. Ut porro deinceps incommoda averterentur, quæ ex clandeſtinis proveniunt Matrimoniis, eadem Congregatio conſuluit Sanctiſſimo, ut per ſuas Apoſtolicas litteras in forma Brevis, iiſdem fere verbis conceptas, quibus Tridentinum utitur, conjugia aliter, quam coram alterius contrahentium Parocho, & duobus, aut tribus teſtibus in poſterum contrahenda, irrita decerneret; eaſque litteras per ſingulas Parochias Ruthenas præciperet promulgari.*

9. *Eamdem ſententiam, in qua poſt novum examen eadem Congregatio perſtitit die 20 Martii 1629. approbavit, confirmavitque Urban. VIII. ſimulque deputavit particularem Congregationem, quæ de*

modo

*modo deliberaret, quo litteræ Apoſtolicæ eſſent formandæ: habita eſt hæc Congr. die 20. Aprilis ejuſdem anni 1629. eaque ſuggerente, ſcripta fuere duo Brevia, alterum, in quo demandabatur publicatio Decreti Concilii Tridentini, expreſſe, & nominatim; alterum, in quo ipſemet Pontifex, verbis tamen a Tridentino acceptis, & facta inſuper Tridentini mentione, nullius roboris decernebat nuptias, quæ ſine Parocho, & teſtibus in poſterum fierent. Utrumque Apoſtolicum Breve tranſmiſſum fuit ad Nuntium Apoſtolicum, eique inſinuatum, ut niſi ab expreſſa publicatione Tridentini turbas, & tumultus excitandos prævideret, uteretur primo Brevi; ſin minus urgeret promulgationem ſecundi per quamlibet Parochiam, non tamquam Decreti Tridentini, ſed tamquam Conſtitutionis Pontificiæ; Parochis autem injungeret, ut populo declararent, Pontificiam Conſtitutionem vim habituram poſt triginta dies ab ejuſdem publicatione in Parochia facta numerandos, quemadmodum etiam Tridentinum in ſuo Decreto cautum voluit. Litteræ quoque datæ ſunt ad Archiepiſcopum Kiovienſem, quibus, poſt plurimum commendatum ejuſdem ſtudium abducendi Fideles a clandeſtinis diſpenſationibus, ſuit ſuaviter quodammodo reprehenſus quod deſiquiſſet contra jus commune, adſcribendo ſibi poteſtatem, qua certo carebat.*

*10. Ex quibus ſatis abunde demonſtratum arbitramur, nunquam permitti Epiſcopis aliquid in ſuas Synodales Conſtitutiones inſerere, quod juri communi, atque Apoſtolicis Conſtitutionibus refragetur, etiamſi illud neceſſarium reputetur ad evellendas corruptelas, & rerum ſacrarum tuendam religionem.*

*11. A tradita tamen regula excipitur Conſtitutio Synodalis, quæ ſit corroborata Apoſtolica confirmatione; ab hac enim tantas accipit vires, ut prævaleat juri communi, cui ceteroquin ſit contraria, ſicuti advertunt Gonzalez* ad regul. 8. Cancellar. in 3. annot. n. 113. & ſeq. *Rota* deciſ. 60. n. 4. & ſeq. part. 9. recent. *quod tamen eſt intelligendum, ſi confirmatio Apoſtolica ſit in forma ſpecifica, ut ajunt, non in communi; latum quippe inter hæc duo confirmationum genera intercedere diſcrimen, in hujus Operis capite ultimo demonſtrabimus.*)

*Nota* 1. Requiritur Parochus domicilii, aut ſaltem quaſi domicilii, ſive viri, ſive mulieris. Nam Conc. requirit præſentiam *Parochi non Parochorum*, neque exprimit an viri, an mulieris, unde cenſetur liberam relinquere electionem, & ita Sacra Congregatio declaravit, ut teſtatur Fagnanus ad cap. *Quod nobis: de cland. deſponſ.* Ad domicilium autem alicubi acquirendum requiritur habitatio cum voluntate ibi ſemper habitandi. Ad quaſi domicilium ſufficit habitatio cum voluntate ibi manendi longo tempore, vel majore anni parte. Juxta multos ſufficit Parochus quaſi domicilii; ita ut ſtudioſi in academiis, milites in præſidiis, opifices, famuli, & qui majore anni parte alicubi habitant, vel habitaturi veniunt, poſſint coram Parocho loci contrahere. Quia contrahunt ibi domicilium Parochiale in ordine ad Confeſſionem, & alia Sacramenta, excepto Ordine. Is autem eſt proprius Parochus ad aſſiſtendum Matrimonio, qui in cap. *Omnis, de Pœnitent. &c.* appellatur proprius Sacerdos. Idem declaravit pluries Sac. Congregr. teſte Fagnano, in cap. *Significavit.*

*Nota* 2. Epiſcopus per ſe ipſum, vel Sacerdotem a ſe deputandum valide aſſiſtit, cum ſit ſupremus Parochus in tota Diœceſi. Idem eſt de Vicario Generali Epiſcopi; nam unam, & eamdem ſuo modo poteſtatem juriſdictionis habet cum Epiſcopo.

*Nota* 3. Parochus domicilii, & teſtes debent eſſe ſimul præſentes, etiam moraliter, ita ut intelligant quid agatur: quia requiritur talis præſentia, ut poſſint teſtari veritatem Matrimonii. Quare non ſufficit, ſi contrahentes conſenſum explicent modo coram ſolo Parocho, & poſtea coram ſolis teſtibus abſque Parocho; nam Concil. Trident. copulative exigit præſentiam Parochi, & teſtium. Nec etiam ſufficit ſimultas moralis, ſed requiritur phyſica, quia hic exigitur præſentia Parochi, & teſtium; ut plene conſtare poſſit Eccleſiæ de Matrimonio, ad quod requiritur ſimultas phyſica Parochi, & teſtium; alioqui eſſent ſolum teſtes ſingulares. *Ita Sanchez.* At non obeſt valori Matrimonii ſi repugnent; quia Concil. eorum præſentiam, non conſenſum requirit, & ſine hoc obtinetur finis Decreti, qui eſt, ut tale Matrimonium Eccleſiæ conſtare poſſit. *Sac. Congregat.* (inquit Fagnanus in cap. *Quoniam*, *l. de conſtit.*) *declaravit validum eſſe Matrimonium contractum coram Parocho etiam invito, & per vim adhibito, qui ibi aures obturaverit. Item coram Parocho tam viri quam mulieris etiam in aliena Parochia, etiamſi Epiſcopus illi Matrimonium interdixerit. Item coram Parocho etiam minoribus tantum Ordinibus initiato, qui non poteſt tamen legare niſi Sacerdotem.* Immo valet contractum coram Parocho ſuſpenſo, excommunicato, vel irregulari, ut declaravit Sac. Congreg. Cardinalium, teſte eodem Fagnano. Graviter tamen peccant, qui coram Parocho invito contrahunt, quia gravem admittunt irreverentiam in Eccleſiam, cujus ille perſonam ſuſtinet, niſi irrationabiliter contradiceret, nec poſſet adiri ſuperior.

*Nota* 4. Secundum multos, ad valorem ſufficiunt quilibet teſtes ratione utentes. Nam nulli excipiuntur a Concilio, & concurrunt cum alio fide digno, nempe Parocho, cujus habilitas ſupplet.

*Nota.* 5. Vagi, & qui nullibi certas ſedes habent, debent contrahere coram Parocho loci, in quo verſantur dum contrahunt. Quia nullus alius eſt proprius eorum Parochus, & ex Concil. ſeſſ. 24. c. 7. ubi *Parochis præcipit, ne illorum Matrimoniis interſint, niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint*, num ſcilicet liberi ac idonei ſint ad contrahendum: *& re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

*Nota* 6. In locis hæreticorum, ubi Conc. Tridentinum promulgatum fuit, ut in Hollandia, ex diſpenſatione Eccleſiæ valet Matrimonium Catholicorum ſine præſentia Parochi contractum, ſi ibi nullus ſit Parochus catholicus, nec ejus vices ſupplens, vel ſi nequeat, ſine gravi periculo, adiri aut advocari, modo adhibeantur ſaltem duo teſtes, ut declaravit Sac. Congreg. teſte Bellarmino in epiſt. ad Octavium Tricar. Epiſcop. Nam Decretum Conc. Trid. non ſe extendit ad ea loca, ubi nulli ſunt Parochi, nec Vicarii, nec Epiſcopi.

*Nota* 7. Ex diſpenſatione tacita Papæ, & uſu Eccleſiæ validum eſt Matrimonium hæreticorum in locis ubi publice exercent ſuam religionem, modo contra-

tractum ſit ſecundum ritum, & leges loci, licet ibi Trid. Conc. promulgatum fuerit, ut in Hollandia. Nam Eccleſia non permittit, ut hæretici illi ad Fidem Catholicam converſi, alias nuptias contrahant, & eorum liberos habet ut legitimos. Ita Pœnitentiaria Romana reſpondit ad Epiſc. Caſtorienſ.

*Nota* 8. Habens domicilium in loco ubi Decretum Conc. promulgatum non eſt, invalide contrahit clandeſtine in alio loco ubi receptum eſt. Quia contractus fieri debent ſecundum legem loci in quo celebrantur: nam contrahentes ſortiuntur forum loci in quo contrahunt. Immo incola loci ubi Concil. receptum eſt, invalide contrahit ſine Parocho, & teſtibus in loco ubi non eſt receptum, ſi eo ſe conferat in fraudem Decreti, hoc eſt, ut clandeſtine contrahat, ut Sac. Congr. declaravit.

*Nota* 9. Matrimonium clandeſtinum non reſolvi in ſponſalia, declaravit Sac. Congr. apud Fagnan. *in cap. Ad audientiam.*

*Nota* 10. Non licet Parocho, qui etſi ſolus extra Confeſſionem novit occultum impedimentum, tali Matrimonio aſſiſtere. Quia tunc officium teſtis obit; nemo autem teſtimonium præſtare poteſt de actu, quem ſcit eſſe irritum. Si ſit impedimentum non dirimens, v. gr. votum caſtitatis, tenetur privatim monere; ſi nihil proficiat, rem ad Ordinarium deferre: nam ex officio paſtoris tenetur maxime impedire peccatum ſubditi. *Layman.*

✠ *Nota.* De Matrimoniis occultis vide Conſtit. Benedicti XIV. incipien. *Satis vobis compertum*, vol. 1. Bullar. pag. 29. in qua, quomodo ſit permittenda, & qua ratione celebranda, præſcribitur: Atque *primo*, monentur Epiſcopi, *ne facile, & ſine legitima, & urgente cauſa moveantur ad remittendum Publicationes, a quibus contracturi Matrimonium ſæpe per malitioſam ſuggeſtionem petunt diſpenſari.* 2. Hortatur, & impenſe eoſdem Epiſcopos admonet, ut diligenter inquirant, *num perſonæ Matrimonium ſecreto contrahere petentes, ejus qualitatis, gradus, & conditionis ſint, quæ id probe expoſcant: & ut curent, antequam contrahendi facultatem faciant, quod contrahentes clara, & indubia, & quavis fraude immunia exhibeant documenta ſtatus liberi, ad avertendum abiis, qui improbi ſint ingenii, polygamiæ periculum.* 3. Statuitur, ut coram Parocho hæc Matrimonia celebrentur alterius ex contrahentibus; nec ſine gravi compellente cauſa extraneus Sacerdos ad id muneris deputetur; ac præcipitur, ut a Parocho, vel Sacerdote contrahentes de proprio debito moneantur. 4. Matrimonii occulti documenta Epiſcopo exhiberi, in acta reſervari, & caute ſervari jubentur. 5. Præcipitur, proles ex eo ſuſcepta tempeſtive in Eccleſia, in qua aliis infantibus Sacramentum indiſtincte confertur, baptizari, ejus nativitas Epiſcopo rite deſcribi, *vel immediate per parentes ipſos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam perſonam ab ipſis parentibus deſignatam*, & demum in actis vide Decr. 6. In contravenientium pœnam Matrimonii divulgatio ſtabilitur, atque hæc nota fieri oportere jubetur hujuſmodi Matrimonia contrahere contendentibus.)

XIV. *Impotentia*, ſeu inhabilitas ad coitum naturalem, & prolificum, oritur vel ex maleficio, vel ex cauſa naturali; & quidem in femina ex arctitudine vaſis, in viro autem vel ex nimia frigiditate naturæ, vel ex teſticulorum carentia aut attritione, vel complexionis debilitate: unde fit ut non poſſit ſemen prolificum intra vas mulieris effundere.

Impotentia alia eſt abſoluta, qua quis eſt impotens reſpectu omnium; alia reſpectiva, qua quis eſt impotens reſpectu alicujus tantum. Et utraque ſubdividitur in perpetuam, & temporalem. Perpetua eſt ea, quæ tolli nequit ſine miraculo, vel ſine peccato, vel ſine vitæ periculo. Temporalis, quæ tolli poteſt ſine peccato, vitæ periculo, & miraculo, ſed mediis licitis, & ordinariis, ſive naturalibus, ſive ſupernaturalibus, ut precibus, exorciſmis contra maleficia.

Porro ſterilitas non eſt impotentia: nam ea non obſtante poteſt eſſe copula per ſe apta generationi, licet hæc per accidens non ſequatur, defectu ſcilicet morbi, vel alicujus accidentalis qualitatis ſeminis, vel aliunde.

Dico 1. Impotentia perpetua antecedens Matrimonium, quamvis ſe teneat ex parte unius, illud irritat tum jure Canonico; ut patet ex titulo *de frigidis &c.* tum jure naturali: quia Matrimonium conſiſtit in mutua traditione poteſtatis corporis ad copulam aptam generationi. At impotentia perpetua ex natura rei, ideoque jure naturali, impedit talem traditionem; nemo enim poteſt tradere poteſtatem actus, quem nullo modo habet in ſua poteſtate: nam nemo poteſt dare quod non habet, nec quis poteſt ſe obligare ad id quod dare vel facere nequit, *cum impoſſibilium nulla obligatio ſit*, l. 185. *de reg. jur.*

Quare impotentia perpetua abſoluta dirimit Matrimonium reſpectu omnium; reſpectiva ſolum reſpectu illius perſonæ ad quam eſt. Nam eatenus impotentia irritat, quatenus impedit ne contrahens poſſit dare dominium, & uſum ſui corporis ad copulam generationi aptam.

Hinc Eunuchi utroque teſticulo privati nunquam poſſunt valide contrahere ob defectum ſeminis prolifici, ut declaravit Sixtus V. in Bulla 59. Idem eſt de illis, quibus attritus eſt uterque teſticulus, vel qui, integris licet partibus, ſemen prolificum emittere nequeunt ob naturalem frigiditatem, vel perpetuam complexionis debilitatem. Secus dicunt de viro ægrotante, quia in hoc vere extat potentia habitualis, quæ eſt ſolum ligata per accidens.

Dico 2. Impotentia temporalis nullo jure irritat Matrimonium, c. 5. *de frigid. &c.* Quia cum poſſit tolli, adeſt materia ſufficiens contractui, ſive quia non eſt impotentia ſimpliciter, ſed ſecundum quid tantum; nam eſt vera potentia quamvis impedita ad tempus, vel adminiculo aliquo indigens.

Si dubium ſit, an impotentia Matrimonium præcedens, perpetua an temporalis ſit, non licet Matrimonium inire: quia exponeretur ſine neceſſitate Sacramentum periculo nullitatis. Quod ſi jam contractum eſt, tunc a jure conjugibus conceditur triennium experientiæ, ut adhibitis mediis poſſibilibus ac licitis conentur tollere impotentiam, quo completo, ſi duret impotentia, nullum eſt Matrimonium, c. 5. *de frigid. &* ubi ſi bona fide contraxerunt, iis permittitur, ut ſimul permaneant, ut frater & ſoror. Quod intellige, modo conſtet abeſſe omne inconti-

nentiæ periculum, quod raro abeſt. Nam, ut notat Sanchez, hæc conſæderatio eſt periculoſiſſima, quare non eſt facile concedenda; talibus enim nihil licet eorum, quæ ſolutis interdicuntur, ut tactus &c. cum revera conjuges minime ſint. Igitur ſeparari debent, ſi alteruter id petat, vel morale ſit periculum incontinentiæ. Quod ſi ſeparatione facta, vir ex poſt facto deprehendatur potens, prius Matrimonium reſtauratur, etſi mulier alteri nupſerit, quia vere erat validum, cum impotentia fuerit tantum temporalis.

Porro conjux laborans impotentia ſolum reſpectiva poteſt aliam ducere: ſecus ſi ea ſit abſoluta ac perpetua. Vir autem ſolutus morti proximus poteſt valide contrahere cum concubina, quia habet veram potentiam ad copulam generationi aptam, quamvis tunc morbo impeditam, & probabiliter nunquam poſtea in actum reducendam.

Dico 3. Impotentia quælibet ſuperveniens Matrimonio rato, licet nondum conſummato, illud non diſſolvit. Quia fuit validum, nec diſſolvi poteſt, niſi per profeſſionem religioſam, vel diſpenſationem Papæ. Tunc autem conjux impotens exigente comparte tenetur adhibere media ad impotentiam expellendam apta, modo periculum mortis non afferant, quia tenetur ex juſtitia debitum reddere, ideoque actus conjugalis capacem ſe reddere.

*Nota*. Hermaphroditi, hoc eſt, utrumque ſexum habentes, per ſe loquendo non ſunt impotentes. Quare per ſe loquendo contrahere poſſunt ſecundum ſexum, qui in ipſis prævalet; quia ad uſum Matrimonii idonei ſunt ſecundum ſexum illum: Si uterque ſexus ſit in iis æqualis, alterutram eligere debent, & ſecundum illum contrahere. Sed facta ſemel electione, aliud Matrimonium ſecundum alium ſexum contrahere prohibentur, quamvis eſset validum.

XV. *Raptum*. Nullum poteſt conſiſtere Matrimonium inter raptorem & raptam, etiam poſt raptum conſentientem, quamdiu manet in poteſtate raptoris. Si rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto ac libero conſtituta conſentiat, valebit Matrimonium. Ita decernit Conc. Trid. ſeſs. 24. cap. 6. ubi ipſo facto excommunicationem & alias pœnas ſtatuit in raptorem, & omnes ei conſilium, auxilium & favorem præbentes. Circa quod

*Nota* 1. Raptus hic eſt violenta abductio feminæ de loco in locum matrimonii ineundi, vel libidinis exercendæ cauſſa. Duplex eſt raptus ſpecies, una, qua perſona invita per vim abducitur; altera, qua abducitur perſona conſentiens, ſed invitis parentibus, vel curatoribus, ſub quorum eſt poteſtate. Secundum multos ſolus raptus, quo abducitur femina invita, eſt impedimentum dirimens, non autem ſi ipſa volens, ſed invitis parentibus abducatur. Quia Triden. Conc. voluit illud ceſſare, ſi rapta eſset a raptore ſeparata & in loco tuto ac libero conſtituta, nec ad hoc exigit, ut reſtituatur parentibus. Et quia intendit tantum conſulere libertati perfectæ matrimonii, quæ non læditur, dum femina conſentiens abducitur invitis licet parentibus. Dicitur tamen in Galliis, raptus ſeductionis haberi a pleriſque pro impedimento dirimente.

*Nota* 2. Non refert an quis per ſe, vel per alium rapiat; nam ex reg. jur. 61. in 6. *Qui facit per alium eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum.*

*Nota* 3. Non ſufficit, ſi femina virum ra piat. Quia Conc. Trid. loquitur de ſolo raptore, & leges præſertim pœnales non comprehendunt ea, quæ rariſſime fiunt, qualis eſt hic caſus, niſi clare exprimant, leg. 5. §. *de legib.*

(XVI. Amentia. *Sub amentibus hic comprehenduntur ii omnes, qui liberum rationis uſum non habent; quales ſunt ſtulti, furioſi, imbecilles ea imbecillitatis ſpecie, quæ electionis & deliberationis capacitatem excludat. Certum eſt 1. omnes iſtos jure naturali inhabiles eſſe ad contrahendum matrimonium, quod libertatis multum requirit. Et vero ſi nequidem per ſeipſos, & independenter a curatore de bonis ſuis diſponere poſſint, quanto minus de perſona ſua diſponere poſſunt, eamque in perpetuum obligare?*

*Certum eſt 2. quod ſi amentes lucida rationis intervalla habeant, iiſque durantibus contrahant nuptias, valide contrahunt, quia tunc adeſt conſenſus ſufficiens. Idem dicendum de iis, qui debile habent ingenium, ſed non eo uſque ut hinc ratio ac libertas perimatur. Sapienter tamen auctor collat. Andeg. to. 2. pag. 50. hujuſmodi homines ab ineundo matrimonio, ſi fieri poteſt, avertendos eſſe, tum ob funeſtos complures recurrentis amentiæ, vel debilitatis ingenii effectus, tum quia matrimonii ſcopus eſt ipſa etiam debita & attenta prolis educatio, quæ vix, ac ne vix quidem ab hominibus in eo miſeriæ ſtatu conſtitutis expectari poteſt.*

*Quod ſi inſtet familia apud Parochum, ut tales perſonas conjungat, is ante omnia Epiſcopum conſulere debet, ne gravibus ſe ſe exponat incommodis.* Etſi enim quilibet præſumitur ſanæ mentis: & qui allegat, *ſeu alii objicit furorem*, debet ipſum probare; *cum tamen de dementiæ ſtatu conſtat, tunc ei, qui factum ſuum tuetur, ſeu matrimonii validitatem defendit, probandum incumbit ipſum durantibus lucidis intervallis fuiſſe celebratum, qua de re lege Terret. l. 3. c. 5. n. 37. de abuſu, & nuperum ejus commentatorem.*

*Ceterum quia non omnes a natura ſurdi, & muti imbecillitatis vitio laborant, idcirco ſi intellectum ita habeant perſpicacem, ut & ſignis edoceri poſſint, quod ſit matrimonium, & conſenſum indicare, valide poterunt contrahere, ſicuti & Religionem profiteri. Ita Sanchez lib. 1. diſp. 8. n. 12.*)

Quæſt. IV. *Quis poteſt diſpenſare in impedimentis dirimentibus?*

*Reſp.* 1. Ne Papa quidem diſpenſare poteſt in impedimentis jure naturali dirimentibus, qualia ſunt error, amentia, conſanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ, & in primo tranſverſæ, ligamen, impotentia, & ſecundum multos affinitas in primo gradu lineæ rectæ. Nam Chriſtus talem Poteſtatem Eccleſiæ non conceſſit, ut patet ex praxi.

*Reſp.* 2. In aliis impedimentis, quæ ſolo jure Eccleſiaſtico dirimunt, ſolus Papa ut caput Eccleſiæ diſpenſare poteſt, ſaltem ordinarie loquendo. Nam nemo poteſt diſpenſare in lege ſuperioris, niſi hoc ei concedatur. Impedimenta autem illa ſunt a Papa, vel a Conciliis generalibus, vel conſuetudine univerſali ſtatuta; nec facultas in iis diſpenſandi Epiſcopis conceſſa eſt, ut conſtat ex conſuetudine generali recurrendi ad Papam. Quare Concil. Turonenſe ann. 1583. ait: *In quarto gradu conſanguinitatis, & affinitatis, nec non cognationis ſpiritualis prohibitis gradibus, Epiſcopis diſpenſare non licere declaramus.* Aliud eſt de legibus Jejunii, abſtinendi a ſervilibus, & aliis: nam in legibus, quarum materia eſt in frequenti uſu, Epiſcopi poſſunt diſpenſare, vel ex conſuetudine legitime præſcripta, vel ex conſenſu tacito Papæ ob neceſſitatem ſæpius occurrentem.



Dixi. *Saltem ordinarie loquendo.* Nam ex communi ſententia Epiſcopus poteſt diſpenſare in impedimentis occultis poſt Matrimonium contractum, & conſummatum, ſi iſta concurrant. 1. Si Matrimonium contractum ſit publice, ſeu in facie Eccleſiæ, præmiſſis denuntiationibus, & bona ſaltem unius fide. 2. Si ſit conſummatum, & ſine ſcandalo ſeparari nequeat, vel juxta multos ſine graviſſimo damno. 3. Si nequeat recurri ad Papam ob paupertatem, vel aliam cauſſam, vel ob probabile periculum peccandi contrahentibus imminens ex tanta dilatione. Ratio eſt conſuetudo ob bonum animarum, & Eccleſiæ inducta, papa ſaltem tacite conſentiente.

Porro commiſſio diſpenſandi in impedimentis Matrimonii non expirat morte concedentis, quia reſpectu petentis jam gratia eſt facta, & ſolum requiritur executio. In hujuſmodi quippe commiſſionibus non relinquitur voluntati Ordinarii, aut Confeſſarii concedere, vel negare diſpenſationem, ſed ipſis præcipitur, ut diſpenſent inventa veritate precum.

✠ Lib. VII. de Synodo c. 30. & 31. confirmantur, ac fuſius explicantur, quæ ab Auctore in hac quæſtione exponuntur. *Num.* 5. vero c. 31. *de ordinaria Epiſcoporum poteſtate* in hunc modum proſequitur. *Quidquid ſit de ea extraordinaria poteſtate, quæ ex præſumpta Summi Pontificis voluntate in aliquo eventu, urgentiſſimæ videlicet neceſſitatis, & impedimenti occulti, competat Epiſcopis, nullum in præſens de eo ferimus judicium; ſed tantum diſſerimus de ordinaria poteſtate diſpenſandi in quibuſdam impedimentis dirimentibus publicis. Hanc poteſtatem communi fere calculo Doctores denegant Epiſcopo, quinimmo Sacræ Urbis Congregationes, Concilii videlicet, ac Supremæ Inquiſitionis, non ſemel proſcripſerunt, tamquam falſam, & temerariam propoſitionem, aſſerentem Epiſcopo jus diſpenſandi ſuper impedimento dirimente publico, quod obſiſtat Matrimonio contrahendo, etiamſi gravis urgeat illud contrahendi neceſſitas, uti videre eſt apud Joannem Baptiſtam Riganzium, virum apprime doctum* tom. 4. commentariorum in regul. Cancellar. in notis ad reg. 49. n. 1. & 2. *ubi Sacrarum Congregationum reſponſa ſumma diligentia congeſta, per extenſum, ut dicitur, referuntur & Doctorum in hac re placita copioſe allegantur. Et nihilominus aliquot Epiſcopi eamdem poteſtatem etiam nunc ſibimet ipſis adſcribunt, & contra juris communis principia, ac communem Doctorum ſenſum, etiam in ſuis Synodalibus Conſtitutionibus ſibi aſſerere, quandoque non dubitant; & quod magis dolendum eſt, non deſunt aliqui, licet pauci Doctores, hac in re Epiſcopis blandientes; quorum aliqui innituntur prædicto axiomate, cujus falſitatem deteximus; alii vero innituntur diuturna conſuetudine, per quam a quibuſdam Epiſcopis poteſtatem relaxandi aliqua impedimenta dirimentia, quæ ſpectato jure communi carerent, acquiſitam dicant. Hinc Gibertus ſuarum conſultationum* tom. III. conſult. 19. de Matrim. *abſolute docet, Epiſcopos in hoc negotio unice ſpectare debere ſuorum Prædeceſſorum praxim, liberèque poſſe, legitima exigente cauſſa, eas diſpenſationes indulgere, quas a ſuis prædeceſſoribus conceſſas deprehenderit. Hinc pariter Natalis Alexander* Theol. dogm. & moral. cit. lib. 1. de Matrim. 13. *poſtquam* Reg. 11. *auctoritatem diſpenſandi ſuper impedimentis Matrimonium dirimentibus publicis, & notoriis, uni vindicavit Romano Pontifici, inquiens:* „ Hodierna Eccleſiæ diſciplina, ſecundum quam diſpenſationes in gradibus prohibitis conſanguinitatis, vel affinitatis, aliiſque impedimentis dirimentibus Romano-Pontifici reſervata ſunt, cum publicum impedimentum eſt, & de Matrimonio contrahendo agitur, non permittit, ut Epiſcopi his in circumſtantiis diſpenſent. Cum enim ab Eccleſia univerſali, ſive illius capite Romano Pontifice ſint inſtituta impedimenta matrimonium dirimentia, diſpenſationes ſuper eis communi jure ad caput univerſalis Eccleſiæ Romanum Pontificem, non ad Epiſcopum pertinent, ut colligitur ex cap. *Cum inferior*, de *majorit. & obed.* Conciliaque Provincialia plurima, Ritualia Eccleſiarum, Auctores omnes id confirmant, & auctoritatem diſpenſandi competere negant Epiſcopis, cum publicum impedimentum eſt, vel de contrahendo Matrimonio agitur: " *poſtquam, inquam, hanc communem doctrinam diſerte tradidit, & inſinuavit in ſequenti reg.* 12. *eamdem in hunc modum limitat:* „ Si tamen antiqua ſit, & legitime præſcripta Diœceſis conſuetudo, ut Epiſcopus in quarto gradu, etiam de contrahendo, certis in caſibus diſpenſet, quia ejus Deceſſores hac uſi ſunt ab antiquo ad hanc uſque diem facultate, quæ a Sede Apoſtolica conceſſa creditur, (quod in quibuſdam Galliarum Diœceſibus fieri novimus) de his diſpenſationibus haud movenda lis eſt: Siquidem conſuetudo legitime præſcripta juri poſitivo præjudicat, uſuſque longævi non levis eſt auctoritas, ut dicitur in cap. *Conſuetudinis*, & c. *Cum tanto*, de conſuet. *Hinc denique nonnulli Epiſcopi Gallicani, uti narrant Pontas* in verb. Diſpenſ. Matrim. caſ. 15. *P. Herminier* de Sacramentis tom. III. capit. 17. *Auctor collationum Eccleſiaſticarum Pariſienſium ſub Cardinali de Noailles* tom. III. lib. V. collat. 2. c. 2. *Gerbeſius in tractatu, quem edidit*, de poteſtate Eccleſiæ, & Principum ſuper impedimentis Matrimonii, *& Sainbeuve* to. 1. reſolut. caſuum conſcientiæ, caſ. 66. & 67. *uſum prætexentes ſuorum Deceſſorum, diſpenſant in impedimento quarti, & alicubi etiam tertii gradus conſanguinitatis, ſeu affinitatis; & alii jus ſibi vindicant relaxandi inſuper impedimenta cognationis ſpiritualis, criminis, & publicæ honeſtatis; licet alii ejuſdem Regni Antiſtites, obſervante eodem Sainbeuve, ſibi integrum non eſſe arbitrentur, ab alio cujuſcumque generis Canonico impedimento Matrimonium dirimente quemquam ſolvere, prout ſcilicet, ſicuti idem Auctor proſequitur, fert diverſa, quæ in qualibet Diœceſi invaluit, conſuetudo. Ab eadem quoque conſuetudine, quæ ex privilegio, & indulto Apoſtolico initium ſumpſiſſe cenſenda ſit, contendunt ſimiliter Epiſcopi*

Leodienſes, ſe. poteſtatem adeptos diſpenſandi in quarto, & in tertio hinc inde conſanguinitatis gradu. „ Si immineus appareat periculum defectionis partium ad vicinos Fidei hoſtes, mutuæ internecionis parentum, & amicorum inter ſe ob corruptam puellam, & Partes non habeant media recurrendi ad Urbem, *quemadmodum referunt Leſſius* in actuar. v. Matrimonium caſ. 9. *Gobat.* Theolog. experim. tr. 9. n. 606. & *Van-Eſpen*, J. E. U. tom. 1. p. 2. tit. 14. cap. 1. num. 12. *quod tamen jus ſibi non arrogare alios Belgii Epiſcopos, ne eos quidem, quorum Diœceſes, auctoritate Pauli IV. a Leodienſi divulſæ ſunt, opportune animadvertit Zipæus* ad tit. De eo, qui cognovit conſanguineam uxoris, num. 3.

4. *Verum ſicuti graviter errant, qui poteſtatem, de qua agitur, Epiſcopis adjudicant, unice freti illo axiomate, cujus falſitatem plurima Concilia Provincialia, Ritualia Eccleſiarum, Auctoreſque omnes agnoſcere fatetur etiam cit. Natalis Alexander in allegata Regula: ita periculum eſt, ne ſe aliosque decipiant, qui eam a conſuetudine mutuantur. In primis enim prudenter dubitari poteſt: an ejuſmodi conſuetudo in florentiſſimo Galliarum Regno Apoſtolicæ Sedi obſequentiſſimo, & Sacrorum Canonum religioſiſſimo cuſtode, ullo unquam tempore viguerit: cum non ſolum contingere potuerit, hunc, illumve Epiſcopum, in hoc, aut illo impedimento diſpenſaſſe ex privilegio ſibi a prima Sede ſpecialiter conceſſo: ſed etiam ita rem ſe habuiſſe conſtat ex regeſtis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, & Sancti Officii, in quibus frequenter adnotatæ reperiuntur conceſſiones Epiſcopis Gallicanis indultæ diſpenſandi ſuper impedimentis tertii, & quarti gradus, unde Ducaſſe Auctor Gallicanus* in ſua practica juriſdictionis Eccleſiaſticæ, c. 15. ſect. 7. *ſcribit, timoratæ conſcientiæ, & excellentis doctrinæ Gallicanos Epiſcopos diſpenſaſſe poſt indultum ſibi a Sede Apoſtolica conceſſum, & a diſpenſatione abſtinuiſſe poſtquam ceſſaverat, nec fuerat renovatum indultum, quod ad certum tempus obtinuerant. In hac autem dubietate non licere ſucceſſori ſimiles diſpenſationes elargiri recte adnotavit idem Natalis Alexander* in fine cit. Reg. XII. *ſcribens:* „ At ſi dubitet, vel merito dubitare debeat Epiſcopus; an diſpenſationes a ſuis Deceſſoribus conceſſæ ſint ex privilegio reali & perpetuo, an ex privilegio perſonali, diſpenſare non poteſt, niſi & ipſe diſpenſandi privilegium a Summo Pontifice obtineat. In re enim Sacramenta ſpectante, non licet minus probabilem, ac minus tutam opinionem ſequi relicta probabiliore atque tutiore.

5. *Quod autem aliquot Galliarum Epiſcopi ex privilegio mere perſonali, non vero ex conſuetudine nacti ſint facultatem ſuper aliquo impedimento diſpenſandi, inde etiam conjicimus, quod ex una parte incredibile videatur talem conſuetudinem intra unius, aut alterius Diœceſis limites conſtitiſſe, nec conterminas permeaſſe: id quippe evenire vix potuit in re Epiſcopis favorabili, atque in Regno ſervandæ inter Paſtores diſciplinæ, morumque concordiæ, & unitatis ſtudioſiſſimo: ex alia vero ſcimus, quamplurimos Galliarum Antiſtites diſerte declaraſſe, ſibi fas non eſſe ullum auferre ſeu relaxare impedimentum Matrimonium dirimens.* Siquidem *Concilium Turonenſe anni* 1583. de Matrim. (tom. x. collect. Hard. col. 1405.) *definivit:* „ In quarto conſanguinitatis & affinitatis, nec non cognationis ſpiritualis prohibitis gradibus, Epiſcopis diſpenſare non licere declaravimus “: *In Concilio Toloſano anno* 1590. cap. 8. *legimus:* „ Quos cognationis gradus impedit, licet jam legibus ſolutos & diſpenſatos, niſi viſa prius Summi Pontificis diſpenſatione, in Matrimonii conjunctionem Parochi non recipiant „. *Synodus Lingonenſis apud Natalem* cit. Reg. XI. *poſt enumeratas perſonas, in aliquo uſque ad quartum conſanguinitatis gradum inter ſe conjunctas, ait* „ Inter iſtas non eſt legitimum Matrimonium, niſi cum eis ſit per Sedem Apoſtolicam diſpenſatum „: *idemque ſancitum declaratumque reperiri in Synodo Trecenſi, idem Natalis Alexander teſtatur. Additque Dinus in opere cui titulus* Sacramentarium Paſtorum, tr. 13. de diſpenſationibus Matrimonialibus c. 8. pag. 413. edit. Pariſien. an. 1709. *In generali Congregatione Epiſcoporum, & univerſi Cleri Gallicani declaratum eſt, diſpenſationes omnes Matrimoniales ad ſolum Papam pertinere: & Parlamenti eſſe obſiſtendum, ſi aliquando Epiſcoporum diſpenſationes admittant. Quis autem credat tot Gallicanos Epiſcopos ſuæ juriſdictionis tenaciſſimos, ſibi ſponte abjudicaſſe eam auctoritatem, quam paſſim viderent ab aliis finitimarum Diœceſum Præſulibus, jure ordinario, & non mere delegato, exerceri?*

6. *At etiam Dato, in aliquam Diœceſim irrepſiſſe conſuetudinem, de qua contenditur, ut per eam collatum dicamus Epiſcopo legitimum jus auferendi impedimenta a Conciliis Oecumenicis, aut a Summis Pontificibus deducta, diligenter prius examinandum eſt, an ea conſuetudo omnes habuerit conditiones neceſſarias, ut potuerit prævalere legi Epiſcopo inhibenti, ne Superioris ſtatutum infringere, aut quoquo modo relaxare præſumat. Quinimmo cum talis conſuetudo non ſolum tendat ad abrogandam legem, verum etiam ad tollenda & minuenda jura uni competentia Romano Pontifici, præter ceteras conditiones, neceſſe eſt, ut centum ad minus annorum ſpatio ſine ulla interruptione perſeveraverit. Quocirca citatus Van-Eſpen* jur. Eccleſ. univerſ. par. 2. tit. 5. cap. 1. n. 11. *ut Epiſcopo Leodienſi auctoritatem adſtruat diſpenſandi in tertio, & quarto, & in tertio hinc inde conſanguinitatis, ſeu affinitatis gradu, eamque ex legitima conſuetudine ab eo acquiſitam evincat, ejuſmodi conſuetudinem contendit eſſe immemorabilem. Ad conſuetudinem quoque, cujus initii memoria non extet, confugit Auctor cit. Collationum Pariſienſium* tom. III. collat. 2. §. *Verum poſtremo, & potiſſimum, conſiderandum eſt, an per eam conſuetudinem, ſi qua inoleverit,* dirumpatur nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, *in quo eventu nunquam per eam adverſus legem præſcribi, declaravit Innocentius III.* in cap. Cum inter, de conſuet. *Num porro prædicta conſuetudo ejuſmodi inficiatur vitio, potius quam a Nobis, præſtat audire a Gallicano Auctore Cabaſſutio, qui* cit. lib. III. cap. 25. n. 6. *loquens de auctoritate diſpenſandi, quam ſibi vindicant nonnulli ſuæ nationis Præſules, hæc habet.* „ Si in oppoſitum

re-



reclamantibus Conciliis Oecumenicis, quæ hanc poteſtatem uni Summo Pontifici, Legatoque reſervant, ſibi audiant vindicare ducenti circiter, & quadraginta Epiſcopi cum ſuis Vicariis, ſeorſum in ſuis Diœceſibus, ſinguli pro ſuo arbitrio, hujuſmodi licentiam; ingruet profecto tota Gallicana ditione admodum exuberantior, & inordinatior inter tot, tamque diverſa ſibi, aliiſque indulgentium Prælatorum capita, in diſpenſandis Matrimoniis licentia. Quin etiam ſi per univerſum Regnum invaleſcit conſuetudo, (quod malum Deus avertat) contingeret demum, ut quilibet Laici, etiam ſubalternorum tribunalium Judices per captionem & diſtractionem bonorum Epiſcopalium, ipſoſmet Epiſcopos cogerent, pro ſuo peculiari, aut amicorum, aut partium poſtulantium affectu ad ſic diſpenſandum, ſicut jamdudum compellunt invitos ad monitoria, & excommunicationes decernendas; ſicque ſimile quid illis obveniret Divinæ huic apud Iſaiam comminationi: *Pro eo, quod abjecit populus iſte aquas Siloe, quæ vadunt cum ſilentio: propter hoc ecce adducet Dominus ſuper eos aquas fluminis fortes, & multas.* Sic enim renuentes hac in parte ſummo univerſalis Eccleſiæ Pontifici ſubjici, compellantur indigniſſime Laicorum Judicum infimorum Decretis obtemperare, aut propriorum fructum, ni pareant, interceptionem, ac privationem pati. „ *Et poſt adducta modo a Nobis relata loca Conciliorum Turonenſis, & Toloſani, inanem decernentis hac in re diſpenſationem, quæ a Summo Pontifice non dimanarit, concludit Cabaſſutius:* „ Sane iſtæ ab Epiſcopis conceſſæ diſpenſationes pro contrahendis conjugiis, aut nullitatem, aut incertitudinem cauſſant Sacramenti. At vero in re Sacramentaria unanimes docent Theologi, non eſſe licitum quidquam incerti adhibere, eo certo medio prætermiſſo, quod adhiberi poſſit. Atque ita licentia iſta vel nefariam inducit Sacramenti nullitatem, aut ad ſummum, tutiore ſimul & probabiliore opinione rejecta, minus probabilem, nec tutam in tanti momenti Sacramento conſectatur opinionem.

7. *Huic Cabaſſutii monito morem gerant Epiſcopi, & nullius conſuetudinis prætextu, eam exerceant facultatem, quam dubiam ſaltem, atque incertam eſſe diſſimulare non poſſunt. Quod ſi quis eam ſibi certo competere obſtinate contendat; adhuc abſtineat oportet ab illa in ſua Synodo oſtentanda, & Synodali ſtatuto ſibimet ipſi aſſerenda: etenim (ut inferius ſuo loco demonſtrabitur) ne ea quidem, quæ Epiſcopis certo licent, ex tacita permiſſione, & conniventia Apoſtolicæ Sedis, poſſunt ab iiſdem per edictum, aut Synodalem Conſtitutionem decerni, & juri ſuo ordinario quodammodo attribui: id quippe manifeſtam ſaperet ambitionem qua viderentur ſe quodammodo æquiparare Summo Pontifici, ejuſque affectare ſupremam juriſdictionem.*

8. *Quare ſi aliquis Antiſtes ob nimiam ſuæ Diœceſis ab Urbe diſtantiam, aliamve legitimam cauſſam, neceſſariam ſibi reputet auctoritatem diſpenſandi in uno, aut pluribus impedimentis Matrimonium dirimentibus, eam expoſcat a Romano Pontifice, qui eam petentibus impertiri non renuit, nunc magis, nunc minus amplam, pro temporum, & locorum varietate.)*

*Reſp.* 1. Ex conſuetudine Epiſcopus diſpenſare poteſt in impedimentis impedientibus tantum, præter vota caſtitatis perpetuæ, & ingrediendi religionem, utpote Papæ reſervata. Adde ſponſalia; obligant enim ex juſtitia jure naturæ. Porro ſi contrahentes ſint ex diverſis Diœceſibus, requiritur diſpenſatio amborum Epiſcoporum; quia unus non poteſt diſpenſare niſi cum proprio ſubdito.

Quæſt. V. *Quid requiritur ad valorem diſpenſationis?*

*Reſp.* Requiritur tum ut cauſſa finalis ſit vera & ſubſiſtat dum conceditur; tum ut in petitione nihil omittatur eorum, quæ jus & ſtylus curiæ exigunt, nihilque reticeatur veri, ratione cujus diſpenſatio aut nullo modo, aut nonniſi cum certa conditione, vel limitatione daretur, ex cap. *Super de reſcr.* alioqui diſpenſatio eſſet obreptitia, vel ſubreptitia, ideoque nulla ob defectum conſenſus in diſpenſante. *Vide dicta de Legibus, c. 6. qu. 3.*

Hinc ſi inter conſanguineos, aut affines præceſſerit copula, vel inter illos attentatum ſit Matrimonium, vel copula inceſtuoſa habita ſit ſpe diſpenſationis facilius impetrandæ; vel ſi cum notitia impedimenti, vel ſine illa præmiſſis tribus denuntiationibus, vel iis omiſſis, contractum ſit Matrimonium, hæc omnia exprimi debent in ſupplicatoriis. Item ſi plura ſint impedimenta etiam ejuſdem rationis, debent omnia exponi: nam cum ſingula obſtent Matrimonio, neceſſaria eſt diſpenſatio omnium, & ſublato uno manet adhuc alterum. Item gradus cognationis, & affinitatis explicandus eſt; & ſi ſit inæqualitas in gradibus, quæ oriatur, ex eo, quod femina ſit propinquior ſtipiti, ut ſi ſit amita, debet exprimi.

Quæſt. VI. *Quomodo convalidandum eſt Matrimonium invalidum?*

*Reſp.* 1. Si nullitas Matrimonii in facie Eccleſiæ, hoc eſt coram Parocho, & duobus ſaltem teſtibus initi, ſit occulta ob defectum occultum, de quo non ſit periculum, ut aliquando innoteſcat; tunc ut Matrimonium fiat validum, ſecundum multos ſufficit, quod ſublato impedimento, occulte mutuo conſentiant ſine Parocho & teſtibus, ut teſte Navarro declaravit S. Pius V. Quia decretum Conc. Trid. hunc caſum non comprehendit, cum ejus ratio ad eum ſe non extendat, & jam obtineatur ejus finis. Nam ratio finalis Decreti eſt, ut publice conſtet: ideoque probari poſſit validitas Matrimonii, & ſic vitentur gravia mala ex clandeſtinis nuptiis manantia, maxime concubinatus, & adulterium, dum qui clam cum una contraxerunt, illa relicta, aliud Matrimonium publice ineunt. At cum defectus Matrimonii coram Parocho, & teſtibus initi eſt occultus; poteſt tunc publice ab iis probari validitas, & ſic impediri aliud Matrimonium. In praxi tamen Parochi, & teſtium aſſiſtentia adhibenda eſt, ſi inde nullum grave incommodum, aut ſcandalum timeatur, quia tutius eſt.

Si vero nullitas ſit notoria, vel periculum ſit ne innoteſcat, ſublato impedimento, novus conſenſus præbendus eſt iterum coram Parocho & teſtibus: Quia tunc urget ratio Decreti Conc. Trid. nam alias non poſſet publice conſtare, nec probari validitas Matrimonii. Immo ſi impedimentum poſſit probari a duobus teſtibus omni exceptione majoribus, cenſet Sanchez, tunc opus eſſe nova præſentia Parochi & teſtium; quia lex Concilii Trid. adhuc locum habet:

nam

nam alter conjux, probato impedimento, non poſſet impediri ne cum alia contraheret, ſi convalidatio eſſet occulta.

*Reſp.* 2. Si Matrimonium fuerit nullum ex defectu conſenſus veri in utroque, ut fiat validum, debet uterque novum conſenſum elicere, cum prior fuerit nullus, & utriuſque conſenſus ſit eſſentialis contractui Matrimonii, debetque mutuus ille conſenſus exterius exprimi; quia ſignum prioris conſenſus non ſufficit, cum ſit tantum ſignum ficti conſenſus: unde opus eſt novo ſigno, quo verus conſenſus exprimatur humano modo, ad quod poteſt ſufficere copula affectu maritali facta, ex c. 2. *de conjug. ſervor.*

Quod ſi Matrimonium fuerit nullum ob defectum conſenſus ex parte unius tantum, qui ficte vel ex gravi metu injuſto conſenſit; ſecundum multos, ut fiat validum, ſatis eſt ſi ille verum conſenſum eliciat, eumque aliquo modo exterius exprimat, nec in comparte requiritur novus conſenſus, nec proinde notitia defectus, ſi priorem conſenſum non retractaverit. Quia in hoc caſu ambo contrahentes ſunt perſonæ legitimæ ac habiles ad contrahendum, & conſenſus unius partis fuit verus, ſupponiturque permanere habitualiter, utpote non retractatus, & moraliter; nam putat valere Matrimonium, & compartem habet ut conjugem, petens ac reddens conjugale debitum: Atqui ad valorem contractus ſufficit, ſi contrahentium conſenſus ſint ſimul moraliter.

Nec obſtat quod pars quæ conſenſit, forte non perſeveret in conſenſu, adeoque nollet in eo perſeverare, ſi ſciret alteram non conſenſiſſe, quia hoc non obſtante remanet conſenſus; nam diſſenſus ſub conditione ponendus non revocat priorem conſenſum abſolutum, & aliud eſt *nolo*, aliud *nollem*. In praxi tamen tutius eſt, quod uterque conſenſum renovet, ſi non timeatur ſcandalum, vel grave periculum, aut incommodum.

*Reſp.* 3. Si Matrimonium fuerit nullum ob quodvis aliud impedimentum dirimens, ut fiat validum neceſſe eſt. 1. Ut obtineatur diſpenſatio, vel per ſe ceſſet. 2. Ut interim pars nullitatis conſcia non reddat debitum petenti, alioquin ſcienter fornicaretur. 3. Ut uterque conjux novum conſenſum præſtet, & exterius prodat; quia utriuſque prior conſenſus fuit nullus, cum fuerit inter inhabiles, & ceciderit in materiam illegitimam. Ergo alius legitimus non minus requiritur, quam ſi nullus præceſſiſſet: nam *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit*, reg. jur. 18. in 6.

Quare obtenta diſpenſatione, ſi nullum ſit periculum gravis incommodi, nullitas detegi comparti debet confuſe, & generice, dicendo v. g. ſe anxietatem pati propter conſenſum in ipſa Matrimonii celebritate datum, & Confeſſarium judicaſſe novum utrique elici debere. Nam ſine hac manifeſtatione pars ignara nullitatis, ſi de novo conſentiat, conſentit ex errore; immo non ponit proprie novum conſenſum, ſed præciſe renovat priorem invalidum, nec intendit novum denuo Matrimonium contrahere, cum credat jam legitime contractum eſſe, ſed intendit tantum ratificare prius Matrimonium, illudque confirmare, dum petit, vel reddit debitum vi prioris conſenſus, cum tamen prioris conſenſus utpote invalidi confirmatio vel iteratio non ſufficiat. Unde in litteris diſpenſationis additur: *Ut dicto conjuge de nullitate prioris conſenſus certiorato, ſed ita caute, ut latoris delictum nuſquam detegatur, diſpenſes.*

Sed gravis difficultas eſt, cum per iſtam manifeſtationem timetur grave incommodum, vel periculum, aut ſcandalum, ut non raro accidit. Multi auctores hanc viam proponunt, nempe ut pars impedimenti conſcia compartem illius ignaram blanditiis deliniat, & bene diſpoſitam ſic alloquatur: *Ita te amo, ut ſi non eſſet inter nos Matrimonium, te in conjugem acciperem, & nunc ita te accipio: tune idem ex parte tua facis?* Si reſpondeat: *Facio*, aut ſimili verbo conſenſum novum declaret, tunc, inquiunt, valebit Matrimonium; quia tunc pars ignara impedimenti novum Matrimonium vult inire, ſi prius non fuerit validum; non ſufficit autem ſi dicat, *vellem*, *facerem*, quia non eſſet conſenſus de præſenti abſolutus. Ad clauſulam diſpenſationis reſpondent, eam appoſitam eſſe cum hac reſtrictione ſubintellecta *ſi fieri poſſit*.

Quod ſi neque hoc ſine gravi periculo vel ſcandalo fieri queat, quia ſcilicet ſi compars ſit ſagax, poſſe ex hac inſueta agendi ratione conjicere aliquid tale ſubeſſe, cenſent non pauci partem conſciam impedimenti poſſe ſequi opinionem eorum, qui dicunt tunc ſufficere quod conſenſum renovet interius, & petenti conjugi debitum reddat affectu conjugali, non monita comparte de nullitate Matrimonii. Quia inquit Sanchez, licet ignorans impedimentum, non intendat formaliter novum inire Matrimonium, intendit tamen virtualiter. Nam in eo actu, quo vult hanc ut conjugem, vel ut talem cognoſcit, virtualiter cognoſcitur conſenſus, quo hic & nunc & ſemper tacite & exercite conſentit in ipſam ut uxorem.

Verum cum hæc difficilia & dubia ſint; Confeſſarius ex confeſſione deprehendens pœnitentes contraxiſſe cum impedimento dirimente, quod invincibiliter ignorant, non debet eos de eo admonere, quin prius ſciat id poſſe fieri ſine periculo gravis incommodi, ſcandali, vel peccati reſpectu illorum, ex cap. *de conſanguin.* In his autem & aliis gravibus difficultatibus conſulendi ſunt viri docti, ſed præſertim Epiſcopus loci.

Porro eadem eſt ratio convalidandi profeſſionem nullam, quæ Matrimonium.

## ✠ APPENDIX I.

### *A quibus, & qualiter obtinendæ ſint diſpenſationes Matrimoniales.*

Ut generalem eorum, quæ ad hoc argumentum pertinent, notitiam ſubminiſtremus; operæ pretium eſt Appendicem hanc in tres Articulos dividere. In primo expendemus, quando, & ad quod Romæ Tribunal, & qua demum forma, ſive ad Pœnitentiariam, ſive ad Datariam recurrendum ſit. In ſecundo explicabimus quid ab iis præſtari debeat, quibus Apoſtolica Sedes Reſcriptorum ſuorum executionem demandat. In tertio quid in hac parte poſſint Epiſcopi, diſcutere conabimur.





### ARTICULUS PRIMUS.

#### *Unde, & quomodo obtinenda Romæ diſpenſatio.*

Nota 1. Impedimenta omnia jure ſolum eccleſiaſtico conſtituta a Pontifice Romano poſſe relaxari. Ratio eſt, tum quia per quas cauſſas res naſcitur, per eaſdem etiam diſſolvi poteſt; tum quia alioqui nemo in Eccleſia diſpenſare poſſet, cum Epiſcoporum nullus plus habeat auctoritatis quam Summus Pontifex: unde vel ab omni prorſus diſpenſatione abſtinendum eſſet, quod utique fieri non poteſt, quia *leges inſiſtere, cum ejus obſervantia infert præjudicium, crudelitatem ſapit*: vel generalia ſingulis diebus haberi deberent Concilia, ut diſpenſationes ſingulis diebus neceſſariæ concederentur.

Hinc colliges, Papam diſpenſare poſſe in impedimentis. 1. Conditionis. 2. Cognationis, tum ſpiritualis, tum legalis, tum etiam carnalis, excepta tamen linea recta (& quidem tota juxta bene multos) & primo lineæ tranſverſæ gradu, in quo Eccleſia ſeu poſſit ſeu non poſſit diſpenſare, nec diſpenſavit unquam, nec unquam diſpenſatura eſt. 3. Affinitatis, ne excepto quidem, ut probabilius eſt, primo lineæ rectæ gradu. 4. Voti etiam ſollemnis. 5. Ordinis. 6. Criminis. 7. Diſparitatis cultus. 8. Honeſtatis publicæ. 9. Clandeſtinitatis. 10. Tandem & raptus, qui licet olim aliquando, at non ſemper Matrimonium dirimit; hoc tamen ſenſu, quod mulier adhuc penes raptorem exiſtens, ſi libere conſentiret, etiam tunc temporis contraheret valide, ut poſt Auctorem Collat. Pariſ. docet Illuſt. Epiſcopus Tutelenſis in opere pluries infra citando: quod ſi mulier non dabat manum niſi invita, irritum erat conjugium ob vim, non ob raptum. In aliis vero, quæ jure vel naturali vel divino Matrimonium dirimunt, diſpenſare nequit propter rationem contrariam.

*Nota* 2. Duplex pro concedendis diſpenſationibus erectum eſſe Tribunal Romæ, *Sacræ* ſcilicet *Pœnitentiariæ*, & *Datariæ*.

A Pœnitentiaria petitur, & conceditur diſpenſatio pro ſolo foro interiori ſuper omnibus, & ſolis impedimentis occultis, ſive impedientibus, ſive dirimentibus, tam ad contrahendum Matrimonium, quam ad remanendum in contracto: exceptis tamen impedimentis tum conſanguinitatis, tum affinitatis ex copula licita, tum denique cognationis ſpiritualis, in quibus quantumcunque occulta ſint, nunquam diſpenſat Pœnitentiaria ad contrahendum. Dico, *ad contrahendum*: ſi enim Matrimonium jam contractum ſit, Pœnitentiaria ad ipſum revalidandum, diſpenſat in ceteris præter primum, & ſecundum conſanguinitatis, & affinitatis gradibus, modo occulti ſint: immo ſi publici ſint, poteſt Pœnitentiaria Matrimonia in iis nulliter contracta, revalidare, *quando nullitas provenit ex cauſſa ſubreptionis, vel obreptionis occultæ litterarum* a Dataria obtentarum, *præterquam ſi falſitas conſiſtat in narratione præcedentis copulæ, quæ tamen ante non intervenit*. Ita Syrus Placentinus Minorita, qui cum minor Pœnitentiarius eſſet, pleniorem rei hujus notitiam habere debuit. Vide librum ejus cui titulus: *Dilucidatio facultatum Minorum Pœnitentiariorum &c.* Romæ 1699. par. 1. cap. 1.

Hic duo adde. 1. Quod Pœnitentiaria in mixtis ex primo, & quocumque alio gradu conſanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita diſpenſare non conſuevit. 2. Quod diſpenſet in omni & linea, & gradu affinitatis profectæ ex copula illicita, utique occulta, quod hic ſemper ſupponi debet.

Porro impedimentum cenſetur occultum, cum vel omnino ſecretum eſt, ita ut nulla ratione probari valeat; vel ſi cognoſcitur ab uno vel alio, aut tribus vel quatuor, nullum tamen eſt periculum ne ulterius divulgetur. Ratio eſt, quia illud in jure cenſetur occultum, quod non eſt notum pluribus quam quinque perſonis in communitate, quæ ſaltem decem perſonas contineat: Hinc in praxi prorſus attendendum eſt, non tantum quot perſonæ, ſed etiam quales impedimenti notitiam habeant, quia fieri poteſt ut quinque prudentes & pii aliquod impedimentum abſque ullo divulgationis ulterioris periculo cognoſcant; & duo vel tres illud idem non ſine juſto & probabili divulgationis periculo reſciant, puta ſi ſint garruli a natura, detractores, inimici &c.

In Tribunali Pœnitentiariæ non exprimuntur vera diſpenſandorum nomina vel cognomina, ſed ficta ſolum, v. g. Cajus, Bertha, vel litteræ A. B. &c. neque ullæ ibidem ſolvuntur expenſæ, aut taxa, ſed omnia gratis expediuntur.

A Dataria petuntur diſpenſationes pro foro externo. Ibi vera diſpenſandorum nomina, eorumque Diœceſis, vel Diœceſes exprimi debent: inſuper, niſi diſpenſatio expediatur in *forma pauperum*, ſolvendæ ſunt expenſæ cum taxa pecuniaria non modica, quæ pios in uſus a Romano Pontifice applicatur, v. g. in redemptionem captivorum, in ſuſtentationem Miſſionariorum, quos in omnes mundi partes emittit Sedes Apoſtolica.

Edi autem Tribunal pro externo foro Romæ erectum, Dataria abſolute vocitari ſolet, non tamen in eodem loco, neque ab iiſdem officialibus expediuntur diſpenſationes omnes pro exteriori foro requiſitæ. Nam in Dataria, quæ etiam *officium minoris gratiæ* vocatur, eæ omnes & ſolæ expediuntur diſpenſationes, quæ in remotioribus gradibus, videlicet in quarto, vel in tertio & quarto gradu petuntur, ſive ab uno, ſive a diverſis ſtipitibus proveniant. Eæ vero omnes, & ſolæ quæ pro tertio, vel ſecundo & tertio gradu, ſive ex uno, ſive ex pluribus ſtipitibus proveniant, neceſſariæ ſunt, expediuntur in *Cancellaria*. Quæ autem petuntur in primo affinitatis gradu, vel in primo & ſecundo, vel in primo & tertio, vel denum in primo & quarto conſanguinitatis aut affinitatis gradu, eæ, inquam, omnes & ſolæ expediuntur in *Præfectura Brevium*, & ſub annulo Piſcatoris. Cum autem Confeſſarii bene multi petendarum hujuſmodi diſpenſationum praxim ignorent, hanc eo loci recenſendam arbitratus ſum.

I. Itaque ante omnia videndum eſt, an impedimentum, quo laborant partes quæ matrimonium contrahere, aut in contracto manere volunt, ſit ex numero eorum, in quibus Papa diſpenſare poſſit: & id quidem ex dictis dijudicari poteſt.

II. *Supplicatio*, quæ Romam pro diſpenſatione obtinenda mittitur, debet communiter idiomate latino,

& verbis quantum fieri poteſt in Curia Romana uſitatis exprimi abſque ullo dictionis & verborum apparatu, præſertim vero ſine ambagibus, ſi enim ignotis & peregrinis vocibus utantur oratores, vel potius ii qui in ipſorum gratiam ſcribunt, ſupplicatio dilacerari ſolet; ut ex praxi advertunt Corradus lib. II. c. 1. n. 30. & Reinffeſtuel in Appendice n. 137.

Dixi ſupplicationem communiter idiomate latino fieri debere: ſi enim fieret lingua vulgari, non ideo rejiceretur, quia ſacra Pœnitentiaria ſuos ex quacumque regione Pœnitentiarios ſubordinatos habet, ut notat P. Tiburtius Novar. ordinis S. Franciſci Recollectorum, olim in Lateranenſi Baſilica Pœnitentiarius in eximio opere, cui titulus, *Manuductio ad praxim Litterarum Sacræ Pœnitentiariæ*, typis Pariſienſibus, & Romanis deinde impreſſo.

III. Videndum eſt a quo tribunali an Datariæ, an Pœnitentiariæ obtinenda ſit diſpenſatio, & exprimendum id omne, & ſolum quod uniuſcujuſque tribunalis praxis, & ſtylus exprimi volunt. Quædam porro in utroque tribunali: quædam in alterutro ſolum exprimi debent.

Hæc in utroque ſunt neceſſario exprimenda. Primo, ipſum impedimentum, ſuper quo petitur diſpenſatio, rite & in ſua ſpecie proponi debet, non autem unum pro alio, etiam majus pro minori, v. gr. conſanguinitas pro affinitate; quia in diſpenſatione non valet argumentum a minore ad majus. Ita Sanchez lib. VIII. diſp. 1. nu. 3. Pyrrhus Corrad. lib. 1. c. 5.

Secundo, exprimi ſimul in una eademque ſupplicatione debent impedimenta omnia ad matrimonium relativa, quibus tenentur ii, qui contrahere volunt. Is enim eſt ſtylus Curiæ, qui facit jus, & ita docent Pontius c. 17. n. 24. Juſtis l. 1. c. 4. nu. 69. & alii communiter contra Navarrum. Quod ſi impedimentum unum conſanguinitatis v. gr. publicum ſit, aliud vero, puta criminis, occultum, tunc impedimentum publicum in Dataria, vel Cancellaria proponi debet ad impetrandam pro externo foro diſpenſationem; utrumque vero tam publicum quam occultum Pœnitentiariæ aperiri debet, non quidem ut hæc impedimentum publicum relaxet, ſed ut examinet an, & qua conditione diſpenſare debeat: quia nimirum difficilius diſpenſat cum iis, qui duplici, quam qui uno ſolum impedimento ligantur. Non intereſt autem an prius pro foro exteriori in Dataria petatur diſpenſatio, an pro interiori in Pœnitentiaria, prout teſte Reinffeſtuel in Append. n. 153. declaravit Sacra Congregatio; quamquam ſi diſpenſatio obtentu difficilis videatur, exiſtimem melius eſſe ut prius ad Pœnitentiariam recurratur, ne inutilis & quidem non ſine multo ſumptu obtineatur diſpenſatio a Dataria.

Tertio, ſi copula in diſpenſationis cauſſam allegetur, ab oratoribus exprimendum eſt an habita fuerit ſub ſpe diſpenſationis facilius obtinendæ; quod merito cautum eſt, ne quis ex fraude & peccato commodum facile reportet: hæc ſpes etiamſi ex unius tantum parte fuerit, neceſſario adhuc exprimenda eſt juxta Corrad. lib. VIII. c. 1.

Quarto, ſi diſpenſatio petatur poſt matrimonium jam actu ſed invalide contractum, quatuor neceſſario ſunt exprimenda, 1. an partes (vel earum una, id enim omnino conſulendum eſt in praxi) bona vel mala fide contraxerint, nempe cum notitia impedimenti, quo obſtrictæ erant. Non cenſetur autem mala fide contraxiſſe, qui meminerat quidem ſe v. gr. rem turpem habuiſſe cum conſanguinea illius quam duxit, ſed neſciebat inde exoriri impedimentum dirimens. Quod extendunt Sanchez lib. II. diſp. 40. n. 4. & Reinffeſtuel in Append. n. 18. etiamſi quis id ex ignorantia craſſa & culpa lata ignoraverit; ſed male, vel ſaltem nimis incerto, cum ignorantia craſſa æquiparetur ſcientiæ. Unde hic ea ſolum ignorantia excuſare poteſt, quæ vel eſt a culpa immunis, vel oritur ex culpa leviſſima aut ſolum levi, ait Corradus lib. VIII. c. 4. n. 43. & ſeq. 2. an contraxerint ex ſpe facilius impetrandæ diſpenſationis, 3. an etiam matrimonium conſummaverint. 4. an partes quæ impedimentum ſuum ignorabant, clandeſtine, vel ſine præmiſſis denuntiationibus contraxerint; eos enim qui in hoc caſu verſantur omni diſpenſationis gratia carere vult Tridentina Synodus, ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 5. non quod abſolute omnis diſpenſatio negetur, ſed quia multo difficilius obtinetur. Et hæc de omnibus prorſus impedimentis dirimentibus, quibus quis, dum contraheret, ligari potuit, dicta cenſeri debent, uti ſolide evincit Corrad. lib. VIII. c. 5.

IV. Præter hæc, quæ generalia ſunt, quædam inſuper circa unumquodque impedimentum in particulari ſunt exprimenda. Sic circa conſanguinitatem fideliter exprimi debet.

1. An ſit in linea recta, an in tranſverſali, & quoto utriuſque gradu.

2. An partes duplici conſanguinitatis vinculo conjunctæ ſint, puta quia fratres duo duas ſorores duxerunt; & a fortiori an non plura diverſæ rationis habeant impedimenta. 3. Exprimendus eſt inceſtus, ſeu copula cum conſanguinea ante matrimonium notorie habita, cum vel ſine ſpe diſpenſationis facilius obtinendæ, etiam in caſu quo alia legitima diſpenſationis obtinendæ cauſſa affertur. Ita Sanchez lib. VIII. cap. 23. n. 6. Barboſa lib. II. voto 17. Corradus, lib. VIII. cap. 71. n. 3. Auctor Collat. Andeg. tom. II. pag. 116. Ethica amoris ubi de Legibus, c. 36. & alii plures contra Pontium, Juſtis & Dianam. Ratio tertiæ hujus reſolutionis eſt, 1. quia is eſt Curiæ Romanæ ſtylus, ut teſtantur Barboſa, & Corradus in hiſce materiis admodum practicus: porro ſtylus Curiæ facit jus, 2. quia expreſſa copula inceſtuoſa, jam alio modo, & cum certis moderationibus diſpenſat Pontifex; majorem enim imponi jubet pœnitentiam, majorem quoque compoſitionem ſeu taxam exigit, & prohibet ne ii, quibuſcum ſic diſpenſatum eſt, ad alias tranſeant nuptias, ſi alteruter moriatur: jam vero ſuppreſſio veri, quo expreſſo Papa aliter, & cum aliis moderationibus diſpenſaſſet, diſpenſationem reddit ſubreptitiam, ut cum aliis docent Sanchez lib. VIII. diſp. 21. num. 17. 3. quia cum agitur de valore ſacramentorum, non licet ſequi ſententiam minus tutam relicta tutiori æque vel magis probabili: atqui ſententia requirens expreſſionem copulæ prehabitæ, ſi non certa moraliter, ſaltem probabilior videtur. Immo hanc omnino tenendam pluries declaravit Sac. Congr. cum expreſſe definierit *diſpenſationem eſſe ſubreptitiam, ſi inter conſanguineos vel affines, aut ſpirituali cognatione*

tione



*tione conjunctos carnalis copula præceſſiſſet, cujus mentionem in ſupplicatione oratores non feciſſent*, prout referunt Corradus lib. VIII. c. 7. n. 37. Barboſa, Garzias, & alii. 4. demum, quia nunquam intendit Papa diſpenſare cum præjudicio tertii: porro non expreſſa copula ſit præjudicium tertio, ſcilicet officialibus Curiæ qui ex ea ſuppreſſione fraudantur taxa ad quam jus habent; quia officia emerunt ſub conditione jura ſolita percipiendi. Exprimendum etiam eſt, an inceſtus habitus fuerit cum cognitione, an cum ignorantia impedimenti. Hæc autem inceſtus exprimendi neceſſitas ex Corrado extenditur ad eos, qui non ſolum ab affinitate, ſed a cognatione ſpirituali, & honeſtate publica diſpenſari quærunt. An autem ſæpius repetita fuerit copula cum perſona eadem, aperire neceſſum non eſt.

Dixi exprimendam eſſe copulam ſi notoria ſit, quia ſi remanſerit occulta, præſumi non poteſt piam matrem Eccleſiam intendere, ut hæc cum ingenti ſui diffamatione, & nonnunquam cum vitæ periculo divulgetur, & hoc in ſenſu intelligenda ſunt argumenta mox allata: neque vero vel Papa cenſetur velle, vel Curiæ Officiales prætendere, ut ob majus lucrum ſibi eventurum, grave inceſtus occulti crimen ab oratoribus publicetur. Ita Sanchez l. VIII. diſp. 25. nu. 10. & Reinffeſtuel n. 152. ſed eritne tunc ad Pœnitentiariam recurrendum? Negant Pikler ad tit. 16. lib. IV. nu. 39. & Reinffeſtuel, quia, inquiunt, inceſtus propria diſpenſatione non indiget; & aliunde Pœnitentiaria nec poteſt, nec ſolet compoſitionem ullam exigere, utpote quæ quidquid expedit, gratis expediat, & propterea a tergo litterarum ſignet *gratis ubique*. Idipſum docent Theologi plures & Canoniſtæ apud Sanchez, ubi ſupra n. 6. at ipſe cenſet in hoc caſu recurrendum eſſe ad Pœnitentiariam, ubi etiam docet explicandam eſſe conſanguinitatem aut affinitatem publicam, ſuper qua vel jam diſpenſavit, vel diſpenſaturus eſt ſummus Pontifex. Ipſum tradit M. Paulus Leo in praxi part. 2. c. 17. n. 2. *Nec de hujuſmodi praxi, inquit, dubitari poteſt, quia ut teſtis oculatus id aſſero, cum materias prædictas XIV. annorum ſpatio ſedulo pertractaverim*. Huic opinioni, ut quæ tutior ſit, & ad minus ejuſdem cum oppoſita probabilitatis, adhærendum puto, eique qui adhæſerint Epiſcopos cognovi; ſed quid ſi partes poſt diſpenſationem Romæ obtentam commercium carnale habere inceperint?

*Reſp.* Cum Ducaſſe, & aliis poſt Pyrrhum Corradum, non valere diſpenſationem hanc. Nam 1. diſpenſatio, ut nunc *in forma Commiſſaria* datur, non tam eſt actualis diſpenſatio, quam *mandatum de diſpenſando* ad Officialem loci directum, ut inquirat an res eo ſe habeant modo, quo expreſſæ fuerunt: atqui verificationis tempore, jam verum non eſt nullam inter partes copulam præceſſiſſe: ergo. 2. idipſum evincunt & praxis Romanæ curiæ, & declaratio Sac. Congreg. Conc. Trid. interpretis: ergo obtinendæ ſunt litteræ quas vocant *perinde valere*: ſi vero partes ante ipſam diſpenſationis petitionem rem turpem habuerint & expreſſerint, ac in idem ſcelus relabantur, diſtinguendum eſt: vel enim relabuntur ante fulminationem diſpenſationis, & tunc valet diſpenſatio, quia neceſſe non eſt, ut crimen exponatur quoad numerum; Vide Pontas hic caſ. 10. vel non niſi poſt fulminationem diſpenſationis; & tunc variant inter ſe Theologi. Alii nova diſpenſatione opus eſſe putant; ita ſatis aperte Habert c. 13. de leg. Alii vero communius id negant, ut Sanchez l. VII. cap. 25. n. 4. Sylvius, Pyrrhus Corradus, qui expreſſam ea de re Sacræ Congregationis deciſionem refert, Reinffeſtuel in Append. n. 193. atque omnes Romani Canoniſtæ, ait auctor Collat. Pariſienſ. tom. 131. Collat. 4. §. 1. tum quia copula diſpenſationem ſubſequens, jam non eſt inceſtus, cum inceſtus non dicatur niſi ubi eſt commixtio inter conſanguineos, & affines abſque diſpenſatione matrimoniali, ut poſt Cajetanum, Vegam, & alios docet idem Sanchez lib. VII. diſp. 60. n. 5. quia, etiamſi ea copula inceſtus foret, inceſtus ille matrimonii diremptivus cenſeri non deberet: inceſtus enim, ut ibidem notat Habert, hodie non computatur inter impedimenta matrimonii: unde caput *Si quis, de eo qui cognovit &c.* contraria conſuetudine abrogatum eſt. Hæc reſponſio totum locum habet erga affines & alios, quos ad exprimendum inceſtum teneri diximus.

Circa affinitatem exprimi debent, 1. Gradus. 2. Vinculi multiplicitas, ſi adſit, (puta ſi quis cum duabus illius, quam ducere vult conſanguineis peccaverit) & quidem in eadem ſupplicatione. 3. Etiam gradus propinquior, ſi inæqualis ſit graduum diſtantia, (quod an etiam in Gallia neceſſarium ſit, colligi poteſt ex iis, quæ alibi dicta ſunt de expreſſione gradus propinquioris in conſanguinitate.) Ratio eſt, quia quod in conſanguinitate ſervatur, idem etiam in affinitate ſervari poſtulant jura, Curiæ ſtylus & communis Doctorum opinio. 4. Exprimi etiam debet an affinitas ex copula licita, an ex illicita oriatur, cum petitur diſpenſatio ſuper primo vel ſecundo gradu. Ratio eſt, tum quia difficilius diſpenſatur ſuper affinitate ex copula licita, quam illicita; tum quia id neceſſarium eſt ut intelligatur an cum affinitate concurrat honeſtas publica. Hæc enim cum ſemper annexa ſit copulæ licitæ, tacite exponitur & tacite diſpenſatur, eo ipſo, quod exprimitur affinitatem ex copula licita ortam eſſe; exprimendum etiam an affinitas ſit in linea recta vel tranſverſali, ſaltem ſi affinitas oriatur ex copula licita, de quo vid. Sanchez lib. VIII. diſp. 24.

Circa honeſtatem publicam explicandum, an ea oriatur ex ſponſalibus, an ex matrimonio, & quo in gradu ſunt qui contrahere volunt. Ubi revocandum eſt in mentem, quod affinitas ex ſponſalibus orta primum gradum non excedit.

Circa cognationem ſpiritualem exprimendum eſt, 1. An ea ſit paternitas aut maternitas ex una parte, & proinde filiatio ex altera, an ſit tantum compaternitas, vel commaternitas; multo enim indecentius eſt matrimonium inter patrem & filiam ſpiritualem, quam inter compatrem, & matrem ejuſdem filiæ &c. unde vix unquam in paternitate ſpirituali diſpenſat Sedes Apoſtolica. 2. An cognatio ſpiritualis ſit duplex: puta, an qui Petri filiam levavit e fonte ſacro, eamdem vel ejus fratrem aut ſororem tenuerit in Confirmatione, an non idem Petrus levaverit filios illius, qui filios ſuos levavit. Haud tamen neceſſe eſt exprimere an quis plures ejuſdem filios vel in Baptiſmo, vel in Confirmatione ſuſceperit, quia cognatio ſpiritualis non cenſetur hinc multiplicata; pro-

prout apud Garziam p. 8. cap. 3. num. 58. declara-
vit Clemens VIII. Cenſent etiam Sanchez ib. n. 45.
& Reinffeſtuel num. 201. neceſſum non eſſe ut ex-
primatur, an cognatio ſpiritualis ex Baptiſmo, an
ex Confirmatione oriatur, quia hæc nihil vel pa-
rum rem mutant.

Circa criminis impedimentum exponi debet, an
ſit ex machinatione conjugis, an ex adulterio ſolo
ſine machinatione, an ex utroque ſimul. Quia ſi
ſit ex machinatione, nunquam diſpenſat Papa pro
foro exteriori: raro autem pro interno.

Ex his colliges quædam eſſe impedimenta, circa
quæ quidquid poſſit Papa nequidem tentanda eſt
petitio diſpenſationis; quædam vero, in quibus non-
niſi ob graviſſimas cauſſas, & difficillime diſpenſat.
Sic nunquam diſpenſat in ſecundo, tertio, & quarto
conſanguinitatis gradu in linea recta; ſicut nec in
ſecundo lineæ tranſverſæ gradu, nimirum fratrem
inter & ſororem, licet, ait Pikler ad tit. 16. lib.
IV. n. 31. jam ſæpius id ardenter poſtularint magni
Principes. Sic nonniſi ob cauſſas, quæ vix occur-
runt, diſpenſat in conjugicidio publico, & impe-
dimento diſparis cultus. Sic difficillime diſpenſat in
paternitate & maternitate ſpirituali, & in cogna-
tione legali lineæ rectæ. Sic in ſecundo conſangui-
nitatis, vel affinitatis lineæ tranſverſæ gradu non
ſolet diſpenſare, niſi cum magnis Principibus. Uni-
verſim quo arctius eſt vinculum inter perſonas, eo
difficilior eſt diſpenſatio, & gravior ad eam requi-
ritur cauſſa: unde difficilius diſpenſatur in impedi-
mento conſanguinitatis, quam affinitatis, licet ſint
in eodem gradu; difficilius in gradu propinquiori,
quam remotiori; difficilius in impedimento hone-
ſtatis ex matrimonio, quam ex ſponſalibus; diffi-
cilius, & ſolum ob publicam cauſſam cum Diaco-
no, quam cum Subdiacono; difficilius cum Religio-
ſo profeſſo, quam cum Subdiacono ſeculari; diffi-
cilius ſi matrimonium necdum eſt contractum, quam
ſi contractum ſit juxta formam Trident.

Quod ſpectat ad ea, quæ licet apud Datariam
exprimenda ſint, non tamen exprimuntur apud Pœ-
nitentiariam: hæc ſunt numero quinque, quæ quam-
quam ex dictis colligi facile poſſunt, hic tamen
majoris claritatis gratia paucis repetam.

Itaque apud Pœnitentiariam exprimi non debent,
1. Nomen vel cognomen oratoris. 2. Nec nomen
Diœceſis. 3. Nec neceſſum eſt ut exprimatur gradus
propinquior, niſi ſit primus. 4. Neque etiam, juxta
aliquot quos ſupra appellavimus, exprimi neceſſario
debet copula, niſi habita fuerit ſub ſpe diſpenſatio-
nem facilius obtinendi: quia, inquiunt, declarationes
Sac. Congregat. quæ præviam copulam exprimi vo-
lunt, & aliæ ejuſdem generis, externum dumtaxat
forum reſpiciunt, niſi aliud exprimatur, ut bene ad-
vertit Corradus lib. VIII. c. 2. num. 53. ſed admiſſo
Corradi principio, negavimus ſupra conſequentiam.
Aliud eſt in Dataria, in qua exprimi debent, 1.
Nomen & cognomen oratorum ſine abbreviatione. 2.
Diœceſis originis, niſi partes in alia Diœceſi domici-
lium fixerint. 3. Duæ Diœceſes, ſi orator in una,
oratrix in altera commoretur. Hæc fuſiori ſtylo
tractanda eſſe duxi ob gravitatem materiæ; nunc
ad propoſitum reverti operæ pretium eſt.

V. Itaque aliter inſcribendæ ſunt litteræ, quibus a
Pœnitentiaria, aliter eæ quibus a Dataria petitur
diſpenſatio; & quamvis abſolute loquendo ſufficiat
ut impedimentum & diſpenſandi cauſſa clare, niti-
de & ſine ambagibus explicetur; expedit tamen ut
conſuetus in Curia *Supplicandi* ſtylus ſervetur. Is
porro ſic ſe habet:

In ſupplicatione ad obtinendam pro foro interno
diſpenſationem, Supplicationis inſcriptio extra ſeu
a foris apponenda, non ſit ad Papam, ſed ad Ma-
jorem Pœnitentiarium, qui unus eſt e S. R. E.
Cardinalib. in hunc modum:

EMINENTISS. ET REVERENDISS. D. D. CARD.
MAJORI POENITENTIARIO.

*Romam.*

Intus autem his incipit verbis Epiſtola, ſeu ſup-
plicatio.

*Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine.*

TUm proceditur ad expoſitionem impedimenti;
circa quam notandum, quod ſi unus dumtaxat
conjugum ſit conſcius impedimenti ex delicto oc-
culto, ut plerumque ſe res habet, non ambo con-
juges vel ſponſi plurali numero, ſed reus in ſingu-
lari, ficto nomine, ſupplicat his ferme verbis, quæ
petitionem diſpenſationis ſuper impedimento affini-
tatis ante contractum matrimonium continent, quæ-
que aliis diſpenſationum ſupplicationibus accommo-
dari facile poſſunt.

*Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine.*

E*Xponitur humiliter Eminentiæ veſtræ pro parte
devoti illius oratoris N.* (vel Titii, aut alte-
rius ficto nomine expreſſi) *quod poſtquam idem ora-
tor carnaliter cognovit Fabiam, poſtea ignarus im-
pedimenti, bona fide* (vel conſcius impedimenti)
*tractatum habuit de contrahendo matrimonio cum
ſorore dictæ Fabiæ: cum autem dictum impedimen-
tum ſit occultum, tractatus vero ſit publicus, &
niſi ad effectum deducatur, ſcandala exinde vero-
ſimiliter exoritura ſint, cupit orator ad vitanda
ſcandala, & pro conſcientiæ ſuæ quiete de præ-
miſſis, de quibus ſumme dolet, abſolvi, & ſecum
diſpenſari. Quare Eminentiæ veſtræ humiliter ſup-
plicat, ut ſuper his de opportuno remedio auctori-
tate Apoſtolica providere dignetur.*

*Dignetur Eminentia veſtra reſponſum dirigere
N. ad me infraſcriptum.* Hic exprimendum eſt no-
men & cognomen illius ad quem reſcribendum eſt;
nomen item oppidi vel civitatis ad quam, vel
per quam reſcribendum eſt, & hæc quidem vulga-
ri lingua.

Cum autem diſpenſationis executio committatur
ſolum Doctoribus in Theologia, vel Jure Canonico;
ſi neuter haberi facile poſſit, id addere debet ſolli-
citator, & rogare, ut aliis committatur executio diſ-
penſationis, his ſimilibus verbis: *Et quia in oratoris
loco nullus reperitur Confeſſarius, Theologiæ Magi-
ſter, vel Canonum Doctor, vel alius ad exequen-
dum privilegiatus, dignetur Eminentia veſtra pro-
videre, & diſponere, ut etiam alius exequi va-
leat,*



*leat*, præſertim Parochus, aut etiam ſimplex Con-
feſſarius, cui pœnitens ſuam aperuit conſcientiam,
vel cui majorem haberet aperiendi fiduciam; ne
ipſe pœnitens, & præcipue feminæ huc & illuc ad
diſpenſationis executionem circumire cogantur. Hæc
facultas ad Confeſſarium etiam non Doctorem recur-
rendi facile conceditur in caſibus, qui parum ha-
bent difficultatis, & feminis præſertim. Religioſi
Mendicantes, Jeſuitæ, etiamſi Doctores non ſint,
brevia Pœnitentiariæ exequi poſſunt, & Presbyteri
Congregat. Miſſionis.

Aliam ſupplicationis methodum breviorem & cer-
tam proponunt alii, cujus hic exemplum ſubjicere
placeat.

*Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine.*

T*Itius N. Laicus, conſcius* (*vel ignarus*) *impe-
dimenti, contraxit in facie Eccleſiæ matrimo-
nium cum muliere, cujus matrem* vel *filiam* vel *ſo-
rorem prius carnaliter cognovit; quare cum abſque
ſcandalo ſeparari non poſſint, & impedimentum ſit
occultum, humillime ſupplicat pro abſolutionis &
diſpenſationis remedio, dignetur &c.* Quod ſi quis
ad ipſum Majorem Pœnitentiarium ſcribere nolit,
ſcribere poteſt ad unum ex Procuratoribus generali-
bus Ordinum, qui ut monet Reinffeſtuel lib. IV. in
Append. n. 433. munus hoc Dei intuitu libenter ſu-
ſcipiunt, cum de ſola Pœnitentiaria agitur: is au-
tem talium litterarum eſt ſtylus, quem in diſpenſa-
tione a voto ſimplici caſtitatis exprimam. *Admo-
dum Reverende in Chriſto pater. Quod gravia &
copioſa A. R. Paternitatis tuæ negotia interpellem, ur-
get caritas proximi. Siquidem Bertha votum ſimplex
perpetuæ caſtitatis emiſit, ſed cum de facto orbata
ſuis parentibus, variis exponatur incontinentiæ pe-
riculis, ita ut continenter ſe vivere poſſe diffidat,
enixe rogat diſpenſationem ad effectum nubendi, ut
ſibi debitum conjugale & exigere, & reddere li-
ceat. Quare humillime rogat, & ego cum ipſa, di-
gnetur A. R. Paternitas tua neceſſariam diſpenſatio-
nem pro foro interno apud S. Pœnitentiariam amore Dei
& proximi procurare, & obtentam mihi tranſmit-
tere. Deus omnis caritatis largiſſimus retributor,
dabit mercedem, quæ ut copioſa ſit exiguas preces
meas promitto, & humillime me commendo. Pari-
ſiis 14. Maji 1746. A. R. Paternitatis ſervus in
Chriſto addictiſſimus Petrus N.* Exterius vero ſcribi-
tur vel italice, vel latine, *Admodum Reverendo
Patri Procuratori generali Ordinis Franciſcanorum
Reformatorum. Romam.* Ubi nota, quod præter
Majorem Pœnitentiarium, qui ſemper eſt Cardina-
lis, tres eidem ſubordinati in præcipuis tribus Ro-
mæ Baſilicis conſtituti ſint Pœnitentiarii, qui Mi-
nores vocantur; nempe in Vaticana olim Patres Soc.
Jeſu, in Lateranenſi PP. Franciſcani Reformati, &
in Liberiana, ſeu ad S. Mariam Majorem, PP.
Dominicani.

Olim, ait auctor Collat. Andeg. uſus erat ut lit-
teræ ad Majorem Pœnitentiarium ſcriptæ per curſo-
rem publicum Romam mitterentur: nunc autem, in-
quit, ſigillo clauſæ reponi debent in manibus Banca-
rii, & eadem via recipitur reſponſio. Quo nixus
fundamento hæc aſſerat, & unde nata ſit hæc diſci-
plinæ mutatio detegere non potui. Contrarium ex-
preſſe docet Illuſtr. Epiſcopus Tutelenſis tom. 3. ſuæ
ſeptem Sacramentorum expoſitionis pag. 414. ubi no-
tat poſſe ſcribi vel ad amicum, vel ad alicujus
Ordinis Procuratorem, vel, quod facilius eſt, ad
ipſum immediate Majorem Pœnitentiarium, ſoluto
prius Epiſtolæ portu. Aliud eſt in diſpenſationibus
a Dataria conceſſis, quæ ſub nullitatis pœna Expe-
ditionariorum miniſterio ſecundum Regis edicta ob-
tineri debent.

Cum diſpenſatio petitur a Dataria, ſupplices lit-
teræ diriguntur ad Papam; unde interius Epiſtola his
incipit verbis: *Beatiſſime Pater*; exterius autem in-
ſcriptio eſt *ad Summum Pontificem*. Etſi in Gallia
inutile eſt noſſe, qua forma ad Pontificem ſcribi de-
beat, cum ut mox dixi, cura hæc ſolos Bancarios
reſpiciat; quia tamen noſtrum hoc opus prodeſſe po-
teſt extraneis, a quibus jam prelo ſubjectum eſt,
placet hic exemplum dare ſupplicæ ſeu Epiſtolæ ad
Papam pro diſpenſatione impedimenti publici con-
ſcribendæ. Supponemus cauſſam diſpenſandi eſſe tum
inſufficientiam dotis, tum anguſtiam loci, qui qui-
dem locus nominari debet vernacula lingua, niſi
ſatis latina expreſſus intelligatur.

*Beatiſſime Pater.*

Pariſiis.

*Exponitur humiliter Sanctitati veſtræ pro parte
devotorum illius oratorum Petri Tollet Diœceſis Ble-
ſenſis, & Margaritæ Gautier Diœceſis Pariſienſis ex
oppido Argentovil, quod cum dicta oratrix dotem
habeat minus competentem, juxta ſtatus ſui condi-
tionem, cum qua, uti & propter anguſtiam dicti
loci, virum non conſanguineum* (*vel non affinem*)
*paris conditionis cui nubere poſſit, invenire nequeat,
& dictus orator, qui in memorato oppido domici-
lium fixit, cum dicta minus competenti dote ora-
tricem in uxorem ducere intendit, & ſi extra dictum
locum nubere cogeretur, dos quam ipſa habet, non
eſſet competens neque ſufficiens, ut virum paris con-
ditionis invenire valeat,* loco hujus cauſſæ, alia
quæcumque, modo vera, & alioqui ad diſpenſatio-
nes ſufficiens, allegari poteſt, v. gr. extinctio litis,
aliunde tamen, quam ex cauſſa matrimonii ortæ, de-
vitatio infamiæ vel ſcandali, dignitas perſonarum,
bona in Eccleſiam merita &c. nec unquam ſupprimi
debet copula notoria, cum ejus expreſſio certo ne-
ceſſaria ſit, ſi habita fuerit ſub ſpe diſpenſationis fa-
cilius obtinendæ, & admodum probabiliter neceſſaria
etiam extra hujus nefariæ intentionis caſum, ut ſu-
pra diximus. Tum vero ſic continuatur: *Quia vero
tertio & quarto gradu conſanguinitatis conjuncti*
(hic ponitur impedimentum unum vel multiplex)
cum omnibus circumſtantiis neceſſario exprimendis)
*deſiderium ſuum in hac parte adimplere non poſ-
ſunt, humiliter ſupplicant Sanctitati veſtræ, qua-
tenus cum iiſdem oratoribus, quod impedimento
quarti* (*vel tertii & quarti*) *conſanguinitatis gra-
dus hujuſmodi non obſtante, matrimonium inter ſe
ſervata forma Concilii Tridentini contrahere, illud-
que in facie Eccleſiæ ſollemnizare, & in eo poſtmo-
dum remanere libere, & licite valeant, diſpenſare,
diſtantiam vero tertii gradus prædicti eis non obſtare
de-*

*declarare, prolemque ſuſcipiendam exinde legitimam nuntiare dignémini de ſpeciali gratia, non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque cum clauſulis.*

Qui ſingulorum prædictæ & alterius cujuſcumque ſimilis ſupplicæ terminorum notitiam & rationem habere volet, conſulat pyrrhum Corradum lib. 1. praxis diſpenſat. Apoſtolic. c. 1.

Si partes in forma pauperum diſpenſari velint, Parochus eorum paupertatis fidem facere debet apud Epiſcopum, ejuſve Vicarium Generalem, qui eam ad Apoſtolicam Sedem his verbis tranſmittat.

*Nos ... Illuſtriſs. ac Reverendiſs. N. Epiſc. N. Vicar. Gener. vel Officialis.*

*Fidem facimus & atteſtamur, Joan. N. & Luciam N. hujus N. Diœceſis, ades pauperes, & miſerabiles exiſtere, quod ex labore & induſtria ſua tantum vivunt; prout ex fide Parochi, aliorumque fide dignorum teſtimonio nobis conſtare fecerunt, in cujus rei teſtimonium præſentes fieri fecimus, manu noſtra ſubſcriptas, noſtroque Sigillo munitas. Pariſiis, die & anno &c.* Ita Corradus lib. 8. cap. 5. num. 18.

## ARTICULUS II.

### *De executione diſpenſationis.*

Diſpenſatio, vel eſt a Pœnitentiaria, vel a Dataria. Unaquæque diverſos habet executores: prima quidem Confeſſarios, ſecunda vero Epiſcopum, ejuſve Vicarios Generales. De utriſque ſeorſim dicendum.

Quod ad Confeſſarios attinet, diſpenſatio ad eos a Majori Pœnitentiario directa exterius his inſcribitur verbis: *Diſcreto viro N. Confeſſario Theologiæ Magiſtro (vel decretorum Doctori) ex approbatis ab Ordinario per latorem, vel latricem pœnitentem eligendo ad infra ſcripta ſpecialiter deputato.*

Intus vero explicatur & impedimentum, & ejuſdem relaxandi ratio. Quod ut diſtinctius intelligatur duo proponemus exempla, aliud quidem diſpenſationis ad contrahendum, aliud vero diſpenſationis ad manendum in contractu. Prius ſic habebit ut plurimum:

*Lucius miſeratione divina Epiſcopus N. S. R. E. Cardinalis N.*

*Diſcreto viro Confeſſori ... Salutem in Domino. Ex parte latoris præſentium nobis oblata petitio continebat, quod ipſe de matrimonio contrahendo tractavit cum muliere, quam, & cujus matrem carnaliter cognovit. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicta carnalis cognitio cum præfata mulieris matre ſit occulta, & niſi lator cum dicta muliere matrimonium contrahat, periculum immineat ſcandalorum: ideo ad dicta ſcandala evitanda, & pro ſuæ conſcientiæ quiete cupit per Sedem Apoſtolicam abſolvi, ſecumque diſpenſari. Quare ſupplicavit humiliter, ut ſibi ſuper hoc de opportuno remedio providere dignaremur. Nos diſcretioni tuæ committimus, quatenus, ſi eſt ita, dictum latorem, audita prius ejus ſacramentali confeſſione, ac ſublata occaſione amplius peccandi cum dicta muliere matre, ab inceſtu, & exceſſibus hujuſmodi abſolvas hac vice in forma Eccleſiæ conſueta: injuncta ei pro tam enormis libidinis exceſſu gravi pœnitentia ſalutari; & aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum ex præmiſſis proveniens occultum ſit, & aliud canonicum non obſtet, cum eodem latore quod præmiſſis non obſtantibus matrimonium cum dicta muliere, & uterque inter ſe publice, ſervata forma Concilii Tridentini, contrahere, & in eo poſtmodum remanere licite valeat miſericorditer diſpenſes, prolem ſuſcipiendam exinde legitimam pronuntiando in foro conſcientiæ, & in ipſo actu Sacramentalis Confeſſionis tantum & non aliter, neque ullo alio modo, ita quod hujuſmodi abſolutio, & diſpenſatio in foro judiciario nullatenus ſuffragentur. Nullis ſuper his teſtibus adhibitis, aut litteris datis, ſeu proceſſibus confectis, ſed præſentibus laceratis, quas ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ lacerare tenearis, neque eas latori reſtituas, quod ſi reſtitueris, nihil ei præſentes litteræ ſuffragentur. Datum Romæ &c.*

Poſterius reſcriptum ad remanendum in contractu, fere ejuſdem erit tenoris, unde diſcrimina referre ſufficiet.

*Lucius &c. Diſcreto viro &c. Ex parte viri latoris præſentium nobis oblata petitio continebat, quod ipſe alias matrimonium publice in faciem Eccleſiæ contraxit, & ſucceſſive conſummavit cum muliere, cujus matrem antea carnaliter cognoverat. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dictus lator ob impedimentum ex præmiſſis proveniens, quod occultum eſt, in dicto matrimonio remanere nequeat abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, ad evitanda ſcandala, quæ, ſi divortium fieret inter ſe & prædictam mulierem, exorirentur, cupit a præmiſſis, de quibus plurimum dolet, abſolvi, ſecumque deſuper diſpenſari. Quare ſupplicavit humiliter &c. Nos igitur .... diſcretioni tuæ committimus, quatenus ſi ita eſt, dictum latorem audita prius &c. a quibuſvis ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, quas propter præmiſſa quomodolibet incurrit, inceſtu & exceſſibus hujuſmodi abſolvas .... injuncta ei pro tam enormis libidinis exceſſu gravi pœnitentia ſalutari, ac confeſſione Sacramentali ſemel quolibet menſe per tempus arbitrio tuo ſtatuendum; & aliis injunctis quæ de jure fuerint injungenda. Demum dummodo impedimentum præfatum occultum ſit, & ſeparatio inter latorem & dictam mulierem fieri non poſſet abſque ſcandalo, & ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timendum ſit, aliudve canonicum non obſtet, cum eodem latore, ut dicta muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata, ſed ita caute, ut latoris delictum nuſquam detegatur, matrimonium cum eadem muliere, & uterque inter ſe de novo ſecrete ad evitanda ſcandala prædicta non obſtantibus contrahere, & in eo poſtmodum remanere licite valeat, miſericorditer diſpenſes: prolem ſuſceptam, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam exinde legitimam decernendo in foro conſcientiæ, &c.* ut ſupra.

In diſpenſationibus, aut commutationibus votorum ſimplicium caſtitatis aut Religionis quæ quis vel tranſgrederetur, vel jam tranſgreſſus eſt, matrimonium con-



contrahendo, peculiares quædam clauſulæ adduntur in hunc modum.

*Nos diſcretioni tuæ committimus, quatenus ſi eſt ita, dictum latorem &c. abſolvas, injuncta ei pœnitentia ſalutari, atque votum præfatum, ad hoc tantum ut matrimonium legitime contrahere, & in eodem debitum conjugale exigere & reddere licite valeat, in Sacramentalem confeſſionem ſemel quolibet menſe, & in alia pœnitentiæ opera perpetuo per te injungenda, inter quæ ſint etiam aliqua (Religionis quam ingreſſurus fuiſſet) quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, ut ea adimplens meminiſſe ſemper poſſit obligationis, qua hujuſmodi voto aſtringebatur, prout, ſecundum Deum, ipſius animæ ſaluti expedire judicaveris, diſpenſando commutes, in foro conſcientiæ tantum &c.*

Ut in his quæ juniori Confeſſario, & ſeniori quandoque moram facere poſſunt, tuto procedatur, eas prædictorum reſcriptorum partes explicabimus, quæ aliquid difficultatis habent. Sed expoſitioni huic præmittenda eſt expoſitio alia breviaturarum communium, quæ in litteris Sacræ Pœnitentiariæ apponi ſolent.

UANL
NOMA DE NUEVO LEÓN ®
AL DE BIBLIOTECAS

| | |
|---|---|
| **A** | |
| alr | Aliter |
| als | alias |
| Aplica | Apoſtolica |
| appbatis | approbatis |
| aucte | auctoritate |
| **C** | |
| Cardilis | Cardinalis |
| canice | canonice |
| cen. | cenſuris |
| confeone | confeſſione |
| coione | communione |
| conſciæ | conſcientiæ |
| **D** | |
| diſcreoni | diſcretioni |
| Dnus | Dominus |
| **E** | |
| Eccleæ | Eccleſiæ |
| effus | effectus |
| exit | exiſtit |
| Eclis | Eccleſiaſticis |
| Epus | Epiſcopus |
| **F** | |
| fr | frater |
| frum | fratrum |
| **G** | |
| gnrali | generali |
| **H** | |
| humoi | hujuſmodi |
| humlr | humiliter |
| **I** | |
| infraptum | infraſcriptum |
| irregulte | irregularitate |
| igr | igitur |
| intropta | introſcripta |
| **L** | |
| lia | licentia |
| ltima | legitima |
| lræ | litteræ |
| lite | licite |
| **M** | |
| mrimonium | matrimonium |
| magro | magiſtro |
| mione | miſeratione |
| mir | miſericorditer |
| **N** | |
| nultus | nullatenus |
| **O** | |
| ordio | ordinatio |
| **P** | |
| PP. | Papa |
| Pr. | Pater |
| Pontus | Pontificatus |
| ptus | prædictus |
| ptur | præfertur |
| ptium | præſentium |
| Pbter | Presbyter |
| Pbricidia | Presbytericida |
| pœnia | pœnitentia |
| Pœniaria | Pœnitentiaria |
| poe | poſſe |
| ptor | procurator |
| **Q** | |
| qtenus | quatenus |
| qmlbet | quomodolibet |
| qd | quod |
| **R** | |
| relari | regulari |
| relione | religione |
| Roma | Romana |
| **S** | |
| Sctæ | Sanctæ |
| ſaluri | ſalutari |
| ſentia | ſententia |
| ſpealr | ſpecialiter |
| ſupplioni | ſupplicationi |
| ſpualibus | ſpiritualibus |
| **T** | |
| tn | tamen |
| tm | tantum |
| Thia | Theologia |
| tli | tituli |
| **V** | |
| venebli | venerabili |
| vræ | veſtræ |

Nunc



Nunc enucleandæ veniunt clauſulæ, quarum obſervatio neceſſaria eſt ut Confeſſarius reſcriptum valide aut licite exequatur.

*Diſcreto viro Doctori &c.* Non ergo ſufficit ut quis ſit vel Licentiatus in Theologia, aut jure civili aut jure Canonico, vel utriuſque Profeſſor vel Doctor in jure Civili, vel ut reipſa doctus ſit, vel ut ex errore communi Doctor exiſtimetur, vel ut Magiſter in religione ſua appelletur, niſi vere ad Magiſterii ſeu Doctoratus gradum in Univerſitate aliqua erectus ſit; unde in his caſibus diſpenſatio ſuo fruſtratur effectu (1). Hæc ſcribens audio Brevia pœnitentiariæ nunc non dirigi ad Doctores. Excipiebantur ab hac regula PP. Societatis & Religioſi Mendicantes, & qui per participationem Privilegiis *eorum fruebantur*. Item & ſimplices Confeſſarii, qui executionem diſpenſationis ſibi delegari precati ſunt & obtinuerunt. Vide Sanchez l. VIII. diſp. 24. qui n. 21. bene advertit quod ſi litteræ aperiuntur ab eo, qui Magiſterii gradu inſignitus non fuerit, non ideo careant effectu, modo a Doctore etiam inducto executioni mandentur. *Ex approbatis ab Ordinario*. Unde doctor, qui actu approbatus non eſt, licet alias vel alibi approbatus fuerit, diſpenſationem exequi non poteſt. Si reſcriptum ſit in favorem Religioſi, ſufficit ut Confeſſarius ab eo eligendus ſit approbatus a ſuperiore Ordinis, qui reſpectu Religioſorum ſuorum vices Ordinarii gerit. Si agatur de Moniali, debet hæc eligere Confeſſarium ex approbatis pro Monialibus. Circa quod duo notat Tiburtius Navar. pag. 15. 1. Non requiri ut Confeſſarius approbatus ſit *pro Monaſterio, in quo degit* ea Monialis. 2. Hujuſmodi commiſſiones aliquando committi Confeſſariis ex approbatis ab Ordinario, etiamſi non ſint approbati pro *Monialibus*, nimirum ut *Moniales habeant libertatem confitendi cuilibet*. Verum multo decentius & tutius eſt, ut quis ſpecialem ad audiendas Moniales approbationem poſtulet ab Ordinario; quam quidem ad breve tempus & generatim, ne quid naſcatur ſuſpicionis, efflagitare poteſt.

Age jam & interiores reſcripti clauſulas interpretemur, quæ ſerio penſari debent.

Prima eſt iſta: *quatenus ſi ita eſt*, vel ut olim dicebatur, & etiam cum omiſſum eſt, utcumque ſubaudiri debet; *quatenus ſi ita eſſe per diligentem oratoris examinationem, ac poſt monita & conſilia opportuna illi præſtita inveneris &c.* Circa clauſulas iſtas quædam ſunt annotanda, & quidem

1. Monita hæc, & conſilia in eo ſita eſſe, quod Confeſſarius pœnitentem adhortetur, ut veritatem ſincere, & coram Deo explicet; quod exiſtimo neceſſarium non eſſe ſi pœnitentis probitas, & religio Confeſſori jam notæ ſint. (2)

2. Confeſſarium teneri in conſcientia, & ſub gravi peccato rei fundum, & circumſtantias indagare, ſcrutari, inveſtigando ſcilicet an impedimentum, quod Pœnitentiariæ propoſitum eſt, occultum ſit; & an ex diſpenſationis denegatione oritura ſint incommoda, quæ alioqui ſecutura eſſe declaravit Orator; uno verbo, an preces veritate nitantur, & an a parte rei ſubſiſtat cauſa finalis quæ Pœnitentiariam movet ad diſpenſandum, & qua ſecluſa non diſpenſaret. Hoc autem examen quandoque ſatis facile eſt, quandoque difficile, nec ſemper reipſa ſufficiunt, quæ prima fronte ſufficere videntur. Unde ſi qui ut a caſtitatis voto liberaretur, expoſuit ſe *ſtimulis carnis adeo agitari, ut continenter vivere poſſe non ſperet*, non ſufficit vel ſola tentatio, vel juxta aliquos, periculum unius, aut alterius tranſgreſſionis; tunc enim adhuc utile eſt votum, ut voventem contineat ne ita facile labatur. Requiritur ergo, ait Sanchez, vel periculum, quod oriatur ex ipſo voventis ſtatu, qui v. gr. conjugatus ſit, vel tanta implendi voti difficultas ſive ob habitum, ſive ob vehementiam tentationis, ut probabiliter judicetur votum & violandum ſæpius fore, & non vitandis, ſed augendis peccatis inſerviturum eſſe. Ita poſt Navarrum cit. Sanchez l. VIII. diſp. 20. n. 10. Facile tamen crediderim eum, qui conjugem ducere poteſt, cujus uſu concupiſcentiam refrænet, poſſe voti diſpenſationem ſollicitare, cum graviter tentatur, & immineat probabile vel lapſus unius periculum; juxta id Cypriani Epiſt. 62. edit. Pamel. *Si autem perſeverare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt nubant, quam in ignem delictis ſuis cadant*: & ita docet Pontas V. diſp. de Vœux, caſ. 6. Quædam hic moventur dubia. 1. An qui ſine examine diſpenſationem executus eſt, valide executus fuerit. 2. An ſi Confeſſarius cui præſentatum eſt reſcriptum diſpenſationis, idem judicet ſubreptitium, poſſit alius adiri, qui contra ſentiat. 3. Cui credendum ſit cum verificandum eſt, an preces veritate nitantur.

*Reſp.* Ad 1. Certum eſt ſi facti veritas Confeſſario nota ſit, non opus eſſe examine. 2. Si Confeſſor veritatis minime conſcius ſine prævio examine diſpenſet, cenſet Sanchez etiam poſita facti veritate, invalidam eſſe diſpenſationem; quia, inquit, verba hæc: *ſi ita eſſe per diligentem examinationem inveneris*, induunt formam, qua minime obſervata, corruit tota commiſſionis validitas. Aliud eſſet, teſte eodem ibidem n. 26. ſi ſimpliciter diceretur: *Diſpenſo, ſi ita eſt*. Ex quo colligo valere hodie diſpenſationes ſine examine, non tamen ſine facti veritate conceſſas: quia nunc uſus eſt ut ſolum ſcribatur *ſi ita eſt*, vel *ſi preces veritate nitantur*. Graviter tamen peccaret, qui ſerium veritatis facti examen culpate omitteret,

(1) *Cum dirigitur Confeſſario Magiſtro in Theologia, vel Decretorum Doctori diſpenſatio, requiritur laurea Theologiæ, vel Juris Canonici in publica Univerſitate; nec aperiri illæ litteræ poſſunt a ſimplici Regulari Confeſſario, niſi tamen Religio illa privilegium aliquod ea de re obtinuerit.* Lambertinus Inſtit. Eccl. 87. §. 11.

(2) *Executor certiorem ſe reddere debet de veritate cauſarum, ex quibus obtenta diſpenſatio eſt: non tamen requiſitis aliunde teſtimoniis, ſed ipſum diſpenſandum interrogans, niſi aliquam ipſe eamdem veritatem reſciſſet: nec tenetur illum ſub juramento interrogare, ut eſt communis Doctorum ſententia.* Idem ibid. §. 34.

*Si tamen falſa narrare diſpenſandum ſciverit: non poteſt ad diſpenſandum procedere, niſi id ſciret ex præcedentibus diſpenſandi confeſſionibus.* ibid.

teret, cum ſuper hoc conſcientia ejus a Pontifice oneretur.

*Reſp.* Ad 2. Licitum eſſe pœnitenti ab uno Confeſſario ad alium recurrere, modo non eo fine ut laxiorem inveniat aut eruditum minus, qui libidini ſuæ faveat. Poteſt etiam Confeſſarius, re propius expenſa, a priori ſua opinione recedere. Neutrum juxta Sanchez l. VIII. diſp. 27. num. 38. licet Officialibus erga diſpenſationes a Dataria conceſſas. Non primum, quia ex l. 10. ff. *De judiciis*, ubi ſemel cœptum eſt judicium, ibi terminari debet: idque verum eſt, etiamſi Officialis, cui priori præſentatum eſt reſcriptum, in alterius electionem conſentiret. Non ſecundum, quia perimitur juriſdictio Judicis delegati ſtatim ac ſententiam definitivam tulit, etiamſi ferendo erraverit: ergo, ait idem Sanchez, non poteſt variare, ac proinde in utroque caſu recurrendum eſt ad Pontificem, qui alium deleget, ſed de his judicent Officiales. Unum hic monere ſufficiat cum auctore coll. Andeg. & Illuſt. Epiſcopo Tutelenſi, Confeſſarii onus non eſſe ut expendat an expoſitio Papæ facta vere ſufficiens ſit ad obtinendam diſpenſationem, ideoque an in hoc caſu concedi debuerit diſpenſatio, ſed tantum an res eo ſe habeant modo, quo Pontifici expoſitæ fuerunt.

*Reſp.* Ad 3. Credendum eſſe pœnitentis aſſertioni, cum in foro pœnitentiæ confitetur, nec adhibeantur, nec adhiberi poſſint teſtes, nec ullus confici proceſſus judicialis, prout ejuſdem Pœnitentiariæ reſcriptum declarat. Quod ſi Confeſſarius aliunde novit, rem non ita eſſe ut expoſita eſt, non debet diſpenſationem exequi, quidquid in contrarium aſſerat pœnitens; niſi forte id ex alterius confeſſione reſcierit; quo in caſu quid faciendum ſit docent Theologi agendo de ſigilli obligatione in Tract. de Poenit.

Secunda clauſula hæc eſt: *audita prius ejus ſacramentali confeſſione*; unde neceſſe eſt ut lator peccata, ſaltem ea, quæ a poſtrema confeſſione commiſit, deponat apud confeſſarium reſcripti executorem: idque verum eſt, ait Navarrus p. 20. etiamſi diſpenſatio concederetur in materia, quæ nullum poenitentis delictum ſupponit, puta in irregularitate orta ex defectu natalium. Haud tamen neceſſe eſt ut vel mortalia, vel ea quæ circa materiam diſpenſationis commiſit peccata, confiteatur, ſi hæc jam apud alium, vel eumdem Confeſſarium depoſuerit: qui enim venialia ſolum habens, venialia deponit, prædictam clauſulam verificat, & adimplet. Cenſet quidem Sanchez l. VII. diſp. 54. num. 19. Confeſſionem non neceſſario requiri ad hoc ut diſpenſatio valide executioni mandetur; ſed abſit ut in materia tanti momenti pars minus tuta propter meras probabilitates teneatur.

Tertia clauſula eſt: *ſublata occaſione peccandi &c.* Quæ verba demonſtrant poenitentem nec ante abſolvendum, nec ante diſpenſandum eſſe, quam abſtulerit occaſionem peccandi, voluntariam quidem de facto; neceſſariam autem animo, & corde: de quo vide S. Anton. de poenit. c. 3. art. 5. pag. 6.

Quarta clauſula eſt: *injuncta ei . . . gravi pœnitentia*: quæ quamvis a Confeſſarii diſcretione & perſonarum ſtatu dependeat, ait Navarrus, pag. 18. poſſet tamen eſſe jejunium per ſex menſes, ſemel qualibet hebdomada; recitatio tertiæ partis Roſarii per tres menſes, tribus diebus qualibet hebdomada, vel aliquod aliud pietatis opus arbitrio ipſius Confeſſarii imponendum, frequens præſertim confeſſio, uſus meditationis, & ſimilia quæ cor potentius afficiunt; conſideratis ſemper ſtatu, qualitate, ſexu, & ætate poenitentis, & advertendo, quod poenitentia ſit ita prudenter impoſita & moderata, ut nuſquam poenitentis delictum detegi poſſit. Utique ſi poenitens in aliis confeſſionibus jam antea rite factis, poenitentiam crimini, propter quod diſpenſari voluit, parem recepit & executus eſt, erit hujus præviæ ſatisfactionis habenda ratio: unde Confeſſarius pœnitentias Brevi Romano præſcriptas moderari & temperare debebit, ſic tamen ut modum temperans ſubſtantiam ſervet. Huic clauſulæ aliam ſubſtituit Poenitentiaria; cum agitur de relaxatione voti, eaque his quæ jam retuli verbis continetur, *ſibique votum præfatum ad hoc tantum* &c. ut ſupra, quæ paullo fuſius explicanda ſunt.

1. Itaque monendi ſunt a Confeſſario poenitentes a votis diſpenſandi, diſpenſationem non niſi ad contrahendi matrimonii effectum concedi, unde eo uſque tenentur voto. Quapropter ſi in gravi incontinentiæ periculo verſentur, hortandi ſunt ut quamprimum matrimonium ineant, ne interim multiplicentur voti tranſgreſſiones. Quod ſi poſt contractum matrimonium adverſus caſtitatem conjugalem peccent, ex hac parte voti tranſgreſſores erunt, utpote quod nonniſi in ordine ad matrimonii uſum relaxatum fuerit.

2. Cum diſpenſationi a Poenitentiaria conceſſæ annexa ſit quædam ſpecies commutationis in *Sacramentalem confeſſionem* ſemel quolibet menſe hoc menſtruæ confeſſionis onus a Confeſſario poenitenti imponendum eſt.

3. Cum additur voti commutationem faciendam inſuper eſſe in *alia pœnitentiæ opera*, neceſſum eſt ut Confeſſarius præter menſtruam confeſſionem alia poenitenti imponat poenitentiæ opera, puta jejunium, aut abſtinentiam ab ovis, & lacticiniis feria ſexta, vel ſabbato; aut Officium aliquod parvum, v. gr. B. Mariæ Virg. item ſeptem pſalmos, & ſimilia. Cum autem *alia* hæc *pœnitentiæ opera* plurali numero exprimantur, debent ad minus eſſe duo: ſed & duo ſufficiunt, ne gravetur poenitens. Porro hæc pietatis opera *tamdiu duratura* ſunt ex reſcripto, *quamdiu prædictæ commutationi locus erit*. Ex quibus tria ſequuntur. 1. Obligationem prædictorum operum ab ea ſolum die incipere, quo orator contrahit, & conſummat matrimonium, quia non ante operatur diſpenſatio. 2. Sublato, per mortem alterius conjugis commutationis uſu, ceſſare ſingulas dictæ & mox dicendæ poenitentiæ partes, quia reviviſcit obligatio voti. 3. Id locum habere in diſpenſatione voti Caſtitatis, non autem voti Religionis amplectendæ, quia votum Caſtitatis diſſoluto per alterius mortem conjugio reviviſcit; non vero votum Religionis cujus proinde relaxationi, utpote perpetuæ, perpetua reſpondere debet poenitentia.

4. Cum adhuc præcipiatur, ut inter opera pietatis quædam *ſint etiam quæ pœnitens quotidie facere teneatur*, ut ſemper primævæ voti ſui obligationis meminerit; evidens eſt, præter mox expoſita pietatis opera (quorum prima non ſunt in perpetuum; ſecunda ſunt quidem in perpetuum, vel potius quamdiu commutationi locus erit, non tamen quotidiana) alia imponi debere quæ ſingulis diebus impleantur: Hæc autem & faciliora, & utiliora præſcribi debent, v. gr. lectio quotidiana brevis, breve conſcientiæ examen, oratio mentalis ad minus per quadrantem, aliquod caritatis opus in proximum juxta vires, fortunas, & ſtatum pœnitentis. Cum vero ea imponat Confeſſarius, monebit pœnitentem, ut dum ea exequitur, meminerit vinculi a quo diſpenſatus eſt, prout jubet ſacra Pœnitentiaria. Si diſpenſatio detur in voto Religionis, inter pœnitentiæ opera a Confeſſario præſcribenda, quædam eſſe debent (*Religioni quam pœnitens ingreſſurus fuiſſet*) *quæ quotidie facere teneatur* in memoriam voti. In hoc ordine ſunt geſtatio ſcapulæ Ordinis, recitatio quotidiana & quotuplex Orationis Dominicæ & Angelicæ ſalutationis; item Litaniarum quæ in ordine dicuntur, breve Conſcientiæ examen. Si diſpenſatus ſit in ſacris, habenda eſt ratio eorum ad quod jam tenetur: unde imponi ei poteſt commemoratio Sancti Inſtitutoris Religionis quam voverat cum Litaniis Deiparæ, aut brevi conſcientiæ examine. His addi poſſunt opera quædam ejuſdem generis, ſed haud quotidiana.

Quinta clauſula eſt: *& aliis injunctis quæ de jure fuerint injungenda*; hæc clauſula generalis eſt, & ſubauditur etiam non expreſſa. Ejus ſcopus eſt, ut ſi pœnitens in foro pœnitentiæ diſpenſandus, alia Confeſſario peccata declaret, ex quibus ad reſtitutionem alieni boni, denigratæ famæ reparationem, aliave ſimilia teneatur, hæc ei præcipiantur a Confeſſore, præter ſpeciales pœnitentias, de quibus modo actum eſt.

Sexta clauſula eſt: *dummodo impedimentum ſit occultum*, & hæc eſt conditio ſine qua non diſpenſat Pœnitentiaria; quæque, ait, Navarr. pag. 21. *ſemper eſt punctualiter obſervanda*. Unde ſi Confeſſarius ex pœnitentis examine agnoſcat factum eſſe *famoſum, vel manifeſtum, vel notorium facti vel juris*, ulterius ad executionem procedere non poteſt, etſi interim pœnitentem monere debeat, quid facto opus ſit. Quando autem & quatenus impedimentum debeat occultum judicari, colliges ex addendis in tractatu *de cenſur.* c. 5. quæſt. VIII. c. 2. pag. 345. edit. 1627.

Septima clauſula eſt: *aliudque canonicum*, impedimentum nempe, *non obſtet*: unde ſi partes alio impedimento ſive occulto ſive publico ligatæ ſint, rurſus ad ſacram Pœnitentiariam recurrendum erit pro occulto quidem, ut ejus diſpenſatio, nova prioris impedimenti mentione facta, ab eadem Pœnitentiaria impetretur; pro publico autem, ut ſignificetur eidem, partes impedimento hoc teneri a quo per Datariam diſpenſari ſatagent. Jam enim ſupra monuimus, Pœnitentiariam exigere ut publicum, quo partes vinciuntur, impedimentum ſibi pateſiat; neque vero aliter judicare poteſt, an non ſatius ſit ſpem quamcumque diſpenſationis adimere.

Octava ſic habet: *cum eodem lectore, quod præmiſſis non obſtantibus*; quibus indicatur, Confeſſarium, non obſtante præfato impedimento, & aliis, quæ Pœnitentiariæ expoſita ſunt, ad executionis gratiam devenire poſſe.

Nona hæc eſt; *matrimonium, ſervata forma Concilii Trid. contrahere, & in eo remanere licite valeant*. Id eſt prævia ſeu omiſſis de licentia Ordinarii denuntiationibus, coram Parocho & teſtibus, contrahere: & matrimonio uti, ac ſi nullo unquam impedimento ligati fuiſſent, adeo ut proles inde oritura pro legitima habenda ſit.

Decima: *in foro conſcientiæ, & in ipſo actu Sacramentalis confeſſionis tantum &c.* quæ verba de novo demonſtrant contra Sanchez, forum conſcientiæ, de quo hic agitur, eſſe ipſum Pœnitentiæ tribunal, extra quod gratia hæc a Confeſſario expediri non poteſt.

Undecima: *ita quod hujuſmodi abſolutio, & diſpenſatio in foro judiciali nullatenus ſuffragentur*. Unde ſi forte impedimentum ex occulto publicum fiat & in judicium deducatur, gratia Pœnitentiariæ in foro fori non ſuffragatur; adeoque tunc ad Datariam recurrendum eſſet: quamquam ſi pœnitens maritali jure uteretur ſine ſcandalo, non peccaret, ut qui vere coram Deo diſpenſatus fuerit, cum a Pœnitentiaria diſpenſari potuerit, quo tempore impedimentum erat occultum.

Duodecima: *Sed præſentibus laceratis &c.* ſcilicet quamprimum moraliter fieri poterit, eaque attentione ut nec reſcriptum, nec delictum pœnitentis cognoſci poſſit.

Decima tertia: *neque eas latori reſtituat, quod ſi reſtituerit, nihil ei præſentes litteræ ſuffragentur*, id eſt nunquam ei in foro fori ſuffragentur, quod tamen intendere videtur pœnitens qui has litteras ſibi reſtitui vellet. Interim, etſi graviter peccaret, & excommunicationem prædictis verbis latam incurreret Confeſſarius litterarum reſtitutor, ſemper valeret diſpenſatio rite ſemel & legitime executioni mandata.

Eædem clauſulæ iiſdem fere verbis repetuntur in reſcriptis ad remanendum in contractu, cum differentiis quibuſdam hic breviter exponendis.

Prima eſt: *a quibuſcumque ſententiis, cenſuris & pœnis*, quas ſcilicet pœnitens ſive de jure communi ſive ex ſpeciali locorum lege, ob inceſtus crimen incurrit, aut incurrere potuit.

Secunda eſt: *injuncta ei confeſſione ſacramentali ſemel quolibet menſe per tempus arbitrio tuo ſtatuendum*. Unde per duos ad minus menſes prædicta confeſſio injungi debet, & melius ad ſex menſes injungitur.

Tertia eſt: *& ſeparatio fieri non poſſit abſque ſcandalo, & ex cohabitatione de incontinentia timendum ſit*. Harumce clauſularum verificatio Confeſſorem torquere non debet, cum evidens ſit perſonas quæ palam pro legitimis conjugibus habentur, nec poſſe ſeparari ſine ſcandalo, nec ſecum invicem abſque gravi incontinentiæ periculo cohabitare.

Quarta eſt: *ut dicta muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata &c.* & hæc eſt clauſula tot tantiſque diſcriminibus obnoxia, quam anxie & pro modulo cum communi ſupra expoſuimus.

Quinta eſt: *matrimonium inter ſe de novo ſecrete . . . præmiſſis non obſtantibus contrahere*, id eſt ſine Parocho & teſtibus; adeo tamen ut pœnitens non prius in debiti redditionem conſentiat, quam præviam eo quo poterit meliori modo conſenſus renovatio-

tionem obtinuerit a parte impedimenti neſcia: alioqui enim fornicaretur, tametſi a reſcripti gratia non excideret.

Has clauſularum Pœnitentiariæ expoſitiones, quo certius iis pedem figat lector, deſumpſi tum ex Tiburtio Navarro, tum ex Syro Placentino, utroque Apoſtolicæ Sedis Pœnitentiario.

His omnibus mature ponderatis & præſtitis, Confeſſarius poſt datam in forma ſolita abſolutionem a Cenſuris & peccatis, gratiam Apoſtolicam his exequetur verbis, mutato ut evidens eſt impedimentorum nomine.

*Et inſuper auctoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata diſpenſo tecum ſuper impedimento primi (ſeu ſecundi, ſeu primi & ſecundi) gradus ex copula illicita a te habita cum ſorore mulieris, cum qua contrahere intendis, proveniente: ut præfato impedimento non obſtante, matrimonium cum dicta muliere, publice, ſervata forma Concilii Trid. contrahere, conſummare & in eo remanere licite poſſis & valeas. In nomine Patris* &c.

*Inſuper eadem auctoritate Apoſtolica prolem, quam ex matrimonio ſuſceperis, legitimam fore nuntio & declaro. In nomine Patris* &c. *Paſſio Domini noſtri* &c. ut poſt finem conſuetæ confeſſionis.

Si diſpenſatio detur ad remanendum in contracto, forma hæc erit: *& inſuper diſpenſo tecum ſuper impedimento primi affinitatis gradus ex copula illicita, quam cum ſorore tua putatæ conjugis antea habuiſti, ut illo non obſtante, renovato conſenſu cum præfata conjuge, matrimonium cum illa contrahere* &c.

*Et pariter eadem auctoritate Apoſtolica prolem, ſi quam ſuſcepiſti, & ſuſceperis, legitimam fore decerno & declaro* &c. ſi diſpenſatio ſit a voto caſtitatis, dicitur: *inſuper tibi votum caſtitatis quod emiſiſti, ad effectum ut matrimonium contrahere, & debitum conjugale reddere & petere licite poſſis, & valeas, in opera quæ tibi præſcripſi, diſpenſando commuto. In nomine* &c. Eadem pene eſt forma diſpenſationis a Religionis voto, in ordine ad matrimonium: quod ſi quis diſpenſatus ſit, dummodo cælibem vitam ducat, non dicitur *ad effectum contrahendi matrimonium*: bene vero *ad effectum remanendi in ſæculo in vita cælibe*.

Si quis non obſtante caſtitatis voto matrimonium inierit, dicitur: *item te, non obſtante caſtitatis voto, quod emiſiſti, & tranſgreſſus fuiſti, in dicto matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere poſſe, & debere declaro, & ut idem debitum etiam exigere licite poſſis, & valeas, tecum eadem auctoritate Apoſtolica diſpenſo. In nomine Patris* &c. Ex his abſolvendi formulis nemo eſt qui congruas unicuique caſui efformare facile non poſſit.

## ARTICULUS III.

### *Quid in impedimentis matrimonialibus poſſint Epiſcopi.*

ORdinariam poteſtatem *diſpenſandi in quibuſdam impedimentis dirimentibus publicis, communi fere calculo Doctores denegant Epiſcopo, ait* Bened. XIV. *lib.* 7. DE SYNODO *cap.* 31. *num.* 3. *quinimmo ſacræ urbis Congregationes, Concilii videlicet, ac Suprema Inquiſitionis, non ſemel proſcripſerunt, tamquam falſam & temerariam, propoſitionem aſſerentem Epiſcopo jus diſpenſandi ſuper impedimento dirimente publico, quod obſiſtat Matrimonio contrahendo, etiamſi gravis urgeat illud contrahendi neceſſitas, uti videre eſt apud Joannem Baptiſtam Riganti um, virum apprime doctum*, tom. IV. Comment. in regul. Cancell. In notis ad reg. 49. num. 1. & 2. *ubi ſacrarum Congregationum reſponſa ſumma diligentia congeſta per extenſum, ut dicitur, referuntur, & Doctorum in hanc rem placita copioſe allegantur*. Hoc præſuppoſito quaſdam regulas e ſanioribus Theologis & Canoniſtis petitas hic proponam.

Regula 1. Poſſunt Epiſcopi diſpenſare circa impedimentum omne, quo poſt Matrimonium legitime contractum aufertur debiti conjugalis exigendi poteſtas, ut eſt affinitas ſive ex Baptiſmo, ſive ex inceſtu, impoſita tamen pro gravitate inceſtus pœnitentia, & procurato occaſionis peccandi receſſu. Hæc eſt communis opinio, ait poſt Sylveſtrum Cabaſſut. ibid. num. 7. Vide Sanchez lib. VIII. diſput. 12. num. 26.

Poſſunt etiam Religioſi Mendicantes cum eo, qui non obſtante caſtitatis voto matrimonium iniit & conſummavit, diſpenſare ad petitionem debiti conjugalis: idem poterant Jeſuitæ cum ſpeciali Provincialis licentia. Neutri vero ad contrahendum diſpenſare poſſunt in eodem voto, ut multo probabilius docent Suarez, Sanchez, Lyman, & plures alii.

Regula 2. Poſſunt Epiſcopi in contracto diſpenſare ab impedimentis dirimentibus, alioqui Papæ reſervatis, cum occurrunt ſex ſubſequentes circumſtantiæ. 1. Ut occultum ſit impedimentum, Matrimonium vero publicum. 2. Ut matrimonium bona fide, ſeu ſine prævia impedimenti notitia contractum fuerit. 3. Ut fuerit conſummatum. 4. Ut partes ſine veriſimili ſcandali periculo ſeparari non poſſint. 5. Ut partes præ inopia non poſſint ire, aut recurrere ad Papam ejuſve Legatum. 6. Ait Pikler, ni tale ſit impedimentum, in quo diſpenſatio a Papa dari non conſueverit. In harum conditionum concurſu diſpenſandi poteſtas penes Ordinarium eſt, prout ſibi ab Urbe Roma reſponſum fuiſſe teſtatur Zerola 1. part. *Diſpenſatio* §. 5. idem docent Collat. Andeg. tom. 11. pag. 91. Cabaſſ. & alii communiter.

Si vero, ait idem Cabaſſutius, aliqua abſit ex præfatis circumſtantiis, & perſonæ ſint pauperes, aut rudes, aut ruſticæ, officium erit Ordinarii proſequi hanc diſpenſationem in forma pauperum apud Sedem Apoſtolicam, ut gratis & ſine compoſitione obtineatur.

Regula 3. Poſſunt aliquando Epiſcopi *extraordinaria poteſtate, & ex præſumpta Summi Pontificis voluntate in aliquo eventu, urgentiſſimæ videlicet neceſſitatis*, ab impedimentis dirimentibus modo occultis diſpenſare ad contrahendum: ut ſi rebus omnibus jam ad matrimonium contrahendum præparatis, invitato parentum cœtu, aſſignata ad nuptias die admodum propinqua, puella ex confeſſione detegat ſe dirimente impedimento irretitam eſſe, & nulla præter Ordinarii diſpenſationem pateat via, qua periculum gravis ſcandali, ſuſpicionis infamiæ, atque etiam inimicitiarum removeri poſſit. Ratio eſt, quia reſervatio in caſu tam urgenti non eſſet in ædificationem, ſed potius in perniciem animarum. Iſta, quam Sanchez primus produxit, opinio evaſit ſubinde inter Doctores communis, ut poſt Bonacinam notat Cabaſſutius lib. 3. c. 7. num. 4.



Proponit quidem idem Sanchez aliam, qua puella ſe extricet, rationem, ut nempe emittat caſtitatis votum ad tempus, ideoque vel ab Epiſcopo, vel ex ſolo temporis lapſu diſpenſabile, & palam dicat ſibi propter votum hoc a confeſſario præceptum eſſe, ut a matrimonio abſtineat; interim vero recurrat ad Papam pro ſollicitanda veri, quo ligatur, impedimenti relaxatione: ſed quoniam cautela hæc, vel non ſemper occurrit menti, vel ob rerum aut perſonarum circumſtantias quandoque impoſſibilis eſt in praxi, aut admodum difficilis; aliunde vero timendum eſt ne ſi puella urgeatur, an ad tempus voverit, non deſint qui ſtatim regerant, ei ergo ſufficere Epiſcopi diſpenſationem, quæ in talibus anguſtiis juſta erit, & valida in foro conſcientiæ.

*Utiliſſima hac Appendice in continuatione Honorati Tournely tranſcripta, præſens opus locupletari duximus, ne ad completam Moralis theologiæ inſtitutionem, aliquid deeſſe videretur.*

## APPENDIX II.

### *De Orientali Eccleſiæ circa Matrimonium diſciplina.*

MAtrimonium inter Sacramenta a Chriſto Domino inſtituta univerſa recenſet Orientalis Eccleſia: nam apud Græcos, Armenos, Syros ſive Jacobitas, ſive Neſtorianos, & Cophtos, ſemper ac ubique locorum veluti ſacra chriſtianæ Eccleſiæ cæremonia habitum eſt, omneſque a Chriſto ſanctificatum fatentur, & non ſolum Chriſti cum eccleſia unionem ſignificare, ſed etiam gratiam conjugatis afferre crediderunt, ac tenent, quæ mutuum inter eoſdem amorem caritatemque pariat & foveat, eoſque ad rite filios educandos adjuvet. Id eorum expendenti eccleſiaſticos libros ſit illico exploratum. Rem vero extra omnem controverſiam ponit Orthodoxa Orientalis Eccleſiæ confeſſio, aliæque fidei profeſſiones adverſus Lutheranorum, Calvinianorumque hæreſes, Cyrillique Lucaris errores evulgatæ. Ex iis enim conſtat, ut legere eſt in actis Orientalis Eccleſiæ a Schelſtratio editis, & in opere de fidei circa Euchariſtiam perpetuitate, Græces omnes, Ruthenos, Armenos, Syros, ac Cophtes matrimonium venerandum Sacramentum eſſe profiteri. Id vero ſatis ſuperque eſt ad convincendum novitatis, & erroris Lutheranos, Calvinianos, Remonſtrantes, Anglicanos, Socinianos, alioſque ætatis noſtræ Novatores.

Circa ritus varia eſt Orientalis Eccleſiæ diſciplina. Apud Latinos ſponſalia Eccleſiaſtica ſunt fere ſublata, ac civilia tantum matrimonii celebrationi præmittuntur. Poſtquam inita ſint ſponſalia, ex decreto Innocentii III. a Concilio Tridentino iterum inculcato proclamationes fieri debent tribus diebus feſtivis, ut eſt ab Auctore explicatum, antequam matrimonium contrahatur: ſed hæc Lex in Orientali Eccleſia uſu recepta non eſt. Græci enim uno eodemque die ſponſalia & matrimonium celebrant. Alexius Imperator ſponſalia, antequam contrahatur matrimonium, celebranda eſſe decreverat: ſed cum Græcorum diſciplina ſollemniter eccleſiaſtica ſponſalia præſcribat, Eccleſiæ illius Antiſtites Imperatoris edictum ſervare recuſarunt, & ſemper ſponſalia ſollemniter in Eccleſia, dum matrimonium contrahendum eſſet, celebraverunt. En autem eorum in ſponſalibus, ac matrimonio celebrando ritum. Sponſalia, ſcripto, Eccleſiæ benedictione, annuli artha, oſculoque adhibitis, pœnaque a reſiliente ſubeunda indicata, hoc ritu celebrant. Poſt divinam Miſſam, ſtante in ſacrario Sacerdote, conjugio copulandi præ ſacris foribus conſiſtunt. Vir quidem a dextris, mulier autem a ſiniſtris. Sunt vero repoſiti in dextra ſanctæ menſæ parte duo ipſorum annuli aureus, & argenteus. Ex iis argenteus dextrorſum reſpicit, aureus ſiniſtrorſum juxta ſe invicem. Tum Sacerdos recens nuptorum tertio capita ſignat, traditque illis cereos accenſos, & in templum illos inducit. Deinde cruciformiter thus adolet, dicente Diacono: *Benedic Domine* &c. ac variis recitatis precibus in Euchologio præſcriptis, Sacerdos acceptis annulis, donat primum viro aureum, tum argenteum mulieri. Ac viro dicit: *Subarrhatur ſervus Dei N. propter ancillam Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: amen, nunc, & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.* At deinceps mulieri ait: *ſubarrhatur ancilla Dei N. propter ſervum Dei N. in nomine Patris* &c. Cumque ter ad unumquemque hoc dixerit, crucem ſuper eorum capita facit annulis, & utrumque dexteris eorum digitis immittit, viro ut digniori aureum, feminæ argenteum: aſſiſtens vero Paranymphus amoris, & concordiæ inter ſponſos conciliator commutat, & ſponſæ aureum, ſponſo argenteum donat, ut hic muliebri infirmitati viri lem animum accommodet; illa vero ſe in omnium mariti bonorum conſortium venire intelligat: vel ut hac annulorum commutatione ſuorum corporum poſſeſſioni renuntient, & ſe non propriæ, ſed alienæ poteſtatis agnoſcant. Theſſalonicenſis vero annulo ferreo ſponſam ubique donatam cum M. S. Cryproſ. aſſerens, paullum diverſe ritum eundem explicat, *feminæ* inquiens *quaſi ex parte viri aureum annulum Sacerdos tradit, & quaſi ex parte feminæ aureum viro, & Trinitatem veneraturus ter illos commutat*. Unius Paranymphi mentionem habet Concilium Carthaginienſe quartum, qui caſtitatis, & pudicitiæ conjugis utriuſque teſtis & quaſi cuſtos, *puros adhuc illos & commercii carnalis expertes inter ſe jungit*, vel potius conjunctioni in Eccleſia factæ aſſiſtit, & Dei perſonam primi omnium conjugii Paranymphi, & Pronubi in Eccleſia repræſentat. His nuptiarum ſubarrhatio abſolvitur, ſponſique deinceps dimittuntur. In Moſcovia teſte P. Chard. poſtquam ſponſus annulum ſponſæ tradidit, hæc illius pedes oſculatur; eoque ritu obedientiam illi pollicetur.

Si vero voluerint eodem temporis ſpatio coronari, ut fere ſemper ſit, ingrediuntur in templum ſponſi cum cereis accenſis præcedente Sacerdote cum thuribulo, qui variis recitatis precibus, quibus Deum rogat, ut nuptiis ſponſiſque benedicat, orationem profert, in qua hæc verba habentur. *Domine, emitte manum tuam de ſancto habitaculo tuo, & conſocia ſervum tuum N. & ancillam tuam N. quia a te* vi-

*viro copuletur mulier. Copula illos unanimi conſenſu: corona illos in carnem unam: tribue illis fructum ventris, prolis fruitionem. Quia tua eſt potentia, & tuum eſt regnum, virtus & gloria Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum.* Poſt hanc orationem, Sacerdos acceptis coronis primo coronat ſponſum, dicens: *Coronatur ſervus Dei N. propter ancillam Dei N. in nomine Patris &c.* Deinde coronat ſponſam dicens: *Coronatur ancilla Dei N. propter ſervum Dei N. in nomine Patris &c.* Tum benedicit eis ter, dicens: *Domine Deus noſter, gloria & honore corona illos.*

Verbis illis *coronatur &c.* Sacerdotis ore prolatis, de Matrimonio rato conjugibus legitime contracto, teſtimonium reddit Eccleſia: ac idcirco, inquit Goarius, ſenſus illorum ſolerter eſt attendendus. Non enim hujuſmodi eſt, ut prima facie poteſt videri: *Coronat ſervum Dei N. in ancillam &c.* Qui namque coronaret coronis ipſe ſubjectus? Sed potius. *Coronatur ſervus Dei N. propter ancillam Dei N. ideſt coronat nuptialis ſubit in ſignum fœderis conjugalis cum ancilla Dei N. contracti:* vel certe *coronatur ſervus Dei N. in ancillam Dei N. pariter coronatam uxorem legitimo matrimonio, his coronis deſignato accipiendam.* Coronandos namque ſe mutuo exhibentes, matrimonium contrahere profitentur, atque hic ex conſenſu, & affectu in alterum ſe coronari permittit.

*Nota.* Coronarum uſus in ſponſis antiquus in Eccleſia eſt; illius enim Tertullianus meminit Lib. *de corona militis* cap. 13. ſcribens, *coronant & nuptiæ ſponſos.* Quis autem coronarum in nuptiis ſumendarum finis fuerit, edocet, Chryſoſtomus Hom. 18. in cap. 1. ad Timoth. *Propterea coronæ ſponſorum capitibus imponuntur in victoriæ ſignum, quia libidini inſuperabiles redditi, jam ad thalamum accedunt, quia voluptate devicti non ſunt. Si vero voluptati captivus ſeipſum meretricibus dederit, cur de reliquo coronam geſtat ipſo capite ſuperatus?*

Coronatis ſponſis, atque ita in matrimonium conjunctis, poſtquam nonnullas ſuper eos recitaverit preces, commune poculum in medium profertur, illudque Sacerdos primum benedicit, deinde manibus accipit, ac diſtribuit ipſis uſque tertio, viro primum, & deinde uxori. Communis autem poculi delibatio a ſponſis facta, non eſt Græcorum ita peculiaris ritus, quin apud nos fuiſſe obſervatum plures meminerint: Etenim Polydorus Virgilius ejuſdem moris apud Anglos adhuc vigentis teſtem ſe reddit Lib. 2. *de inventione rerum* cap. 4. inquit Goarius. Hunc ritum ita Simeon Theſſalonicenſis declarat: *ex communi Sacerdos propinat illis poculo & decantatur illud: Calicem ſalutaris accipiam cum propter ſanctiſſimam, tum etiam in lætitiæ ſignum propter ſponſorum conjunctionem, pacem, & concordiam: quod quidem etiam bigamis, & hujuſmodi* (ideſt tertias nuptias iterantibus) *diſtribuitur. Non enim divina illis dona, ſed commune ſolum poculum ab Eccleſia, in privatam ſanctificationem, & convictum felicem, & cum benedictione Dei copulam diſtribuitur.*

Poſt terniam delibationem Sacerdos poculum alicui reddit, vel juxta nonnullorum morem frangit illud, ſive ut ad contemplandam invitet fragilitatem, & brevitatem humani cujuſque gaudii inſtar vitri effracti cito citius præterituri; ſive ut alii malunt, quod Græci ſcyphum quamvis communem, ex eo quod nuptiarum benedictioni inſervierit, confringendum potius, quam in prophanos uſus revocandum, exiſtimant. Hoc peracto egrediuntur ſponſi, ac octavo die ſollemniter coronas in Eccleſia cum precibus, ac ejuſdem Eccleſiæ benedictione deponunt. Atque hæ ſunt cæremoniæ; quas Eccleſia Græca in nuptiis celebrandis uſurpat. Etiam Syri Jacobitæ, ac Neſtoriani, & Cophti benedictionem nuptiarum *coronationem* appellant: quod argumentum eſt, antiquam eſſe hanc cærmoniam, & Orientalibus omnibus communem.

Ad Miniſtrum quod ſpectat, plures Orientales ita de Sacerdote loquuntur, ut eum hujus Sacramenti Miniſtrum exiſtimaſſe videantur. Ii verba a Sacerdote prolata pro forma, conſenſum quo mutuum in corpore jus invicem ſibi tradunt contrahentes, materiæ loco habent. Sed Theſſalonicenſis, & Goarius juxta Orientales ipſos contrahentes Miniſtros declarant, ac formam Sacramenti illæ in conſenſu per verbum vala expreſſum; alter vero in eodem conſenſu reponit per actum illud ſenſibilem ſignificatum, quo ſponſi ſe ſe coronandos exhibent. Nunc indicanda ſunt reliqua: Primum vero recenſebimus ea quæ in conſtitutione: *Etſi Paſtoralis*, pro Italo-Græcis ab Apoſtolica Sede conſtituta ſunt: Deinde variis notis exponemus, quænam ex iis ad Orientales reliquos extendantur.

Hæc autem leguntur §. 8. tit. *de Sacramento Matrimonii*. I. *Curent Ordinarii Locorum, ut decretum ſacri Generalis Concilii Tridentini de reformatione Matrimonii vertatur in linguam Græcam vulgarem, & in locis, & Parochiis Græcorum, & Albanenſium, quoties expedire viderint, evulgetur, & publicetur.*

II. *Matrimonia inter conjuges Græcos dirimi, ſeu divortia, quoad vinculum, fieri nullo modo permittant, aut patiantur: & ſi quæ de facto præceſſerunt, nulla & irrita declarent.*

III. *Quia vero ſecundum Apoſtolum, Mulier, mortuo viro, ab ipſius eſt lege ſoluta, & nubendi cui vult in Domino, liberam habet facultatem, ſecundas, & tertias, & ulteriores etiam nuptias Græci non condemnent, ſed illas tamquam legitimas, & validas approbent inter perſonas, quæ alias licite de jure ad invicem Matrimonio jungi poſſunt.*

IV. *Secundo tamen nubentes Presbyteri nullatenus benedicant: nec ipſos Bigamos ad ſacros Ordines ſine ſpeciali diſpenſatione Apoſtolica promoveri liceat.*

V. *Et quoniam apud Græcos conſueverunt contrahi matrimonia inter perſonas contingentes ſe, juxta eorum computationem, octavo gradu, qui ſecundum computationem, & diſtinctionem graduum, quam Latini faciunt, apud hos quartus habetur: ne id præſumatur deinceps; penitus prohibemus ac diſtricte præcipimus, ut cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in prædicto quarto conſanguinitatis, vel affinitatis gradu copulari ulterius non præſumant; ſtatutum, quoad hoc, Generalis Concilii obſervantes.*

VI. *Item in cognationis ſpiritualis, quæ in Baptiſmo, & Confirmatione contrahitur, gradibus, ſervetur id quod a Tridentina Synodo definitum eſt; In Baptiſmo videlicet inter ſuſcipientem, & Baptizatum, & illius Patrem, & Matrem, nec non inter Baptizantem, & Baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem tantum, cognationem contrahi; eamque rurſus, quæ ex Confirmatione oritur, confirmantem, & confirmatum, illiuſque Patrem, & Matrem, ac tenentem non egredi; omnibus inter alias perſonas ſpiritualis hujus cognationis impedimentis Matrimonii ſublatis.*

VII. *Maritus Latinus uxoris Græcæ ritum non ſequatur.*

VIII. *Latina uxor non ſequatur ritum mariti Græci.*

IX. *Græcus maritus poteſt, ſi velit, ritum uxoris Latinæ ſequi: item Græca uxor poteſt, ſi velit, ſequi ritum mariti Latini: poſt cujus obitum ad ritum Græcorum redire nequeat.*

X. *Quod ſi nolint, unicuique conjugum in ſuo ritu, Catholico tamen, manere permittatur.*

XI. *Matrimonium inter maritum Latinum, & Græcam mulierem Latine poteſt contrahi, vel Græce coram parocho Græco, duobus, vel tribus teſtibus præſentibus, vel latine coram Latino, ubicumque maritus Græcus voluerit.*

XII. *Ejus autem loci, ac ritus Parochus debet aſſiſtere, ubi & quo ritu matrimonium contrahatur.*

*Nota* 1. Præceptum de publicando Concilii Tridentini decreto ad ſolos Græcos ſpectat & Albanenſes, qui in Italia, & inſulis ei adjacentibus ſub Latinis Epiſcopis degunt: eo ergo non afficiuntur Orientales, aliique penes quos dictum decretum publicatum non fit.

*Nota* 2. Id vero, quo decernitur, Matrimonia quoad vinculum dirimi non poſſe, ac nulla prorſus eſſe antea inita hujuſmodi divortia, ad Orientales omnes pertinet. Ibi enim Orthodoxam Eccleſiæ fidem de indiſſolubili Matrimonii vinculo inculcat, quæ ad omnes omnino fideles ſpectat, quæque definita fuit in Florentino Concilio, & in decreto pro inſtructione Armenorum expedita, & in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. can. 7. per hæc verba: *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cum docuit & docet juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſſam adulterio non dedit, non poſſe, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum qui, dimiſſa adultera, aliam duxerit, & eam quæ, dimiſſo adultero, alii nupſerit; anathema ſit.* Eccleſiam vero ita ſemper credidiſſe, conſtat ex Chryſoſt. Hieronymo, & Beda *in cap. 19. Matth.* ex Auguſtino duobus libris *de Adulterinis Conjugiis*, quos hac de cauſſa ſcripſit, ex Innoc. I. *Epiſt. ad Exuperium*, ex Conc. Trid. *can.* 17. Ex Græcis Arcudius affert Origenem *tract.* 7. *in Matth.* alioſque. Id docuerat etiam Apoſtolus Paulus I. *ad Cor.* cap. 7. ubi habet: *Iis, qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro ſuo non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Si mulier injuſte diſceſſerit, non eſt ei liberum innuptam manere, aut reconciliari viro, ſed ei reconciliari tenetur, ut nemo negat. Ergo Apoſtolus eam mulierem alloquitur, quæ juſta de cauſſa, cujuſmodi eſt viri adulterium, ab illo diſceſſerit, ei vero divinum indicit præceptum, quo jubetur aut manere innupta, aut reconciliari viro. Non me latet Photianos, quos imitati ſunt Lutherani, & Calviniani, errorem tueri hiſce Chriſti Domini verbis, quæ habentur Matth. c. 19. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Sed perperam ex iis argumentantur, non mœchari eum, qui, dimiſſa ob fornicationem uxore, aliam duxerit. Nam duo Chriſtus docuit, ſcilicet mœchari eum, qui ſine legitima cauſa uxorem dimiſerit, quia in cauſa eſt, ut mœchetur, Matth. 5. v. 32. ac etiam qui, uxore dimiſſa legitima quoque de cauſa, duxerit aliam. Utrumque per ſuperiora verba docet, ſcilicet mœchari dimittentem uxorem, excepta cauſa fornicationis, ac mœchari itidem, qui ob fornicationem dimiſſam duxerit, quia ob fornicationem ſeparatio quidem thori, ſed non matrimonii jure naturæ indiſſolubilis ſolutio fieri poteſt. Hinc Marci 10. verſu 11. & Lucæ 16. verſu 18. idem Chriſtus, poſtquam dixit, Matrimonium indiſſolubile eſſe, univerſim pronunciat, *quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* Sed audiant Græci ex Herma Pauli diſcipulo, ut ego opinor, quæ fuerit Apoſtolorum ævo Eccleſiæ hac de re fides: Is in lib. 2. *Paſtoris*, mandato 4. ita Deum affatur: *Domine, ſi quis habuerit uxorem fidelem in Domino, & hanc invenerit in adulterio, numquid peccat vir, ſi convivit cum illa?* Huic reſpondit Dominus: *quamdiu neſcit peccatum ejus, ſine crimine eſt vir vivens cum illa. Si autem ſciverit, uxorem ſuam deliquiſſe, & non egerit pœnitentiam mulier, & permaneat in fornicatione ſua, & convivit cum illa vir, reus erit peccati ejus, & particeps mœchationis ejus.* Addit vero Hermas: *Quid ergo ſi permanſerit in vitio ſuo mulier?* Cui Dominus: *dimittat illam vir, & per ſe maneat.* Sequitur Hermas: *quid ſi mulier dimiſſa pœnitentiam egerit, & voluerit ad virum reverti, nunc recipietur a viro ſuo?* Et Dominus: *Immo ſi non receperit eam vir ſuus peccat, & magnum peccatum ſibi admittit: ſed debet recipere peccatricem, quæ pœnitentiam egit; ſed non ſæpe, ſervis enim Dei pœnitentia una eſt.* Habent ergo ex Apoſtolico viro per adulterium ſeparationem fieri poſſe, ſed non ſolvi Matrimonii vinculum; alioquin vir ſolutus fuiſſet ab obligatione recipiendi dimiſſam ob fornicationem, ac poſt pœnitentiam ad eum redeuntem.

(✠) Rem vero in Orientalium gratiam, paullo fuſius expendamus: ne vero putent ſolo nos Hermæ teſtimonio uti ad id ex antiqua Orientalis Eccleſiæ fide comprobandum, audiant Baſilium lib. *de virgin.* pag. 755. ubi, *Non audis*, inquit, *quoniam, qui dimiſſam duxerit, mœchatur? Etſi enim pro culpa dimiſſa eſt, vivit tamen vir ejus.* Nazianzenus carmine II. in quo, Billio interprete, ita habet:

*Femina non parva mercatur dote maritum,*
*Quodque etiam gravius, vitioſum ſæpe, & inertem.*
*Rurſus emenda viro Conjux, nec moribus illa*
*Prædita ſæpe bonis, quæſita arrectaque peſtis*
*Peſtis, quam nulla licet ratione fugare.*

Au-

Audiant præterea Chryſoſtomum Hom. VIII. in Matth, ubi ait, *Expulſa quoque uxor eſſe ejus qui eam expulit, perſeverat*. Sed antiquiores quoque ſuppetunt quorum ſententiæ perſpicue demonſtrant, Græcos Patres credidiſſe ſemper adulterium, thori quidem ſeparationem, non vinculi ſolutionem inducere potuiſſe. Juſtinus Martyr Apologia II. pro Chriſtianis, præcepta recenſens, quæ Chriſtus circa caſtitatem dederat; *Qui repudiatam*, inquit, *a viro alteram duxerit, adulterium committit*. Et Apolog. I. non obſcure ſignificat thori tantum ſeparationem inter conjuges Chriſtianos admiſiſſe; feminam enim deſcribens, quæ propter perditam viri vitam ab eo ſeſe disjunxerat, inquit: *Femina verita, ne ſi de cetero eodem cum illo lecto, eademque uteretur menſa, impietatis quoque ejus particeps fieret, miſſo illi, qui apud vos* (Gentiles) *dicitur repudii libello, ab eo ſejuncta eſt*. Lecti itaque, cohabitationiſque ſeparationem tantum ſecum ferebat apud Chriſtianos diviſio, quæ Gentilium repudio reſpondebat. Accedit etiam Athenagoras inſignis alter Chriſtianæ Religionis Apologiſta, qui de moribus & Chriſtianorum inſtitutis apud Imperatorem verba faciens: *Qui uxorem ſuam*, ait, *dimiſerit, & duxerit aliam, adulteratur, inquit Dominus noſter: neque illam dimittere concedens, cujus delibata eſt pudicitia, neque alteram ducere*. Vides ergo generatim antiquos Patres de inſtitutis Chriſtianorum differentes docere, vivente prima uxore, nefas eſſe aliam ducere. Hæc vero generalis aſſertio juxta Hermæ explicationem, & juxta Pauli ſententiam accipi debet, quæ mulierem lege conjugii obligatam pronunciat, quamdiu vir ejus vivat; ac ſeparatam, manere innuptam, vel viro reconciliari, nec a lege viri niſi per illius mortem liberari. *Quæ verba*, inquit S. Auguſt. l. 2. de Adulterinis conjugiis cap. 5. *toties repetita, toties inculcata, vera ſunt, viva ſunt, ſana ſunt, plana ſunt. Nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit. Eſſe autem deſinet uxor prioris, ſi moriatur vir ejus, non ſi fornicetur. Licite itaque dimittitur conjux ob cauſſam fornicationis ... nec carebit illo vinculo, etiamſi nunquam reconcilietur viro; carebit autem, ſi mortuus fuerit vir ejus*. Mitto reliquos Latinos Patres, & Concilia, quæ a primis temporibus aſſertionem noſtram Evangelicam & Apoſtolicam diſciplinam eſſe decreverunt, ut habetur can. XVII. Concilii Milevitani ann. 416. celebrati. Sed rationum momenta omittere nolo, ut inde intelligatur, quam graviſſima ſequerentur abſurda, ſi adulterante uxore, matrimonii vinculum diſſolveretur. Nam mulieres libidini ſervientes adulteria eo patrarent animi propoſito, ut dimiſſæ ac a vinculo ſolutæ nubere procis facile poſſent. Item improbis maritis occaſio foret pro legitima uxore adulteram introducendi. Quæ vero hinc non orirentur calumniandi occaſiones adverſus etiam innocentem uxorem; ut hæc tamquam adultera repudiata, altera exoptatior duceretur? Quibus incommodis filii obnoxii non eſſent? Nam loco matris adhuc viventis educandi a noverca eſſent: & matrem, a qua geniti fuere conſpicientes novercam, odio haberent, at hæc viciſſim odio haberet illos. Audi Ambr. l. VIII. in Lucam ita clamantem: *Paterisne, oro, liberos tuos, viventte te, eſſe ſub vitrico, aut incolumi matre eſſe ſub noverca? Pone, ſi repudiata non nubat. Et hoc viro tibi debuit diſplicere, cui adultero fidem ſervat. Pone, ſi nubat, neceſſitas illius tuum crimen eſt, & conjugium quod putas, adulterium eſt*. Si mulier dimiſſa innocens nubat, cedit hoc in prioris viri crimen & dedecus. Si adultera eſt, ex patrato ſcelere commodum capit. Hæc & his ſimilia ſequerentur abſurda, ſi adulterium matrimonium diſſolveret, novumque ineundi conjugium libertatem faceret: quamobrem vel iis ſpectatis, ſi res ambigua foret, præſumendum eſſet, Chriſtum, qui matrimonium ad ſacramenti dignitatem elevavit, noluiſſe per adulterium hujuſmodi vinculum ſolvi.

Sed inquiunt, ſi ita ſe res habet, cur Chriſtus Dominus interrogatus a Phariſæis, num liceat dimittere uxorem, non licere reſpondit excepta fornicationis cauſſa? nam illi de vinculi ſolutione quærebant. Si ergo Chriſtus hanc unicæ dimiſſionis cauſſam legitimam eſſe repoſuit; docuit ergo per fornicationem ſive adulterium illud abrumpi ac diſſolvi vinculum, quod repudii libellus apud Hebræos ſolvebat. En verba Chriſti: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, ex quo per legitimam conſecrationem ſequitur, eum, qui dimiſſa adultera aliam ducat, non mœchari.

Rurſus omnes fere Chriſtiani Principes ſuis legibus per plura ſæcula libertatem faciebant viris dimittendi adulteram ac aliam ducendi uxorem. Id P. Chardonius in ſua hiſtor. de Sacr. lib. 3. de Sacram. Matrim. c. 7. auctoritate collationum Pariſienſium comprobat, quæ legem hanc a Coſtantino Magno latam, & in Codice Theodoſiano relatam, leg. 3. tit. 16. reperiri tradiderunt: eamdemque comprobaſſe deinde, ac inculcaſſe Theodoricum in Italia, Viſigothorum Reges in Hiſpania, antiquioreſque Galliæ, & etiam Britanniæ Reges in illis Regionibus. Veriſimile vero non eſt Chriſtianos Principes legem condere, ac inculcare voluiſſe, quæ Apoſtolicæ, & Evangelicæ diſciplinæ contraria eſſet.

Denique Patres plures Matthæi textum interpretantes, vel diſciplinam ſuorum temporum deſcribentes, hanc conjugibus libertatem ex Chriſti inſtitutione, & uſu Eccleſiæ conceſſam tradiderunt. Vide Lactantium, Epiphanium, alioſque.

Hæc vero tanti fieri non debent, ut traditam per Tridentinos Patres Eccleſiæ doctrinam ſuſpectam faciant. Nam Chriſti ſententia non ex ſolis Matthæi verbis, ſed ex iis, quæ habent etiam Marcus, & Lucas, & ex Pauli explicatione exponenda, & declaranda eſt. Paulus ita rem exponit ut aperte aſſerat, ita mulierem, quæ per conjugium una facta ſit cum viro caro, eſſe viri legi ſubjectam, ut quamdiu hic vivit, ei obligata maneat: Marcus cap. 10. v. 11. adulterium committere ait, *quicumque dimiſerit uxorem, & aliam duxerit*, non ſecus mulier, quæ dimiſſa alteri nupſerit. *Et Luc. 16. Omnis*, ait, *qui dimittit uxorem & alteram ducit, vel qui dimiſſam ducit, mœchatur*. Quid clarius? mulier viro obligata dicitur, quoadusque vivat ille, & ita obligata, ut ab eo dimiſſa alii nubere nequeat, ac itidem vir mulieri ligatus dicitur. Advertant hic velim, Pauli, Lucæ, & Marci doctrinam pervulgatam fuiſ-



-ſe Romanis, Corinthiis, aliiſque, quibus Matthæi volumen ignotum erat. Hi vero decepti fuiſſent, ſi ex ambiguo Matthæi textu hujus doctrinæ veritas penderet: quis vero id credat? Itaque ſi apta poſſunt Matthæi verba interpretatione donari, qua facile cum aliis Evangeliſtis, & Paulo concilientur, quis non videt ita explicari oportere? Præſto autem hujuſmodi expoſitio eſt, non arbitrio conficta, ſed a Patribus Eccleſiæ Chriſti diſciplinam inculcantibus deprompta: Auguſtinus enim, Ambroſius, aliique, quos ſupra nominavimus Patres, ita Matthæi ſententiam legendam putant, ut exceptio illa *niſi ob fornicationem* cum verbo *dimiſerit* conjungi oporteat, non cum ſubſequente *duxerit*; quo poſito, ſenſus erit, non eſſe dimittendam uxorem niſi adulteram, illam vero, qui dimiſſam duxerit ſive ob adulterium, ſive alia de cauſſa, cum aliena pollui, & mœchari. Ita ſane cum Marci, & Lucæ ſententia, & cum perſpicua Pauli declaratione Matthæi verba conciliantur, quæ obſcura ſunt atque ambigua, ea fortaſſe de cauſſa, quod Chriſtus Phariſæis cum tentantibus ambigua tantum uti voluerit reſponſione, id quod Marcus ipſe videtur innuere dum ſcribit: *Et in domo iterum diſcipuli ejus interrogaverunt eum. Et ait illis: quicumque dimiſerit uxorem ſuam & aliam duxerit, adulterium committit ſuper illam*: Vides, ergo, qua ratione Chriſtus ſenſum exponit diſcipulis reſponſionis, quam obſcure Phariſæis tradiderat. Quod clarius innuitur apud Matth. cap. 10. ubi narratur repoſuiſſe diſcipulos, *ſi ita eſt cauſſa hominis cum uxore, non expedit nubere*: Chriſtum vero dixiſſe, *non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt. Sunt Eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cælorum &c*. Ita innuit, virum qui fornicariam dimiſerit, aut cum ea reconciliari oportere, aut continere ſe quamdiu illa vixerit; quod quidem non ſapit ac vix intelligit carnalis Judæorum animus, & licet impoſſibile non ſit, paucis tamen datum eſt, iiſque, qui Eunuchi dicuntur propter regnum Cælorum. Accedit præterea Bellarmini reſponſio, qui ait, verba illa, *qui dimiſſam duxerit, adulterat*, vel generatim accipienda ſunt, vel cum exceptione? Si primum; ergo, qui dimiſſam duxerit etiam ob fornicationem, mœchatur; ergo vinculum per illam dimiſſionem non reſolvitur, ſed ſeparatio fit unice thori. Si ſecundum; ergo qui fornicariam a viro dimiſſam duxerit, non mœchatur. Itaque melior eſt conditio fornicariæ, quæ juſte dimiſſa nubere alteri poteſt, quam caſtæ, quæ injuſte dimiſſa nec priorem, nec alium virum habere poteſt: quis autem credat hanc Chriſtum ferre voluiſſe legem, quæ fornicariam melioris conditionis faceret? Vide etiam allatam ſupra juxta aliorum expoſitionem interpretationem.

Dices: ſola fornicatio cauſſa dimiſſionis a Chriſto dicitur. Thori autem ſeparatio ob alias quoque cauſſas fieri poteſt: ergo non thori tantum, ſed omnimodam ſeparationem ob fornicationem fieri ſignificavit.

*Reſp*. Hanc unice Chriſtum ſeparationis thori cauſſam deſignaſſe, licet aliæ quoque adſint, quia hæc unica eſt, quæ ex ipſa natura conjugii naſcitur, quia per eam violatur fides, & caro, quæ per conjugium una facta eſt, dividitur: quia hac de cauſſa vir poteſt perpetuo ab uxore ſeparari, & quia ſic carpere voluit pravam Judæorum conſuetudinem, qui nullis & leviſſimis de cauſſis dimittebant uxores.

Ad leges Principum quod ſpectat, ajo, leges hujuſmodi ab Ethnicis Principibus initio conditas fuiſſe, atque ante Eccleſiæ definitionem, etiam a nonnullis Catholicis deinde confirmatas; ſed collationi Pariſienſi a Chardonio citatæ non aſſentior: neque enim leges illas, aut omnes extitiſſe, aut tamdiu viguiſſe arbitror, quantum aſſeritur. Sed utut res ſe habet, certum eſt, Eccleſiæ auctoritate illas fuiſſe leges improbatas; atque in eas invectos iſſe Chryſoſtomum, Nazianzenum, & ex Latinis Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium Magnum, alioſque. Ego vero ex hujuſmodi legibus abuſum inter Græcos præſertim ortum arbitror, ac ortam etiam eſſe ambiguam illam loquendi rationem, quam in antiquis nonnullis ſcriptoribus obſervamus. Nam cum primis temporibus Idololatræ Principes eſſent, ac Chriſtianorum infenſiſſimi hoſtes, mirum non eſt in re nondum ab Eccleſia definita, ac ambigue apud Matthæum expoſita, plures contra Reipublicæ leges aperte loqui noluiſſe, ac nonnullos etiam cum Evangelio eaſdem conciliare ſtuduiſſe. Nec ſtatim ac Principes Chriſtianæ Religioni nomen dedere, expediens viſum eſt, legem uſu receptam, & maxime probatam immutare, præſertim cum plures adhuc gentiles eſſent in republica, ſed hoc non obſtante, Romana Eccleſia, celebrioreſque Patres nihil veriti ſæculi poteſtates, palam docuere, adulterium matrimonii vinculum non diſſolvere, atque eo duxere principes, ut leges illas veluti divino inſtituto contrarias agnoſcerent, & faterentur.

Ad Patres quod ſpectat, fatemur, Origenem, Baſilium, Epiphanium, ita fuiſſe ambigue locutos, ut nil ex iis certi erui poſſit: damus etiam Aſterium, Theodoretum, alioſque paucos juxta ſæculi leges potius, quam ſecundum Apoſtolicam diſciplinam locutos eſſe. Immo dicimus, primis ſæculis ita Eccleſiæ canones nonnullos fuiſſe temperatos, ut rigoroſum præceptum de non ducenda poſt ſeparationem uxore, proferre non videantur, ſed tantum pœnas ſtabilire in eos, qui dimiſſam duxerint, vel poſt ſeparationem nupſerint: ac id œconomiæ temporum tribuendum putamus, cum rerum circumſtantiæ non ſinerent, apertam contra Principum legem ſententiam dicere, ne majus inde Chriſtianis, immo & Eccleſiæ damnum oriretur. Si temporum circumſtantiæ reputentur, in quibus Patres ſcripſere, qui contrarium ſenſiſſe videantur, vel ambigui editi fuere canones, & ſi attente examinentur Scripturæ, Patres, & Concilia, quæ in Hiſpaniis, in Africa, in Gallia, in Italia, in Germania, aliiſque in regionibus, docuere per adulterium fieri dumtaxat quoad thorum ſeparationem, perſpicuum erit, id innuere Scripturam, tradidiſſe Apoſtolos, ac Eccleſiam ubique locorum ſemper docuiſſe.

*Nota* 3. Jubet Pontifex, ne Græci ſecundas, tertias & ulteriores etiam nuptias damnent, tamquam res de ſe malas, & illicitas, neve reprehendant illos, qui dum alia impedimenta non adſint, ad tertias & quartas nuptias uxore mortua tranſeunt. Ex quo conſtat, 1. Græcos non debere damnare Latinos, Cophtos, Syros, & ſi qui ſint alii Orientales, qui acceſſive ad ſecundas & tertias, atque ulteriores nuptias

ptias tranſire ſoleant; neque has nuptias de ſe malas, aut divino præcepto prohibitas aſſerere. 2. Græcos, & Albanenſes in Italia degentes poſſe tuto tertias, & quartas nuptias celebrare; vult enim Summus Pontifex, ut etiam inter eos hæc ſit libertas, approbenturque hæ nuptiæ *inter perſonas quæ alias de jure Matrimonio invicem conjungi poſſunt*. Sed cum Conſtitutio ſit non pro Græcis tantum, qui in Italia degunt, quibuſque Tridentini decretum inculcari debet, non videtur ex ea inferri poſſe, ſublatam eſſe ab Apoſtolica Sede legem illam Græcæ Eccleſiæ Canonibus ſtabilitam, qua nullæ atque irritæ decernuntur quartæ nuptiæ. Matth. Blaſtar. *in Syntagmate Alphabetico c. 4. tit. de Polygamia* explicans lxxx. can. S. Baſil. ait: *dicit autem nuptiarum pluralitatem a Patribus ſilentio præteritam, quia tertias quidem nuptias lex agnoſcit, ac earum pluralitas, tum legibus, tum canonibus eſt prohibita. Omnis enim contractus Matrimonialis, qui tertiarum nuptiarum finem tranſit, nuptiarum pluralitas haud dubie dicitur*. Et infra: *Legit autem hæc verba ſunt: Univerſis manifeſtum eſt, quod ſi quis auſus fuerit ad quartas convolare nuptias, quæ nuptiæ non ſunt, non modo futurum, ut eæ nuptiæ pro nullis habeantur, ſed ne liberi quidem ex iis procreati, pro legitimis ducantur: adeoque pœnis etiam pollutorum ſtrationes tales ſubjicientur, ubi primum a ſe invicem dirempti fuerint*. Hanc autem legem vigere apud Græcos quamplurimi aſſerunt, qui ajunt etiam ab Apoſtolica Sede approbatam eſſe. En Papadopoli verba ex reſp. 2. ſect. 2. §. 12. *Ipſum quoque Matrimonium, quamvis penes Latinos ex libito centies iterari queat, ita ſenſente Florentino Concilio, & Hieronymo dicente*: non damno Bigamos, immo & Trigamos, & ſi dici poteſt Octogamos; *penes noſtros tamen quarto initum nullum erit, ut Græcis notiſſimum eſt, cenſeturque vel a Sede Apoſtolica ſeveritati morum Græcorum indultum, Auctore Arcudio, & Goario*.

Immo Goarius *Nota 4. ad capita de Bigamis*, ait, Græci *quartas nuptias omnino reprobant, ut noxias & vetitas, irritante nimirum earum contractus ſancta Sede Apoſtolica: de quibus legendus Arcudius lib. VII. cap. 27. ſeq.* Quum Apoſtolica Sedes permittat & toleret mores conſuetudineſque Græcorum, quæ non ſunt Orthodoxæ fidei contrariæ, nec morum honeſtati adverſantur, ut pluries diximus, facile patet, tolerare, ac ſervari velle hanc conſuetudinem, quæ ex antiquis canonibus orta eſt, ubi adhuc vigeat. Iis vero, qui quartas nuptias juxta canonum rigorem improbant, vetitum eſt damnare eos, qui hac lege non obligati, tum quartas, tum etiam ulteriores ineunt nuptias.

*Nota 4.* Duo Summus Pontifex §. 4. Græco-Italis prohibet, ſcilicet, ne Bigamos ad Sacros Ordines ſine ſpeciali diſpenſatione Apoſtolica promoveri liceat; & ne Presbyteri ſecundo nubentes ullatenus benedicant. Primum ad omnes Orientales extenditur; omnes enim Orientales antiquis Eccleſiæ legibus obligantur, quæ Bigamos a Sacris Ordinibus arcent, neque ab hujuſmodi legibus ſolvi poſſunt, niſi a Romano Pontifice qui univerſæ præeſt Eccleſiæ. Ad alterum vero præceptum quod ſpectat, certum eſt Græcos ſub Epiſcopis Latinis degentes omnino prohiberi ſecundo nubentibus benedicere; ſed inde inferri non poteſt, hanc prohibitionem extendi quoque ad Græcos illos Orientales, qui peculiare habent pro Bigamis nuptias contrahentibus officium, in quo eorum nuptiis benedicitur. Licet enim *exacta legum obſervatio Bigamos coronare non eſt aſſueta; minus vero hæc cuſtodit Magnæ Eccleſiæ conſuetudo, verum & Bigamis ſponſalitias imponit coronas, nec ullus propterea conqueſtus eſt unquam. Uno vel altero anno ſacra communione excluduntur, ſed neque fas eſt Presbyterum benedictionem eis impertientem ſimul convivari, juxta ſeptimum canonem Neocæſarienſis Synodi*. Ita refert Goarius ex reſponſis B. Nicetæ Metropolitæ Heracleenſis ad interrogata Conſtantini Epiſcopi. Cum Conſtitutio, de qua loquimur, ad Græco-Italos tantum dirigatur, non videtur hac in parte morem illorum improbare, qui ex antiqua conſuetudine Bigamis ſponſalitias coronas imponere, & benedicere ſoleant, ſed exactam legum obſervationem Græcis Latinis Epiſcopis ſubjectis indicere; juxta quam *Bigamus non coronatur, ſed præterea prohibetur illibatis myſteriis communicare annis duobus; Trigamus vero quinque*: ut idem Goarius refert ex cap. *de Bigamis* Nicephor. Confeſſoris Patriarchæ Conſtantinopolitani.

*Nota 5.* Quoad quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum, quo Matrimonium contrahi prohibetur juxta Concilii Tridentini Decretum, conſtitutio non videtur extendenda ad Græcos alios, qui juxta antiquam Eccleſiæ gentis ſuæ conſuetudinem, prohibitionem contrahendi Matrimonium ad ſeptimum tantum conſanguinitatis gradum extendunt: qui gradus idem eſt ac tertius juxta Latinorum ſupputationem. Aſſemanus tom. III. part. 2. Bibliothecæ Orientalis pag. 345. ita rem hanc exponit, ubi etiam Chaldæorum hac de re diſciplinam explicat. En ipſius verba: „ Græci primis quatuor ſeculis conſanguinitatem non extenderunt ultra primum gradum lineæ collateralis rectæ; tunc enim adhærebant legibus Imperatorum, quæ conjugia conſobrinorum, ſeu inter filias, & filios fratrum, aut ſororum permittebant, ut oſtendit Juenin in Comm. de Sacramentis diſſ. 10. de Matrimonio qu. 5 art. 2. pag. 688. Labente vero ſeculo quarto ex Theodoſii ſenioris lege, conſobrinorum, & non ulterius, Matrimonium prohibuerunt, quam diſciplinam anno 692. in Concilio Quiniſexto tenebant. Seculo autem undecimo nuptias vetuere ad ſextam uſque perſonam incluſive, hoc eſt: ad tertium gradum juxta ſupputationem Latinorum, ſextæ demum perſonæ circa annum 1050. ſeptima addita eſt a Michaele Patriarcha: quam Græcorum praxim improbavit Innocentius IV. Epiſtola 10. quæ eſt ad Othonem Cardinalem Tuſculanum in Regno Cypri Legatum. Verum ut idem Juenin obſervat, ea Innocentii IV. Decretalis in Regno Cypri, aut in aliis Græcorum regionibus, pacis & œconomiæ cauſa, promulgata non fuit, & nihil per eam mutationis invectum eſt in Græcorum diſciplinam. Ita quod Latini cum perſona octava prohibent Matrimonium, Græci permittunt. Neſtoriani, ſeu Chaldæi, quum in Perſico, non Romano Imperio verſarentur, eos conſanguinitatis gradus olim obſervarunt, qui per priora Eccleſiæ ſecula ex Levitico c. 18. obſervabantur: hi autem erant, 1. in linea recta aſcendentium in omnibus omnino gradibus, quantumcumque a ſe invicem diſtarent. 2. In linea collaterali recta in primo gradu tantum, ſive inter fratrem, ſive inter ſororem, ſive ſoror ex patre ſit, ſive ex matre. 3. In linea collaterali obliqua, in ſecundo gradu reſpectu aſcendentium: ita ut Nepotes non potuerint amitas ducere. Poſtea vero vel ex Græcorum diſciplina, vel ex Patriarcharum ſuorum conſtitutionibus, ita gradus ſtatuerunt, legem imperialem admittunt, in qua part. 2. de Matrimonio edicitur: *De feminis, cum quibus Matrimonium contrahere non liceat, ſunt autem filia, & noverca, & mater, & ſoror, & patris filia, & fratris filia, & patris ſoror, & matris ſoror, & uxor fratris, & uxor patrui, & ſocrus, & nurus, & filia uxoris, & filia filii, & filia filiæ, earumque filiæ. Quarum vero mentio facta non eſt, prædictorum menſura metiendi erunt: quum enim quis fratrem commemorat, filiam quoque fratris connotat. Rurſus in ſacroſancto Evangelio prohibentur nuptiæ cum muliere dimiſſa ob cauſſam fornicationis, & Apoſtolus vetat Matrimonium cum Ethnica, & infideli*. Hæc verba deprompta ſunt ex collatione Canonum arabica, Auctore Abulpharagio Benaltibo. Notat vero idem Aſſemanus ex relaxatione diſciplinæ, tantam poteſtatem Neſtorianos ſuis Patriarchis tribuere, ut præter vetitos in Levitico gradus, in ceteris omnibus diſpenſatio facile impetrari poſſit. Quod ſpectat ad auctoritatem Epiſcoporum circa diſpenſationem ad contrahendum Matrimonium in gradibus prohibitis, vide quæ ſupra adnotavimus ex tractatu *de Synodo Diœceſana* Benedicti XIV.

*Nota 6.* Circa cognitionem ſpiritualem Græcis in Italia degentibus præcipitur ſervare adamuſſim Trid. Synod. Decretum. Hac lege tenentur quoque Græcorum reliqui; Canon enim LIII. Trullanæ Synodi, quæ apud nos magnæ auctoritatis eſt, ita ſtatuit: *Quoniam ſpiritualis neceſſitudo major eſt conjunctione corporum, ſtatuimus, ut qui ex ſacro, & ſalutari baptiſmate pueros ſuſcipiunt, & poſtea cum matribus eorum viduis in Matrimonium coeunt, primum a tali contubernio abſtineant, deinde ſcortatorum quoque pœnis ſubjiciantur. Quippe qui ab hoc malo prompte non ſemel abſtinet, & confitetur, tanquam inceſtis nuptiis pollutus damnatur.* Apud Syros Neſtorianos hujuſce cognationis nulla mentio occurrit: & antiquam primævæ Eccleſiæ diſciplinam hac in re ſequi videntur, in qua per tria priora ſecula ex nullo monumento Eccleſiaſtico probari poſſe, cognationem ſpiritualem fuiſſe Matrimonii impedimentum, oſtendit Juenin. lib. ſup. cit. pag. 691.

*Nota 7.* Circa impedimenta, quæ ſtabilita ſunt jure Eccleſiaſtico, hæc regula tenenda eſt in iis Orientalibus Eccleſiis, in quibus lex prohibens Matrimonium, vel nunquam promulgata & recepta fuit, vel licet fuerit promulgata, & aliquando etiam in uſu, a pluribus ſeculis in deſuetudinem abiit, atque penitus ignoratur; hujuſmodi lex nullam habet vim, nec ad eam ſervandam Chriſtiani illi tenentur, donec Eccleſiæ auctoritate ſit ipſis propoſita, & inculcata. Vide ea, quæ de humanis, & Eccleſiaſticis legibus ab Auctore expoſita ſunt, quæque in noſtra Appendice ad tractatum de legibus fuere explicata.

Hæc pauca ad tractatum de Matrimonio addere voluimus, ne opus nimium excreſceret, & quod ex iis, quæ Auctor tractat, quæque nos de ritibus agendo diximus, facile dilui poſſint dubia omnia circa hanc materiam etiam ex Orientalium diſciplina emergentia. ✠

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS




# TRACTATUS
## DE CENSURIS, ET IRREGULARITATIBUS.

### CAPUT PRIMUM.

*De Cenſuris in genere.*

QUæſt. I. *Quid eſt Cenſura?*

*Reſp.* Eſt pœna Eccleſiaſtica medicinalis, privans primario bonis quibuſdam ſpiritualibus diſpenſationi Eccleſiæ commiſſis.

Dicitur 1. *Pœna*: Quia ſemper ſupponit culpam: nam *rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*, cap. *de conſtit.*

2. *Eccleſiaſtica*: Quia ferri poteſt a ſola poteſtate Eccleſiaſtica, cum ſit privatio bonorum ſpiritualium, quæ Laici non habent in ſua poteſtate: nec proinde auferre poſſunt.

3. *Medicinalis*, ex c. 1. *de ſent. excom. in 6.* Quia fertur ad avertendum, & revocandum hominem a peccato. Quare Cenſura ex intentione Eccleſiæ non eſt perpetua, ut depoſitio & degradatio, quæ ſunt pœnæ mere vindicativæ, ſed tolli debet a ſuperiore, cum reus ſe emendavit & ſatisfecit.

4. *Privans bonis &c.* ut ſunt publica Eccleſiæ ſuffragia, juriſdictio ſpiritualis, & ejus uſus, beneficia, ſacrificia, Sacramenta: non item habitus virtutum infuſi, gratia ſacrificans, character, poteſtas Ordinis.

5. *Primario*: Nam ſecundarie privat bonis quibuſdam temporalibus, puta fructibus beneficii, & ſocietate fidelium etiam in civilibus: ſed per ordinem ad bonum ſpirituale, ut ſic facilius & promptius reſipiſcant, & ad debitam obedientiam efficacius revocentur.

Quæſt. II. *Quotuplex eſt Cenſura?*

*Reſp.* Cenſura 1. dividitur in excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum, c. 20. *de verbor. ſignif.*

2. Alia eſt a jure, alia ab homine. Cenſura a jure eſt ea, quæ per legem vel ſtatutum perpetuum lata eſt: unde in Canonibus, Decretis Pontificum, vel ſtatutis Epiſcoporum continetur. Cenſura ab homine eſt ea, quæ fertur ab aliquo ſingulari ſuperiore, per præceptum tranſitorium, vel ſententiam judiciariam; eſtque vel generalis, quæ generatim & indeterminate fertur in aliquos; v. g. in Clericos, vel particularis, quæ fertur in certam ac determinatam perſonam.

Cenſura a jure non ceſſat morte legislatoris. At cenſura ab homine expirat morte ſuperioris, aut ejus amotione, ſi eveniat antequam contrahatur; ſed jam contracta manet poſt ejus mortem, donec tollatur per abſolutionem.

3. Alia eſt latæ ſententiæ, alia ferendæ. Prior eſt, quæ contrahitur ipſo facto, ſeu ſola culpæ admiſſione abſque ulla judicis ſententia. Poſterior eſt ea, quæ non contrahitur niſi accedente ſententia judicis, & vocatur comminatoria. Pro quibus dignoſcendis



conſideranda ſunt verba, quibus fertur Cenſura.

Cenſura eſt latæ ſententiæ, ſi adhibeantur hæ voces: *Ipſo facto, ipſo jure, ex tunc, ex nunc, ſtatim, illico, continuo, confeſtim, mox, protinus, latæ ſententiæ &c.* Vel ſi verba ſint præſentis temporis indicativi modi, v. gr. *Excommunicamus, ſuſpenduntur, interdicuntur.* Vel præteriti temporis v. gr. *Excommunicatus eſt; volumus eſſe excommunicatum, ſuſpenſum; noverit ſe excommunicatum, ſuſpenſum.* Item ſi verba ſint imperativi modi, nec dirigantur ad judicem, nec ejus actionem exigant, ut, *ſubjaceat excommunicationi; incidat in excommunicationem: maneat ſuſpenſus, interdictus: habeatur pro excommunicato: ſit excommunicatus, ſuſpenſus &c.*

Cenſura eſt ferendæ ſententiæ, ſi feratur per verba, quæ judicis actionem exigant, vel ſignificent, ut, *Excommunicetur, ſuſpendatur, ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, decernimus excommunicandum, ſuſpendendum &c.* Item ſi verba ſint futuri temporis, v. gr. *Excommunicabitur, ſuſpendetur*: vel minatoria, ut, *ſub pœna excommunicationis, ſuſpenſionis: ſub interminatione anathematis &c.* niſi ex adjunctis aliud colligatur, vel ex aliquibus verbis additis. ut ſi dicatur: *ſub pœna excommunicationis ſtatim incurrendæ*, vel *cui ſtatim, confeſtim, omnino ſubjaceat.* In dubio, an cenſura ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ, cenſenda eſt ferendæ, quia *in pœnis benignior eſt interpretatio facienda*, regul. 43. in 6.

Quæſt. III. *Quænam culpa requiritur ad contrahendam Cenſuram?*

*Reſp.* Ex communi ſententia, non contrahitur ſaltem Cenſura totalis, niſi ob culpam mortalem, externam, contumaciter admiſſam contra præceptum Eccleſiaſticum. Itaque ad hoc requiritur

1. Culpa mortalis, ex c. *Nemo*, &c. *Nullus* 11. q. 3. Quia Cenſura eſt gravis pœna, cum privet magnis bonis ſpiritualibus. Pœna autem debet eſſe commenſurata culpæ; alias eſſet injuſta, ex c. 5. *de pœnis in 6.* ubi jubetur ut judex pœnam metiatur ex culpa. At peccatum veniale eſt culpa levis in ſuo ordine, ſeu in ordine ac linea peccati.

Dixi, *totalis*: nam ſecundum multos Cenſura partialis, aut ſuſpenſio ab aliquo actu officii ad breve tempus, item excommunicatio minor, non neceſſario gravem culpam ſupponit.

2. Ut ſit externa, & quidem mortalis ſecundum opus externum. Quia nulla cenſura fertur propter ſolam internam pravam operantis voluntatem: nam hæc non requiritur ad rectum regimen Eccleſiæ ſaltem ordinarium, & Eccleſia non fert cenſuram, niſi de iis, de quibus judicare poteſt. Eccleſia autem non judicat de mere internis in foro externo, cap. 33. *de ſimon.*

Item actus peccati debet eſſe completus ac perfectus in ſua ſpecie morali, & habere eam malitiam, quæ ſub cenſura prohibetur. Quia lex humana non obligat, nec operatur ultra intentionem ſuperioris verbis expreſſam, cum non aliter proponatur ſubditis, & in odioſis ſtricta debet eſſe interpretatio. Ob eamdem rationem requiritur effectus completus, quem legislator intendit ſub cenſura prohibere, niſi aliud in lege exprimatur. Hinc qui animo occidendi alterum graviter vulneravit, non incurrit excommunicationem contra homicidas latam, niſi mors ſequatur, quia ſuperior tunc non vult punire peccatum, niſi poſita tali conditione effectus ſecuti. Unde quis a peccato præterito, v. gr. vulneratione, juſtificatus per contritionem, vel Sacramentum Pœnitentiæ, poteſt contrahere excommunicationem in ſtatu gratiæ, nam licet juſtificatus ſit, dignus eſt pœna ob culpam ſub cenſura prohibitam debita.

Dixi: *Niſi aliud &c.* Nam c. 1. *de homicid. in 6.* mandans aliquem occidi per aſſaſſinos excommunicatur, quamvis mors non ſequatur.

Item in cenſura lata contra facientes non comprehenduntur conſulens, mandans, approbans, niſi exprimantur; quia lex pœnalis, utpote odioſa, non extenditur ultra proprietatem verborum.

3. Ut ſit contra præceptum Eccleſiaſticum, & cum aliqua contumacia. Nam cenſura eſt pœna mere Eccleſiaſtica conſtituta in eos, qui ſunt contumaces contra ſuperiorem Eccleſiaſticum, ut coerceantur & corrigantur: quæ pœna inobedientiam aliquam Eccleſiæ requirit, juxta illud Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus.* Ad hanc autem inobedientiam, ſeu contumaciam ſufficit contemptus virtualis & interpretativus auctoritatis Eccleſiæ ſub pœna præcipientis, qualem habere cenſetur, qui ſciens præceptum Eccleſiæ annexam habens cenſuram, tamen illud violat.

Hinc ex communi ſententia ob peccatum mere præteritum non poteſt ferri Cenſura, niſi aliquo modo pendeat in futurum, vel quia reus in eo perſeveret, vel ut cogatur ſcandalum tollere, vel injuriam reſarcire per debitam ſatisfactionem. Alioqui cenſura non eſſet medicina, ſed mere vindicta.

Porro licet culpa aliena ſufficiat ad ſuſpenſionem, & interdictum, requiritur tamen propria ad excommunicationem ſubeundam, ex c. 5. *de ſent. excom. in 6.* cum excommunicatio ſit graviſſima pœna.

Quæſt. IV. *Quænam excuſant a cenſura gravi?*

*Reſp.* Excuſant 1. Id omne quod excuſat ſive a peccato mortali, ut defectus advertentiæ ſufficientis, levitas materiæ; ſive ab obſervatione præcepti eccleſiaſtici, ut impotentia moralis, cum ſcilicet non poteſt ſervari ſine gravi damno, quo cum ordinarie præcepta Eccleſiæ non obligant. Quia cenſura non fertur niſi ob tranſgreſſionem culpabilem præcepti eccleſiaſtici, contumaciter admiſſam. Excipe, niſi metus gravis directe incuteretur in contemptum religionis aut eccleſiaſticæ poteſtatis: nam tunc etiam cum periculo mortis tenetur quis ſervare talem legem. Ita communiter.

2. Ignorantia (1) invincibilis etiam ſolius legis eccleſiaſticæ, ſive ea ſit facti, ſive juris, excuſat. Quia

(1) *In præſenti diſquiſitione primo præ oculis habenda variæ ignorantiæ ſpecies, de quibus Auctor in tract.* de Peccat. *c. 4. q. 1. Noſque N. 189. uſque ad 199. Dein recolenda, quæ generatim de violatione legum pœnalium facta ex ignorantia dicta fuerunt tum ab Auctore in tract.* de Legib. *ſect. 3. c. 8. q. 3. tum a nobis N. 219. uſq. ad 323.*

Quia hæc excuſat a culpabili tranſgreſſione legis Eccleſiaſticæ, & impedit contumaciam, ac voluntarium circa id quod ignoratur. At non excuſat ignorantia vincibilis, etiam non affectata, ſi ſit craſſa vel ſupina, hoc eſt, orta ex eo quod quis nullam adhibuerit diligentiam ad ſciendum id quod ſcire poterat & debebat, ex cap. 2. *de conſtit. in* 6. ubi Bonifacius VIII. ait: *Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina*. Nam ex tali ignorantia peccans, virtualiter, ideoque ſufficienter contumax eſt; quia negligit culpabiliter ſcire legem alias publicam, & quæ ſemper ex ſe admonet.

Si tamen cenſura lata ſit contra ſcienter, conſulto, temerario auſu facientem aliquid, vel præſumentem facere, tunc ab ea excuſat omnis ignorantia, etiam vincibilis, non affectata. Nam non dicitur ſcienter, auſu temerario legem violare, qui eam ignorat ignorantia non affectata; & hæc verba in rebus odioſis ſunt ſtricte accipienda, & alioqui eſſent inutilia. Secus, ſi ignorantia ſit affectata: nam hæc æquiparatur certæ ſcientiæ, & auget culpam, quia includit majorem affectum peccandi, contemptum legis, magnam temeritatem, præſumptionem, ſcientiam periculi directe voliti, contumaciam, & intentionem ſaltem implicitam ac virtualem faciendi id quod lege prohibetur. Item ſi quis ſuſpicans aut dubitans de cenſura vel facto, non inquirat, & ſic faciat contra legem, contrahit cenſuram, quia tunc talis habet ſatis contumaciæ & præſumptionis ad talem cenſuram, cenſeturque legem ac cenſuram contemnere.

*Sed an probabilis, ſeu invincibilis ignorantia ſolius cenſuræ excuſat ab ea contrahenda?* (1)

*Reſp.* 1. Covarruvias, & alii Doctores contra alios multos docent, nullam ignorantiam etiam invincibilem ſolius cenſuræ per legem papalem, aut canonem univerſalem latæ excuſare ab ea contrahenda; ita ut ad cenſuram contrahendam ſufficiat, quod quis ſciat, vel ſcire poſſit ac debeat actionem, vel omiſſionem, cui cenſura annexa eſt, eſſe ab Eccleſia graviter præceptam vel prohibitam.

*Prob.* 1. Quia hoc ipſo quod quis ſcit, vel ſcire poteſt & debet, actionem aliquam eſſe graviter ab Eccleſia præceptam vel prohibitam, & tamen libere ponit talem actionem vel omiſſionem, ſufficienter contumax eſt Eccleſiæ, ut merito ab illa puniatur per cenſuram illi annexam. Nam talis culpabiliter violat legem eccleſiaſticam, quam ſcit, aut ſcire poteſt, & debet graviter obligare. Ergo peccat mortaliter contra illam legem, quam virtualiter contemnit & contumaciter violat; ac proinde meretur, & contrahit pœnam per talem legem impoſitam. Contumacia quippe ad cenſuram requiſita nihil aliud eſt quam culpabilis inobedientia Eccleſiæ, & virtualis contemptus auctoritatis Eccleſiaſticæ, juxta illud Matt. 18. *Si Eccleſiam non audierit*, hoc eſt, ſi Eccleſiæ non paruerit, *ſit tibi ſicut ethnicus*. Quælibet autem graviter culpabilis violatio legis eccleſiaſticæ, cujus reus eſt quicumque agit, vel omittit aliquid contra legem eccleſiaſticam quam cognoſcit, vel cognoſcere potuit, vera eſt inobedientia Eccleſiæ, & virtualis contemptus ejus auctoritatis, cum ſit mortalis culpa contra legem, & auctoritatem Eccleſiæ.

*Paulo aliter*. Ad cenſuram contrahendam ſufficit cognitio poſſibilis & debita legis eccleſiaſticæ aliquid graviter præcipientis aut vetantis. Nam illa poſita, qui libere ponit talem actionem vel omiſſionem, ſufficienter contumax ſeu inobediens eſt Eccleſiæ, et merito ab illa puniatur per cenſuram illi annexam: libere enim violat grave præceptum Eccleſiæ, & mortaliter peccat contra illud, cum ignorantia vincibilis non excuſet a mortali culpa: & conſequenter talis ſufficienter contumax, & inobediens eſt Eccleſiæ, ut ab illa puniatur.

2. Ex cap. *Ut animarum* 2. *de conſtit. in* 6. ubi Bonifacius VIII. ſtatuendo, ſententiis ſeu pœnis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis non ligari ignorantes, tacite excipit ſententias, ſeu pœnas prolatas per leges papales, & canones univerſales, ut notat Gloſſa V. *Statuta*, dicens: *De generalibus ergo ſtatutis canonum vel legum non loquitur, quæ ab omnibus ſciri & cuſtodiri debent*. Et hoc ſtatuit Pontifex utriuſque juris peritiſſimus, ad imitationem legis civilis ult. §. *de decret. ab ordine fac.* ubi habes quod municipali ſtatuto non ligatur ignorans, ſed ſciens tantum, ut habet alia Gloſſa, ibid. V. *Sententiis*. Ratio eſt, quia ignorantia juris communis & univerſalis, cæteris paribus, minus probabilis, minuſque excuſabilis eſt, quam ignorantia juris particularis; quia quilibet magis debet & facilius poteſt addiſcere & ſcire leges, quæ ſunt omnibus fidelibus communes, & ab omnibus obſervari debent, quam quæ ſunt certis locis ſpeciales. Ergo etſi ignorantia non craſſa nec ſupina cenſuræ ſtatuto particulari latæ excuſet ab illa contrahenda; non continuo excuſare debet ſimilis ignorantia paris Cenſuræ per leges univerſales ſtatutæ.

Hinc qui duellum committit, ſciens quidem hoc eſſe graviter ab Eccleſia prohibitum, vel ſi culpabiliter ignoret hanc Eccleſiæ prohibitionem, tametſi neſciat eamdem eſſe ſub pœna excommunicationis, ut plerique rudes ignorant, tamen vere excommunicationem contrahit.

Si dicas, cenſuram ex natura rei requirere peculiarem modum contumaciæ & inobedientiæ, quæ opponatur ſpeciali, & rigoroſo modo præcipiendi, vel prohibendi ſub comminatione cenſuræ;

*Reſp.* Hanc eſſe meram petitionem principii, ſupponentem id quod in quæſtione eſt, & quod eſt probandum, quodque negatur. Præterea ex eo quod quis ſcit, aut ſcire poteſt & debet, aliquid eſſe ab Eccleſia graviter præceptum aut prohibitum, cognoſcit confuſe & virtualiter ſpecialem illum præcipiendi modum, & contra faciens virtualiter contemnit auctoritatem Eccleſiæ ſub quacumque pœna præcipientis: ad contumaciam autem ſufficit virtualis, & interpretativus contemptus auctoritatis Eccleſiæ, qui reperitur in omni violatione graviter culpabili legis Eccleſiaſticæ.

Nec obſtat, inquiunt, quod cenſura ſit pœna medicinalis, ordinata per ſe primo ad avertendum, vel ad emendandum delictum. Nam 1. Etſi contrahitur ab ignorante, tamen per ſe ſemper medicinalis eſt; per ſe enim ſemper apta eſt ad hoc utrumque præſtandum. Quod ſi non ſemper medeatur, hoc eſt per accidens. Et quando ignorans ſciat poſtea ſe Cenſura ligatum, tum per illam adducetur ad emendandum delictum.

2. Hoc nimium probat, ideoque nihil probat: probaret enim ignorantiam etſi vincibilem a cenſura excuſare; nam quælibet ignorantia, ſaltem non affectata, tollit rei ignoratæ notitiam. At certe ignorantia craſſa, aut ſupina, etiam ſecundum adverſarios non excuſat a cenſura, ut patet ex c. 2. *de conſtit. in* 6. ubi poſtquam Pontifex dixit: *Sententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes*: hanc exceptionem addit; *Dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina*. Quod generatim dictum comprehendit etiam cenſuras, ut conſentiunt omnes: immo de illis præcipue intelligi debet juxta Gloſſam V. *Sententiis*: & hoc oſtendit ratio allata, *ut animarum periculis obvietur*. Quod ſi de cenſuris agitur in regula generali: ergo & in exceptione; & hæc eſt etiam communis expoſitio, inquit Suarez. Ex quo a fortiori ſequitur (addit idem Doctor) etiam in legibus pontificiis ignorantiam craſſam a Cenſura non excuſare, quia ex genere ſuo plus obligant pontificiæ leges, quam ſtatuta Ordinariorum: unde concludit Suarez, negandum eſſe in actu ex ignorantia facto deeſſe contumaciam & inobedientiam ſufficientem ad contrahendam Cenſuram. Nam licet non tam expreſſe & directe; virtute tamen & indirecte idem genus inobedientiæ eſt, ita negligere legem alias ſatis publicam & omnibus notam, ut tam craſſa illius ignorantia habeatur. Ac propterea ſatis etiam eſt, quod lex, quantum eſt ex ſe, illum admoneat: quamvis admonitio ad ejus aures non perveniat ex ſupina ejus negligentia. Hæc Suarez de cenſur. diſp. 4.

*Reſp.* 2. Quævis ignorantia, modo non ſit craſſa & ſupina, excuſat a Cenſura per ſtatutum particulare lata, habetur c. 2. de conſtit. in 6. ibi; *Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina*. Hæc autem Decretalis eſt conſtitutiva juris novi, non mere declaratoria, ut recte colligit Suarez ex verbo *nolumus*. Ratio diſcriminis inter has Cenſuras, & alias jure communi latas eſt, quod Cenſuræ per ſacros Canones & Conſtitutiones univerſales rarius, & majori cum maturitate ferantur, quam per ſtatuta particularia, ex quibus proinde majora animarum pericula orirentur, niſi illis obviaretur, reſtringendo has pœnas ad ſolos ſcientes, & craſſe ignorantes.

Porro ignorantia craſſa & ſupina hic eſt ea, qua quis ignorat id quod ſcire debet, & quod omnes ejuſdem ſtatus & conditionis communiter ſciunt.

Quæſt. V. *Quandonam Cenſura eſt invalida?*

*Nota*. Non contrahi cenſuram, quando invalida eſt, per ſe patet, cum nulla ſit.

*Reſp.* Cenſura nulla eſt, 1. Defectu juriſdictionis, cum ſcilicet ferens Cenſuram caret juriſdictione, vel eam habet legitime impeditam per aliquam Cenſuram, aut ſuſpenſam per legitimam appellationem, cum nempe ante ſententiam abſolute latam reus appellavit ad ſuperiorem, ex cap. 40. *de appellat*. Si vero appellatio fiat poſt latam ſententiam, vel poſt contractam Cenſuram a jure, valet Cenſura & ſervari debet, cap. 20. *de ſent. excom. in* 6. quia Cenſura lata executionem ſecum contrahit, ex c. 53. *de appellat.*

2. Defectu ordinis ſubſtantialis judicii, ut ſi aliqua monitio non præceſſit: nam ut Cenſura ab homine per ſententiam particularem infligenda feratur valide, præcedere debet una ſaltem monitio, c. 47. *de ſent. excomm.* & c. 9. eod. tit. in 6. Quia non eſt contumax contra Eccleſiam, niſi qui præcedente monitione & comminatione Cenſuræ obedire renuit. Ut autem valide feratur & contrahatur Cenſura a jure, vel ab homine per ſententiam generalem contra actum futurum, non requiritur alia monitio, quam promulgatio ipſius legis vel ſententiæ: lex enim & ſtatutum, cum ſint publica & permaneant, ſemper ſatis per ſe monent, ex c. 26. *de appellat.* Idem eſt de ſententia illativa Cenſuræ, ſed declaratoria tantum; nam abſque alia monitione declarari poteſt Cenſura contracta, modo, prius citata parte, de crimine juridice conſtet: alias nulla eſſe declaratio, quia contra partem inauditam nihil poteſt in judicio definiri, c. 1. *de cauſſ. poſſ.*

3. Defectu culpæ mortalis. Quia gravis pœna non poteſt irrogari ab homine ob levem culpam: nam pœna improportionata & major culpa eſt evidenter injuſta, cum deſit æqualitas. Actio autem evidenter injuſta quoad ſubſtantiam non habet vim per ſe obligandi. Quod ſi Cenſura lata ſit ob crimen falſum, ſed in judicio legitime probatum, hanc obligare in conſcientia docent Richard. Palud. S. Anton. 3. part. tit. 24. part. 73. & alii. E contra Suar. Laym. & alii multi contendunt eam reipſa non contrahi in foro conſcientiæ & coram Deo; quia ſicut cauſſa eſt tantum apparens, ita & Cenſura; nec poteſt, nec vult Eccleſia punire innocentes. Addunt tamen, damnatum teneri ſe gerere exterius coram aliis tanquam Cenſura affectum: quia ſententiæ judicis legitimæ, licet quoad rem injuſtæ, parere tenetur, quantum neceſſarium eſt ad amovendum ſcandalum & tuendam auctoritatem Superioris. Quare, inquiunt, ſi actum ordinis ſui publice exerceret, peccaret; quia cum ſcandalo reſiſteret poteſtati publicæ, ſed non contraheret irregularitatem: quia Cenſura eſt tantum apparens, & ſic non violat veram Cenſuram. Non peccaret autem, ſi actum ſui ordinis exerceret privatim, & coram iis ſolis, quibus innocentia ejus perſpecta eſt.

Mihi vero videtur non privari quidem participatione communium ſuffragiorum & orationum, neque et-

(1) *Affirmantem ſententiam, quam plurium graviſſimorum TT. & Canoniſtarum eſſe oſtendimus (N. 127. & 212.) propugnat inter alios recentiores perdoctus Auctor* Summæ Alexandrinæ, *ita ſcribens* (*Par.* 2. *de Cenſur. Eccleſ.* §. 2. *num.* 494.) Qui ſcit aliquod delictum prohibitum eſſe jure naturæ, vel divino, ſed ab Eccleſia prohibitum eſſe neſcit, aut certe ſub cenſura prohibitum eſſe ignorat, non incurrit in cenſuras ab Eccleſia latas contra patrantes hujuſmodi delictum. *Cap.* ut animarum, *tit. de Conſt. in* 6. *Vid. Sylvium in Comm. ad Suppl.* 3. *p. q.* 22. *art.* 4. *in fine*.

etiam privari aperte affirmat ullus auctor, ut notat Suarez: quia non eſt veriſimile Deum dediſſe Eccleſiæ poteſtatem ea privandi innocentem, cum hæc poteſtas non poſſit eſſe in deſtructionem, ſed ſolum in ædificationem; neque etiam Eccleſia id intendit, cum nec ad bonum commune, nec ad bonum illius qui condemnatur, utile ſit. Sed tamen talis revera privatus receptione & adminiſtratione Sacramentorum, executione ordinis, & communione externa cum fidelibus. Quia hæc omnia ei per ſententiam legitimam & juſtam ex parte actionis ſeu judicii prohibentur, cui ſententiæ legitimæ parere tenetur in foro conſcientiæ, & debet hoc incommodum pati propter bonum commune poſtulans executionem ordinis ac ſententiæ legitimæ, & obedientiam ſuperiori juſte ac legitime præcipienti. Et hæc prohibitio non habet tunc rationem pœnæ proprie dictæ, quæ ſemper ſupponit culpam; ſed pœnæ improprie dictæ, quæ eſt incommodum propter bonum commune inflictum: unde etiam tunc non erit Cenſura ſtricte dicta, ſed late ſumpta pro prohibitione legitima & obligante. Quod confirmo auctoritate S. Thomæ, qui in 4. diſt. 18. qu. 2. art. 1. qu. 2. docet, excommunicationem latam per ſententiam, quæ nulla eſt, habere effectum ſuum, & debere excommunicatum humiliter obedire. Sententia autem, de qua agitur, non eſt nulla, cum in ſuo foro juſta & legitima ſit. Unde inferius S. Doctor de hac ſpecie loquens vocat eam Cenſuram ex debita cauſſa ex parte Cenſuræ, non vero ex parte ejus cui imponitur. *Sicut*, inquit, *cum aliquis pro falſo crimine in judicio probato excommunicatur: & tunc ſi humiliter ſuſtinet, humilitatis meritum recompenſat excommunicationis damnum*. Et in ſolutione objectionum ait non eſſe inconveniens, ut innocens & invitus aliquando privetur per modum pœnæ auxiliis externis, quibus per Eccleſiam juvari poteſt ad ſalutem. Quare ſi violaretur iſta Cenſura, videtur quod contraheretur irregularitas, quia non eſt Cenſura apparens tantum, ſed eſt vera & juſta prohibitio Superioris, cujus violatio merito punitur irregularitate.

Ceterum in dubio juſtitiæ Cenſuræ, conſtat hanc ſervari debere etiam in foro conſcientiæ, donec a Superiore declaretur irrita, vel tollatur. Quia in dubio favendum & obediendum eſt Superiori, habenti jus ferendi Cenſuras. Et in dubio tutior pars eligi debet.

*Sed an omnis Cenſura injuſta eſt etiam nulla?*

*Reſp.* Nego. Nam injuſta eſt Cenſura, quæ non fertur ex amore juſtitiæ, ſed ex odio, invidia, vel vindicta privata; vel quæ ab homine fertur, accidentario juris ordine ſine neceſſitate prætermiſſo, v. gr. ſine trina monitione, ſine ſcriptura, vel expreſſione cauſſæ; & tamen valida eſt, ac ligat etiam in conſcientia, ſi poſt unam monitionem a legitimo Superiore ob crimen verum feratur. Nam tunc nihil eſſentiale deeſt ad ejus valorem; & accidentium defectus non tollit ſubſtantiam rei, nec proinde ejus effectum primarium. Immo rata eſt Cenſura quoad prohibitionem, & ſervanda, etiamſi feratur ob crimen falſum, ſed in judicio legitime probatum, ut dixi, & opus eſt abſolutione. Quare utraque Cenſura, licet injuſta, timenda eſt. *Sententia Paſtoris ſive juſta, ſive injuſta ſit, timenda eſt*, ait S. Greg. hom. 6. in Evang.

*Nota*. Ut Cenſura ab homine per ſententiam particularem licite feratur, neceſſe eſt, 1. Ut fiat trina monitio cum ſuis intervallis, ita ut una præcedat aliam duorum ſaltem dierum ſpatio, *c. 9. de ſent. excomm. in 6.* Tamen ex urgenti cauſſa ſufficit una pro tribus cum intervallis, antequam excommunicetur reus; vel etiam ſine intervallis, ſi neceſſitas exigat; v. gr. Moneo te ſemel pro tribus vicibus, ibid. 2. Ut fiat in ſcriptis, & cauſſa Cenſuræ exprimatur, tradaturque reo petenti exemplum hujuſmodi ſcripturæ infra menſem, cap. 1. eodem tit.

Ad Cenſuram vero a jure ſufficit, ut lex, ſeu ſtatutum ſufficienter promulgatum ſit. Si tamen ſit *ferendæ ſententiæ*, ut hæc feratur, requiritur citatio rei, & condemnatio juridica, nec debet infligi reo etiam convicto & manifeſto, niſi prævia monitione & quidem per ſe loquendo trina, ex c. 26. *de appellat*. Quod ſi ſit *latæ ſententiæ*, ut declaretur contracta, requiritur, ut citata parte de crimine juridice conſtet.

*Nota*. Dubitans utrum Cenſuram aliquam contraxerit, tenetur ſe gerere tamquam ſi Cenſura affectus eſſet, donec dubium prudenter depoſuerit, ut ab ea abſolutus fuerit. Quia in dubio pars tutior eligenda eſt, & alioqui talis ſe exponeret periculo peccandi, violando Cenſuram actu per eam prohibito.

Quæſt. VI. *Quinam poſſunt ligari Cenſura?*

*Reſp.* Ut quis ligetur Cenſura, ex communi ſententia neceſſe eſt, 1. Ut ſit viator, quia hic ſolus eſt capax emendationis, ſubjectionis & contumaciæ, quod requiritur ad ſubeundam Cenſuram. Cum autem hæretici mortui dicuntur poſſe anathematizari, tunc anathema ſumitur pro declaratione, aliquem alienum ab Eccleſiæ communione deceſſiſſe. Poteſt etiam mortuus excommunicari indirecte, quatenus Eccleſia poteſt ad aliorum terrorem præcipere vivis, ut illum ſacra ſepultura, publicis precibus & ſacrificiis privent. Dicitur vero abſolvi, dum Eccleſia concedit facultatem eum ſepeliendi, & offerendi pro eo ſuffragia publica.

2. Ut ſit baptizatus: quia nemo ſit ſubditus Eccleſiæ niſi per Baptiſmum, ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 2. ibi: *Cum Eccleſia in nemine judicium exerceat, qui non prius in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de iis, qui foris ſunt, judicare?*

3. Ut ſit rationis uſu præditus, alias non eſſet culpæ emendationis capax. Impuberes autem adulti poſſunt ligari Cenſura, & reipſa incurrunt excommunicationem ob ingreſſum in monaſteria Monialium, ex Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 5. & ob percuſſionem Clerici, cap. ult. *de ſent. excomm.* Item interdictum in totum populum. Ergo etiam alias incurrunt, exceptis Cenſuris ab homine latis. Ebrius vero afficitur Cenſura ob delictum in ebrietate commiſſum, & antea ſufficienter præviſum.

4. Ut ſit ſubditus ligantis, ex *c. 21. de ſent. excom.* Quia poteſtas ferendi Cenſuras pertinet ad juriſdictionem coercitivam, quæ non poteſt exerceri niſi in ſubditos; ſubjectio enim & juriſdictio ſunt correlativæ. Peregrinus autem delinquens in alieno territorio, incurrit Cenſuras ibi latas per modum ſtatuti,

ex



ex cap. 14. *de foro competent.* Quia, ut alias dixi, peregrini ſubjiciuntur legibus territorii in quo verſantur, ratione ſuæ præſentiæ in illo. Si vero Cenſura lata ſit per modum ſententiæ, non obligat niſi perſonas, quas directe reſpicit. E contra ſubditus non incurrit Cenſuram latam per modum ſtatuti, ſi contra illud agat extra Diœceſim ligantis, cap. 2. *de conſtit. in 6.* Nam ſtatutum afficit ſolum territorium, pro cujus recta gubernatione fertur, nec extra illud obligat. Secus, ſi Cenſura lata ſit per ſententiam vel præceptum tranſitorium: nam ligat ſubditos extra territorium delinquentes, quia perſonas directe ac ſecundum ſe ſpectat, ideoque illas afficit ubicumque exiſtant: in quo differt a ſtatuto, quod ſpectat territorium, ſeu perſonas exiſtentes in territorio. Hinc ſi Epiſcopus Clerico peregrino ludum alearum prohibeat ſub pœna ſuſpenſionis, hic eam incurrit extra Diœceſim ludens: quia nempe ſententia, & præceptum immediate afficit perſonam, eique cohæret, ubicumque ſit. *Ita Suar. Sayr. Laym. Bonac. & alii communius*.

✠ De cenſuris plura ſcitu digna occurrunt in Tractatu ſæpe laudato De Synodo Diœceſ. Vid. lib. VIII. cap. 45. in quo improbatur immoderatus cenſurarum uſus. *Cap.* 46. eorum probatur ſententia, qui ob levem culpam, quæ tamen ex circumſtantiis ſit gravis, cenſuras ferri poſſe tuentur. *Cap.* vero 44. demonſtratur ex communi ſententia, grave, & enorme crimen deſiderari ad infligendas cenſuras: *atque* nonnullorum opinio refellitur, qui excommunicationem præcipue vero latæ ſententiæ improbare videntur. Id autem frequentibus verbis oſtendit. *Quod ſi omnium Doctorum conſenſu, grave, & enorme crimen requiritur ad irrogandam cenſuram, etiam quam vocant* comminatoriam, & ferendæ ſententiæ, *multo ſane gravius, & execrabilius eſſe oportet delictum, ob quod infligatur cenſura latæ ſententiæ, qua nimirum homo per ſolam legis tranſgreſſionem, nulla prævia monitione, ejuſdem legis miniſterio ſtatim perſtringitur. Ejuſmodi cenſuras, præcipue vero excommunicationes latæ ſententiæ viſi ſunt improbare nonnulli Doctores. Godeſcalcus Roſemundus Theologus Lovanienſis* in ſuo Confeſſionali c. 20. *eas e medio prorſus auferri vellet, inquiens*. „ Valde inconſultum, & periculoſum eſt, quod Epiſcopi in ſuis ſtatutis, ceteri quoque Judices tam faciles ſint in multiplicando cenſuras; unde expediens eſſet, ut etiam inquit Gerſon, ut omnes Conſtitutiones ſententiæ excommunicationis latæ ſententiæ in jure vel ſtatutis contentæ, quarum uſus nullus eſt, aut plus obeſt quam prodeſt, expreſſa revocatione caſſarentur in provinciis, & Diœceſibus, & in Eccleſia univerſali. Expediens etiam eſſet, ut nulla excommunicationis ſententia ferretur de facto a jure, vel Judice, neque pro præſenti, neque pro futuro, niſi pro manifeſta contumacia, qua quis oſtendit, ſe non paratum audire Eccleſiam „. *Verum hæc Godeſcalchi aſſertio, qua parte omnes excommunicationes latæ ſententiæ tamquam pernicioſas deleri & abrogari vellet, audax eſt: communem enim Eccleſiæ uſum condemnat, & Concilia, Summos Pontifices, omneſque Eccleſiarum Præſules tacite carpit: Neque eidem adſtipulatur, quem citat, Gerſon: hic ſiquidem* loc. cit. *totus eſt in explicando, qua ratione excommunicationis vinculo ipſo facto irretiatur, qui ex mera ignorantia, quamquam culpabili, aut infirmitate, peccatum committit, etſi ceteroquin contumax non ſit, ſed paratus ſit ſtare correctioni Eccleſiæ, & poſtquam multa ad hanc rem explicandam adduxit, concludit* (col. 49.) *eas excommunicationes latæ ſententiæ* „ tantundem operari, ut abſque proceſſu alio judiciali, aut nova Conſtitutione, poſſit Judex ſtatim probato facto, vel confeſſo ferre juris ſententiam, & eamdem publicare; non ſic ubi Canones eſſent ſolum ferendæ ſententiæ, quoniam monitiones, & proceſſus ſecundum terminos juris prærequirerentur multiplices ". *Unde apparet, non improbari a Gerſone excommunicationes latæ ſententiæ; ſed ad eas requiri ſententiam declaratoriam criminis, quæ utique eſt neceſſaria pro foro externo, in quo nemo eſt reputandus cenſura innodatus, niſi legitime probetur reus criminis, cui eſt cenſura jure ipſo alligata: in foro autem interno, & coram Deo, cujus oculis omnia nuda ſunt & aperta ad incurrendum in cenſuram latæ ſententiæ, nulla eſt neceſſaria Judicis declaratio, ſed ſat eſt crimen perpetrare, cui illa eſt annexa: ſuam quippe contumaciam & Eccleſiæ contemptum ſatis aperte manifeſtat, qui in legem delinquit, quam ſcit in ſui tranſgreſſores cenſuræ vinculum ſtatim & illico injicere, ſicuti egregie ratiocinantur Suarez* de cenſuris diſp. 3. ſect. 8. n. 3. & *Gonzalez* in cap. 48. de ſententia excommunicationis, n. 6. *ſed præ ceteris legendus eſt hac de re ex profeſſo diſſerens Theophilus Raynaudus* (oper. tom. XIV. p. 14.) *ubi ſcribens adverſus Ayalam, cenſuras latæ ſententiæ hoc nomine reprehendentem, quod illis non præcedat canonica admonitio, egregie oſtendit, admonitionis loco eſſe promulgationem legis, aliquid fieri præcipientis vel prohibentis ſub pœna cenſuræ.*

*6. Godeſcalco, & Ayalæ aſſentiri videtur Van-Eſpen* jur. Eccl. univ. part. 3. tit. 11. c. 6. num. 19. *ubi etſi non audeat abſolute damnare excommunicationes latæ ſententiæ, eas tamen recens adinventas, & per decem omnino ſæcula ignotas Eccleſiæ fuiſſe affirmat: At Van Eſpennium falli facile demonſtrabimus. Atque in primis nullam putamus fingi poſſe excommunicationem illa ſeveriorem, qua homo baptizatus perpetuo arceatur a Sacramentorum perceptione, omnique excidat ſpe conſequendæ ab Eccleſia reconciliationis: & tamen prioribus ſæculis quorumdam atrociorum criminum reos, facto ipſo, ſeu ſola criminis perpetratione, in hanc pœnam incurriſſe, præter alibi laudatos Petavium, Marinum, Albaſpinæum, aliosque plures, tradit Cardinalis Bona* rer. liturgic. l. 1. c. 17. nu. 2. *inquiens*: „ in exordio Chriſtianæ religionis tantum erat pietatis ſtudium, tantum odium improbitatis, ut quibuſdam ſceleribus, quæ atrociora viſa ſunt, omnis prorſus veniæ ſpes, omnis pœnitentia denegaretur, adeo ut qui ea commiſit, quamvis a divina miſericordia eorum remiſſionem veræ contritionis ſubſidio obtineret; nunquam tamen poſſet cum Eccleſia reconciliari. Ea erant idololatria, homicidium, & adulterium. " *Quid quod ſi actu Pœnitentes, aut jam ſemel pœnitentia functi in aliud cujuſcumque generis peccatum, quamvis privatim & occulte relaberentur, nunquam deinceps veniam & pacem ab Eccleſia im-*

pe-

*petrarent? Nonne & hæc ſpecies erat ſeveriſſime excommunicationis? Et tamen hanc relapſis fuiſſe ipſo facto inuſtam, & pluribus demonſtrat doctiſſimus Morinus* de Pœnit. lib. III. c. 27. 28. & 29. *& liquet ex plurium Conciliorum decretis, occulte etiam relapſis ab omni etiam civili Fidelium conſortio ſegregantibus. Siquidem Concil. Turonenſe I. anni* 461. can. 8. (collect. Hard. Tom. II. col. 795.) *decrevit*: „Si quis vero poſt acceptam pœnitentiam, ſicut canis ad vomitum ſuum, ita ad ſæculares illecebras, derelicta quam profeſſus eſt pœnitentia, fuerit reverſus, a communione Eccleſiæ, vel a communione Fidelium extraneus habeatur". *Concilium Veneticum, circa annum* 465. *celebratum* canone tertio (collectionis Harduin. tom. II. col. 797.) *ſtatuit*: „Pœnitentes quoque, qui ſuſceptam publice pœnitentiam intermiſerint, & ad prioris erroris conſuetudinem revoluti, vitæ ſe ſæculari converſationique reddiderint, non ſolum a communione Dominicorum Sacramentorum, ſed etiam a conviviis fidelium ſubmovendi: „*Concil. Aurelianenſe I. anni* 511. can. 11. (collect. Hard. tom. II. col. 1010.) „De his *ait* qui ſuſcepta pœnitentia religionem ſuæ profeſſionis obliti ad ſæcularia relabuntur, placuit eos & a communione ſuſpendi, & ab omnium Catholicorum convivio ſeparari„. *Quare, quod Siricius Papa* epiſt. 1. *ad Nimerium Tarraconenſem Epiſcopum* c. 5. (collect. Hard. t. 1. col. 848.) *relapſis permiſerit*, ut ſola intra Eccleſiam Fidelibus oratione jungantur, & ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint; a Dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur " *id ex mera indulgentia, & communi legis relaxatione factum exiſtimat Morinus* cit. c. 19. *Ad hæc Auctor operis de vita contemplativa (quem alii Proſperum Aquitanicum, qui medio ſæculo v. ſcripſit, alii Julianum Pomerium, qui eodem ſæculo labente floruit, fuiſſe contendunt,* lib. 2. c. 7.), *diſerte affirmat, ea ætate Clericos grave aliquod facinus occulte admittentes, ſtatim in foro conſcientiæ, & coram Deo in ſuſpenſionem incidiſſe, quam Albaſpinæus,* obſerv. lib. 1. c. 2. *& Suicer* Theſaur. Eccl. tom. 1, pag. 601. *pro quadam excommunicationis ſpecie habitam non immerito notarunt: Ait quippe Pomerius* „Hi qui in aliquo gradu Eccleſiaſtico conſtituti, ad quod occulte crimen admittunt, ipſi ſe vana perſuaſione decipiunt, ſi eis videbitur propterea communicare, & officium ſuum implere debere, quod homines occultatione ſui criminis fallunt ... qui autem ea commiſerint, & ideo prodere metuunt, ne ſententiam juſtæ excommunicationis accipiant, ſine cauſſa communicant; immo vero dupliciter contra ſe iram Divinæ indignationis exaggerant, quod & hominibus innocentiam fingunt, & contempto Dei judicio abſtinere ſe ab altari propter homines erubeſcunt".

7. *Quod ſi hæc nondum ſatis eſſe videantur ad probandum, Majoribus noſtris inuſitatum non fuiſſe morem decernendi cenſuras latæ ſententiæ, alia ſtatim proferemus antiquiſſima, & certiſſima ejuſdem rei monumenta. Norunt omnes viri docti, tres olim fuiſſe ſpecies excommunicationis majoris, de qua ſola in præſens res eſt. Prima dicebatur* Excommunicatio ſimplex: *Altera* Anathema: *Tertia* Maranatha, *de qua frequens mentio occurrit in Annalibus S. Benedicti conſcriptis a Patre Mabillon.* tom. IV. in appendice. In hiſtoria Lotharingiæ, *Galmet.* tom. II. p. 2. pag. 290. *Et in nova editione gloſſarii Caroli Dufreſne* tom. IV. in verb. Maranatha. *Simplex excommunicatio, & anathema in hoc duntaxat inter ſe differebant, quod illa ſolo verbo proferretur; anathema vero pronuntiaretur cum quadam ſolemnitate, pluribus adhibitis cæremoniis, quæ aptæ forent ad oſtendendam perpetrati ſceleris enormitatem.* Maranatha *autem hoc anathemati addebat; ut excommunicatus ſoli Dei judicio relictus, ab Eccleſiæ communione ſeparatus permanere juberetur uſque ad adventum Domini, ſeu ad diem Judicii, quod ex ipſa nominis etymologia elicuit Auguſtinus (apud Suarez* de cenſuris diſp. 5. ſect. 2.) *& explicarunt Patres Concilii Toletani IV. ſtatim afferendi. Jam vero antiquiſſima Synodus Gangrenſis, paulo poſt Nicenam habita, omnes ſuorum viginti Canonum tranſgreſſores anathemate perculit, his verbis:* Anathema ſit (collect. Hard. tom. 1. col. 531. &c.) *quibus ſententiam latam importari nemo facile inficiabitur. Patres autem Concilii Toletani IV. habiti anno* 638. *cui Epiſcopi* 1x2 1. *interfuere,* (c. 75. collect. Hard. tom. III. col. 595.) Anathema, Maranatha *in eos pronunciarunt, qui adverſus Regnum, vel Regem conjurarent, in quos hanc formidandam ſententiam ter repetitam protulerunt*: „Hoc etiam tertio acclamamus dicentes: Quicumque amodo ex nobis vel cunctis Hiſpaniæ populis, qualibet meditatione, vel ſtudio Sacramentum fidei ſuæ, quod pro patriæ ſalute gentiſque Gothorum ſtatu, vel incolumitate Regiæ poteſtatis pollicitus eſt, violaverit, aut Regem nece attrectaverit, aut poteſtate Regni exuerit, aut præſumptione tyrannica Regni faſtigium uſurpaverit, anathema ſit in conſpectu Spiritus Sancti, & Martyrum Chriſti: atque ab Eccleſia Catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, & ab omni communione Chriſtianorum alienus, neque partem Juſtorum habeat, ſed cum Diabolo, & Angelis ejus, æternis ſuppliciis condemnetur una cum eis, qui eadem conjuratione nituntur: ut par pœna perditionis conſtringat, quos in perniciem prava ſocietas copulat. Et ideo ſi placet omnibus, qui adeſtis, hac tertio reiterata ſententia veſtræ vocis eam conſenſu firmate. Ab univerſo Clero, vel populo dictum: Qui contra hanc noſtram definitionem præſumpſerit, Anathema, Maranatha, hoc eſt, perditio in adventu Domini ſit, & cum Juda Scarioth partem habeat, & ipſi, & ſocii eorum. Amen„. *Eamdemque anathematis ſententiam eodem ritu, ac iiſdem fere verbis in eoſdem Regni, & Regis proditores denuo latam legimus in Concilio Toletano XIV. an.* 633. (cap. 20. eod. Tom. III. collect. Hard. col. 1081.) *Qui autem prædictæ ſententiæ ritum, quo tribus vicibus, veluti trium monitionum loco, fuit repetita, conſiderat, multoque magis ſi illorum verborum* Anathema ſit in conſpectu Spiritus Sancti, & Martyrum Chriſti, *vim & efficaciam attentius expendat, minime dubitabit, Patrum mentem fuiſſe, excommunicatione latæ ſententiæ percellere quotquot impoſtrum in Patriam aut Regem rebellionem intentarent.*

8. *Non itaque recenter adinventæ, nec primis decem Eccleſiæ ſæculis ignotæ prorſus fuerunt excommunicationes latæ ſententiæ, ſicuti ſibi finxit, rerumque Eccleſiaſticarum minus peritis impoſuit Van-Eſpen, ut illarum uſum improbaret, eaſque parvi faciendas ſuaderet, quod certe alibi non obſcure inſinuavit.*)

Quæſt. VII. *Quinam poſſunt ferre Cenſuras?*

*Reſp.* Omnis & ſolus Superior Eccleſiaſticus habens in foro externo juriſdictionem ordinariam, vel delegatam. Ex Matt. 16. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis*; & Matt. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo &c.* Ubi Prælatis Eccleſiæ, Apoſtolorum ſucceſſoribus, datur poteſtas omnis expediens ad bonum animarum & rectum Eccleſiæ regimen, ad quod pertinet poteſtas non ſolum ferendi leges, ſed etiam coercendi, corrigendi & puniendi rebelles ac contumaces, eoſque privandi bonis communibus.

Ordinariam poteſtatem ferendi Cenſuras habet Papa, & Concilium generale in omnes baptizatos, Epiſcopus in ſuos Diœceſanos, Concilium Provinciale in ſuam Provinciam. A Papa habent Superiores Ordinum, ſaltem Generales & Provinciales, vel etiam Superiores locales ſecundum cujuſque Conſtitutiones, non item Parochi. Delegatam habent omnes & ſoli Clerici, quibus fuit legitime conceſſa ab habente ordinariam: Fœmina autem ſaltem jure Eccleſiaſtico eſt incapax juriſdictionis ſpiritualis, ideoque Cenſuræ ferendæ.

Quæſt. VIII. *Quinam poſſunt abſolvere a Cenſuris?*

*Reſp.* 1. Cenſura *ab homine*, vel quævis alia reſervata, non poteſt tolli, niſi ab eo qui eam tulit, vel ab ejus ſuperiore, aut ſucceſſore, vel delegato: quia ejus eſt abſolvere, cujus eſt ligare. Archiepiſcopus autem non poteſt a Suffraganeorum cenſuris abſolvere, niſi in caſu appellationis, aut viſitationis.

Ab excommunicatione non reſervata, nec ad forum contentioſum deducta poteſt abſolvere quilibet Sacerdos habens poteſtatem abſolvendi a peccatis mortalibus ex conſuetudine recepta, & ex cap. *Nuper, de ſent. excomm.* ibi: *Quia conditor canonis ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, ex ipſo conceſſiſſe videtur aliis relaxandi.* Excommunicatio autem a jure non eſt reſervata, niſi reſervatio exprimatur in Canone vel ſtatuto. Suſpenſio vero & interdictum ſaltem locale, & generale perſonale ex communi ſententia cenſentur reſervata Superiori, ita ut nullus Sacerdos poſſit ab eis abſolvere ſine poteſtate a Superiore accepta. Sunt tamen, qui dicunt, Confeſſarium poſſe ex conceſſione Eccleſiæ abſolvere a ſuſpenſione, & interdicto particulari, cujus non eſt conſcius pœnitens, & ad hoc valere formulam uſitatam.

✠ Delictum *occultum* eſt, ut Doctores communiter hic explicant, quod nec *famoſum eſt*, nec *publice notum*, quamvis per plures teſtes probari poſſit; quando vero delictum occultum cenſetur notorium notorietate juris vel facti, vide dicta de *Juſt. & Jur.* part. 3. cap. 4. qu. 1. & num. 2. Si in foro ipſo contentioſo reus ipſe a delictis ſe falſis etiam a Jure rationibus, aut probationibus ſufficienter purgaverit; poterit etiam per Epiſcopum, aut ejus delegatum abſolvi, ut communis fert Doctorum ſententia. ✠

*Reſp.* 2. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. Epiſcopi poſſunt abſolvere ſubditos ſuos ab omnibus cenſuris, etiam Papæ reſervatis, contractis ob delictum occultum, nec deductis ad forum contentioſum, excepto homicidio voluntario. Poſſunt etiam abſolvere ab omnibus aliis ſubditos, quibus non eſt poſſibilis moraliter recurſus ad Papam, ut ſunt mulieres, pueri, ſenes, infirmi, & alii, quorum eſt legitimum impedimentum, c. 13. & c. 58. *ex. comm.* Si tamen impedimentum non ſit perpetuum, juramentum ab abſolvendis exigatur, quod ceſſante impedimento ad Papam aut ejus Legatum recurrant, ibid. Quod ſi non recurrant, recidunt in ſimilem Cenſuram, c. 22. *de ſent. excom. in* 6. Sed aliqui dicunt hanc obligationem abrogatam eſſe in Gallia, & aliis locis a Roma valde remotis.

✠ In Bulla, quæ quotannis die Cœnæ Domini renovatur, prohibetur, ne quis abſolvat a caſibus in ea contentis, niſi tantum in mortis articulo conſtitutos, & præſtita prius de ſtando mandatis Eccleſiæ, & de ſatisfaciendo cautione, etiam prætextu quarumcumque facultatum per cujuſvis Concilii decreta conceſſarum. Utrum per hæc verba Bullæ Cœnæ derogatum fuerit facultati illi, Epiſcopis a Tridentino ſeſſ. 24. c. 6. conceſſæ, quoad caſus in Bulla Cœnæ contentos (nam de ceteris Papæ reſervatis extra dictam Bullam, nullus negat vigere adhuc jus Tridentini) anxie quærunt Theologi. Alii affirmant: quia verba illa Bullæ, *non obſtantibus cujuſvis Concilii decretis*, non poſſunt reſpicere, niſi facultatem a Tridentino Epiſcopis conceſſam abſolvendi a caſibus Pontificiis occultis, cum a nullo alio Concilio ea fuerit conceſſa. Inſuper addunt maximum pondus huic negativæ facultatis opinioni accedere, ex proſcripta theſi ab Alex. VII. *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, an.* 1619. *die* 18. *Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Cardinalium viſa & tolerata eſt.* Sed alii negant: quia 1. nunquam intelligitur derogatum Concilio generali, niſi de illo fiat ſpecialis & expreſſa mentio, cap. fin. *de Cappel. Monach.* Sed in Bulla Cœnæ non exprimitur Tridentinum. Ergo &c. 2. Quia poteſtas, quam habent Epiſcopi in caſus occultos Bullæ Cœnæ ex decreto Tridentini eſt certa, revocatio autem dubia. Non ſunt ergo Epiſcopi certo jure privandi ob dubiam revocationem, ſed potius in juris poſſeſſione conſervandi. Ad damnatam ab Alexandro VII. propoſitionem reponunt, damnari ſecundam partem propoſitionis, *viſa & tolerata eſt*, nolens Pontifex per illam hypotheticam propoſitionem; quod ſcilicet *de facto viſa, & tolerata eſſet*, novum addere pondus ſententiæ illi oppoſitæ, ſed illam relinquere in ſua probabilitate. ✠

*Reſp.* 3. In Jubilæis ſolet ampla poteſtas circa cenſuras, & caſus reſervatos concedi. Circa quod obſervanda ſunt ſequentia.

1. Quando conceditur facultas generalis abſolvendi a cenſuris Papæ reſervatis etiam in Jubilæo, non

ideo datur poteſtas abſolvendi a cenſuris contentis in Bulla Cœnæ, ubi illa viget, niſi ſpecialiter exprimatur: quia hæ ſunt ſpecialiter reſervatæ. Specialia autem non continentur in conceſſione generali, niſi exprimantur.

✠ Ex mandato Clementis VIII. Sacra Congregatio Cardinalium decretum edidit, declarans in generali conceſſione abſolvendi a Cenſuris Papæ reſervatis, non intelligi caſus contentos in Bulla Cœnæ, neque caſus ſpecialiter intra Italiam ipſi Pontifici reſervatos, niſi ſpecialiter exprimantur. Horum caſuum indicem habes cap. 5. art. 3. *de Pœnitentia*. Ex communi ſententia, conceſſa facultate abſolvendi a caſibus Bullæ Cœnæ, non intelligitur conceſſa facultas abſolvendi ab hæreſi, quibus de ea non ſit ſpecialis mentio, quia hæreſis habet ſtrictiſſimam, & ſpecialiſſimam reſervationem. Vide ea, quæ diximus in tractatu *de Fide*.

Quæres. *Num ſint alii caſus Summo Pontifici reſervati?*

*Reſp.* Benedict. XIV. Conſt. incipiente *Sacramentum Pœnitentiæ*, Summo Pontifici reſervavit abſolutionem Sacerdotis confeſſionem excipientis complicis in peccato contra ſextum præceptum. Item abſolutionem calumniatorum, quoad ſollicitationem in confeſſione, ibid. ac demum a Cenſuris, in quas incidunt homines ob mercimonia ſuper eleemoſynis Miſſarum Conſtit. incipien. *Quantæ*, de quibus jam diximus propriis in locis. Præterea ultra ſupra recenſitos caſus, Urbanus VIII. Conſtit. *Exponi Nobis*, Cenſuram tulit in eos, qui Sacræ Rotæ Romanæ ſecretum, quod ſervare tenentur, violaverint: a qua Minores Pœnitentiarii abſolvere nequeunt. Idem Pontifex Conſt. incipien. *Inſcrutabilis*, excommunicationem decrevit in eos, qui mediis ſuperſtitioſis inquirant ſuper Chriſtianæ Reipublicæ, ac Apoſtolicæ Sedis ſtatu, ac de vita, & morte Romani Pontificis ejuſque conſanguineorum, uſque ad tertium gradum, ſive id per ſeipſos faciant, ſive per alios; quæ quidem excommunicatio reſervata eſt etiam reſpectu Summi Pœnitentiarii, excepto tamen caſu conſanguineorum; eaque comprehendit etiam recipientes divinationes hujuſmodi, ſive judicia, iiſque utentes, vel aliis communicantes. Rurſus tractantes de electione Romani Pontificis, vivente adhuc eodem Pontifice, in excommunicationem ſoli Romano Pontifici reſervatam incidunt. Denique in excommunicationem ita reſervatam incidunt caſus reſervati in Bullis Gregorii XV. *Æterni Patris*, & Urbani VIII. *Ad Romani &c. ob non ſervatam formam electionis Papæ*, quibus addi poſſunt caſus, quos continet Conſtit. S. Pii V. *Si de protegendis*, contra offendentes perſonas ſive miniſtros Inquiſitionis, ex altera Conſt. *Regularium*, ejuſdem Pontificis, incidunt in excommunicationem reſervatam, a qua Minores Pœnitentiarii abſolvere nequeunt Regulares introducentes in eorum Conventus mulieres *ob inhoneſtos uſus*.

Quæres iterum. *Utrum detur aliquis caſus Pontifici reſervatus ſine cenſura?*

*Reſp.* Unum recenſeri caſum qui ſine cenſura ulla Romano Pontifici reſervatur, ſcilicet, qui donum accepit a Regularibus excedens ſummam *ſcutorum decem*, in caſum incidit reſervatum Summo Pontifici, etſi nulla id Eccleſiaſtica cenſura vetitum eſt. Reſervatio cadit tantum in recipientes, non vero in donantes. Vide Conſt. Urbani VIII. *Nuper a Congregatione*; ab hujuſmodi caſu nequidem Pœnitentiarius Summus abſolvere poteſt, quoaduſque ſaltem realis reſtitutio facta non ſit.

*Nota*. Clemens XI. die 12. Maji 1711. decretum edidit, quo prohibet ne ullus Confeſſarius ſive Regularis ſit, ſive Sæcularis Romæ reſidens, abſolvere ullo modo audeat, etiam in foro tantum conſcientiæ *publicam violationem clauſuræ Monialium ad malum, ſive inhoneſtum finem, publicam Presbyteri occiſionem, publicam violationem immunitatis Eccleſiaſticæ* in terminis Conſt. Gregorianæ *Cum alias nonnulli*: imo & occultam etiam *hanc violationem*, *ſi publica auctoritate contigerit*. ✠.

2. Qui habet poteſtatem abſolvendi a caſibus Papæ reſervatis, habet etiam poteſtatem abſolvendi a Cenſuris eidem reſervatis: quia caſus non ſunt reſervati Papæ, niſi ob cenſuram annexam. Qui autem poteſtatem obtinuit circa caſus Epiſcopo reſervatos, non poteſt idcirco a Cenſuris Epiſcopo reſervatis abſolvere; quia cum ſoleant Epiſcopi aliquos ſibi caſus reſervare nulli Cenſuræ annexos, inde fit, ut caſus reſervati, & Cenſuræ Epiſcopales ſint duæ res diſtinctæ, nec unum in alio includatur.

3. Abſolutio in Jubilæo data recte diſpoſito, habenti intentionem illud lucrandi, & implendi conditiones, etſi poſtea ſua negligentia, vel ob aliud impedimentum non lucretur, tollit Cenſuram, & reſervationem. Quia abſolutio fuit abſoluta, non conditionata, ut conſtat tum ex verbis & intentione abſolventis, tum ex poteſtate abſolvendi a Cenſuris & caſibus reſervatis, quæ non pendet a conditione, quod pœnitens reipſa lucrabitur Jubilæum; ſed datur ſimpliciter & abſolute pro tempore Jubilæi reſpectu pœnitentium volentium illud lucrari. Secus, ſi confeſſus ſit ſine intentione ſupradicta. Quia hæc poteſtas datur ſolum in ordine ad Jubilæum: nam Pontifex non intendit dare poteſtatem abſolvendi a reſervatis, niſi reſpectu eorum, qui volunt ſincere Jubilæum conſequi, ideoque opera præſcripta implere. Unde debet poſtea a Cenſuris, & peccatis reſervatis abſolvi ab eo, qui poteſt extra Jubilæum.

Dixi: *recte diſpoſito*, nam hæc gratia non conceditur niſi vere contritis.

*Reſp.* 4. In articulo mortis *omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis, & Cenſuris abſolvere poſſunt*. Ita Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. Multi tamen putant, hoc eſſe reſtringendum ad Cenſuras, quæ obſtant ſuſceptioni Sacramentorum, & ſepulturæ Eccleſiaſticæ, ut excommunicatio, & interdictum, non autem ſuſpenſio: quia hæc facultas conceditur, *ne hac occaſione aliquis pereat*, ib. Ergo, inquiunt, Eccleſia non intendit dare omnibus poteſtatem abſolvendi ab iis, quarum occaſione non impediretur conſecutio gratiæ, qualis eſt ſuſpenſio ab ordine, officio, vel beneficio.

Porro Sacerdos debet prius reum obligare ad reſtitutionem debitam, vel ſi non poſſit tunc reſtituere, ad ea onerandos hæredes ſuos actu publico; aut ſi neutrum poſſit, ad jurandum ſe ſatisfacturum, cum primum poterit.



Item Sacerdos, qui extra articulum mortis non habet poteſtatem abſolvendi a Cenſuris, monere debet moribundum, ut, ſi convaleſcat, ſe ſiſtat & ſubmittat Superiori ſub pœna reincidentiæ, hoc eſt incurrendi in ſimilem Cenſuram, cap. 22. *de ſent. excom. in 6.* & hoc onus ſiſtendi ſe Superiori debet ei ſub juramento imponi, ex cap. 58. *de ſent. excom.* Quod exigitur a pœnitente, non ut iterum abſolvatur, cum valide fuerit abſolutus, ſed ut Superior correctionem ac remedia idonea adhibeat, & ſatisfactionem imponat, prout judicaverit. Nomine Superioris hic intelligitur quis habens poteſtatem ordinariam aut delegatam abſolvendi a Cenſuris extra periculum mortis.

✠ Huc ſpectat Conſtit. Benedicti XIV. incipiens *Apoſtolica indulta*, in qua decernitur, eos qui ex indulto Sedis Apoſtolicæ poſſunt ſibi eligere Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario, a quo a reſervatis criminibus, & cenſuris abſolvi poſſunt, non poſſe alium Confeſſarium eligere niſi approbatum ab Ordinario illius loci, in quo confeſſio peragitur. *Ita videlicet ut ſi in aliquo indulto, tam Sæcularibus, quam Regularibus tribuetur facultas eligendi Confeſſarium ab Ordinario loci approbatum: tunc Confeſſarius vigore talis conceſſionis, ſive a Sæculari, ſive a Regulari pœnitente ad audiendas eorum reſpective confeſſiones electus, nullatenus hujuſmodi confeſſiones audire valeat, niſi ab Epiſcopo Diœceſano, & Ordinario loci, ubi confeſſio excipienda eſt, ad confeſſiones approbatus, & deputatus exiſtat: quacumque alia approbatione, tam illius generis, quam uterque Innocentius, Prædeceſſores, declararunt non ſuffragari, quam ea, ſi de Regularibus agatur, quæ a ſolo proprio Regulari Prælato obtenta foret, minime ſuffragante. At Innocentius XII. & XIII. declaraverant, non poſſe Sacerdotem, qui ab Epiſcopo limitatam facultatem obtinuerit, vel quod Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtraret extra tempus, vel locum, vel genus perſonarum ab ipſis Epiſcopis præſcriptum; ſive Confeſſarii electi fuerint vi Bullæ Cruciatæ, ſive ex quocumque alio privilegio.... nec eis ſuffragari, quod approbati alias fuerint ab Epiſcopo, qui aliquando loci, in quo confeſſiones audiendæ ſunt Ordinarius fuerit, ſed talis non amplius exiſtat &c.*)

Quæſt. IX. *Quænam notanda ſunt circa abſolutionem a Cenſuris?*

*Reſp.* Sequentia, 1. Quamvis ceſſante contumacia, & reo converſo, Superior debeat abſolvere a Cenſura, cum ſit pœna medicinalis; tamen Cenſura reipſa non tollitur niſi per abſolutionem, ex Matth. 18. *Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata in Cœlo*, ſcilicet donec ſolveritis. Ex c. 18. & aliis *de ſent. excomm.* Nam non poteſt Cenſura diſſolvi, niſi ex auctoritate, qua contracta eſt. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem: *Quoad forum conſcientiæ, reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant Cenſuræ*. Nam etſi contumacia ſit cauſſa Cenſuræ, non eſt tamen cauſſa durationis ejus: ſicut culpa eſt cauſſa pœnæ, & tamen hæc durat ſublata culpa.

2. Abſolutio a Cenſuris ex natura rei non requirit certa verba, cum non ſit Sacramentalis, ſed poteſt dari valide per quælibet ſigna illius ſufficienter expreſſiva. In foro tamen externo ſervanda eſt forma in Ritualibus præſcripta. In foro conſcientiæ adhibeatur hæc formula pro excommunicato: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate ipſius abſolvo te a vinculo excommunicationis, quam incurriſti propter tale factum, v. gr. hæreſim, & reſtituo te communioni & unitati Fidelium, & Sanctis Sacramentis Eccleſiæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Pro ſuſpenſo: *Ego abſolvo te a vinculo ſuſpenſionis, quam propter tale factum incurriſti, & reſtituo te executioni Ordinum, & officiorum tuorum, vel beneficiorum, in nomine Patris &c.* Pro interdicto dicitur: *A vinculo interdicti, quod &c.*

3. In dubio Cenſuræ contractæ dari debet abſolutio ad cautelam, ſic: *Abſolvo te a Cenſura excommunicationis, ſi tam incurriſti ob tale factum*. Immo etſi nulla ſit ſuſpicio Cenſuræ contractæ, datur abſolute abſolutio a Cenſuris ante abſolutionem a peccatis ad vitandam irreverentiam, ſi forte pœnitens occulta cenſura affectus ſit, hoc modo: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate ipſius te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, in quantum poſſum, & tu indiges*. Deinde. *Ego te abſolvo a peccatis tuis, in nomine Patris &c.* Rituale Rom.

4. Valida eſt, licet illicita, abſolutio ab habente poteſtatem ordinariam data abſenti, vel invito & male diſpoſito, quia cenſura eſt ſolum pœna, quæ poteſt a Superiore ad libitum valide auferri.

5. Qui pluribus Cenſuris eſt adſtrictus, poteſt abſolvi ab una, remanentibus aliis etiam ſimilibus, c. 27. *de ſent. excom.* Nam inter eas non eſt neceſſaria connexio. Poteſt autem quis ſubjici multis Cenſuris etiam ejuſdem ſpeciei ob plura crimina, ex eod. cap. vel ob idem pluries commiſſum: nam plura delicta poſſunt pluribus pœnis ejuſdem rationis puniri. Sic qui excommunicatus eſt ob percuſſionem Clerici, plures alias excommunicationes incurrit, ſi pluries eumdem Clericum vel alium percutiat.

6. Poteſt dari a Superiore abſolutio ad reincidentiam, hoc eſt, ſub certo onere, quo non impleto intra tempus præfinitum, Cenſura reviviſcat, ſeu delinquens ſimilem Cenſuram contrahat. Item poteſt dari pro certo tantum actu & tempore, quo tranſacto, Cenſura habet omnem ſuum effectum; vel ſub conditione de futuro libero, cum ſit actus juriſdictionis externæ, qui pendet a voluntate Superioris, quamvis hoc ordinarie non expediat nec fieri debeat, cum non ſit in Eccleſia uſu receptum.

7. Dum aliquis eſt excommunicatus ob injuſtitiam aut ſcandalum, in neutro foro licet eum abſolvere, niſi prius ſatisfecerit parti, & ſcandalum ſuſtulerit: aut ſi non poſſit, debet prius dare idoneam cautionem, quod ſatisfaciat quam primum. Quod ſi poſtea non ſatisfaciat, cum primum commode poterit, excommunicationem denuo contrahit, c. 22. *de ſent. excom. in 6.*

8. Si is, qui Sacerdoti poteſtatem abſolvendi a Cenſuris habenti bona fide confitetur, obliviſcatur

peccatum, cui Cenſura annexa eſt: ſecundum multos tollitur Cenſura, modo Cenſurarum abſolutio ſit terminis generalibus data. Nam tunc Confeſſor utitur generaliter facultate abſolvendi ab omnibus Cenſuris, quam habet, vultque omnes auferre quantum poteſt.

9. Qui abſolutus eſt tantum in foro conſcientiæ a Cenſura notoria, ita ſe gerere debet exterius, ac ſi non eſſet abſolutus; poteſtque conveniri coram Judice, & ab eo cogi ad ſubeundam omnem pœnam Cenſuræ annexam. Quia abſolutio data tantum pro foro conſcientiæ non habet effectum niſi coram Deo.

10. Invalida eſt abſolutio per vim, vel metum injuſtum extorta etiam a tertio, imo extorquens contrahit excommunicationem, cap. unic. *de iis quæ vi &c. in 6.* ex Conc. gener. Lugd. Item nulla eſt, ſi extorta ſit per dolum verſantem circa cauſſam finalem: quia Superior non vult abſolvere niſi ob cauſſam ſibi propoſitam; quæ tunc non ſubſiſtit, nec proinde ſubeſt voluntas abſolvendi: nam ſublato motivo ſeu objecto formali volitionis, non eſt volitio.

## CAPUT II.

### *De Excommunicatione.*

Quæſt. I. QUid & quotuplex eſt?

*Reſp.* Excommunicatio eſt Cenſura per quam baptizatus privatur communione Eccleſiæ, ſeu bonis quæ ſunt communia inter fideles, quæque pendent a poteſtate & diſpenſatione Eccleſiæ; uti ſunt Sacramentorum receptio & adminiſtratio, Eccleſiæ ſuffragia, divina officia &c. Duplex eſt, major, & minor.

Excommunicatio major, quæ ſola venit nomine excommunicationis ſimpliciter, cap. 59. *de ſent. excom.* eſt Cenſura, qua quis privatur bonis communibus Eccleſiæ, & ejus diſpenſationi ſubjectis, & abſcinditur a corpore Eccleſiæ, juxta illud Matth. 18. *Si Eccleſiam non audieris, ſit tibi ſicut ethnicus.* Unde eſt pœna graviſſima, *qua pœna in Eccleſia nulla major eſt*, ait S. Auguſt. leg. de corr. & grat. c. 15.

Excommunicatio minor eſt ea, quæ privat ex parte, ſeu aliquibus tantum bonis communibus Eccleſiæ, nempe receptione & adminiſtratione licita Sacramentorum, & paſſiva electione ad dignitates ac beneficia. Hæc contrahitur ſolum ob communicationem culpabilem, etiam in civilibus, cum excommunicato non tolerato, c. 3. *de ſent. excom. in 6.* ex Conc. gener. Lugdun. Et Sanchez dicit, omnes ſentire eam ob peccatum veniale contrahi. Qui tamen cum eo communicavit in crimine crimino ſo, id eſt, ob quod contracta eſt Cenſura, conſilium, auxilium, vel favorem impendendo, incurrit excommunicationem majorem, *cum facientem & conſentientem pari pœna conſtringat*, cap. 29. *de ſent. excom.* A minore excommunicatione abſolvere poteſt quicumque poteſt a mortali culpa, cum non ſit reſervata, ex eod. cap.

Quæſt. II. *Quinam ſunt excommunicati vitandi?*

*Reſp.* Olim omnes erant evitandi. Sed jam ex Conſtitutione Martini V. *Ad evitanda* a Concil. Conſtantienſi, teſte S. Antonino approbata, & jam pridem ubique obſervata, atque ex uſu præſenti Eccleſiæ, ii ſolum ſunt vitandi, qui per ſententiam Judicis Eccleſiaſtici nominatim declarati ſunt excommunicati, & publice denuntiati; item notorii percuſſores Clericorum, hoc eſt, ii quorum percuſſio publica, nulla poteſt tergiverſatione celari, nec ullo juris ſuffragio excuſari, licet non ſint denuntiati. Equidem juxta Conc. Baſileenſe ſeſſ. 20. & Bullam Leonis X. *de concordatis* approbatam a Concil. Lateran. V. vitandi ſunt etiam omnes, quos notorie in excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe. Sed ex conſuetudine prævalet Bulla Martini V. quæ quidem (1) non extat in actis Conc. Conſtantienſis, ſed refertur a S. Antonino 3. p. tit. 25. c. 1. Unde excommunicati alii ſunt tolerati, quos ſcilicet fideles non tenentur vitare; & alii non tolerati, quos tenentur vitare, nempe nominatim & publice denuntiati, vel notorii percuſſores Clericorum. Varii Doctores Galli dicunt, publicum Clerici percuſſorem in Gallia vitari non debere, niſi acceſſerit ſententia, qua declaretur injuſtus Clerici percuſſor: quia ſecundum legem vel conſuetudinem regni ad notorietatem facti criminoſi requiritur declaratoria judicis ſententia.

Quæſt. III. *Quinam ſunt effectus excommunicationis majoris?*

*Reſp.* 1. Cum excommunicatus abſcindatur a corpore Eccleſiæ, ut docent Patres, & ipſe Chriſtus his verbis: *Sit tibi ſicut ethnicus*, ita ut non jam ut membrum Eccleſiæ, ſed tamquam ethnicus tractandus ſit, privatur omni jure, quod ei competebat tamquam membro Eccleſiæ, omnibuſque, quæ fidelibus ut membris Eccleſiæ competunt.

*Reſp.*

(1) *De hac Martini V. Conſtitutione ita communiſſime aſſeritur, etiam ab erudito Adnotatore Antonianæ Summæ, ſplendida Editione Veronenſi nuper decoratæ. Et revera fruſtra ea quæritur in Conciliorum collectionibus, ne dempta quidem Labbeana præ reliquis ſuperioribus exacta. Nihilo tamen minus eamdem in Actis Conciliorum reperiri hodie affirmare licet. Siquidem Cl. P. Joan. Harduinus collector ſpicarum, quæ fugerunt manus metentium, noviſſime ſuæ collectioni Conciliorum Regiæ Maximæ ipſam inſeruit (Tom. 8. pag. 892. Edit. Pariſ.) Nimirum ex MSS. Cæſareis, & Brunſciv. producit* Martini V. Papæ, & Germanicæ Nationis concordata in Concilio Conſtantienſi, *novem paragraphis conſtantia, quorum ſeptimum eſt (N. VII.)* De non vitandis excommunicatis, antequam per judicem fuerint declarati, & denuntiati: *atque ipſiſſimam Conſtitutionem Martini V. a S. Antonino deſcriptam complectitur.*



*Reſp.* 1. Excommunicationis majoris ſeptem ſunt effectus: nam excommunicatus etiam toleratus & contritus 1. privatur communibus Eccleſiæ ſuffragiis, ſcilicet ſacrificiis, orationibus, indulgentiis: ita ut non liceat Sacerdoti tamquam Eccleſiæ Miniſtro, & nomine Eccleſiæ pro illo ſacrificium, nec preces in ſacrificio, nec horas canonicas offerre, quæ ſi pro illo fiant, non ei proſunt, ex cap. *Sacris de ſent. excom. &c.* cap. *Audi &c.* cap. *Omnis* 11. q. 3. Nam Eccleſia hoc ipſo quod privat aliquem communibus ſuffragiis, prohibet ne pro illo applicentur.

Porro per communia illa ſuffragia intelliguntur ſpiritualia quædam ſubſidia, quibus Eccleſia ſuffragatur ſuis membris, ſive in ordine ad ſatisfactionem pro pœna temporali, ſive in ordine ad impetranda aliqua bona præſertim ſpiritualia, vel quæ ad illa juvent, revocanturque ad ſacrificium Miſſæ, ad orationes, & Indulgentias; poteſt tamen quivis privatus preces & ſacrificium, & alia opera nomine privato, ſeu tamquam perſona privata pro eo offerre, quia hæc ſunt ſuffragia privata. Item ſecundum multos licet Sacerdoti tamquam perſonæ privatæ in *Memento* pro eo mentaliter orare, ſed non per orationes, quæ Eccleſiæ nomine pro ejus membris dicuntur, nec ut Miniſter Chriſti; nemini enim licet Eccleſiæ ſuffragia etiam pro tolerato offerre, alioqui tolleretur præcipua pœna, & ratio excommunicationis; & quia Conſtitutio Martini V. nullum favorem toleratis concedit: Ergo ii, ut antea, excluduntur a ſuffragiis Eccleſiæ.

2. Privatur receptione & adminiſtratione Sacramentorum, ita ut mortaliter peccet, ſi aliquod recipiat, vel ſine neceſſitate & non requiſitus adminiſtret. Quia ageret contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi ad religionem pertinente, ex c. 59. *de ſent. excom.* & c. 4. & 6. *de Clerico excom.* Unde non poteſt abſolvi a peccatis, niſi prius fuerit ab excommunicatione abſolutus.

Item ei non licet ſub mortali intereſſe Sacro, aut divino officio, cap. *Alma de ſent. excom. in 6.* Quod ſi facile poſſit abſolutionem a Cenſura ſibi comparare, & non conetur, omiſſio Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, imo & Miſſæ, dum urget præceptum, ei ad culpam mortalem imputabitur, quamvis in tali ſtatu teneatur ab illis abſtinere. Quia lex præcipiens aliquid, præcipit etiam media ad illud neceſſaria, ſaltem non valde difficilia, qualis eſt Cenſuræ remotio, ad quam aliunde tenetur. Poteſt tamen concionem audire, c. 34. *de ſent. excom.* ſed finita concione tenetur recedere, ne cum aliis communicet.

Si autem ſit obligatus ad horas canonicas, tenetur eas ſolus recitare, non quidem ut perſona publica & ab Eccleſia delegata, cum ſit ab ejus corpore abſciſſus ſaltem jure, ſi ſit toleratus, ſed ut perſona privata: par enim non eſt, ut quis commodum ex ſuo delicto percipiat. Præterea excommunicatio, cum ſit pœna, non debet obligationem & onus auferre, & immunitatem conferre. Sed ei non licet adhibere ſocium: nam omnis communicatio cum alio eſt ei prohibita præſertim in orationibus, nec ei licet dicere: *Dominus vobiſcum*, quia hæc verba ſignificant publicæ perſonæ ſacram cum populo communicationem, quæ ei interdicta eſt; quare ejus loco debet dicere: *Domine exaudi orationem meam &c.*

3. Eſt inhabilis ad dignitates & beneficia accipienda, ita ut reſignatio, electio, præſentatio, collatio, permutatio, & quælibet alia beneficii proviſio facta in favorem excommunicati etiam tolerati, & acceptatio ſit nulla, c. 7. *de cleric. excom.* Item eſt inhabilis ad penſionem clericalem, nam communione Eccleſiæ privatus, eſt incapax recipiendi bona Eccleſiæ diſpenſationi commiſſa. Idque conſtat ex uſu & ſtylo Curiæ: nam in litteris Pontificiis apponitur abſolutio ab excommunicatione ad hunc effectum. Quare qui in excommunicatione obtinuit beneficium aut penſionem clericalem non poteſt percipere fructus, & ſi perceperit, tenetur eos reſtituere; nec poteſt tale beneficium permutare, aut reſignare in favorem. Quia nullum jus ad beneficium, penſionem & fructus habet, cum ejuſmodi collatio ſit nulla. Idque, licet ignoretur excommunicatio; quia ignorantia invincibilis, licet excuſet a culpa, non tamen facit actum validum, qui erat alias invalidus: nam actus non poteſt eſſe validus ſine omnibus requiſitis ad ejus valorem.

Imo excommunicatus, quamvis beneficio ante obtento non privetur, & ideo ad horas obligetur ratione illius, poteſt tamen eo privari, & non facit fructus ſuos, durante excommunicatione, ideoque eos omnes ac diſtributiones reſtituere tenetur ante omnem ſententiam. Ita Covarruv. Suarez, Toletus, & alii multi ex c. 53. *de appellat.* ibi: *Illi proventus eccleſiaſtici merito ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communio denegatur.* Hanc autem privationem ipſo facto latam eſſe, docet valde communis ſententia: tum quia vox *ſubtrahuntur*, ſignificat factum ex vi Cenſuræ, non præceptum de imponenda illa pœna: tum quia hæc privatio fructuum æquiparatur ibi privationi communionis Eccleſiæ; nec ſuſpenditur per appellationem ab excommunicatione, ibid. *Ita Suarez.*

4. Privatur omnis ſpiritualis juriſdictionis uſu, ita ut peccet mortaliter, ſi ordinet, Cenſuras vel leges ferat, diſpenſet, conferat beneficia, ad ea eligat, inſtituat, præſentet &c. cap. 24. *de ſent. & re judic.* Tamen actus juriſdictionis, ſi toleratus ſit, ſunt validi ob bonum commune, ex conſtit. Martini V. cit. ubi dicitur poſſe ab excommunicatis toleratis recipi ſacramenta.

5. Excommunicato etiam tolerato interdicitur omnis communicatio cum fidelibus, c. 18. 29. & 59. *de ſent. excom. &c.* c. *Alma, hoc tit. in 6.* & c. 2. *de except.*

Primo quidem in rebus ſacris, ut in Miſſæ ſacrificio, & aliis divinis officiis, quo nomine comprehenduntur horæ canonicæ, omnis oratio publica, proceſſio, benedictio, aliæque ſimiles actiones ſacræ, quæ ſollemniter fiunt ex inſtitutione Chriſti vel Eccleſiæ, aut propriæ ſunt alicujus ordinis clericalis.

Quod ſi excommunicatus in Eccleſia divinis officiis interſit, ſi toleratus ſit, non debent intermitti officia, quia non eſt evitandus. Si vero ſit nominatim denuntiatus, monendus eſt a celebrante ut exeat. Quod ſi non pareat, incurrit novam excommunicationem Papæ reſervatam, ſicut & alii, qui prohibent ne exeat, *Clement.* 1. *de ſent. excom.* & tunc ſi commode fieri poteſt, vi expellendus eſt. Si nequeat

ex-

expelli, adſtantes exire tenentur ne cum illo communicent; & ipſe ſacerdos tenetur Miſſam inchoatam abrumpere, ſi nondum incœpit canonem; ſi incœpit, debet ſolo miniſtro manente pergere uſque ad communionem incluſive, & reliqua perficere in ſacriſtia. Sacerdos autem ſcienter celebrans coram excommunicato vitando, peccat mortaliter, & ligatur interdicto ab ingreſſu Eccleſiæ, c. 6. *de privil. in 6.*

Secundo in actionibus forenſibus, ita ut excommunicatus nequeat eſſe judex, procurator, actor, tabellio, teſtis &c. nec ei liceat tales actiones exercere, c. 8. *de ſent. excom. in 6.* Ejus tamen acta valent, ſi ſit toleratus, & non repellatur: ſecus, ſi non ſit toleratus.

Tertio in actionibus civilibus juxta hunc verſum.

*Os, orare, vale, communio, menſa negatur.* Os ſignificat colloquium, allocutiones ſive nutibus, ſive verbo, aut ſcripto, & quævis amicitiæ ſigna, ut oſcula, amplexus &c. *Orare*, id eſt, communicatio in orationibus & divinis officiis. *Vale* ſignificat ſalutationes urbanas verbo, nutu, aut alio ſigno. *Communio*, id eſt, omnis ſocietas, quæ habetur in communi habitatione, in contractibus, negotiis, & aliis actionibus; ita ut non liceat cum eo contrahere, laborare, iter facere, aut quodvis opus præſtare. *Menſa* denotat omnem convictum, & convivia. Eccleſia autem, utpote communitas perfecta, habet poteſtatem non minus, quam quælibet alia, ſubditos ſibi non obſequentes a reliquorum conſortio ſegregandi, & ea utitur, tum ne rebelles criminis contagione alios inficiant, tum ut ipſi tanto magis pudefacti citius reſipiſcant, tum ad exemplum & terrorem aliorum.

Licet tamen extra divina officia communicare cum non tolerato in his caſibus in jure exceptis, ut cap. *Quoniam*; 11. q. 3. & hoc verſu contentis:

*Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.*

Prima itaque cauſſa excuſans eſt *utilitas* ſpiritualis etiam ipſius excommunicati, cum ſcilicet id expedit ad ejus ſalutem, ut ad meliorem frugem reducatur, c. 43. *de ſent. excom.* Item alterius utilitas temporalis notabilis, v. gr. ad petendum conſilium, ſubſidium, vel ſolutionem debiti, non tamen ad denuo contrahendum, ex c. 34. *eod. tit.* Secunda eſt *Lex*, nempe connubii, quæ jubet, ut conjuges mutua ſibi officia præſtent. Tertia *humile*: Sunt officia filiorum erga parentes, & famulorum erga dominos, ſi ſerviebant ante excommunicationem: item inferiorum erga ſuperiores, quoad ea, quæ ſpectant ad communicationem neceſſariam iis, qui habitant in eadem familia &c. Quarta eſt *ignorantia* juris vel facti. Quinta eſt *caſus neceſſitatis* animæ vel corporis alterius, v. gr. ad comparanda victui neceſſaria &c. Item neceſſitas auxilii, conſilii, vel refugii.

6. Sextus excommunicationis majoris effectus eſt irritatio gratiarum Apoſtolicarum, c. 1. *de reſcript. in 6.* Quare Papa in ſuis reſcriptis præmittere ſolet abſolutionem ab omnibus Cenſuris duntaxat ad effectum gratiæ ab ipſo conceſſæ. Quæ ſi omitteretur in reſcripto, irrita eſſet gratia conceſſa excommunicato. Non ideo tamen legitime poſſidetur beneficium per reſignationem ſimoniacam in Curia Romana obtentum ab illa abſolutione ad effectum; quia talis proviſio eſt nulla, cum ſit obreptitia, & contra intentionem Papæ obtenta, & irrita independenter a Cenſura.

7. Excommunicatus non toleratus privatur eccleſiaſtica ſepultura, ita ut non liceat in loco ſacro eum ſepelire; & ſi ſepeliatur, debeat exhumari, ſi ab aliorum corporibus diſcerni queat, c. 12. *de ſepult.* ibid. *Sacris eſt canonibus inſtitutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, & ut careant eccleſiaſtica ſepultura, qui prius erant ab eccleſiaſtica unitate præciſi, nec in articulo mortis Eccleſiæ reconciliati fuerint.*

*Nota.* Hæc omnia jura & pœnæ etiamnum vigent, ita ut quis excommunicatus, etiam toleratus & occultus peccet, cum communicat cum fidelibus in actionibus ſacris vel profanis, aut actum quemlibet ſupradictum exercet. Nam Leo X. in Bulla cit. a Conc. Later. V. ſeſſ. 11. approbata, expreſſe declarat, ſe per ſuum decretum *non intendere excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari.* Quod jam declaraverat Concil. Baſil. ſeſſ. 20. & antea Martinus V. ut paſſim teſtantur Doctores, quamvis hoc non legatur apud S. Antonin. Poteſt tamen excommunicatus excuſari ob impotentiam moralem, ut ſi non poſſit abſtinere ab hac communione ſine ſcandalo vel gravi damno, aut infamia gravi, quando crimen eſt occultum: quia præcepta Eccleſiæ ordinarie non obligant cum gravi damno. Fideles autem non peccant communicando cum excommunicatis toleratis: ſecus, ſi non ſint tolerati, ex eadem Conſtitutione.

*Sed quid, ſi excommunicatus reſipuerit, & per contritionem perfectam juſtificatus fuerit?*

*Reſp.* Semper manet obnoxius his pœnis donec abſolutus ſit, cap. *Sacris, de ſent. excom.* Quia Cenſura, quamdiu manet, habet effectus ſuos. Tamdiu autem manet, quamdiu non tollitur per abſolutionem, & alioqui non eſſet opus abſolutione.

Quæſt. IV. *An eſt* (1) *mortale communicare cum excommunicato non tolerato?*

*Reſp.* Ex S. Thoma, & ex communi ſententia eſt mortale communicare in rebus ſacris, ut officiis divinis, c. 29. cauſſa 11. q. 3. Nam materia gravis eſt, & valde repugnat tum auctoritati & fini Cenſuræ, tum etiam dignitati rerum ſacrarum. Sed ſolum veniale eſt in aliis, niſi in crimine, ob quod alter excommunicatus eſt, vel niſi ſit contra ſpeciale præceptum ſuperioris, vel cum ſcandalo, aut contemptu legis, ut ſi communicatio eſſet frequens; quia, inquiunt, communicatio in rebus civilibus non cenſetur hic materia gravis, nam non repugnat graviter fini excommunicationis, niſi ſit frequens.

Communicans autem cum excommunicato in crimine criminoſo, hoc eſt, cooperans culpæ, vel contumaciæ, ob quam lata eſt excommunicatio, v. gr. præ-

(1) *Vid. Notam ad fin. q. 5. c. 1. ſeſſ. 3. tract.* de Legib.



-bendo conſilium, auxilium vel favorem, ſemper peccat mortaliter, & eamdem incurrit excommunicationem, c. 29. & 35. *de ſent. excom.* quia faciens, & conſentiens pari pœna puniri debent.

Quæſt. V. *Quinam ſunt effectus excommunicationis minoris?*

*Reſp.* Tres ſunt, 1. Privatio ſeu prohibitio acceptionis Sacramentorum, c. 29. *de ſent. excom.*

2. Privatio paſſivæ electionis ad dignitates & beneficia. Quare illa ligatus peccat graviter, ſi ſcienter recipiat Sacramentum vel beneficium, quia violat præceptum Eccleſiæ in re gravi, non ſit tamen irregularis, nec electio aut proviſio eſt irrita, ſed ſolum irritanda, cap. ult. *de cleric. excom.*

3. Privatio adminiſtrationis licitæ Sacramentorum, ex eod. cap. ubi dicitur, *peccare conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta.*

Quæſt. VI. *Quænam ſunt excommunicationes reſervatæ Papæ, & Epiſcopis?* (1)

*Reſp.* Circa hoc conſuli debet propriæ diœceſis Rituale. Hic tamen operæ pretium eſt explicare excommunicationem contra percuſſores Clericorum a Conc. gen. Later. II. can. 15. latam his verbis: *Placuit, ut ſi quis ſuadente diabolo hujus ſacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat: & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere; niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat.*

I. Nemo cujuſvis ordinis, dignitatis, ſexus, ſtatus ab ea eximitur, ne impubes quidem rationis compos. Imo hanc incurrunt mandantes, conſentientes, & conſulentes, effectu ſecuto; item non impedientes, ſi ex officio ad hoc teneantur, vel ſi potuerint impedire ſine damno periculove ſuo, & doloſe permiſerint, c. 47. *de ſent. excom.* Item ratam habentes percuſſionem ſuo nomine factam: etiamſi non conſuluerint nec mandaverint, cap. 23. *de ſent. excom. in 6.* Item Clericus ſeipſum vulnerans ex malitia ſeu paſſione: ſecus ſi ex devotione.

II. Per Clericum intelligitur quilibet prima ſaltem tonſura initiatus, modo habitum geſtet clericalem, etiam conjugatus, modo cum unica virgine c. unic. *de cleric. conjug. in 6.* Per Monachum intelliguntur omnes utriuſque ſexus religioſi, c. 33. *de ſent. excom.* Etiam laici Converſi, ibid. & c. 5. *de ſent. excom.* & novitii, c. 21. *eod. tit. in 6.* Item Eremita ſubjectus alicui regulæ, & ſuperiori eccleſiaſtico, & habitans in oratorio auctoritate Epiſcopi.

III. Inſtigante diabolo, hoc eſt, illicite & injuſte.

IV. Per has voces, *manus violentas injecerit* intelligitur quævis actio corporalis, de ſe violenta, injurioſa ac contumelioſa circa Clericum vel Religioſum, aut res ei adhærentes, per ſe ſufficiens ad gravem injuriam contra hominem, & reverentiam debitam tali perſonæ, ſive fiat manu, ſive baculo, gladio, lapidibus &c.

Hinc ipſo facto excommunicatus eſt. 1. Qui talem percutit, vulnerat, conſpuit, evellit crines, lacerat veſtem, & ita ut actio ſit graviter injurioſa. Idque etiamſi Clericus conſentiat; quia actio non ideo deſinit eſſe injurioſa Ordini Clericali, in cujus favorem lata eſt excommunicatio, cap. 36. *de ſent. excom.* 2. Qui concludit aut violenter detinet in carcere, vel loco unde ſine dedecore exire nequit. 3. Qui perſequitur, ut in flumen vel foſſam incidat, equo decidat &c. 4. Qui manus violentas injicit in equum, cui is inſidet, occidendo, vulnerando, lædendo, ſiſtendo per frænum, quæ actio eſt gravis in ratione contumeliæ &c.

V. Hæc excommunicatio non contrahitur, 1. Quando actio non eſt de ſe violenta, licet ſit injuſta, ut cum fur clam abſcindit crumenam. Item ſi fiat ſine violenta manuum injectione, ut cum verbis contumelioſis afficitur. 2. Si percuſſio ſit jocoſa, c. 1. *de ſent. excom.* aut caſualis, ut cum janitor vel apparitor arcens turbam, fortuito caſu percutit Clericum in turba verſantem, c. 3. *de ſent. excom.* 3. Si neſciat eſſe Clericum. 4. Si Prælatus, pater, magiſter ſubditum in minoribus conſtitutum correctionis cauſſa moderate percutiat, habita ratione culpæ, quamvis ira accedat, c. 1. *de ſent. excom.* Item qui alios e familia ſua, vel propinquos in minoribus conſtitutos leviter percuſſerit; ut cohibeantur a ſuis violentiis, & ſcientia boniſque moribus imbuantur, c. 54. *de ſent. excom.* Imo Prælatus, & præceptor eccleſiaſticus poteſt in majoribus conſtitutum correctionis, & diſciplinæ cauſſa caſtigare, c. 10 eod. tit. modo per ſe, vel per alium, ſi neceſſitas urgeat, caſtiget non tamen per laicum, alioqui contrahitur excommunicatio, c. 24. eod. tit. 5. Si Clericus eſſet culpabiliter percutiatur eo inſtanti, quo deprehenditur turpiter agens, hoc eſt, actum quemvis impudicum exercens cum matre, uxore, filia, vel ſorore percutientis: ſecus, ſi cum alia. Item ſi quis Clericum percutiat ad defendendam vitam aut bona ſua, cum debita moderatione, c. 3. *de ſent. excom.* 6. Si percutiatur Clericus, qui a privilegio canonis excidit, v. gr. bigamus, vel qui ter monitus non geſtat habitum clerica-

(1) *Quatuor abhinc ſæculis huic quæſtioni ita reſpondit Scotus (in qu. ſent. diſt. 15. qu. 1. verſ. fin.)* Excommunicatio incurritur quandoque a jure, quandoque a judice. Et quidem a jure quandoque erat poſſibile dicere numerum: imo erat parvus numerus, quando fuerunt Decretales compilatæ ſub Greg. IX. Sed hodie quis numerare ſufficiat? & cum creſcant in infinitum, creſcentibus moribus capitum, non oportet circa hoc membranas implere. *Noſtra tamen ætate varii Scriptores curam aſſumpſerunt Confeſſariis (qui ex Rituali Romano ſcire debent caſus, & Cenſuras Sedi Apoſtolicæ, & Ordinario ſuo reſervatas) exhibendi velut in tabula collectas cenſuras omnes, reſervatas tum Summo Pontifici, tum Epiſcopis. Vid. Auctorem* Summæ Alexandrinæ (*par. 1. art. 2. §. 1. 2. & 3.*) *Illuſtriſſ. Narnienſem Antiſtitem Terzago* (Inſtruct. Tract. *pag. 291. uſque ad 331. Edit. Venet.*) *& alios.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

calem. 7. Si Clerici impuberes ſe invicem percuſſerint, aut unus alterum percuſſerit: ſecus ſi ſcholaſtici clerici puberes ex odio ſeu gravi ira ſe percuſſerint, c. 1. *de ſent. excom. in 6.*

VI. Duplex diſtinguitur Clerici percuſſio etiam mortalis; alia dicitur enormis ac gravis, & talis cenſetur vel ratione valde magnæ gravitatis ipſius percuſſionis, qualis eſt occiſio, mutilatio, notabilis effuſio ſanguinis ex vulnere, carnis laceratio, dentium vel multorum capillorum evulſio: vel ratione eminentiæ perſonæ percuſſæ, ut ſi ſit Epiſcopus vel Prælatus, etiamſi alapa tantum percutiatur.

Altera dicitur levis ſeu mediocris, ſcilicet comparate ad enormem; & eſt ea, quæ nullam maculam, lacerationem carnis, mutilationem, copioſi ſanguinis effuſionem, nec dentium aut multorum capillorum evulſionem intulit: nec eſt contra Epiſcopum, Cardinalem, vel Prælatum, nec magnum ſcandalum parit.

Prima eſt reſervata Papæ, ſecunda Epiſcopis, cap. 15. *de ſent. excom.* Prælati vero religioſorum poſſunt abſolvere ſuos ſe invicem percutientes, modo percuſſio non ſit enormis, cap. 31. eod. tit. Quod ſi religioſus percuſſus non ſubjaceat eidem Superiori, percutiens debet a ſuo & percuſſi Prælato abſolvi, cap. 32. eod. tit. Si religioſus clericum ſæcularem percuſſerit, non poteſt abſolvi niſi ab Epiſcopo, c. 21. *de ſent. excomm. in 6.* vel a Papa, ſi percuſſio ſit enormis.

## CAPUT III.

### *De Interdicto.*

Quæſt. I. QUid & *quotuplex eſt interdictum?*

*Reſp.* Interdictum eſt Cenſura, qua prohibentur officiorum divinorum celebratio publica & auditio, quædam Sacramenta, & eccleſiaſtica ſepultura.

Dividitur in locale, perſonale, & mixtum. Interdictum locale eſt, quod directe fertur in locum prohibendo ne ſupradicta in eo exerceantur. Perſonale eſt, quod immediate fertur in perſonam, ei prohibendo iſtorum exercitium & participationem, ubicumque exiſtat. Mixtum eſt, quod & perſonam & locum immediate afficit.

Duo priora ſubdividuntur in generale & particulare. Interdictum locale generale eſt illud, quo interdicitur locus aliquis communis, ut Regnum, Provincia, Civitas &c. Particulare eſt, quo interdicitur aliquis locus particularis, v. gr. una Eccleſia, vel aliqua ex iis quæ ſunt in Civitate. Perſonale generale, eſt illud, quo interdicitur aliqua hominum communitas, prout conſtituit unum corpus, ut omnes perſonæ Regni vel Civitatis. Particulare eſt illud, quo interdicitur una perſona, vel plures perſonæ ut particulares.

Eſt etiam quædam partialis interdicti ſpecies, qua prohibetur ingreſſus in Eccleſiam; & ſi quis in tali interdicto ſine pœnitentia moriatur non debet in loco ſacro ſepeliri, c. 20 *de ſent. excom. in 6.*

Sed circa hæc interdicta notanda ſunt ſequentia, 1. Interdictum in Urbem latum afficit etiam ſuburbia, & ædificia continentia, quamvis ſint ſub juriſdictione ſeu temporali ſeu ſpirituali alterius, c. 17. *de ſent. excom. in 6.* ne contemnatur interdictum, ſi populus in ſuburbiis poſſet divinis officiis intereſſe. Item interdictum alicujus Eccleſiæ ad cœmeterium & ſacella ei contigua extenditur, *ibid.* At interdicto cœmeterio non interdicitur Eccleſia ei contigua: nam acceſſorium ſequitur principale, non viciſſim.

2. Interdictum ab Epiſcopo in Civitatem latum debet etiam ab exemptis ſervari. Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 12.

3. Interdicto generali locali non comprehenduntur perſonæ: unde incolæ Civitatis interdictæ poſſunt intereſſe Sacro & Officiis divinis in aliis locis. Et viciſſim interdicto perſonali non comprehenditur locus, niſi exprimatur. Hinc interdictis Clericis alicujus Eccleſiæ, non cenſetur ipſa Eccleſia interdicta, & ceteri poſſunt in ea celebrare. Interdictum tamen locale eſt etiam perſonale reſpectu eorum, qui ſua culpa fuerunt illius cauſſa, ideoque non poſſunt etiam extra locum interdictum intereſſe divinis.

4. Interdicta aliqua communitate, interdicuntur ſingulæ ejus perſonæ etiam innocentes, ſed hi ſolum quatenus ſunt pars communitatis. Quare ſi deſinant eſſe membra illius, deſinunt eſſe interdictæ: non item nocentes, c. 16. *de excom. in 6.*

5. Interdicto populo, non interdicitur Clerus, nec extranei, qui ibi ſunt negotiorum cauſſa: & viciſſim interdicto Clero, non interdicitur populus, ex cap. cit. nec religioſi, niſi qui ratione officii paſtoralis cenſentur eſſe de corpore Cleri ſæcularis.

6. Ad interdictum ſpeciale perſonale requiritur culpa mortalis propria, cum hoc ſit gravis pœna, utpote privans magnis bonis ſpiritualibus. Ad locale autem, vel perſonale generale requiritur peccatum grave contumaciter admiſſum a capite, vel a præcipuis membris, licet reliqui culpa vacent, ex eod. c. Quia hæc pœna redundat in communitatem, quam privat cultu divino publico.

7. Per privilegium abſolvendi ab omnibus Cenſuris non intelligitur poteſtas tollendi interdictum locale, aut perſonale generale: & neutrum poteſt tolli, niſi ab habente juriſdictionem in foro externo in locum vel communitatem interdictam.

Quæſt. II. *Quot ſunt effectus interdicti?*

*Reſp.* Tres ſunt, 1. Eſt prohibitio celebrationis & auditionis divinorum officiorum, per quæ intelliguntur Miſſa, horæ canonicæ, vel aliæ preces ſollemniter recitatæ, ſupplicationes, benedictiones nuptiarum, aquæ &c. demum omnis actio ab Eccleſia ordinata ad cultum Dei, & exercenda ejus nomine ab ejus Miniſtris.

Licita tamen eſt concio. Et tenentur Clerici interdicti Horas Canonicas privatim recitare. Imo ex c. *Alma de ſent. in 6.* Clerici & Religioſi non interdicti poſſunt & debent, uti antea, quotidie in ſuis Eccleſiis Miſſas & divina officia celebrare, ſed ſubmiſſa voce, januis clauſis, excluſis excommunicatis ac interdictis, & non pulſatis campanis. Item permittitur, ut in feſtivitatibus Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Virg. campanæ pulſentur, & januis apertis alta voce divina officia ſollemniter celebrentur, excluſis excommunicatis, ſed admiſſis interdictis: modo qui cauſſam interdicto dederunt ad altare nullatenus appropinquent. Hoc privilegium extendit Martinus V. ad feſtum Corporis Chriſti, & ejus octavam.



2. Eſt prohibitio receptionis & adminiſtrationis quorumdam Sacramentorum, exceptis Baptiſmo, Confirmatione, & Pœnitentia, quæ conferri poſſunt etiam ſanis quoties libuerit; non tamen excommunicatis; & iis qui cauſſam interdicto dedere, vel qui ad perpetrandum delictum, ob quod interdictum latum eſt, præbuerunt auxilium, conſilium, vel favorem; niſi prius ſatisfecerint ob delictum, vel de ſatisfactione cautionem dederint, cap. *Alma*, cit. Poteſt etiam perſonaliter interdictis deferri modo ſolito Euchariſtia, ſi ſint in probabili mortis articulo, cap. 11. *de pœnit.* Quare tempore interdicti prohibentur dumtaxat Euchariſtia danda Laicis ſanis, Ordinario, Extrema unctio, quæ tamen ſecundum varios conferri poteſt infirmis, qui nequeunt alia Sacramenta ſuſcipere, quia tunc eſt neceſſaria; & benedictio nuptialis, quod Sacramentum Matrimonii, juxta multos, licite & valide contrahitur in omnibus interdictis.

3. Eſt prohibitio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, quæ in interdicto locali extenditur ad infantes & amentes. Si tamen interdictus jam ſit humatus in loco ſacro, quamvis illicite, non eſt exhumandus. Clerici autem, qui non ſunt ſpecialiter interdicti, nec interdictum violarunt, poſſunt ſed ſine cantu & campanarum pulſu ſepeliri in loco ſacro interdicto, ſed non ſpecialiter, c. 11. *de pœnit.* Laici vero, qui non ſunt perſonaliter interdicti, nec cauſſam culpabilem interdicto dederunt, ſepeliri poſſunt in loco ſacro non interdicto.

Porro qui ob interdictum humatus eſt in loco profano, eo finito, transferendus eſt in locum ſacrum; modo non fuerit ſpecialiter interdictus, nec cauſſam interdicto dederit.

Quæſt. III. *Quænam ſunt pœnæ violantium interdictum?*

*Reſp.* 1. Peccant mortaliter, nam præceptum Eccleſiæ violant in re gravi. 2. Qui illud violat exercendo actum proprium Ordinis, ſit irregularis, c. 18. & 20. *de ſent. excom. in 6.* 3. Excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt Domini temporales compellentes Clericos ad celebranda publice officia in loco interdicto, vel impedientes ne publice excommunicati aut interdicti exeant tempore officiorum. Item ipſi interdicti poſt monitionem non exeuntes. *Clem. 2. de ſent. excomm.* 4. Qui interdictos extra caſus conceſſos ſcientes ſepeliunt in loco ſacro contrahunt excommunicationem Epiſcopo reſervatam. *Clement. 1. de ſepult.* 5. Excommunicantur Religioſi etiam exempti, qui non ſervant interdictum generale locale a Papa, vel Ordinario latum, quando ſervatur a matrice Eccleſia, vel a Parochiali loci, in quo habitant. *Clem. 2. de ſent. excom.*

Quæſt. IV. *Quid eſt ceſſatio a divinis?*

*Reſp.* Eſt Eccleſiaſtica prohibitio, qua Clerici ſub mortali ceſſare debent a celebratione officiorum divinorum, & adminiſtratione Sacramentorum, niſi quatenus neceſſitas poſtulat. Fit in ſignum gravis doloris ab Eccleſia concepti ob gravem aliquam injuriam ſibi, vel honori divino illatam, & per modum juſtæ defenſionis. Eoſdem ferme effectus habet quos interdictum. Non eſt tamen Cenſura, cum non ſit pœna medicinalis: unde ejus violatio, licet ſit mortalis, non inducit irregularitatem, c. 18. *de ſent. excom. in 6.* Religioſi eam violantes incurrunt excommunicationem. *Clem. 1. de ſent. excom.*

## CAPUT IV.

### *De Suſpenſione.*

Quæſt. I. QUid & *quotuplex eſt?*

*Reſp.* 1. Suſpenſio eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua Clerico prohibetur uſus Eccleſiaſtici officii, vel beneficii, vel utriuſque; ſive qua Clericus privatur exercitio poteſtatis, quæ ei competit ratione officii clericalis, vel beneficii, vel utriuſque.

*Reſp.* 2. Multiplex eſt ſuſpenſio. Nam alia eſt ab officio, per quod intelligitur poteſtas ordinis & juriſdictionis, unde eſt ſuſpenſio ab exercitio ordinis & juriſdictionis; alia a beneficio; & alia demum ab officio ſimul & beneficio.

Item alia eſt ab ordine tantum, qua Clericus privatur ſolum uſu ſuorum ordinum, ita ut ei non liceat Miſſam celebrare, Sacramenta miniſtrare, fungi munere Diaconi, vel Subdiaconi; alia a juriſdictione tantum, qua Clericus privatur ſolum uſu juriſdictionis, ita ut non poſſit licite cenſuras ferre, inſtituere, delegare ad munia Sacerdotalia &c. Et alia a beneficio tantum, quæ privat ſolum fructibus beneficii. Hæ tres ſuſpenſiones poſſunt eſſe vel in totum, vel in partem: nam ſuſpenſio poteſt eſſe tantum a parte officii, ſeu privare aliqua tantum functione ſive ordinis, ſive juriſdictionis.

Denique ſuſpenſio alia fertur ad certum tempus vel ſub conditione, alia abſolute & ſine determinatione temporis, alia ob culpam mere præteritam, vel in perpetuum, vel ad certum tempus, quo tranſacto per ſeipſam expirat.

Obſervanda ſunt ſequentia.

1. Ut cognoſcatur qualis & quanta ſit ſuſpenſio, conſideranda ſunt verba quibus fertur, & quæ in hac materia utpote odioſa debent ſtricte accipi.

2. Suſpenſus ab officio ſimpliciter non cenſetur ſuſpenſus a beneficio, nec e contra, ex c. 10. *de purgat. canon.* & cap. 14. *de vita & honeſt.* quia ſunt pœnæ diverſæ & a ſe invicem ſeparabiles. Unde ex communi ſententia is licite percipit fructus beneficii, modo per alium ſuppleat beneficii munera, quæ non poteſt exercere, ad quod tenetur, cum retineat titulum & onera beneficii; alioqui non poteſt eos percipere, quia non conferuntur niſi propter officium. Diſtributiones autem non poteſt percipere nec retinere, quia non conferuntur niſi iis, qui per ſe miniſtrant.

3. Quando in ſuſpenſione exprimitur pars officii, non eſt ſuſpenſus ab altera. Si autem dicatur ſuſpenſus ab officio ſimpliciter, hoc eſt, ſine addito, privatus eſt ab omni exercitio tam ordinis quam juriſdictionis, ut conſtat ex jure, uſu, ac ſenſu communi: nam ad officium Clericale pertinent ea, quæ ſunt ordinis & juriſdictionis. Dico, *ſimpliciter*: nam ſuſpenſio interdum fertur ab aliquo determinato offi-

officio, cum addito, ut ab officio Pontificali vel Parochiali, vel Sacerdotali. Et tunc ſuſpenſo non prohibetur exercitium alterius officii, quod non includitur in officio prohibito.

4. Suſpenſus ab ordine ſimpliciter, non ideo a juriſdictione ſuſpenditur; nec e contra: quia Ordo eſt quid diſtinctum a juriſdictione, neque eſt illi neceſſario annexum. Hinc ſuſpenſus ab Ordine ſimpliciter, poteſt exercere omnes actus juriſdictionis ad Ordinem non pertinentes, v. gr. Epiſcopus eti ſuſpenſus poteſt alteri delegare poteſtatem abſolvendi a peccatis, quamvis ipſe non poſſit abſolvere. Item ſuſpenſus a juriſdictione ſimpliciter, non eſt ſuſpenſus ab actibus Ordinis, qui juriſdictionem non requirunt: unde poteſt facere Sacrum, ſed non abſolvere.

5. Suſpenſus ab Ordine ſuperiore, non eſt ſuſpenſus ab inferiore, v. gr. ſuſpenſus præciſe a ſacerdotio, non eſt ſuſpenſus a diaconatu, & aliis inferioribus; nam qui prohibet majus, non cenſetur prohibere minus. E contra ſuſpenſus a minore Ordine, ſuſpenſus quoque eſt a majore, quia cui non licet quod minus eſt, non licet quod majus eſt.

6. Suſpenſus a beneficio ſimpliciter, cenſetur ſuſpenſus ab omnibus beneficiis, niſi ſenſus expreſſe reſtringatur. Suſpenſus vero ſimpliciter, intelligitur ab officio & beneficio ſimul: nam locutio indefinita æquivalet univerſali.

Quæſt. II. *Quinam ſunt effectus ſuſpenſionis?*

*Reſp.* 1. Suſpenſus ab officio etiam occultus, 1. Peccat mortaliter, ſi exerceat actum ſive Ordinis, ſive juriſdictionis, quia violat prohibitionem Eccleſiæ in re gravi, idque ubicumque exerceat: nam cenſura contracta ſequitur reum ubicumque ſit. Ita communiter, etiamſi ſuſpenſio lata ſit a proprio Epiſcopo, quia eſt præceptum perſonale immediate reſpiciens perſonas, eaſque obligans extra territorium. Actus tamen Ordinis a juriſdictione non pendentes ſunt validi: quia Eccleſia non poteſt tollere poteſtatem Ordinis, ſed ſolum ejus exercitium prohibere. Actus vero juriſdictionis ſunt invalidi, ſi ſuſpenſus ſit nominatim denuntiatus, quia privatur actuali juriſdictione; ſed validi ſunt, ſi non ſit denunciatus, ex Conſtit. Mar. V. *Ad evitandum*.

2. Illicite beneficium novum reciperet & ei conferretur, quæ collatio eſt ſaltem irritanda, ex c. 5. *de conſuet*, quia qui privatus eſt aliquo actu vel munere, eſt etiam privatus ſuſceptione eorum, quæ ad talem actum vel munus ordinantur. Sive, quod idem eſt, cui prohibetur actus vel munus aliquod, ei quoque prohibentur ea, quæ ad talem actum vel munus ordinantur, ex cap. ult. *de cleric. excom.*

3. Suſpenſus fit irregularis, ſi exerceat functiones Ordinis proprias, quæ competunt Clericis, c. 1. *de ſent. & re judic. in 6.* ex Concil. gener. Lugdun. Secus, ſi exerceat tantum ea, quæ ſunt juriſdictionis, vel quæ laici poſſunt præſtare; ut ſi canat epiſtolam ſine manipulo.

*Reſp.* 2. Suſpenſus a beneficio licet occultus privatur omnibus ſuorum beneficiorum fructibus, quibus continentur diſtributiones quotidianæ, utpote pars fructuum, ita ut non poſſit eos licite percipere, & receptos tenetur reſtituere ante omnem ſententiam: nam cenſura impedit eorum acquiſitionem, unde ad eum non pertinent. Nemo autem retinere poteſt quod ſuum non eſt. Tenetur nihilominus horas recitare, & alia onera beneficii præſtare; quia hæc obligatio annexa eſt beneficio quod retinet, nec ea liberatur ob privationem fructuum, quæ ei in pœnam culpæ juſte imponitur remanente onere: cenſura enim non tollit onus in detrimentum Eccleſiæ & Fundatorum.

Non videtur tamen privari jure eligendi, præſentandi, conferendi beneficium &c. ſibi competente ratione beneficii, a quo ſuſpenſus eſt. Quia electio, activa præſentatio, collatio non ſunt proprie loquendo, fructus beneficii, ſed actus officii tali beneficio annexi: in materia autem pœnali verba ſumi debent in ſenſu proprio & ſtricto.

Quæſt. III. *A quo & quomodo tolli poteſt ſuſpenſio?*

*Reſp.* 1. A ſuſpenſionibus, etiam ſi jure reſervatæ non ſunt, non poſſe parochos, neque alios vulgares confeſſarios abſolvere, niſi ſpeciale privilegium, vel delegatam poteſtatem acceperint a Papa, vel ab Epiſcopo, ſi non ſint ſpecialiter reſervatæ Papæ, docent *Suar. Navar. Laym. &c.* tamen alii cenſent, quemlibet Sacerdotem legitime approbatum poſſe abſolvere ab omnibus cenſuris, etiam ſuſpenſione, a jure latis non reſervatis.

*Reſp.* 2. Si ſuſpenſio abſolute & ſine determinatione temporis inflicta ſit ob contumaciam, tollitur per ſolam abſolutionem. Si autem lata fuerit ad certum tempus, v. gr. triennium, vel ſub conditione, tranſacto tempore, vel conditione impleta, ſuſpenſio ceſſat per ſe ipſam ſine alia abſolutione. Si vero impoſita ſit in perpetuum ob culpam præteritam, tanquam mera pœna, tollitur ſolum per diſpenſationem ſeu relaxationem Prælati vel ejus delegati; quia non eſt cenſura.

Quæſt. IV. *Quibus caſibus uſitatioribus incurritur ſuſpenſio ipſo jure?*

*Reſp.* Sequentibus, 1. Qui Ordines ſacros recipiunt vel ab alieno Epiſcopo ſine dimiſſoriis, vel a proprio in aliena diœceſi, vel conficto titulo, vel per ſaltum, vel in cenſura, vel extra tempora a jure ſtatuta, vel ſine legitima ætate aut facultate, vel poſt matrimonium contractum, licet non conſummatum; item qui furtive ordinantur, hoc eſt, qui non approbati inter ordinandos irrepſerunt, aut alium in ſui locum ſubſtituunt examini; hi omnes ſuſpenſi ſunt ab executione Ordinum: & ſi Ordinem aliquem exerceant, fiunt irregulares.

2. Qui eodem die duos ſacros Ordines recipit.

3. Ordinans & Ordinatus ſimoniace eſt ſuſpenſus ab Ordinibus.

4. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. parochus, vel alius ſacerdos jungens ſponſos alterius parochiæ ſine illorum parochi licentia.

5. Occupantes bona, vel cenſus Eccleſiæ, beneficii, vel alterius pii loci.

6. Simoniaci, ſodomiam exercentes, provocantes ad duellum, vel acceptantes &c.

7. Apoſtata a religioſo ordine, præſertim ſi in apoſtaſia recipiat Ordines.

*Nota*. Epiſcopi ex privilegio non incurrunt ſuſpenſionem, nec interdictum latum a jure, niſi eorum ſiat expreſſa mentio. Ita ſtatuit Innoc. IV. in Concil. Gener. Lugdun. & refertur c. 4. *de ſent. excom. in 6.*

Quæſt.



Quæſt. V. *Quomodo Depoſitio & Degradatio differunt a Suſpenſione?*

*Reſp.* Depoſitio eſt pœna, per quam Clericus privatur omni officio & beneficio Eccleſiaſtico in perpetuum ſine ſpe recuperationis, retento ſolo privilegio canonis & fori; ita ut neque ab ullo percuti, nec trahi poſſit ad tribunal ſeculare. Degradatio vero eſt pœna, per quam quis ſollemniter privatur in perpetuum non ſolum omni officio & beneficio Eccleſiaſtico, ſed etiam privilegio clericali.

Hæ pœnæ differunt a ſuſpenſione, 1. Quia non ſunt Cenſuræ, cum non ſint pœnæ medicinales, ſed mere vindicativæ, utpote inflictæ in perpetuum. 2. Quia privant ipſa poteſtate ſeu ipſo officio & beneficio: ſuſpenſio vero privat tantum uſu officii, & fructibus beneficii. Depoſitus tamen & Degradatus non privantur poteſtate Ordinis, quem ſemper poſſunt valide, licet illicite, exercere, ſi non requirat juriſdictionem.

## CAPUT V.

### *De Irregularitate.*

Quæſt. I. QUid eſt Irregularitas?

*Reſp.* Eſt impedimentum canonicum, quo prohibetur ſuſceptio Ordinum, & eorum exercitium. Sive eſt inhabilitas jure canonico inducta, impediens ſuſceptionem Ordinum, & ſuſceptorum exercitium. Differt a Cenſura, quod hæc ſit pœna medicinalis ob culpam inflicta, & ad emendationem delinquentis ordinata: Irregularitas vero immediate & primario ſtatuta ſit non ad punitionem, emendationemve delinquentis; ſed ob honorem ſacri miniſterii, qui poſtulat, ut qui ad altaris miniſterium aſſumuntur, ſint & integri corpore, & animo puri: unde non neceſſario ſupponit culpam, ut Cenſura. Fertur tamen aliquando per modum pœnæ vindicativæ, ſed ſecundario, quatenus ob delicti maculam aliquis cenſetur indignus ſacro miniſterio, ob cujus reverentiam primario infligitur.

Porro nomine Ordinum hic intelligitur etiam prima tonſura, ut conſtat ex praxi Eccleſiæ, & communi Doctorum ſenſu: quia eſt diſpoſitio ad Ordines.

Circa irregularitatem notanda ſunt ſequentia.

1. Nulla eſt irregularitas ab homine, ſed omnis eſt a jure univerſali ac papali, ex c. 18. *de ſent. excom. in 6.* ubi Boniſac. VIII. declarat per celebrationem in Eccleſia polluta non fuiſſe contractam irregularitatem, *cum id*, inquit, *non ſit expreſſum in jure*, ſcilicet *communi*. Quia cum irregularitas ſit lata primario per modum impedimenti canonici ob decentiam ac reverentiam ſacro altaris miniſterio debitam, hæc impedimenta debent eſſe eadem in tota Eccleſia, ſicuti debita altaris miniſterio reverentia, ac honor communis eſt toti Eccleſiæ.

2. Irregularitas contrahitur ante omnem ſententiam, etiam ob defectum vel crimen occultum, & non tollitur per abſolutionem, ſed per diſpenſationem in hunc modum: *Diſpenſo tecum ſuper irregularitate, quam incurriſti ob talem cauſſam, & habilem reddo, & reſtituo te executioni Ordinum, & officiorum tuorum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Ita Rit. Rom.

3. Poteſt quis pluribus irregularitatibus etiam ejuſdem ſpeciei detineri ob idem factum pluries commiſſum. Quare obtinens diſpenſationem irregularitatis cum expreſſione alicujus cauſſæ non cenſetur diſpenſatus in omnibus aliis irregularitatibus contractis ex alia cauſa non expreſſa, niſi ſuperior intendat generaliter diſpenſare: nam una irregularitas poteſt ſine alia auferri, ſicut poteſt ſine illa induci.

4. Clericus irregularis licite obire poteſt omnia munera ſacra, quæ laico competere poſſunt, ut in Eccleſia canere, celebranti miniſtrare, Sacramenta recipere, excepta Ordinatione.

5. Ignorantia invincibilis ſolius irregularitatis, etiam ex delicto, juxta (1) communem ſententiam, non excuſat ab illa. Quia irregularitas non eſt pœna medicinalis requirens contumaciam, ſed eſt quædam macula ſeu inhabilitas annexa a jure non ad emendationem, ſed ob reverentiam ſacris myſteriis debitam.

Quæſt. II. *Quinam ſunt effectus Irregularitatis?*

*Reſp.* Duo, 1. Graviter illicitam reddit ſuſceptionem Ordinum, etiam primæ Tonſuræ, & eorum uſum, non tamen invalidam. Unde peccat mortaliter, qui in irregularitate recipit vel exercet Ordinem: quia violat præceptum Eccleſiæ in re gravi vel ad religionem pertinente. Idem dic ſi recipiat primam tonſuram, quia eſt res gravis: nam conſtituit hominem in ſtatu clericali, & reddit capacem beneficii ac Ordinis ex cap. ult. *de temp. &c. in 6.* Nullam tamen aliam pœnam ipſo facto latam incurrit; quia nulla talis in jure contra irregularitatis violatores decernitur.

Porro non prohibetur uſus juriſdictionis, quæ exerceri poteſt ſine actu ordinis. Hinc Parochus irregularis poteſt delegare ad Sacramenta ſuis parochianis miniſtranda, quamvis ei non liceat illa miniſtrare. Valide tamen abſolveret, cum non privetur poteſtate Ordinis, nec juriſdictionis.

2. Inhabilem reddit ad beneficium recipiendum, ſi ſit totalis, ita ut collatio facta irregulari, ſaltem qui non poteſt omnia ejus munia obire, ſit nulla, ex c. 1. *de cleric. pugnant.* & c. 18. *de ſent. excom. in 6.* ubi dicitur *eſſe intelligibilis*. Quia beneficium datur propter officium, & ad hoc ex ſe ordinatur. Cum ergo irregularis ſit inhabilis ad officia exercenda, eſt etiam inhabilis ad beneficia recipienda. Quare qui in irregularitate beneficium recipit, non poteſt illud retinere ſine nova collatione, nec fructus ejus percipere. Idem dic de dignitate & prælatura Regularium ex cap. 12. *de pœnit.* Clericus autem per irregu-

(1) *Non eadem prorſus I.D. mens circa irregularitates ex* defectu, *& ex* delicto. *Siquidem etſi nemo ambigat, quin irregularitas prioris generis contrahatur etiam ab homine illam invincibiliter ignorante, (N. 224.) ſecus tamen de irregularitate generis poſterioris opinantur haud pauci. Unde Sylvius* (*Com. ad Suppl. 3. p. qu. 21. n. 4. in fin.*) *ſcribit*: An ea irregularitas, quæ eſt ob peccatum, incurratur ab ignorante illam, dubitatur; Navarrus negat; nec improbabiliter quantum ad forum conſcientiæ: in foro autem externo non facile admittitur talis excuſatio.

regularitatem non privatur beneficio ante obtento, nec ejus fructibus, modo recitet horas, & alia munia per alium exerceri curet ex c. 5. *ne Cleric. vel Monach.* Debet tamen beneficio privari ex c. 10. *de exceſſ. prælat.* immo ſponte illud reſignare, ſi diſpenſatio brevi tempore impetranda non ſit: quia beneficium retinere non debet, qui per ſe ipſum non poteſt officium ullum, vel præcipuum præſtare.

Quæſt. III. *Quotuplex eſt Irregularitas?*

*Reſp.* Dividitur 1. In eam quæ eſt ex defectu, ſcilicet inculpabili; & in eam quæ eſt ex delicto. 2. In totalem, quæ omnium Ordinum ſuſceptionem & uſum impedit; & in partialem, quæ tantum aliquem actum Ordinis impedit.

Quæſt. IV. *Quænam ſunt Irregularitates ex defectu?*

*Reſp.* Sequentes. Prima eſt ex defectu animi ſive rationis, ſcientiæ, & fidei obfirmatæ, propter quem irregulares ſunt, 1. Pueri, amentes, furioſi, energumeni, lunatici. 2. Illitterati, ſeu non habentes doctrinam neceſſariam, c. 1. *diſt.* 56. 3. Neophyti, ſeu adulti ad fidem recens converſi a Paganiſmo, aut Judaiſmo, c. 1. *diſt.* 48.

Secunda eſt ex defectu corporis, ex quo irregularis eſt quicumque talem habet corporis defectum, deformitatem aut morbum, ut vel non poſſit abſolute, vel nonniſi cum magna indecentia, vel periculo, vel ſpectantium horrore aut offenſione exercere actus Ordinum ex tit. *de corpore vitiatis*, & tit. *de clerico ægrot.* & ex *diſt.* 55. In dubio autem, num deformitas vel indecentia ſit ſufficiens, Epiſcopi eſt judicare, c. 2. *de corpore vitiat.*

Hinc irregulares ſunt 1. Cæcus, ſurdus, & enormiter claudus, ut ſi nequeat ſine baculo, vel pede ligneo ire ad altare. 2. Carens naſu, manu, pollice vel indice. 3. Carens uno oculo cum notabili deformitate, ſecus ſi habens duos oculos, dextro non videat, vel etiam juxta multos ſiniſtro, modo Canonem Miſſæ ſine indecenti faciei converſione legere poſſit. 5. Leproſus, deformiter gibboſus, aut facie maculatus. 5. Morbo caduco laborans, qui tamen ſi ordinatus ſit, & intra annum eo morbo non laboravit, poteſt ſuſceptos Ordines exercere. Si vero raro & ſine clamore ac ſpuma laboret, poteſt celebrare cum ſacerdote jejuno, qui deficiente ipſo ſuppleat ſacrificium.

Ceterum corporis vitium occultum non inducit irregularitatem, niſi in tribus caſibus. 1. Si quis membrum, vel partem membri abſque juſta cauſſa ſibi amputarit, c. 22. *diſt.* 33. 2. Irregularis eſt, qui eunuchus propria culpa factus eſt, ſecus ſi natura vel ſine culpa, c. 3. *de corpore vitiat.* 3. Ermaphrodita, immo ſi magis aut æque participet femineum ſexum; eſt jure divino incapax Ordinis & characteris, quia eſt magis, aut tam femina quam vir: femina autem non eſt capax characteris Ordinis. Eſt etiam arcendus a profeſſione religionis, ob periculum libidinis & ſcandali.

*Nota.* Habens corporis defectum impedientem ſuſceptionem Sacerdotii, eſt irregularis ad reliquos Ordines inferiores & ſacros, quia hi ad illud ordinantur. Sed ſi id accidat poſt ſuſceptum ſacerdotium; fit tantum irregularis quoad functiones, ad quas eſt inhabilis, non alias. Sic ſacerdos qui amiſit pollicem vel indicem, vel oculos, fit irregularis quoad celebrationem Miſſæ, non quoad auditionem confeſſionum.

Tertia eſt ex defectu libertatis, ob quem excluduntur ab Ordinibus, 1. Mancipia, niſi prius a dominis libertate donati fuerint. 2. Curiales, hoc eſt, qui ex officio negotiis ſæcularibus implicantur, ut procuratores, advocati, notarii, milites, quamdiu tale officium habent, c. 4. *de Cleric. vel Monach.* 3. Qui obligantur ad ratiocinia reddenda, non debent ordinari, niſi poſt depoſita onera & reddita ratiocinia, ex cap. unic. *de obligat. ad rat.*

Quarta eſt ex defectu natalium, ob quem irregulares ſunt omnes illegitimi, etiam occulti, ſive ſpurii, ſive naturales, c. 1. *de filiis presb. & in 6. eod. tit.* Idque ob indecentiam moraliter in prole reſultantem ob ignominiam quamdam, qua ſecundum vulgarem opinionem videntur aſpergi, & ob periculum incontinentiæ ex imitatione paterna. Excipe, niſi filii naturales legitimati ſint per ſubſequens matrimonium, c. 6. *Qui filii ſint legit.* aut niſi habeantur in jure pro legitimis, ut qui nati ſunt ex matrimonio, invalido illo quidem, ſed in facie Eccleſiæ bona fide ſaltem ex parte unius contrahentis inito, quamvis poſtea impedimentum aliquod dirimens detegatur; nam legitimi habentur, c. 14. eod. tit.

Per ſollemnem religionis profeſſionem deletur hæc irregularitas quoad Ordines ſuſcipiendos, non tamen quoad prælaturam, c. 1. *de filiis presb.* Porro filii naturales ſunt ii, qui nati ſunt ex perſonis ſolutis, inter quos tempore conceptionis vel nativitatis nullum erat impedimentum dirimens. Spurii ſunt ii, qui nati ſunt ex perſonis, inter quas tempore conceptionis vel nativitatis erat impedimentum dirimens.

Quinta ex defectu Sacramenti, ſeu ſignificationis Sacramenti, eſt bigamia ſeu matrimonii multiplicatio, etiam ante baptiſmum contracta, ex c. 1. 2. & 3. *de bigam.* Matrimonium quippe eſt Sacramentum unionis Chriſti cum Eccleſia unica ſponſa ſua; quæ conjunctio una eſt, unus eſt enim ſponſus & una ſponſa. At bigamus non repræſentat perfecte hanc unionem, cum carnem ſuam in plures uxores diviſerit. Hujus irregularitatis rationes ſunt. 1. Ob Sacramenti defectum, c. 5. *de bigam.* Nam cum ordinati creentur Sacramentorum miniſtri, decet ordinandos nullum circa Sacramenti ſignificationem defectum pati. 2. Quia nimis propenſus ad luxuriam præſumitur, qui pluries contraxit. 3. Quia bigamus non poteſt facile ceteros hortari ad continentiam, quam de eo difficile præſumunt, c. 4. *diſt.* 26.

Eſt autem triplex bigamia, quæ inducit irregularitatem, ſcilicet vera, interpretativa, & ſimilitudinaria. Bigamia *vera* eſt ea, qua quis duas uxores legitime & ſucceſſive duxit, & cum iis matrimonium conſummavit. *Interpretativa* eſt ea, qua aliquis ex juris interpretatione habetur bigamus, quamvis cum duabus non contraxerit. Hac bigamia laborat, qui viduam duxit, aut mulierem ab altero corruptam, & cum ea, jam facta uxore ſua, matrimonium conſummavit, c. 9. *diſt.* 34. Item qui virginem quidem duxit, ſed eam uxorem factam cognoſcit poſt commiſſum ab ea adulterium: nam talis cenſetur ex juris interpretatione carnem ſuam in pluries diviſiſſe; ſicut uxor, cum qua efficitur una caro, in plures

divi-



diviſi. Quare hoc matrimonium deficit a ſignificatione conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt unius cum una intacta. Non eſt tamen bigamus, nec irregularis, qui prius a ſe corruptam ducit, neque qui ante vel poſt matrimonium, vel in ipſo fornicatus eſt aut adulteratus, quia in nullo jure id expreſſum eſt. Bigamia *ſimilitudinaria* eſt ea, qua quis poſt ſollemnem religionis profeſſionem, vel poſt ſacrum Ordinem ſuſceptum attentavit matrimonium, etiam cum virgine, & copulam habuit, c. 4. *de bigam.* & ex can. *Quotquot* 27. qu. 1. Ratio eſt, quia qui voto ſollemni adſtrictus eſt, cenſetur ſpirituali quodam matrimonio conjunctus cum Chriſto. Unde ſi conjungatur alteri per matrimonium attentatum, cenſetur, quantum in ſe eſt celebrare duo matrimonia non quidem vera, ſed ſimilitudinaria.

Sexta ex defectu lenitatis, ex quo irregularitatem contrahit quilibet baptizatus, qui voluntarie & proxime, licet juſte, concurrit ad hominis necem aut mutilationem, aut etiam accelerationem mortis, effectu ſecuto. Cenſetur autem hic proxime concurrere, qui ex lege, officio, vel ex intentione, vel per actum de ſe ordinatum ad necem, aut mutilationem concurrit, ſive in judicio, ſive in bello offenſivo. Quod ideo ſtatuit Eccleſia, quia Sacerdos, qui perſonam Chriſti in ſacro altari gerit, ejus manſuetudinem imitari debet. Chriſtus autem mitiſſimus fuit, & neminem unquam læſit, ſed mortem pro omnium ſalute ſubiit, ſuoſque miniſtros miſit ſicut oves in medio luporum, ſua patientia & manſuetudine convertendorum in agnos; & quia Sacerdos eſt miniſter Sacramenti pacis, unionis & vivificationis.

Hinc 1. Irregulares ſunt, judex ferens ſententiam mortis, vel mutilationis, ejus aſſeſſores, & omnes miniſtri juſtitiæ ad eam auctoritate publica concurrentes, ut notarius, ſcriba recipiens, & ſignans teſtimonium teſtium, vel ſententiam judicis; accuſator, teſtis, advocatus, & procurator regius vel accuſatoris; (non Rei), ſatellites, executores ſententiæ, ut tortor, ejuſque famulus actu concurrens, & fabricantes furcam ad aliquem in particulari ſuſpendendum.

Sed non ſunt irregulares, qui remote tantum ad ſententiam ſanguinis, vel ejus executionem concurrunt; ut 1. Princeps condendo leges capitales, conſtituendo judices vel alios miniſtros juſtitiæ, aut etiam præcipiendo, ut ſuper facto aliquo particulari inquiſitio & juſtitia fiat. 2. Epiſcopus degradatum tradens brachio ſæculari, ſed debet juxta canones pro eo intercedere, ut citra ſanguinem puniatur. 3. Confeſſarius hortans reum ad fatendam veritatem, & ad obſequendum ſententiæ juſtæ, vel generatim dicens puniendos eſſe malefactores. Cenſeretur tamen cauſſa proxima mortis, ideoque irregularis, ſi quid faceret aut diceret, ex quo mors alicujus in particulari ſequeretur, aut accelerareur, ver. gr. ſi diceret hunc reum eſſe morte plectendum. Poſſunt tamen interdum aliqui proxime cooperatores excuſari ab irregularitate propter indeliberationem, aut ſemiplenam advertentiam. Quia tunc cooperatio non eſt ſufficienter voluntaria ad actum humanum, ut ſi confeſſor indeliberate dicat: *Properemus*, vel inſtiget jumentum, quo reus vehitur. Nam ad irregularitatem hanc contrahendam requiritur actus ſimpliciter humanus ac plene deliberatus; ex *Clem. de homicid.* ibi: *Si furioſus, aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit.*

4. Irregulares non ſunt, qui infirmum vertendo, erigendo, juſculum ei præbendo, in alium locum transferendo &c. mortem ejus præter intentionem accelerant, ſi id prævidere non poterant; in hoc enim nullus eſt defectus lenitatis.

5. In Galliæ regno teſtis a judice compulſus ferre teſtimonium in cauſſa criminali non cenſetur irregularis: nam cauſſa proxima mortis reorum non habetur, ſed remota dumtaxat, ut docent Doctores Galli, qui idem dicunt de Notariis. Secus in aliis Eccleſiis.

Hinc 2. Fit irregularis, qui in bello offenſivo, licet juſto, quempiam manu propria occidit vel mutilat. Secus ſi tantum cooperetur, v. gr. cuſtodiendo ſarcinas, hortando in genere ad fortiter pugnandum &c. Quod ſi bellum ſit injuſtum, irregulares ſunt etiam ii, qui alios ſua præſentia audaciores efficiunt. Item in bello mere defenſivo, juſto & neceſſario ad defenſionem reſp. juxta multos irregularitas contrahitur, ex c. 24. *de homic.* ſed eam non incurrit, qui injuſtum invaſorem pro defenſione vitæ ſuæ occidit, aut mutilat cum moderamine inculpatæ tutelæ (1), *Clement. de homic.* Item nec Clericus accuſans alium

de

(1) *Injuſtum vitæ invaſorem licite occidi poſſe, nimirum* non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam, *quod* omnes leges & omnia jura permittunt (*ut dicitur* c. 2. *tit.* 12. de Homicid. *l.* 5. *Decr.*) *Auctor jam demonſtravit ſuo loco* (*q.* 6. *c.* 1. *par.* 3. *tract.* de Juſtit. & Jur. *Nec D. Auguſt. unquam diſſenſit, uti contra TT. nonnullos oſtendit ex Illuſtr. Porphirienſi nuperrimus Moralis Scriptor Auguſtinienſis Familiæ P. Jac. Van. Boſſuyt* (*Tract.* de Jur. & Juſt. *c.* 15. *§.* 2. *n.* 6.) *Ceterum quod ſpectat ad* irregularitatem, *varia extitit Eccleſiæ diſciplina pro temporum varietate. Antiquitus tum in Orientali, tum in Occidentali Eccleſia irregulares fuiſſe illos etiam, qui propriam vitam tuendo nefarium aggreſſorem interemiſſent, patet ex S. Baſilio* (*can.* 55. *epiſt. ad Amphil.*) *atque ex Gratiano* (*part.* 1. *Decr.* 1. *diſt.* 10. *can.* 6.) *Et hujuſmodi quidem irregularitatem diutiſſime perduraſſe colligimus ex Angelico* (2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *ad* 3.) Irregularitas conſequitur actum homicidii, etiamſi ſit abſque peccato. Et propter hoc Clericus, etiamſi ſe defendendo interficiat aliquem, irregularis eſt, quamvis non intendat interficere, ſed ſeipſum defendere. *Item ex Subtili Doctore* (*in* 4. *ſent. diſt.* 24. *q.* 1. *poſt med.*) Si homicidium ſimpliciter eſt involuntarium, utpote ſi alius irruit in gladium iſtius, in nullo nocet. Si autem involuntarium ſecundum quid, utpote ſi quis non potuit evadere mortem, niſi occideret, irregularis eſt; *Diſt.* 50. *de his.* Sed facilis eſt diſpenſatio. *Paucis tamen poſt obitum Scoti annis Clemens V. in Concil. Viennenſi eam irregularitatem ſuſtulit generali ſanctione* (*lib.* 5. *Clement. tit.* 4. *c.* 1.) Si furioſus, aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo cenſe-

mus,

de injuria ſibi in ſe, vel in ſuis rebus illata, ſit irregularis, licet reus morte plectendus ſit, modo expreſſe proteſtetur, ſe nullam capitis aut mutulationis pœnam intendere; cap. *de homic. in 6.* Alioquin ut dicitur: *Si Clericus de ſuis malefactoribus taliter conqueri non auderet; daretur pleriſque materia trucidandi eoſdem, & ipſorum bona libere deprædandi.* Secus, ſi occidat vel mutilet in defenſionem vitæ alterius innocentis, etiam patris, cum debita moderatione. Nam quamvis non peccet, incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis: quia quoad hoc Clem. V. juri antiquo non derogavit: nam cum ſolum eximit ab irregularitate, qui mortem aliter vitare non valens ſuum occidit vel mutilat invaſorem. Stat autem regula generalis pro iis, quæ non excipiuntur.

Septima eſt ex defectu bonæ famæ, ſeu ex infamia; infames enim ſunt irregulares, cap. *Infames*, 6. qu. 1.

Duplex autem eſt infamia, *Juris* ſcilicet & *Facti*. Infamia juris eſt ea, quæ imponitur jure ſeu canonico, ſeu civili ex *cit. can.* Infamia facti eſt publica notia, ſeu opinio commiſſi criminis, per quod fama hominis, ſpectatis perſonæ qualitate & ſtatu, apud prudentes graviter læditur, quamvis crimen illud per leges non notetur infamia; ſic infames ſunt Clerici ebrioſi.

Infamia juris iterum duplex eſt, alia quæ per legem ipſo facto inducitur, alia quæ oritur ex ſententia, qua judex damnavit ad pœnam infamantem valde gravem, ut virgis cædi, ignominioſe traduci, ad triremes vel exilium damnari.

Porro irregularitas ex infamia facti tollitur abſque diſpenſatione per publicam, & conſtantem vitæ emendationem, quæ prioris vitæ maculas non ſolum coram Deo, sed etiam in opinione hominum abſterſerit, ex c. 14. *de teſtib.* Irregularitas vero ex infamia ipſo jure vel per judicis ſententiam contracta ob crimen notorium, non tollitur niſi per diſpenſationem.

Quæſt. V. *Quænam ſunt Irregularitates ex delicto?*

*Reſp.* Sequentes. Prima eſt iteratione baptiſmi, ob quam ſunt irregulares ſcienter rebaptizatus, rebaptizans, qui rebaptizanti miniſtrat; item qui extra neceſſitatem permittit ſe ab hæretico baptizari.

Secunda, ex illicita ſuſceptione, vel uſu Ordinis, quam incurrunt, 1. Qui furtive ſuſcepit Ordines, hoc eſt, qui non examinatus, vel non admiſſus, vel alio pro ſe ad ſubeundum examen ſubmiſſo, doloſe ſe ingerit inter ordinandos ex tit. *de eo qui furt.* 2. Qui poſt contractum matrimonium licet non conſummatum ordinatur invita uxore, extrav. *Antiquæ de vot.* 3. Qui in excommunicatione majore ſuſcepit Ordinem ſacrum c. 23. *de ſent. excom.* 4. Qui exercet actum proprium Ordinis, quem non habet, ex c. 1. & 2. *de cler. non ordin.* ut ſi Clericus in minoribus conſtitutus canat epiſtolam cum manipulo: ſecus ſi ſine (1) manipulo, quia ſic interdum canitur a laicis.

5. Qui

mus, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit vel mutilat invaſorem. *Huic tamen novæ diſciplinæ obſtare videtur Triden. Synodus decernens (ſeſſ. 14. de Refor. c. 7.) opus eſſe diſpenſatione ſaltem Epiſcopali, ubi homicidium ejuſcemodi contigerit.* Qui ſua voluntate homicidium perpetraverit, nullo tempore ad ſacros Ordines promoveri poſſit &c. Si vero homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, ut quis ſe a morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur, quam ob cauſſam etiam ad Sacrorum Ordinum & Altarium miniſterium jure quodammodo diſpenſatio debeatur, committatur loci Ordinario, qui nonniſi cauſa cognita diſpenſare poſſit. *At graviſſimi DD. Navar.* (*lib. 5. Conſil. 36.* de Homic.) *Suarezius* (*diſp. 46.* de Cenſuris *ſect. 2.*) *Barboſa* (*in Remiſſ. ad id Conc.*) *& alii plures reſpondent, laudatum Decretum intelligendum de homicidio peracto citra moderamen inculpatæ tutelæ, hoc eſt, non ob* inevitabilem *neceſſitatem defendendi propriam vitam. In hoc quippe caſu Clementina illa Conſtitutio minime ſuffragatur, quæ indicio omnium Interpretum ſupponit, quod jam pridem in Jure communi ab Innoc. III.* (*c. 18.* Significaſti *tit. cit. de homic.*) *expreſſum.* Quamvis vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittant, tamen id dedit fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ. *Quare ut perſpecte obſervat Sylvius* (*in fin. Com. ad art. 7. q. 61. 2. 2.*) *Conc. Trid. non abſolute pronunciat, hominem illum eſſe irregularem, qui in ſui defenſionem occidit invaſorem: ſed loquitur conditionate, eſtque ſenſus:* Si quis caſu, vel in propriæ vitæ defenſionem ita occiderit invaſorem, ut invaſus aliqua diſpenſatione indigeat (ideo nimirum, quia exceſſerit modum inculpatæ tutelæ, rationabiliter quidem ſe defendens, ſed cum aliquo exceſſu) negotium committatur uni Epiſcoporum illic expreſſorum, qui diſpenſare poſſit cauſſa cognita, & probatis precibus ac narratis.

(1) *Scita eſt, inquies, ecquid ergo Sac. Cong. apud P. Lucium Ferraris* (Bibl. Moral. Can. voce, Miſſæ Sacrificium, *nu. 58.*) *Clericum ſic inſervientem exſtimulat ad petendam diſpenſationem?* Clericus, qui ſollemniter cantat Epiſtolam cum tunicella, & reliquis ſacris veſtibus, ſed abſque manipulo, debet petere diſpenſationem irregularitatis ad cautelam. *Die 13. April. 1604. Reſp. Primum obſervo juxta communem Theologorum, & Canoniſtarum doctrinam, quatuor requiri conditiones ad contrahendam eam ſpeciem irregularitatis, quæ dicitur ex* indebito uſu *ſeu* exercitio Ordinis, *quæque præcipue innititur veteri ſtatuto Hormiſdæ Papæ* (*c. 1. tit. 28. De Cler. non ordin. miniſtr. lib. 5. Decret.*) Si quis aliquod Divinum Officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Eccleſia, & nunquam ordinetur. *Nimirum oportet 1. ut quis exerceat actum Ordinis Sacri, ſive majoris. 2. ut actus ſit proprius talis Ordinis. 3. ut hujuſmodi actum peragat* ſollemniter, *ſeu quaſi ex officio, aſſumendo nempe ea ornamenta ſacra, quæ juxta Eccleſiæ conſtitutionem, & praxim ſunt propria ejuſdem Ordinis Sacri: qualia ſunt ex. gr. manipulus Subdiaconi, & ſtola Diaconi. 4. ut ſcienter, ac temere id præſtet, adeoque non ex inadvertentia, aut ignorantia probabili, aut gravi aliqua de cauſſa. Deinde in medium profero Decretum Sac. Congr. ex P. Cajet. Marati (in Jud. Decr. n. 531.) quod altero ſuperiore eſt longe poſterius, utpote conditum die 5. Jul. 1698.* Deficiente

Sub-



5. Qui ligatus excommunicatione majore etiam occulta, aut ſuſpenſione, aut interdicto exercet actum proprium Ordinis ſacri, quem habet, ex c. 1. & c. 20. *de ſent. excomm. in 6.* Idem de exercitio Ordinum minorum docet Navarrus, dicens eſſe communem, & Fagnanus id probat in cap. *Si quis presbyter.* 6. Qui celebrat in loco interdicto, c. 18. *de ſent. excom. in 6.*

Tertia eſt ex homicidio & mutilatione culpabiliter & injuſte commiſſis, ſive phyſice, ſive moraliter, aut mandato, conſilio, precibus, vel auxilio, favore &c. ſive etiam negativa cooperatione, non impediendo, cum ex juſtitia quis tenetur impedire, ex diſt. 50. & ex tit. *de homic.* & *de ſent. excom.*

Hæc contrahitur 1. Ob homicidium voluntarium in ſenſu canonum, quod ſcilicet eſt in ſe directe volitum, vel in cauſſa ita propinqua, ut moraliter impoſſibile ſit eam velle, & non velle homicidium. Quod ſi plures communi conſilio invadant, omnes ſunt irregulares, quamvis unus percuſſerit.

2. Ob homicidium caſuale culpabile, quod contingit, cum quis nec necem, nec mutilationem intendit, nec ſecuturam prævidit, ſed vel prævidere potuit, vel debitam diligentiam non adhibuit ne accideret, vel dedit operam rei illicitæ & periculoſæ, ex qua mors præter intentionem ſecuta eſt, quantamcumque diligentiam aliunde adhibuerit, ex tit. *de homic. volunt. vel caſual.*

Secundum varios non contrahitur ob homicidium ſecutum ex re illicita, ſed nullatenus periculoſa, modo debita diligentia adhibita ſit; eo quod tunc illud nullo modo ſit voluntarium, nequidem in cauſſa, utpote nullum ejus periculum probabile deferente. Alii tamen cenſent, contrahi ob mortem alterius ex qualibet actione illicita ſecutam, probantque ex variis canonibus; quare tutius eſt petere diſpenſationem.

Porro conſtat nullam contrahi irregularitatem, ſi homicidium ſit omnino & abſolute caſuale, quando nempe caſu præter intentionem ſequitur ex actione licita, modo debita diligentia, ne eveniret, adhibita ſit. Quia ubi nulla in homicidio caſuali proceſſit culpa, nulla ſequitur irregularitas, ex c. 9. *de homicid.* & aliis. Secus ſi debita diligentia adhibita non fuerit, c. 11. *eod. tit.*

3. Idem eſt de mutilatione voluntaria & caſuali, ac de homicidio, cui in jure æquiparatur, ex c. 4. *de raptor.* & cap. ult. *de homicid. in 6.* & *Clement. eod. tit.* Eſt autem mutilatio abſciſſio membri vivi. Membrum vero ex communi ſententia eſt pars corporis, quæ proprium habet officium diſtinctum ab aliis partibus, ut manus habet officium palpandi, oculus videndi, pes gradiendi &c. non autem dentes, capilli &c. Unde multi docent digiti alieni abſciſſione non contrahi irregularitatem.

4. Ex apoſtaſia a fide, vel hæreſi externa, etſi occulta, ut docent Navarus, Suarez, Sanchez, Bonacina, & alii communiter apud illos. Quia irregularitas crimini ipſi hæreſeus, & non ſolum infamiæ inflicta eſt. Nec jura diſtinguunt inter hæreſim publicam & occultam, ut c. 2. *de hæret. in 6.* &c. cap. *Saluberrimum*, 1. q. 7. Dicuntur tamen hæretici, eorumque filii ad fidem converſi non haberi irregulares in Gallia, nec Germania, ubi hæretici tolerantur.

5. Ex gravibus criminibus notoriis, quæ a jure annexam habent infamiam: qualia ſunt ſimonia, crimen læſæ Majeſtatis, adulterium, inceſtus, ſodomia, concubinatus, perjurium in judicio, maleficium &c. Item ex Conc. Trid. raptus mulieris, vel illius fautor, nec non duellum.

Sed hæc irregularitas non contrahitur, ſi crimen ſit occultum, ex c. 4. & ult. *de temp. ordin.* nam eſt immediate ex infamia, radicaliter vero ex delicto. Et quamdiu crimen eſt occultum, delinquens non eſt infamis, cum integram famam retineat apud homines; infamia enim eſt publica opinio prava de vita & moribus alicujus.

*Nota.* Ad contrahendam irregularitatem ex delicto requiritur culpa mortalis, & exterius conſummata. Quia irregularitas eſt pœna graviſſima de ſe perpetua, & difficile ſolubilis, ideoque non contrahitur niſi propter culpam gravem ac mortalem, alioqui non eſſet delicto commenſurata.

Quæſt. VI. *An in dubio aliquis debeat ſe gerere pro irregulari?*

*Reſp.* 1. In dubio juris quando ſcilicet lex eſt ita obſcura, ut de ejus ſenſu peritiores inter ſe diſſideant, vel quando dubitatur, an hic caſus contineatur ſub lege inducente irregularitatem, docent Canoniſtæ, neminem cenſendum eſſe irregularem, c. 18. *de ſent. excomm. in 6.* ubi ad irregularitatem contrahendam requiritur, ut id in jure expreſſum ſit. At cum jus dubium eſt, tunc irregularitas non eſt ſatis expreſſa in jure.

*Reſp.* 2. In quolibet probabili dubio facti, cum nempe quis dubitat, num poſuerit actum, cui irregularitas eſt certo annexa, tenetur ſe gerere pro irregulari, ex c. 12. *de homicid.* ubi ſtatuitur, dubitantem de homicidio a ſe perpetrato teneri abſtinere ab uſu Ordinis, *cum in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem.* Quæ ratio univerſalis eſt, & æque valet pro dubio facti in qualibet materia. Ita Abbas, Vaſquez, Azor. Valent. Reginald. &c. Et vero alioqui ſe exponeret periculo faciendi actum prohibitum.

Hinc qui fecit aliquid illicitum, ex quo dubitat, an mors alterius ſecuta ſit, cenſendus eſt irregularis, nam eſt dubium facti.

Quæſt. VII. *Quinam diſpenſare poſſunt in irregularitate?*

*Reſp.* Epiſcopus poteſt cum ſuis ſubditis diſpenſare in omni irregularitate, & ſuſpenſione proveniente ex delicto occulto, nec ad forum contentioſum deducto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario. Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 6. Item cum illegitimo ad Ordines minores & beneficium ſimplex, non requirens majorem Ordinem c. 1. *de filiis presb. in 6.* & in bigamia ſimilitudinaria, c. 4. *de cleric. conjug.*

In-

Subdiacono pro Miſſa ſolemni, data neceſſitate poteſt permitti per Superiores, ut ſubſtituatur conſtitutus in minoribus ordinibus, ad cantandam Epiſtolam paratus ſine manipulo. *His præjactis poterit oculatus quiſque, vel me tacente, elicere ſolutionem propoſiti dubii, nec non aliorum plurium, quæ in præſenti materia excitari queunt.*

In aliis omnibus ſolus Papa diſpenſare poteſt, vel is qui ab eo privilegium accepit.

Noſtræ Societatis Præpoſito Generali, & aliis Superioribus reſpective conceſſum eſt a Paulo III. privilegium diſpenſandi cum noſtris in quavis irregularitate, præterquam homicidii voluntarii, & mutilationis membrorum, & bigamiæ.

Confeſſarius autem, ſi facultatem diſpenſandi ſuper irregularitate obtinuerit, poſt datam abſolutionem a peccatis, hac forma utetur: *Et eadem auctoritate diſpenſo tecum ſuper irregularitate, vel irregularitatibus*, ſi plures ſint, *in quam, vel in quas ob talem cauſſam, vel tales cauſſas incurriſti, & habilem reddo, & reſtituo te executioni ordinum, & officiorum tuorum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Si pœnitens Ordine Sacro careat, dicendum eſt: *Habilem reddo te ad omnes Ordines ſuſcipiendos.* Ita Rit. Rom.

Porro hoc ipſo quod conceditur facultas abſolvendi a Cenſuris reſervatis, non cenſetur etiam concedi pro irregularitate, cum irregularitas non ſit cenſura, & difficilior ſit irregularitatum quam cenſurarum relaxatio. Et ſecundum Romanæ curiæ ſtylum nunquam cenſetur conceſſa facultas diſpenſandi in irregularitate, niſi fiat illius expreſſa mentio. *S. Carolus in Inſtruct.*

*Nota.* Communis ſententia docet, quemlibet ſacerdotem approbatum, ſecluſa prohibitione, poſſe abſolvere a peccatis irregularitatem annexam habentibus, ſi illa non ſint reſervata. Nam irregularitas adjuncta non impedit effectum abſolutionis, cum non pugnet cum ſtatu gratiæ; neque arcet a perceptione Sacramentorum excepto Ordine, cum ſit mere inhabilitas ſolum impediens Ordinum ſuſceptionem, aut eorum exercitium. Unde poteſt quis abſolvi a peccatis, remanente irregularitate eis annexa, & reipſa in Jubilæis hæc non relaxatur iis, qui virtute illorum a cenſuris, & peccatis abſolvuntur (1).

(1) *Hoc loco cum textus deſinat CL. Auctoris, & ego finem facio ſcribendi conſuetis officiis, uti par eſt, fungendo. In primis cum D. Bonav. (in fin. lib. 3. Sent.)* Domino noſtro Jeſu Chriſto immenſas gratias ago, quia adjuvit me pervenire ad conſummationem operis miſeratus paupertatem ſcientiæ, & ingenii mei. *Deinde, quoniam a D. Th. veriſſime obſervatum (Opuſc. de Symb. Apoſt.* §. 12.) Sola Eccleſia Petri, in cujus partem venit tota Italia, ſemper fuit firma in fide, & cum in aliis partibus vel nulla fides ſit, vel ſit commixta multis erroribus, Eccleſia tamen Petri & fide viget, & ab erroribus munda eſt, quia Dominus dixit Petro, Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua: *Idcirco ſupremo judicio Sacroſanctæ hujus Eccleſiæ cuncta hactenus a me exarata ſubmitto, paratus expungere, corrigere, explanare, ſi quid e calamo prodierit aut repugnans orthodoxæ doctrinæ, aut quovis modo diſtortum, ambiguumque. Poſtremo Lectores omnes benevolos rogo, ut quæcumque offenſuri ſunt minus recte vel perite dicta, pro ſua ſapientia emendare dignentur: ſimulque ſibi perſuadeant, a me quoque fidenter edici poſſe, quod Seraphicus olim de moralibus ſcribens teſtabatur* (Spec. Anim. *cap. 3. in fin.*) *Scilicet* nequaquam intentionis meæ fuiſſe hic aliquid temere aſſerere, vel alicui præjudicium generare. *Omnes, cujuſcumque nationis, inſtituti, ſcholæ ſint, veneror pro merito, etſi omnibus peræque placere in tanto, quod nunc maxime viget, moralium ſententiarum divortio perarduum ſit, ne dicam impoſſibile.*





# APPENDIX

## *De damnatis ab Eccleſia propoſitionibus, ubi decreta quoque nonnulla ad diſciplinam pertinentia recenſentur.*

DAmnatas ab Eccleſia propoſitiones brevi eiſdem adjecta explicatione ſubnectimus, ut Theologia hæc quoad ea ſaltem quæ neceſſaria videantur, abſoluta ſit atque perfecta. Nam licet plura in ea recenſerentur, nonnullæ tamen deerant; & quamquam haberentur omnes propriis in locis recenſitæ & indicatæ, tamen ad hoc neceſſarius videretur hujuſmodi catalogus, ut ex eodem confeſſariorum oculis ſubjecto facile deprehendant errores, in quos Theologi nonnulli incidere ſive ob nimium rigorem, ſive ob nimiam illam indulgentiam, qua libertati favere ſtuduerunt. Nec eas tantum propoſitiones recenſemus, quæ per ſe ad morum doctrinam pertinent, ſed etiam illas quæ ad Adami lapſum, depravationemque inde ſecutam humanæ naturæ, liberum arbitrium, & gratiam ſpectant, vel ad Eccleſiæ diſciplinam. Nam cum hæ plurimum conferant ad naturæ infirmitatem ejuſque cauſſam detegendam, & ad meritum inmeritumque hominis cognoſcendum, animarum Rectoribus omnino exploratæ eſſe debent, & ad rite animas dirigendas ſunt neceſſariæ. Accedit etiam eſſe inter Orthodoxos, qui in eis exponendis invicem varient, ac opiniones, quæ in aliqua catholicorum ſchola traduntur, cum damnatis propoſitionibus confundant, quo fit, ut diſſidia non ſolum inter privatos, ſed etiam inter ordines ipſos Regularium plerumque oriantur, quæ ſi non inimicitias, ſaltem ſcandala pariant: at hæc quoque doctrina morum de medio tollere decet. Ii ergo qui animarum curam ſuſceperint, ſcire eas ac explicare, dum opus ſit, tenentur. Ne vero certa ac tuta pro iis exponendis via deſit, indicatis variis Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionibus, quæ Orthodoxarum ſcholarum opiniones cum damnatis confundere, & cenſura notare prohibent, Baji, Janſenii, Queſnelliique ſiſtemata exponam, eademque ratione Quietiſtarum propoſitionibus agam. Quoad reliquas vero propoſitiones, eas ſigillatim explicabo, ac juxta traditam in opere doctrinam refutabo: antiquorum vero Hæredicorum, ſine ulla expoſitione recenſebo. Quoniam vero non una eademque cenſura theologica ſingulæ notatæ fuere; ut nihil deſit, quod ad perfectam illarum intelligentiam ducere poſſit, præmittendam duxi brevem explicationem notarum, quibus damnatæ propoſitiones dignoſci, ac determinari, ſive *qualificari* ſolent.

### CAPUT PRIMUM.

*De variis cenſurarum notionibus.*

1. INter notas, quibus propoſitiones deſignantur, quas Eccleſia proſcribere ſolet, primum locum tenet *Hæretica*. Eſt autem hæretica propoſitio illa quæ aperte opponitur veritati revelatæ, & ab Eccleſia fidelibus ad credendam propoſitæ. Propoſitio itaque illa quæ deſtruit fidem, quam habere debemus de re aliqua ab Eccleſia nobis, ut a Deo revelata, propoſita, hæretica dicenda eſt. Hæc itaque propoſitio; *Animæ Juſtorum, quibus nihil luendum ſupereſt, nonniſi poſt alterum Chriſti adventum cœleſti beatitudine donabuntur*, hæretica eſt, quia revelationi jam ab Eccleſia per ſuam definitionem fidelibus explicatæ, & inculcatæ adverſatur. Ante definitionem erat utique falſa, ac revelationi contraria, ſed cum nondum definita eſſet ab Eccleſia, cui depoſitum eſt divinæ revelationis concreditum, ac jus paſcendi, ſive docendi traditum cum infallibili promiſſione de futura aſſiſtentia, ne unquam erret, ac errare poſſit cum veritates revelatas exponit ac definit, hæretica dici non poterat.

2. Altera nota eſt *Schiſmatica*, quæ propoſitionem denotat Eccleſiæ unitatem deſtruentem: hujuſmodi eſt propoſitio qualibet, quæ ſine hæreſi, vel ad ſchiſma inducere, vel parere illud valeat. Ad ſchiſma vero inducunt propoſitiones, quæ fideles a debita legitimis Paſtoribus, & præſertim Romano Pontifici, qui centrum eſt unitatis, obedientia & ſubjectione retrahunt.

3. *Erronea* propoſitio dicitur, quæ veritati opponitur, quæ licet in ſe revelata, non ſit, tamen per legitimam conſecutionem ex una revelata & altera lumine naturæ nota eruitur. Hujuſmodi eſſet propoſitio hæc, *Chriſtus non eſt riſibus*, quæ opponitur concluſioni ex duabus iſtis præmiſſis deductæ, *Homo eſt riſibus, Chriſtus autem eſt homo.*

4. *Suſpecta de hæreſi* propoſitio dicitur, quæ licet catholici & hæretici ſenſus ſit capax, ratione tamen ſui, vel perſonæ loquentis, aut temporis, locique circumſtantiarum, prudens motivum ac fundamentum præfert exiſtimandi illam hæreticam eſſe. Hujuſmodi fuit apud Arianos propoſitio, qua dicebant *Verbum ὁμοιούσιον* Patri, hoc eſt ſimilis cum Patre ſubſtantiæ, quæ licet ſenſum catholicum habere poſſet, dum ſignificat Verbi naturam Patri omnino ſimilem, quia ut ſimilis ſit, eadem quoque eſſe debet; tamen ut ab Arianis prolata qui eadem ad naturæ diviſionem, & accidentariam tantum ſimilitudinem ſignificandam uſurpabant, jure meritoque pro ſuſpecta habebatur, ac rejecta fuit. Ita etiam ſuſpecta foret apud Neſtorianos propoſitio qua Dei para *Chriſti mater* appellatur; & in Sociniani perſona hæc alia, *Deus unus eſt*, quia illa ratione perſonæ loquentis ad excludendam divinam maternitatem, altera ad excludendam perſonarum trinitatem coarctata prudenter exiſtimari poſſet.

5. *Sapiens hæreſim* propoſitio dicitur, quæ licet propoſitioni revelatæ immediate non opponatur, tamen ita cum revelatione pugnare videtur, ut in auctore qui eam ſcripſit, hæreſim redolere videatur; ſive quod illa propoſitio ambigua, ex modo loquendi auctoris ſenſum hæreticum præſeferre videatur, ſive quod ita deductis ex revelatione concluſionibus juxta communem Theologorum ratiocinandi rationem adverſetur, ut hæreſim ſapiat, ſive hæreticum auctoris animum deſignet, ſive denique, quod fundamentum præbeat probabiliter judicandi, vel propter verba, vel propter materiam, vel propter alia adjuncta aliquam eſſe apud auctorem hæreſim, ex qua propoſitio illa procedat.

6. *Hæreſi proxima* eſt propoſitio, quæ hæreticæ maxime affinis eſt, hoc eſt ea quæ doctrinæ opponitur, quæ licet certo de fide non habeatur, a pleriſque tamen gravi cum fundamento *de fide* dicitur. Nam ſicut ea propoſitio fere, ſive proxime de fide dicitur, quæ pleriſque attentis argumentis revelationis, ac Eccleſiæ definitione, de fide apparet; ita hæreſi proxima appellatur, quæ pleriſque gravi ratione ductis hæreſi videatur: tunc enim jure quaſi hæreſis ſeu proxima hæreſi dicitur.

7. *Errori proxima* eſt, quæ ita erroneæ ſit propoſitioni affinis, ſicuti affinem eſſe diximus hæreſi huic proximam propoſitionem. Itaque, qui concluſionem negaret, quæ pleriſque ex una præmiſſa de fide, & altera evidenter nota deducta diceretur, quamvis aliqui evidentem eſſe conſecutionem negarent, errori proximam propoſitionem doceret. Tripliciter autem eſſe poteſt errori proxima propoſitio. Primo quando negat concluſionem, quæ evidenter ſequitur ex una præmiſſa naturali lumine certa, & ex altera, quam plerique gravi ratione ducti, de fide prædicant, etſi aliqui id negent. Secundo, cum negata concluſio infertur ex una, quæ jam conſtet eſſe revelata, & altera quam evidentem per illationem plerique aſſerant, licet nonnulli hanc in illa evidentiam non agnoſcant. Tertio denique proxima dicitur errori; dum neget concluſionem, quæ ex præmiſſa de fide deducta ſit, & altera, quam plerique licet non omnes evidentem habeant.

8. *Male ſonans* propoſitio eſt ambigua, quæ poteſt quidem habere orthodoxum ſenſum, ſed paſſim & quidem

In aliis omnibus ſolus Papa diſpenſare poteſt, vel is qui ab eo privilegium accepit.

Noſtræ Societatis Præpoſito Generali, & aliis Superioribus reſpective conceſſum eſt a Paulo III. privilegium diſpenſandi cum noſtris in quavis irregularitate, præterquam homicidii voluntarii, & mutilationis membrorum, & bigamiæ.

Confeſſarius autem, ſi facultatem diſpenſandi ſuper irregularitate obtinuerit, poſt datam abſolutionem a peccatis, hac forma utetur: *Et eadem auctoritate diſpenſo tecum ſuper irregularitate*, vel *irregularitatibus*, ſi plures ſint; *in quam*, vel *in quas ob talem cauſſam*, vel *tales cauſſas incurriſti, & habilem reddo, & reſtituo te executioni ordinum, & officiorum tuorum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Si pœnitens Ordine Sacro careat, dicendum eſt: *Habilem reddo te ad omnes Ordines ſuſcipiendos.* Ita Rit. Rom.

Porro hoc ipſo quod conceditur facultas abſolvendi a Cenſuris reſervatis, non cenſetur etiam concedi pro irregularitate, cum irregularitas non ſit cenſura, & difficilior ſit irregularitatum quam cenſurarum relaxatio. Et ſecundum Romanæ curiæ ſtylum nunquam cenſetur conceſſa facultas diſpenſandi in irregularitate, niſi fiat illius expreſſa mentio. *S. Carolus in Inſtruct.*

*Nota.* Communis ſententia docet, quemlibet ſacerdotem approbatum, ſecluſa prohibitione, poſſe abſolvere a peccatis irregularitatem annexam habentibus, ſi illa non ſint reſervata. Nam irregularitas adjuncta non impedit effectum abſolutionis, cum non pugnet cum ſtatu gratiæ; neque arcet a perceptione Sacramentorum excepto Ordine, cum ſit mere inhabilitas ſolum impediens Ordinum ſuſceptionem, aut eorum exercitium. Unde poteſt quis abſolvi a peccatis, remanente irregularitate eis annexa, & reipſa in Jubilæis hæc non relaxatur iis, qui virtute illorum a cenſuris, & peccatis abſolvuntur (1).

(1) *Hoc loco cum textus deſinat CL. Auctoris, & ego finem facio ſcribendi conſuetis officiis, uti par eſt, fungendo. In primis cum D. Bonav. (in fin. lib. 3. Sent.)* Domino noſtro Jeſu Chriſto immenſas gratias ago, quia adjuvit me pervenire ad conſummationem operis miſeratus paupertatem ſcientiæ, & ingenii mei. *Deinde, quoniam a D. Th. veriſſime obſervatum (Opuſc. de Symb. Apoſt.) §. 12.)* Sola Eccleſia Petri, in cujus partem venit tota Italia, ſemper fuit firma in fide; & cum in aliis partibus vel nulla fides ſit, vel ſit commixta multis erroribus, Eccleſia tamen Petri & fide viget, & ab erroribus munda eſt, quia Dominus dixit Petro, Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua: *Idcirco ſupremo judicio Sacroſanctæ hujus Eccleſiæ cuncta hactenus a me exarata ſubmitto, paratus expungere, corrigere, explanare, ſi quid e calamo prodierit aut repugnans orthodoxæ doctrinæ, aut quovis modo diſtortum, ambiguumque. Poſtremo Lectores omnes benevolos rogo, ut quæcumque offenſuri ſunt minus recte vel perite dicta, pro ſua ſapientia emendare dignentur: ſimulque ſibi perſuadeant, a me quoque fidenter edici poſſe, quod Seraphicus olim de moralibus ſcribens teſtabatur* (Spec. Anim. cap. 3. in fin.) *Scilicet* nequaquam intentionis meæ fuiſſe hic aliquid temere aſſerere, vel alicui præjudicium generare. *Omnes, cujuſcumque nationis, inſtituti, ſcholæ ſint, veneror pro merito, etſi omnibus peræque placere in tanto, quod nunc maxime viget, moralium ſententiarum divortio perarduum ſit, ne dicam impoſſibile.*

TRA-



# APPENDIX

## *De damnatis ab Eccleſia propoſitionibus, ubi decreta quoque nonnulla ad diſciplinam pertinentia recenſentur.*

DAmnatas ab Eccleſia propoſitiones brevi eiſdem adjecta explicatione ſubnectimus, ut Theologia hæc quoad ea ſaltem quæ neceſſaria videantur, abſoluta ſit atque perfecta. Nam licet plura in ea recenſerentur, nonnullæ tamen deerant; & quamquam haberentur omnes propriis in locis recenſitæ & indicatæ, tamen ad hoc neceſſarius videretur hujuſmodi catalogus, ut ex eodem confeſſariorum oculis ſubjecto facile deprehendant errores, in quos Theologi nonnulli incidere ſive ob nimium rigorem, ſive ob nimiam illam indulgentiam, qua libertati favere ſtuduerunt. Nec eas tantum propoſitiones recenſemus, quæ per ſe ad morum doctrinam pertinent, ſed etiam illas quæ ad Adami lapſum, depravationemque inde ſecutam humanæ naturæ, liberum arbitrium, & gratiam ſpectant, vel ad Eccleſiæ diſciplinam. Nam cum hæ plurimum conferant ad naturæ infirmitatem ejuſque cauſſam detegendam, & ad meritum immeritumque hominis cognoſcendum, animarum Rectoribus omnino exploratæ eſſe debent, & ad rite animas dirigendas ſunt neceſſariæ. Accedit etiam eſſe inter Orthodoxos, qui in eis exponendis invicem varient, ac opiniones, quæ in aliqua catholicorum ſchola traduntur, cum damnatis propoſitionibus confundant, quo fit, ut diſſidia non ſolum inter privatos, ſed etiam inter ordines ipſos Regularium plerumque oriantur, quæ ſi non inimicitias, ſaltem ſcandala pariant: at hæc quoque doctrina morum de medio tollere decet. Ii ergo qui animarum curam ſuſceperint, ſcire eas ac explicare, dum opus ſit, tenentur. Ne vero certa ac tuta pro iis exponendis via deſit, indicatis variis Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionibus, quæ Orthodoxarum ſcholarum opiniones cum damnatis confundere, & cenſura notare prohibent, Baji, Janſenii, Queſnelliique ſiſtemata exponam, eademque ratione Quietiſtarum propoſitionibus agam. Quoad reliquas vero propoſitiones, eas ſigillatim explicabo, ac juxta traditam in opere doctrinam refutabo: antiquorum vero Hæreticorum, ſine ulla expoſitione recenſebo. Quoniam vero non una eademque cenſura theologica ſingulæ notatæ fuerе; ut nihil deſit, quod ad perfectam illarum intelligentiam ducere poſſit, præmittendam duxi brevem explicationem notarum, quibus damnatæ propoſitiones dignoſci, ac determinari, ſive *qualificari* ſolent.

### CAPUT PRIMUM.

#### *De variis cenſurarum notionibus.*

1. INter notas, quibus propoſitiones deſignantur, quas Eccleſia proſcribere ſolet, primum locum tenet *Hæretica*. Eſt autem hæretica propoſitio illa quæ aperte opponitur veritati revelatæ, & ab Eccleſia fidelibus ad credendum propoſitæ. Propoſitio itaque illa quæ deſtruit fidem, quam habere debemus de re aliqua ab Eccleſia nobis, ut a Deo revelata, propoſita, hæretica dicenda eſt. Hæc itaque propoſitio; *Animæ Juſtorum, quibus nihil luendum ſupereſt, nonniſi poſt alterum Chriſti adventum cæleſti beatitudine donabuntur*, hæretica eſt, quia revelationi jam ab Eccleſia per ſuam definitionem fidelibus explicatæ, & inculcatæ adverſatur. Ante definitionem erat utique falſa, ac revelationi contraria, ſed cum nondum definita eſſet ab Eccleſia, cui depoſitum eſt divinæ revelationis concreditum, ac jus paſcendi, ſive docendi traditum cum infallibili promiſſione de futura aſſiſtentia, ne unquam erret, ac errare poſſit cum veritates revelatas exponit ac definit, hæretica dici non poterat.

2. Altera nota eſt *Schiſmatica*, quæ propoſitionem denotat Eccleſiæ unitatem deſtruentem: hujuſmodi eſt propoſitio quælibet, quæ ſine hæreſi, vel ad ſchiſma inducere, vel parere illud valeat. Ad ſchiſma vero inducunt propoſitiones, quæ fideles a debita legitimis Paſtoribus, & præſertim Romano Pontifici, qui centrum eſt unitatis, obedientia & ſubjectione retrahunt.

3. *Erronea* propoſitio dicitur, quæ veritati opponitur, quæ licet in ſe revelata, non ſit, tamen per legitimam conſecutionem ex una revelata & altera lumine naturæ nota eruitur. Hujuſmodi eſſet propoſitio hæc, *Chriſtus non eſt riſivus*, quæ opponitur concluſioni ex duabus iſtis præmiſſis deductæ, *Homo eſt riſivus, Chriſtus autem eſt homo.*

4. *Suſpecta de hæreſi* propoſitio dicitur, quæ licet catholici & hæretici ſenſus ſit capax, ratione tamen ſui, vel perſonæ loquentis, aut temporis, locique circumſtantiarum, prudens motivum ac fundamentum præſert exiſtimandi illam hæreticam eſſe. Hujuſmodi fuit apud Arianos propoſitio, qua dicebant *Verbum ὁμοιούσιος* Patri, hoc eſt ſimilis cum Patre ſubſtantiæ, quæ licet ſenſum catholicum habere poſſet, dum ſignificat Verbi naturam Patri omnino ſimilem, quia ut ſimilis ſit, eadem quoque eſſe debet; tamen ut ab Arianis prolata qui eadem ad naturæ diviſionem, & accidentariam tantum ſimilitudinem ſignificandam uſurpabant, jure meritoque pro ſuſpecta habebatur, ac rejecta fuit. Ita etiam ſuſpecta foret apud Neſtorianos propoſitio qua Dei para *Chriſti mater* appellatur; & in Sociniani perſona hæc alia, *Deus unus eſt*, quia illa ratione perſonæ loquentis ad excludendam divinam maternitatem, altera ad excludendam perſonarum trinitatem coarctata prudenter exiſtimari poſſet.

5. *Sapiens hæreſim* propoſitio dicitur, quæ licet propoſitioni revelatæ immediate non opponatur, tamen ita cum revelatione pugnare videtur, ut in auctore qui eam ſcripſit, hæreſim redolere videatur; ſive quod illa propoſitio ambigua, ex modo loquendi auctoris ſenſum hæreticum præſeferre videatur, ſive quod ita deductis ex revelatione concluſionibus juxta communem Theologorum ratiocinandi rationem adverſetur, ut hæreſim ſapiat, ſive hæreticum auctoris animum deſignet; ſive denique, quod fundamentum præbeat probabiliter judicandi, vel propter verba, vel propter materiam, vel propter alia adjuncta aliquam eſſe apud auctorem hæreſim, ex qua propoſitio illa procedat.

6. *Hæreſi proxima* eſt propoſitio, quæ hæreticæ maxime affinis eſt, hoc eſt ea quæ doctrinæ opponitur, quæ licet certo de fide non habeatur, a pleriſque tamen gravi cum fundamento *de fide* dicitur. Nam ſicut ea propoſitio fere, ſive proxime de fide dicitur, quæ pleriſque attentis argumentis revelationis, ac Eccleſiæ definitione, de fide apparet; ita hæreſi proxima appellatur, quæ pleriſque gravi ratione ductis hæreſi videatur: tunc enim jure quaſi hæreſis ſeu proxima hæreſi dicitur.

7. *Errori proxima* eſt, quæ ita erroneæ ſit propoſitioni affinis, ſicuti affinem eſſe diximus hæreſi huic proximam propoſitionem. Itaque, qui concluſionem negaret, quæ pleriſque ex una præmiſſa de fide, & altera evidenter nota deducta diceretur, quamvis aliqui evidentem eſſe conſecutionem negarent, errori proximam propoſitionem doceret. Tripliciter autem eſſe poteſt errori proxima propoſitio. Primo quando negat concluſionem, quæ evidenter ſequitur ex una præmiſſa naturali lumine certa, & ex altera, quam plerique gravi ratione ducti, de fide prædicant, etſi aliqui id negent. Secundo, cum negata concluſio infertur ex una, quæ jam conſtet eſſe revelata, & altera quam evidentem per illationem plerique aſſerant, licet nonnulli hanc in illa evidentiam non agnoſcant. Tertio denique proxima dicitur errori: dum neget concluſionem, quæ ex præmiſſa de fide deducta ſit, & altera, quam plerique licet non omnes evidentem habeant.

8. *Male ſonans* propoſitio eſt ambigua, quæ poteſt quidem habere orthodoxum ſenſum, ſed paſſim & quidem



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

frequentius in ſenſu hæretico accipitur, ut ſi quis diceret, *fidem juſtificare, Chriſtum immenſum, ac ubique eſſe*. Adduntque etiam alii, etiamſi propoſitio æque catholicam & hæreticum ſenſum habeat, ſi abſque ulla explicatione adhibeatur, pro male ſonante haberi poteſt. Aliis autem placet hanc ita explicare, ut ea ſit, quæ circumſpecto ſermoni opponatur in argumento cum hæreticis controverſo, cujuſmodi ſane eſt hæc propoſitio, hominum reſurgentium corpora *invidiſſima futura ſunt & ſpiritualia*, cum circumſpecto ſermoni opponatur in argumento cum Hæretico Burnetio controverſo, qui non carnea, ſed æthorea futura illa eſſe contendit, idque eadem illa propoſitione declarat.

9. *Piarum aurium offenſiva* dicitur, quæ non ſolum male ſonat, ſed præterea animum veræ fidei, pietatique deditum offendit, indecens aliquid aut pietate aut religione indignum proferendo. Poteſt autem in duplici modo contingere. Primo cum id quod dicitur, licet in ſe verum ſit, humana tamen attenta infirmitate, atque conſuetudine, offenſionem parit: Hinc ſi quis gravi etiam ductus ratione, quidpiam e Breviario expungendum eſſe cadens, diceret: *Eccleſia nobis fabulas, & apocrypha narrat*; piorum procul dubio aures offenderet. Secundo id accidit, dum res, aliquin vera, indecentibus verbis deſignantur, ut ſi quis peccharias Chriſti actiones humanas, atque ſanctiſſima ipſius membra obſcœnis nominibus explicaret. Sunt autem nonnulli qui hujuſmodi propoſitionum genus eas tantum complecti opinantur, quæ Dei Sanctorumque cultui adverſentur. Sed non video, cur in alia quaque materia propoſitiones fieri non poſſint, quæ piorum aures offendant.

10. *Blaſphema* propoſitio eſt, quæ convicium, & irreverentiam ſecum fert contra Deum, vel in ſe ipſo, aut in Sanctis ejus. *Sicut enim Deus in Sanctis ſuis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis ſuis efficit: ita & blaſphemia, quæ fit in Sanctos, ex conſequenti redundat in Deum*, inquit S. Th. 2. 2. quæſt. art. 1. Propoſitio hæc aliquando contra fidem eſt, & hæreticalis dicitur, hujuſmodi ea eſſet, quia quis videns malos bonis affluere, Deum injuſtum diceret, quem fides infinite juſtum oſtendit, quandoque vero aliquid falſi contra Deum pronunciat, vel aliquam ei injuriam affert: fidei autem non adverſatur, ſed virtuti religionis dumtaxat, ac tunc ſimplex blaſphemia nominatur.

11. *Impia* propoſitio eſt, quæ quidpiam aſſerit, quod pietatem imminuat, & gratitudinem debitam ſive Deo ut ſupremo omnium Patri, ſive parentibus, conſanguineis, ſuperioribus, & benefactoribus.

12. *Injurioſa* dicitur, non qua Deo, & Sanctis cum ipſo in cælis regnantibus contumelioſa, & dehonorativa ſit, cum tunc ſit blaſphema, ſed quæ alicui, vel ſtatui, vel perſonæ extra Deum injuriam inferat. Hinc quæ Religioſo Ordini, Principibus, ac Eccleſiaſtica dignitate præfulgentibus injuriam afferunt, hac ſolent cenſura notari atque damnari.

13. *Scandaloſa* propoſitio vocatur, quæ dat occaſionem ruinæ ſpiritualis, fovendo, & inclinando ad peccatum, ſive a virtutis exercitio avertendo. In materia omnium virtutum propoſitio fieri poteſt, quæ ad vitium incitet, avocetque homines a virtute, ſed antonomaſtice *ſcandaloſa* propoſitio dicitur, quæ in materia ad fidem pertinente errandi occaſionem præbeat, vel male ſentiendi.

14. *Seditioſa* propoſitio videtur, quæ homines a debita Principibus obedientia retrahit, vel ad excitandos in republica tumultus docere poſſit.

15. *Pernicioſa* nuncupatur, quæ omni quoque amoto ſcandalo damnum ac ſpiritualem perniciem fidelibus afferre poteſt, vel debilitando, aut minuendo media ad ſalutem & perfectionem pertinentia, vel removendo, quod pietatem fovere & excitare poſſit.

16. *Temeraria* appellatur, quæ inſolenter, & audacter nulla doctorum auctoritate aſſeritur. Sive, ut alii malunt, ea eſt, quæ in re theologica temere dicitur, contra urgente ratione ſolida, atque auctoritate. *Negative temeraria* dici poteſt, quæ in Theologia ſine auctoritate & ſolida ratione pronunciatur, *poſitive* vero, ſi auctoritati Theologorum & Patrum opponatur; cujuſmodi eſt, inquit Canus, quæ negat Deiparam cum anima, & corpore in cælum aſſumptam.

17. *Captioſa* eſt ea, quæ ſub ſpecie veritatis, aut pietatis in errorem inducit. Talis erat hæc Arianorum propoſitio in Concilio Ariminenſi: *Si quis dixerit filium Dei eſſe creaturam, ut ſunt cætera creatura, anathema ſit*.

18. *Verbo Dei contraria* dicitur, quæ veritati quidem revelatæ opponitur, ſed quæ nondum Eccleſiæ judicio definita ſit.

19. *Falſa* juxta nonnullos ea eſt, quæ objecto ita ſit diſſona, ut hæc diſſonantia fidei, vel moribus noxia ſit: ſed alii etiam falſam vocant, quæ cum damnata propoſitione connexionem habeat, quacumque illa fuerit cenſura notata: Quamobrem ab erronea differt, quia hæc cum expreſſe hæretica connexa eſſe debet.

20. *Divinæ pietati derogans* a blaſphema ſpecie non diſſidet: cum enim, quæ quidpiam divinæ detrahit pietati propoſitio, Deo injuſtitiam irroget, palam eſt a blaſphema ſpecie non diſſidere. Hæc præmittenda duximus, ut lectores intelligant, quid cenſuræ illæ notæ, quas pleriſque damnatis propoſitionibus ſubnectemus, deſignent. Interim vero monitos eos eſſe volumus, nos circa Baji, Janſenii, ac Queſnelli propoſitiones declarationem, qua ſyſtema explicatur, addidiſſe, ut imperfectæ explicationi in operibus Sporerii, & Felicis Potteſtatis eiſdem adjectæ ſuppleretur. Nam juxta ibi poſitam declarationem damnata doctrina cum orthodoxis opinionibus miſcetur atque omnino confunditur.

In recenſendis damnatis propoſitionibus ordinem Chronologicum ſervandum duximus, adjectis etiam juxta notam temporum nonnullis ad diſciplinam pertinentibus decretis.

## CAPUT II.

*Referuntur propoſitiones damnatæ anno 411. & item anno 416.*

SAnctus Innocentius Papa, hujus nominis Primus, damnavit haſce Pelagii, ac Celeſtii propoſitiones reſpondens Concilio Carthaginenſi & Concilio Milevitano. Sunt ergo Propoſitiones doctrinæ Pelagianæ, ne hic jaceat damnata annis 411. & 416. Primæ tres ſpectant ad Concilium Charthaginenſe, aliæ ad Milevitanum.

1. Naturaliter poteſt implere legem qui vult, & Deus legem ad adjutorium dedit.

2. Ad perficiendam juſtitiam, & Dei mandata complenda, ſola humana ſufficere poteſt natura.

3. Parvuli propter ſalutem, quæ per Salvatorem Chriſtum datur, baptizandi non ſunt.

4. Poteſt homo in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem juſtitiæ, ſine adjutorio gratiæ Salvatoris, per ſolum liberæ voluntatis arbitrium pervenire, ut etiam non ſit neceſſarium dicere: *Dimitte nobis debita noſtra*.

5. Illud, *& ne nos inferas in tentationem*, non ita intelligendum, tamquam divinum adjutorium poſcere debeamus, ne in peccatum tentari decidamus, quoniam hoc in noſtra poſitum eſt poteſtate, & ad hoc implendum ſola ſufficit hominis voluntas.

6. Non eſt orandus Deus ut contra peccati malum & ad operandam juſtitiam ſit noſter adjutor.

7. Non opitulatur parvulis ad conſequendam vitam æternam Chriſtianæ gratiæ Sacramentum.

*Nota*. Pelagius peccatum originale, & gratiæ adjutorium de medio ſubſtulit, Docuit enim, Adamum formatum a Deo fuiſſe, ſicut nunc homines naſcuntur, nullo ſuperno Dei gratiæ auxilio donatum, ac paſſionibus, miſeriis, mortique, ut ceteri homines, obnoxium, ac ſolo nobis exemplo dum peccavit nocuiſſe, ſicuti ſolo nobis exemplo & doctrina profuit Chriſtus. Illius hæreſim ſuſcitarunt, ac propugnant Sociniani hac noſtra ætate hæreticorum omnium peſſimi, qui originale peccatum, gratiam nobis interius adjuvantem, prædeſtinationem ex Dei decreto æterno, Deique præſcientiam negant, ac tantum humano tribuunt arbitrio, ut ea homines virtutem, perfectionemque ſectari, ac æternam aſſequi beatitudinem valeant. Id notatum volui, ut quiſque intelligat, jam antea ab Eccleſia damnatam hæreſim hujuſmodi Novatores excitaſſe.





## CAPUT III.

*Refertur propoſitio Abbatis Joachim de unione Divinæ Trinitatis in natura, damnata in Concilio Lateranenſi IV. anno 1215.*

UNitas divinarum Perſonarum in Natura non eſt vera & propria, ſed quaſi collectiva, & ſimilitudinaria, quemadmodum dicuntur multi homines unus Populus, & multi Fideles una Eccleſia.

*Nota*. Hæc propoſitio Trinitatis myſterium evertit; Naturas enim cum divinis Perſonis dividit, atque disjungit: quamobrem non ſolum naturæ in tribus Perſonis unitatem tollit, ſed & præterea Dei unitatem negat, pluresque Deos conſtituit, contra naturæ lumen, ac manifeſtam revelationem.

## CAPUT IV.

*Referuntur propoſitiones anno 1276. a Joanne XXII. contra doctrinas D. Joan. de Poliaco Doctoris Pariſienſis, damnatæ in Extravaganti* Cum inter nonnullos de verb. ſignific. *ac etiam alia propoſitio ab eodem damnata in Concilio Lugdunenſi.*

1. COnfeſſi Patribus habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones, tenentur eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti.

2. Stante *omnis utriuſque ſexus* edicto in Concilio Generali, Romanus Pontifex non poteſt facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri (quem dicit eſſe parochianum curatum). Immo nec Deus poſſet hoc facere, quia (ut dicebat) implicat contradictionem.

3. Papa non poteſt dare poteſtatem generalem audiendi confeſſionem, immo nec Deus, quin confeſſus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti, quem dicit eſſe (ut præmittitur) proprium curatum.

*Nota*. Cum omnis Sacerdos virtute divinæ ordinationis poteſtatem habeat a Deo dimittendi peccata, eaque uti poſſit ſemel ac ſubditi ei deſignentur, in quos juriſdictionem exerceat, facile patet, etiam Regulares dum eis Epiſcopus ſubditos aſſignet, propriæ curæ paſtorali ſubjectos, valide ac licite abſolvere, vel dum id facit Romanus Pontifex, qui Paſtor eſt univerſi dominici gregis. Proprius vero cujuſque fidelis Sacerdos, quoad confeſſionem, is eſt, cui in ipſum juriſdictio conceſſa ſit, vel ab Epiſcopo propriæ Diœceſeos, qui Paſtor eſt ordinarius, vel a Romano Pontifice, qui in univerſam Eccleſiam juriſdictionem habet.

Ab eodem Pontifice in Concilio Lugdunenſi damnata eſt ut hæretica hæc propoſitio: *Chriſtus & ejus diſcipuli nihil habuerunt, & in his quæ habuerunt, nullum jus eis fuit*.

## CAPUT V.

*Recenſentur propoſitiones damnatæ an. 1311. in Concilio Generali Viennenſi ſub Clemente Pontifice Maximo hujus nominis V. & ſunt errores Mulierculaurm quarumdam quæ Beguinæ vocabantur, & in diviſionibus vitæ ſpiritualibus miſerrime facebant. Referuntur deinde alia propoſitiones in eodem Concilio damnatæ. Porro propoſitiones Beguardorum, & Beguinarum ſunt iſta.*

1. HOmo in vita præſenti tantum & talem perfectionis gradum poteſt acquirere quod reddatur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valebit. Nam (ut dicitur) ſi quis poteſt ſemper proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectior inveniri.

2. Jejunare non oportet hominem, nec orare, poſtquam gradus perfectionis hujuſmodi fuerit aſſecutus, quia tunc ſenſualitas eſt ita ſpiritui, & rationi ſubjecta, quod homo poteſt libere corpori concedere quidquid placet.

3. Illi qui ſunt in prædicto gradu perfectionis, & ſpiritu libertatis, non ſunt humanæ ſubjecti obedientiæ, nec ſi aliqua præcepta Eccleſiæ obligantur. Quia (ut aſſerunt) ubi *Spiritus Domini, ibi libertas*.

4. Homo poteſt ita finalem beatitudinem ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam obtinebit in vita beata.

5. Quælibet intellectualis creatura in ſe ipſa naturaliter eſt beata, & anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.

6. Se in Actibus exercere virtutum eſt hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat a ſe virtutes.

7. Mulieris oſculum (cum ad hoc natura non inclinet) eſt peccatum mortale; actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non eſt, maxime cum tentatur exercens.

8. In elevatione Corporis Chriſti non debent aſſurgere, nec eidem reverentiam exhibere, aſſerentes, quod eſſet imperfectionis eiſdem, ſi a puritate, & altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderent, quod circa Myſterium, ſeu Sacramentum Euchariſtiæ, aut circa paſſionem humanitatis Chriſti aliqua cogitarent.

9. In hoc Concilio damnata pariter fuit tamquam hæretica iſta propoſitio ſub eodem Pontifice: *exercere uſuras non eſt peccatum*.

10. Damnata fuit inſuper ut hæretica hæc propoſitio *anima rationalis non eſt vere, & proprie forma corporis humani*.

## CAPUT VI.

*Refertur propoſitio damnata anno 1418. in Concilio Conſtantienſi OEcumenico ſub Joanne XXIV. tempore ſchiſmatis ante creationem Martini V. qui deinde hujus propoſitionis damnationem approbavit; eſt autem propoſitio circa occaſionem Tyrannorum, & eſt hujuſmodi.*

1. QUilibet Tyrannus poteſt, & debet licite & meritorie occidi per quemcumque vaſſallum ſuum, vel ſubditum, etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocumque præſtito Juramento, ſeu confœderatione facta cum eo, non expectata ſententia vel mandato Judicis cujuſcumque.

## CAPUT VII.

*De ſchiſmate hujus temporis.*

CUm Urbanus VI. ſeverioribus fortaſſe gubernationis habenis urbi dominaretur, & Cardinales nonnullos ambitione damnaret, ac in pluribus corrigeret, factum eſt ut hi novum Pontificem ſub prætextu quod electio Urbani VI. minime Canonica habenda eſſet, quia non libere facta, deligerent. Hæc electio Cardinalium prope Romam habita extulit ad Pontificatum Robertum Comitem Gebennenſem, qui dictus eſt Clemens VII. Hinc atrox nimis ſchiſma inconſutilem Chriſti veſtem, Eccleſiam ſcilicet dividebat. Poſt hæc coactum eſt, non tamen convocante Pontifice, Piſanum Concilium, a quo Pontifices ambo depoſiti & creatus tertius Pontifex, ita ut jam ſchiſma tres diviſiones ſubiret: Cardinalis Petrus Philareres vir Dei aſſumptus fuit ad Pontificatum Piſis. Quare Principibus ipſis, ac Orbe catholico in tres partes diviſo, ſchiſma magis ac magis invaleſcebat in dies, præſertim ex eo quod defuncto Clemente, qui ei adhærebant Cardinales novum illi Pontificem ſubrogarunt Petrum de Luna, qui Benedicti XII. nomen aſſumpſit, & ad plurimos annos Eccleſiam Chriſti turbavit. Tandem adhibito efficaci remedio, & convocato Conſtantiæ de conſenſu partium Concilio OEcumenico, tres Pontifices dignitate Pontificia privati ſunt, ac electus Otho Cardinalis Columna Romanus, qui Martinus V. voluit nuncupari. Porro Martinus V. omnia deinde acta in Concil. Conſtantienſi ad fidem ſpectantia approbavit auctoritate Apoſtolica; & deinde reddita Eccleſiæ pace ſingulis Patribus facultatem fecit ad propria remeandi. Hæc breviter hic attigiſſe ſufficiat, quæ in Hiſtoriis Conciliorum fuſe exponuntur.

## CAPUT VIII.

*Referuntur propoſitiones damnatæ anno 1418. ſub Joanne XXIV. ante creationem Martini V. in Concil. Conſtant. ſeſſione 45. contra Joannem VViclefſum.*

1. SUbſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis remanent in Sacramento Altaris.

2. Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento.

*Nota*. Caveas, ne hic accidentium nomine Peripateticorum entitatulas intelligas non enim hæc fuit Synodi mens, inquit Cardinalis Petrus Alliacienſis, quæ definire unice voluit, non manere in Sacramento altaris ſubſtantiam panis cum corpore Chriſti, ſed accidentia tantum, ſive hæ nudæ ſint apparentiæ, ſive ſpecies, ut antea Lateranenſe, deinde Tridentinum Concilium dixit; ſive denique quidpiam aliud quod ſine panis ſubſtantia, panis in nobis ſenſum excitet; quod non Theologo, & Conciliis, ſed Philoſopho inveſtigandum eſt, ratione tamen divina revelatione informata, ne philoſophia Theologiæ, & Religioni obſit.

3. Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identice, & realiter propria præſentia corporali.

4. Si Epiſcopus, vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali non ordinat, non conſecrat, non conficit, non baptizat.

5. Non eſt fundatum in Evangelio, quod Chriſtus Miſſam ordinaverit.

6. Deus debet obedire diabolo.

7. Si homo fuerit debite contritus, omnis Confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua, & inutilis.

8. Si Papa ſit præſcitus, & malus, & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ſibi ab aliquo datam, niſi forte a Cæſare.

9. Poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis.

10. Contra Scripturam Sacram eſt, quod viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.

11. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat eum excommunicatum a Deo, & qui ſic excommunicat, fit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.

12. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel Concilium Regni, eo ipſo traditor eſt Regis, & Regni.

13. Illi qui dimittunt prædicare, ſive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in Dei judicio traditores Chriſti habebuntur.

14. Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare verbum Dei abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ, ſive Epiſcopi Catholici.

15. Nullus eſt dominus Civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

16. Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia, poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus, ideſt ex habitu non ſolum actu delinquentibus.

17. Populares poſſunt ad ſuum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18. Decimæ ſunt puræ Eleemoſynæ & poſſunt Parochiani propter peccata ſuorum Prælatorum ad libitum ſuum eas auferre.

19. Speciales orationes applicatæ uni Perſonæ per Prælatos, vel Religioſos, non plus proſunt eidem, quam generales ceteris paribus.

20. Conferens eleemoſynam Fratribus eſt excommunicatus eo facto.

21. Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcumque; tam poſſeſſionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad obſervationem mandatorum Dei.

22. Sancti inſtituentes Religiones privatas, ſic inſtituendo peccaverunt.

23. Religioſi viventes in Religionibus privatis non ſunt de Religione Chriſtiana.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.

25. Omnes ſunt ſimoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis eis in temporalibus ſubvenientibus.

26. Oratio præſciti nulli valet.

27. Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.

28. Confirmatio Juvenum, Clericorum ordinatio, locorum conſecratio, reſervantur Papæ, & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.

29. Univerſitates, Studia, Collegia, Graduationes & Magiſteria in eiſdem ſunt vana gentilitate introducta, tantum proſunt Eccleſiæ ſicut diabolus.

30. Excommunicatio Papæ, vel cujuſcumque prælati non eſt timenda, quia eſt Cenſura Anti-Chriſti.

31. Peccant fundantes Clauſtra, & ingredientes ſunt viri diabolici.

32. Ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti.

33. Sylveſter Papa, & Conſtantinus Imperator erraverunt Eccleſiam dotando.

34. Omnes de Ordine mendicantium ſunt hæretici, & dantes eis eleemoſynas ſunt excommunicati.

35. Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipſo inhabiles ſunt ad obſervanda divina præcepta, & per conſequens ad perveniendum ad Regnum cælorum, niſi apoſtataverint ab eiſdem.

36. Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt hæretici, eo quod poſſeſſionem habent: & conſentientes eis, omnes videlicet domini ſæculares, & ceteri laici.

37. Eccleſia Romana eſt Synagoga ſatanæ, nec Papa eſt proximus, & immediatus Vicarius Chriſti & Apoſtolorum.

38. Decretales Epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt a fide Chriſti, & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eis.

39. Imperator, & domini ſæculares ſunt ſeducti a diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio Papæ a Cardinalibus, a diabolo eſt introducta.

41. Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.

42. Fatuum eſt credere indulgentiis Papæ & Epiſcoporum.

43. Juramenta illicita ſunt, quæ ſiunt ad corroborandos humanos contractus, & commercia civilia.

44. Auguſtinus, Benedictus, & Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intraverunt Religiones: & ſic a Papa uſque ad ultimum Religioſum omnes ſunt Hæretici.

45. Omnes Religiones indifferenter introductæ ſunt a diabolo.

## CAPUT IX.

*Recenſentur propoſitiones Joannis Hus damnatæ veluti erronea contra fidem eodem anno.*

1. UNa eſt Sancta Univerſalis Eccleſia, quæ eſt Prædeſtinatorum univerſitas.

2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecerit quoſdam actus, actibus Eccleſiæ malignantium conſimiles.

3. Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, cum nulla pars ejus finaliter excidet ab ea, eo quod prædeſtinationis caritas quæ ipſam ligat, non excidet.

4. Duæ naturæ, Divinitas, & Humanitas ſunt unus Chriſtus.

5. Præſcitus, etſi aliquando eſt in gratia ſecundum præſentem juſtitiam, tamen nunquam eſt pars S. Eccleſiæ, & Prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, ſed non a gratia prædeſtinationis.

6. Sumendo Eccleſiam pro convocatione prædeſtinatorum, ſive fuerint in gratia, ſive non, ſecundum præſentem juſtitiam, iſto modo Eccleſia eſt Articulus Fidei.

7. Petrus non eſt, nec fuit caput Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ.

8. Sacerdotes quomodolibet criminoſe viventes Sacerdotii polluunt poteſtatem, & ſic ut filii infideles ſentiunt infideliter de VII. Sacramentis Eccleſiæ, de clavibus, officiis, cenſuris, moribus, cæremoniis, & ſacris rebus Eccleſiæ, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis, & Ordinibus.

9. Papalis dignitas a Cæſare inolevit, & Papæ perfectio, & inſtitutio a Cæſaris potentia emanavit.

10. Nul-



10. Nullus ſine revelatione aſſereret rationabiliter de ſe, vel alio, quod eſſet caput Eccleſiæ particularis, nec Romanus Pontifex eſt caput Romanæ Eccleſiæ particularis.

11. Non oportet credere, quod iſte, quicumque eſt Romanus Pontifex, ſit caput cujuſcumque particularis Eccleſiæ Sanctæ, niſi Deus eum prædeſtinaverit.

12. Nemo gerit vicem Chriſti, vel Petri, niſi ſequatur eum in moribus, cum nulla alia ſequela ſit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam poteſtatem, quia ad illud Officium Vicariatus requiritur & morum conformitas, & inſtituentis auctoritas.

13. Papa non eſt verus, & manifeſtus ſucceſſor Apoſtolorum Principis Petri, ſi vivit moribus contrariis Petro; & ſi quærit avaritiam, tunc eſt Vicarius Judæ Iſcarioth, Et pari evidentia Cardinales non ſunt veri, & manifeſti ſucceſſores Collegii aliorum Apoſtolorum Chriſti, niſi vixerint more Apoſtolorum, ſervantes mandata, & conſilia Domini noſtri Jeſu Chriſti.

14. Doctores ponentes, quod aliquis per Cenſuram Eccleſiaſticam emendandus, ſi corrigi noluerit, ſæculari judicio eſt tradendus, pro certo ſequuntur in hoc Pontifices, Scribas, & Phariſæos, qui Chriſtum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes, *nobis non licet interficere quemquam*, ipſum ſæculari judicio tradiderunt, & quod tales ſint homicidæ graviores, quam Pilatus.

15. Obedientia Eccleſiaſtica eſt obedientia ſecundum adinventionem Sacerdotum Eccleſiæ, propter expreſſam auctoritatem Scripturæ.

16. Diviſio immediata humanorum operum eſt, quod ſunt vel virtuoſa, vel vitioſa, quia ſi homo eſt vitioſus, & agit quidquam, tunc agit vitioſe, & ſi eſt virtuoſus, & agit quidquam, tunc agit virtuoſe: quia ſicut vitium, quod crimen dicitur, ſeu mortale peccatum, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi, ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.

17. Sacerdotes Chriſti viventes ſecundum legem ejus; & habentes Scripturæ notitiam, & affectum ad ædificandum populum, debent prædicare, non obſtante prætenſa excommunicatione. Quod ſi Papa, vel aliquis Prælatus mandat Sacerdoti ſic diſpoſito non prædicare, non debet ſubditus obedire.

18. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit, & illud mandatum debet exequi prætenſa excommunicatione non obſtante.

19. Per cenſuras Eccleſiaſticas excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ad ſui exaltationem Clerus Populum laicalem ſibi ſuppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Anti-Chriſto. Signum autem evidens eſt, quod ab Anti-Chriſto tales procedunt cenſuræ, quas vocant in ſuis proceſſibus fulminationes, quibus Clerus principaliſſime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Anti-Chriſti, qui Clerum pro ſe maxime uſurpabit.

20. Si Papa eſt malus, & præſertim ſi eſt præſcitus, tunc ut Judas Apoſtolus eſt diabolus, fur, & filius perditionis, & non eſt caput S. militantis Eccleſiæ, cum nec ſit membrum ejus.

21. Gratia prædeſtinationis eſt vinculum, quo corpus Eccleſiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur Chriſto capiti inſolubiliter.

22. Papa, vel Prælatus malus præſcitus eſt æquivoce Paſtor, & vere fur, & latro.

23. Papa non debet dici Sanctiſſimus; etiam ſecundum Officium, quia alia Rex deberet etiam dici Sanctiſſimus ſecundum Officium; & tortores, & pracones dicerentur Sancti, immo etiam diabolus deberet dici Sanctus, cum ſit Officiarius Dei.

24. Si Papa vivat Chriſto contrarie, etiamſi aſcenderet per ritam, & legitimam electionem, ſecundum conſtitutionem humanam vulgatam; tamen aliunde aſcenderet, quam per Chriſtum, dato etiam, quod intraret per electionem a Deo principaliter factam; nam Judas Iſchariothes rite, & legitime a Deo Chriſto Jeſu electus eſt ad Epiſcopatum, & tamen aſcendit aliunde ad ovile ovium.

25. Condemnatio XLV. art. Joannis VVicleff per Doctores facta eſt irrationabilis, & iniqua, & male facta, & ficta eſt cauſſa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum ſit Catholicus, ſed quilibet eorum, aut eſt hæreticus, aut erroneus, aut ſcandaloſus.

26. Non eo ipſo, quo Electores, vel major pars eorum conſenſerit viva voce ſecundum ritus hominum in perſonam aliquam, eo ipſo illa perſona eſt legitime electa, vel eo ipſo eſt verus, & manifeſtus Succeſſor, vel Vicarius Petri Apoſtoli, vel alterius Apoſtoli in Officio Eccleſiaſtico: unde ſive Electores bene, vel male elegerint, operibus electi debemus credere: nam eo ipſo, quo quis copioſius operatur meritorie ad profectum Eccleſiæ habet a Deo ad hoc copioſius facultatem.

27. Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oportet eſſe unum Caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum Eccleſia ipſa militante converſetur, & conſervetur.

28. Chriſtus ſine talibus monſtruoſis capitibus per ſuos veraces Diſcipulos ſparſos per orbem terrarum, melius ſuam Eccleſiam regularet.

29. Apoſtoli & fideles Sacerdotes Domini ſtrenue in neceſſariis ad ſalutem regularant Eccleſiam, antequam Papæ Officium foret introductum: ſic facerent, deficiente, per ſumme poſſibile, Papa uſque ad diem Judicii.

30. Nullus eſt dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali: *Poſt hanc damnationem, cum Joannes Hus contumax perſeveraſſet in ſuis erroribus, una cum Hieronymo de Praga publico igne combuſtus eſt.*

## CAPUT X.

*Recenſentur Propoſitiones damnatæ in Concilio Baſileenſi ſub Eugenio IV. antequam Concilium eſſet acephalum anno 1435. decerptæ a libro Auguſtini Romani Archiepiſcopi Nazianzeni.*

1. ANima Chriſti videt Deum tam clare, & intenſe, quantum clare & intenſe Deus videt ſeipſum.

2. Ratio ſuppoſitalis determinans humanam naturam in Chriſto, non realiter diſtinguitur ab ipſa natura determinata.

3. Chriſtus quotidie peccat, & eo quo fuit Chriſtus quotidie peccavit.

4. Non omnes juſtificati ſunt membra Chriſti ſed ſoli prædeſtinati.

5. Humana natura in Chriſto eſt perſona Verbi.

6. Humana natura aſſumpta a Verbo ex unione perſonali eſt veraciter Deus naturalis & proprius.

7. Chriſtus ſecundum voluntatem creatam diligit naturam humanam unitam perſonæ Verbi, quantum diligit naturam Divinam.

8. Sicut duæ perſonæ in Divinis ſunt æqualiter diligibiles; ita duæ Naturæ in Chriſto humana, & divina ſunt æqualiter diligibiles propter Perſonam communem.

## CAPUT XI.

*Referuntur nonnulla propoſitiones Magiſtri Oxomenſis damnatæ in Congregatione Complutenſi; quarum damnationem auctoritate Apoſtolica confirmavit Sixtus IV. anno 1485.*

1. PEccata mortalia quantum ad culpam, & pœnam alterius ſæculi delentur per ſolam cordis contritionem ſine ordine ad Claves.

2. Confeſſio de peccatis in ſpecie fuit ex aliquo ſtatuto utilis Eccleſiæ; non de jure divino.

3. Pravæ cogitationes confiteri non debent, ſed ſola diſplicentia delentur ſine ordine ad Claves.

4. Confeſſio debet eſſe ſecreta, ideſt, de peccatis ſecretis, non de manifeſtis.

5. Non ſunt abſolvendi pœnitentes, niſi peracta prius pœnitentia eis injuncta.

6. Papa non poteſt indulgere alicui vivo pœnam Purgatorii.

7. Eccleſia Urbis Romæ errare poteſt.

8. Papa non poteſt diſpenſare in ſtatutis univerſalis Eccleſiæ.

9. Sacramentum Pœnitentiæ, quantum ad collationem gratiæ Sacramentalis, naturæ eſt, non alicujus inſtitutionis veteris, vel novi Teſtamenti.

*Damnatæ fuerunt hæ propoſitiones ut ſcandaloſæ, & hæreticæ, & coactus Magiſter Petrus Oxomenſis abjurare illas, quod Catholice implevit.*

CA-

## CAPUT XII.

*Recenſentur duæ Propoſitiones circa hominis animam rationalem, quas Leo X. damnavit in Concilio Lateranenſi ſeſſ. 8. anno 1513. Propoſitiones ſunt iſtæ.*

1. ANima intellectiva mortalis eſt, ſaltem ſecundum philoſophiam.

2. Anima intellectiva eſt unica in cunctis hominibus.

Duæ iſtæ propoſitiones damnatæ fuerunt ut hæreticæ, ac deinde ſuperaddita hæc univerſalis definitio quoad aſſertiones philoſophicas. „ Cum verum vero minime contradicat, omnem aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falſam eſſe definimus, & ut aliter dogmatizare non liceat, diſtrictius inhibemus. Omnes hujuſmodi erroneis aſſertionibus inhærentes, tamquam hæreticos vitandos, & puniendos fore decernimus. „

„ Inſuper omnibus, & ſingulis philoſophis in Univerſitatibus ſtudiorum generalium, & alibi publice legentibus diſtricte præcipimus, ut cum philoſophorum principia, aut concluſiones, in quibus a recta fide deviare noſcuntur, auditoribus ſuis legerint, ſeu explicaverint ( quale hoc de immortalitate animæ, aut unitate, & mundi æternitate, ac alia hujuſmodi ) teneantur eiſdem veritatem religionis Chriſtianæ omni conatu manifeſtam facere, & perſuadendo ( pro poſſe ) docere, ac omni ſtudio hujuſmodi philoſophorum argumenta, ( cum omnia ſolubilia exiſtant ) pro viribus excludere, atque reſolvere.

## CAPUT XIII.

*Referuntur Propoſitiones XLI. Martini Lutheri a Leone X. damnatæ anno 1520. per Bullam* Exurge Domine, *quæ ſic habent.*

1. HÆretica ſententia eſt, ſed uſitata, Sacramenta novæ legis juſtificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2. In puero poſt Baptiſmum negare remanens peccatum, eſt Paulum, & Chriſtum ſimul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamſi nullum adſit actuale peccatum, moratur, exeuntem a corpore animam ab ingreſſu cœli.

4. Imperfecta caritas morituri fert ſecum neceſſario magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnam purgatorii, & impedit introitum regni.

5. Tres eſſe partes pœnitentiæ, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, non eſt fundatum in S. Scriptura, nec in antiquis SS. Chriſtianis Doctoribus.

6. Contritio, quæ paratur per diſcuſſionem, collationem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem, hæc contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.

7. Veriſſimum eſt proverbium, & omni doctrina de Contritionibus hucuſque data præſtantius, de cetero non facere ſumma pœnitentia; optima pœnitentia nova vita.

8. Nullo modo præſumas confiteri peccata venialia, ſed nec omnia mortalia, quia impoſſibile eſt, ut omnia mortalia cognoſcas: unde in primitiva Eccleſia ſolum manifeſta mortalia confitebantur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod miſericordiæ Dei nihil aliud facimus, quære ignoſcendum.

10. Peccata non ſunt ulli remiſſa, niſi remittente Sacerdote credat ſibi remitti: immo peccatum maneret, niſi remiſſum crederet; non enim ſufficit remiſſio peccati, & gratiæ donatio, ſed oportet etiam credere eſſe remiſſum.

11. Nullo modo confidas abſolvi propter tuam Contritionem, ſed propter verbum Chriſti: *Quodcumque ſolveris &c.* Hinc, inquam, confide, ſi Sacerdotis obtinueris abſolutionem, & crede fortiter te abſolutum, & abſolutus vere eris, quidquid ſit de contritione.

12. Si per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolveret, ſi tamen credat ſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus.

13. In Sacramento pœnitentiæ, ac remiſſione culpæ, non plus facit Papa, aut Epiſcopus, quam infimus Sacerdos, immo ubi non eſt Sacerdos, æque tantum quilibet Chriſtianus, etiamſi mulier, aut puer eſſet.

14. Nullus debet Sacerdoti reſpondere ſe eſſe contritum, nec Sacerdos requirere.

15. Magnus eſt error eorum, qui ad Sacramenta Euchariſtiæ accedunt, huic innixi, quod ſint confeſſi, quod non ſint ſibi conſcii alicujus peccati mortalis, quod præmiſerint orationes ſuas, & præparatoria: omnes illi judicium ſibi manducant, & bibunt. Sed ſi credant, & confidant ſe gratiam ibi conſecuturos, hæc ſola fides facit eos puros & dignos.

16. Conſultum videtur, quod Eccleſia in communi Concilio ſtatueret, laicos ſub utraque ſpecie communicandos, nec Bohemi ſub utraque ſpecie communicantes ſunt hæretici, ſed ſchiſmatici.

17. Theſauri Eccleſiæ, unde Papa dat indulgentias, non ſunt merita Chriſti.

18. Indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium, & remiſſiones bonorum operum; & ſunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum, quæ expediunt.

19. Indulgentiæ his, qui veraciter eas conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud Divinam juſtitiam.

20. Seducuntur credentes, Indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum ſpiritus utiles.

21. Indulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris ſolummodo, & impatientibus.

22. Sex generibus hominum Indulgentiæ nec ſunt neceſſariæ, nec utiles: videlicet mortuis ſeu morituris, infirmis legitime impeditis, his qui non commiſerunt crimina; his qui crimina commiſerunt, ſed non publica, his qui meliora operantur.

23. Excommunicationes ſunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus.

24. Docendi ſunt Chriſtiani, plus diligere excommunicationem, quam timere.

25. Romanus Pontifex Petri Succeſſor, non eſt Chriſti Vicarius ſuper omnes totius mundi Eccleſias, ab ipſo Chriſto in B. Petro inſtitutus.

26. Verbum Chriſti ad Petrum, *quodcumque ſolveris ſuper terram &c.* extenditur dumtaxat ad ligata ab ipſo Petro.

27. Certum eſt in manu Papæ, aut Eccleſiæ prorſus non eſſe ſtatuere articulos fidei, immo nec leges morum, ſeu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic, vel ſic ſentiret, nec etiam erraret, adhuc non eſt peccatum, aut hæreſi contrarium ſentire: præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fuerit per Concilium Univerſale, alterum approbatum, alterum reprobatum.

29. Via nobis facta eſt enervandi auctoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum geſtis, & judicandi eorum Decreta, & confidenter confitendi quidquid verum videtur, ſive probatum fuerit, ſive reprobatum a quocumque Concilio.

30. Aliqui articuli Joannis Hus condemnati in Concil. Conſtantienſi ſunt Chriſtianiſſimi, veriſſimi, & Evangelici, quos nec Univerſalis Eccleſia poſſet damnare.

31. In omni opere bono juſtus peccat.

32. Opus bonum optime factum, eſt veniale peccatum.

33. Hæreticos comburi, eſt contra voluntatem Spiritus Sancti.

34. Præliari adverſus Turcas, eſt repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras per illos.

35. Nemo eſt certus, ſe non ſemper peccare mortaliter propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.

36. Liberum arbitrium poſt peccatum eſt res de ſolo titulo; & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non poteſt probari ex Sacra Scriptura quæ ſit in canone.

38. Animæ in Purgatorio non ſunt ſecuræ de earum ſalute, ſaltem omnes: nec probatum eſt ullis aut rationibus, aut Scripturis, ipſas eſſe extra ſtatum merendi, aut augendæ caritatis.

39. Ani-



39. Animæ in Purgatorio peccant ſine intermiſſione quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

40. Animæ ex Purgatorio liberatæ ſuffragiis viventium minus beantur, quam ſi per ſe ſatisfeciſſent.

41. Prælati Eccleſiaſtici, & Principes ſæculares non male facerent, ſi omnes ſaccos mendicitatis delerent.

## CAPUT XIV.

*Monitum ad Eccleſiæ Paſtores, & Confeſſarios circa eorum vitium, ac deteſtandum peccatum, qui Orthodoxas ſcholas, Theologoſque Catholicos invidioſo Bajaniſmi, ac Janſenianiſmi nomine traducunt.*

NON dubito, quin futuri ſint homines, qui monitum hocce noſtrum vel ineptum habeant & prædicent, vel alio nomine irrideant atque contemnant. Scio enim eſſe apud pleroſque in more poſitum, ut quæ præconceptis eorum opinionibus, eorumque ſtudiis & voluntati reſpondeant, & faveant, probent omnia ac ſummis laudibus efferant; quæ vero cum iis pugnant, cauſa nondum cognita, damnent, ac fœdiſſimis conviciis proſcindant. Ii ſane vel ad rem monitum non eſſe, vel parti me ſervire voluiſſe, aut iis etiam pejora effutient. At horum ego dicteria, atque convicia nihili facio: non enim eos, quos malitia ita excæcaverit, ut apertam veritatem intueri aut nequeant, aut nolint, ſed homines ratione utentes, ac Chriſti-fidelium Rectores loquor, quibus dum ſuſcepti operis conſilium expoſitum, compertumque ſit, non dubito, quin ſi non opus, conſilium ſaltem probandum ſit animuſque ſcribentis. Hic enim demonſtrandum ſuſcepi quam grave peccatum, quamque enormis eorum ſit culpa, qui aut culpabili ignorantia, aut malitia ducti, ut proprias opiniones alienis præponant, ſolent has, eorumque auctores conviciis lacerare. De Bajaniſmi, ac Janſenianiſmi calumnia dicturus ſum, quod horum tantum damnatas ſententias recenſeam; ſed quæ hæc de re diſputabo ad eos quoque applicari facile potuerunt, qui Pelagianiſmi, Semipelagianiſmi, vel alterius ab Eccleſia proſcripti erroris Orthodoxos Thologos inſimulent. Primum itaque convicii hujus perverſitatem oſtendam, ac deinde ad calcem propoſitionum principaliores Theologorum opiniones, quæ noſtri erroris nequeant, explicabo. Nam id neceſſarium eſſe omnino arbitror ob adjectas Sporerio, ac Felici Potteſtati explicationes, quæ ſive ex ignorantia, ſive ex auctorum malitia, eo expoſitæ conſilio viſæ ſunt, ut facilius quiſque poſſit Theologos pleroſque Catholicos Janſenianiſmi accuſare.

Venio nunc ad id, quod in Monito explicandum ſuſceperam; ac principio ſtatuo, gravem eſſe culpam in re gravis momenti Apoſtolicæ Sedi non obtemperare, ejuſque præcepta ſub onere ſanctæ obedientiæ, & ſub graviſſimis pœnis impoſita palam contemnere. Id enim catholicis eſt omnino exploratum. Videamus modo Apoſtolicæ Sedis Decreta, & Conſtitutiones. Mitto latas in cauſſa Baji Conſtitutiones, atque rem ex Innocentii XI. decreto exordior. Is itaque die 2. *Martii* anno 1679. *omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ præcepit, ut tam in libris imprimendis, ac MSſ. quam in theſibus, diſputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni cenſura & nota, nec non a quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter catholicos hinc inde controvertuntur, donec a Sancta Sede recognitis ſuper eiſdem propoſitionibus judicium proferatur.* Deinde Innocentius XII. die ſexta Januarii anno 1694. decreto ſuo ſancivit, *ne quis traducatur invidioſo nomine Janſenianiſmi, niſi prius legitime conſtiterit aliquam ex quinque propoſitionibus docuiſſe, & tenuiſſe.* Vides Apoſtolicæ Sedis præcepta. Patent ne decretis præceptiſque hujuſmodi, qui Thomiſtas, Auguſtinianos, ac Theologos eorum opinionibus non faventes Janſenianos palam prædicant? Sed rem perſequamur. Satis nota eſt Conſtituto *Unigenitus*, quam infra referemus. Cum ea promulgata nonnulli Queſnelliianiſmi, & Janſenianiſmi inſimulare cœpiſſent aſſertores gratiæ per ſe efficacis, ac ſaniores morum regulas edocentes, re ad Clement. XI. Pont. Max. delata, anno 1718. v. Kalendas Septembris Conſtitutionem edidit, cujus initium eſt *Paſtoralis*, in qua ad eos coercendos, qui ſcholarum opiniones cum damnatis in Bulla *Unigenitus* propoſitionibus confundebant: *Ceterum*, inquit, *in hoc ipſo propoſitæ judicio conſpectum calumniandi modum non derelinquunt: niſi enim excæcaret eos malitia eorum, ac niſi diligerent magis tenebras, quam lucem, ignorare non deberent ſententias illas orthodoxas, quas ipſi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palam, & libere in catholicis ſcholis etiam poſt editam a nobis memoratam Conſtitutionem ſub oculis noſtris doceri atque defendi, illaſque propterea minime per eam fuiſſe proſcriptas. Verum ſuperexcidit ignis contentionis, & non viderunt ſolem lucidiſſimæ veritatis.* Cum vero hæc ſatis non fuerint ad eos compeſcendos, qui partium ſtudio incitati, atque ſuperbiæ ſpiritu ducti, proprias alienis opinionibus præponere, & de adverſariis victoriam ac veluti repoſitum triumphum canere ſtudent. Clem. XII. die 2. Octobris anno 1733. novam Conſtitutionem edidit, quæ incipit, *Apoſtolicæ providentiæ officio*, in qua celeberrimæ Conſtitutionis *Unigenitus* mentione præmiſſa, in hunc modo loquitur: *Nos paterna quoque ſollicitudine inhærentes magnopere dolemus tenebras a diſſentientibus filiis effuſas nondum ex quorundam mentibus ſatis eſſe diſcuſſas, ſed pleroſque etiam nunc intolerabili pertinacia contendere, cenſuris laudatæ Conſtitutionis doctrinam Sanctorum Auguſtini, & Thomæ de divina gratia efficacia eſſe perſtrictam. Ut igitur nullas caritatis partes ad revocandos errantes nobis reliquas faciamus, univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus quacumque dignitate, etiam Epiſcopali, & majori fulgentibus in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipimus, & ſub canonicis pœnis mandamus, ne diſputantes, aut docentes ſive in ſcholis, ſive in concionibus, ſive ſcriptis editis, ſive aliter propoſitiones defendant, aut enuncient, quas antedictas Novatorum calumnias firmare, & promovere poſſint. Mentes tamen eorumdem Prædeceſſorum perſpectas habentes nolumus aut per noſtras, aut per ipſorum laudes Thomiſticæ ſcholæ delatas, quas iterato noſtro judicio comprobamus & confirmamus, quidpiam eſſe detractum ceteris Catholicis ſcholis diverſa ab eadem in explicanda divinæ gratiæ efficacia ſentientibus, quarum etiam erga hanc Sanctam Sedem præclara ſunt merita, quominus ſententias eaſdem tueri pergant, quas hactenus palam & libere ubique, etiam in hujus Almæ Urbis luce docuerunt, & propugnarunt. Quamobrem fel. record. Pauli V. & aliorum Prædeceſſorum noſtrorum ad exſtinguendum diſſentionum fomitem veſtigia proſequentes, & ſaluberrima mandata renovantes; auctoritate quoque noſtra omnibus & ſingulis ſuperius expreſſis interdicimus & prohibemus ſub iiſdem pœnis, ne vel ſcribendo, vel diſputando, vel alia qualibet occaſione notam, aut cenſuram ullam theologicam iiſdem ſcholis diverſa ſentientibus inurere, aut earum ſententias conviciis, & contumeliis inceſſere audeant, donec de iiſdem controverſiis hæc Sancta Sedes aliquid definiendum, ac pronunciandum cenſuerit. Pacem ſiquidem, quam cum veritate diligendam Dominus præcipit, inter Catholicæ Eccleſiæ filios ſervari, & communire debemus, & curamus, ut conjunctis diverſarum licet ſcholarum ſtudiis firmius, ſit adverſus erroris inſidias præſidium.*

Accedunt etiam Literæ in forma Brevis Bened. XIII. ad univerſos Fratres Ordinis Prædicatorum adverſus calumnias doctrinæ SS. Auguſtini, & Thomæ intentatas, quarum initium eſt, *Demiſſas preces.* In eis itaque hæc habentur: *Eos qui Conſtitutione* Unigenitus *damnatam Auguſtinianam & Thomiſticam doctrinam aſſeverant, Apoſtolicæ auctoritati detrahere;* atque ita concluditur. *Magno igitur animo contemnite, dilecti Filii, calumnias intentatas ſententiis veſtris de gratia præſertim per ſe, & ab intrinſeco efficaci, ac de gratuita prædeſtinatione ad gloriam ſine ulla prævidentia meritorum, quas laudabiliter hactenus docuiſtis, & quas ab ipſis SS. Doctoribus Auguſtino, & Thoma ſe hauſiſſe, & verbo Dei, Summorum Pontificum & Conciliorum decretis, & Patrum dictis conſona eſſe commendabili ſtudio ſchola veſtra gloriatur. Cum igitur bonis, & rectis corde ſatis conſtet, ipſique calumniatores, niſi dolum ſequi velint, ſatis perſpiciant, SS. Auguſtini & Thomæ inconcuſſa tutiſſimaque dogmata nullis prorſus antedictæ Conſtitutionis cenſuris eſſe perſtricta; ne quis impoſterum eo nomine calumnias ſerere, & diſſenſione tenere audeat, ſub canonicis pœnis diſtricte inhibemus. Pergite porro Doctoris veſtri opera ſole clariora ſine ullo prorſus errore conſcripta, quibus Eccleſiam Chriſt. mira eruditione clarificavit, inoffenſo pede decurrere, ac per certiſſimam illam Chriſtianæ doctrinæ regulam ſacroſanctæ religionis veritatem, incorruptique diſciplinæ ſanctitatem tueri, ac vindicare &c.*

En

Eo Apoſtolicæ Sedis decreta, præcepta, ac latas in contemptores pœnas. At quæ ſub præcepto & in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub canonicis pœnis vetita ſunt, ea gravem per ſe obligationem ferre, nemo ignorat. Ita vero Apoſtolica Sedes vetat Janſeniſmi notare opiniones, quæ in ſcholis a Thomiſtis, & Auguſtinianis traduntur, quæ palam Romæ ſub Pontificis oculis docentur, & propugnantur, & quæ ab Auctoribus Catholicis proponuntur, dummodo per legitimam cauſſam probatum non ſit, ſenſum illas involvere damnatorum errorum. Quis ergo non videt peccare eos, qui invidioſis hujuſmodi nominibus viros catholicos traducant, ac publicos etiam eſſe Apoſtolicæ Sedis contemptores?

At convicia & calumniæ hujuſmodi non ſolum inobedientiæ, & contemptus Apoſtolicæ Sedis reatum habent, ſed injuriam maximam ſecum ferant, ac alia quam plurima, quæ peccatum augeant. Nam crimen hæreſeos maximum eſt, ac maximam ſecum fert infamiam. Ergo graviſſima viro præſertim Eccleſiaſtico, vel Regularium Ordini injuria fit, dum hæreticus prædicatur, & graviſſimum peccatum hujuſmodi convicium eſt. Accedit præterea odium, quod inde ſequitur, & publicæ inter Eccleſiaſticos viros inimicitiæ atque lites, quæ res Populo Chriſtiano ſunt maximo ſcandalo, atque hæreticis occaſionem præbent contemnendi Eccleſiam catholicam, fidemque Orthodoxam. Quænam vero etiam apud benigniores Theologos doctrina eſt, quæ a graviſſima culpa mala hæc valeat excuſare? non ſolum enim caritas in re graviſſima, ſed etiam juſtitia manifeſte læditur, ut ex iis, quæ de Caritate, & juſtitia diſputata ſunt manifeſtum eſt.

Dicet vero aliquis non poſſe opiniones illas cenſura notari, ſed fas eſſe Theologo, qui in oppoſita ſententia verſetur, Thomiſticas vel Auguſtinianas opiniones ita confutare, ut ex earum poſitione Bajaniſmum, vel Janſeniſmum conſequi argumentetur. Ut enim cuique licet omni argumentorum genere contrarias opiniones refellere, ac proprias tueri; ita etiam licitum cuique erit ob abſurda, quæ inde ſequerentur, opiniones illas rejicere? quia veris illis conſtitutis, veras quoque adſtruere oporteret Baji, Janſenii, Queſnelliique theſes.

Non nego licite id fieri poſſe, immo & quandoque hujuſmodi oppoſitiones plurimum conferre cenſeo ad exponendum Catholicum dogma, & ad aperiendum explicandumque diſcrimen, quod inter damnatas ab Eccleſia propoſitiones, & Catholicorum opiniones intercedit. Quamobrem, ſi ſervatis caritatis legibus ac eo tantum animo hujuſmodi argumenta urgeantur, ut veritas magis magiſque clareſcat, & ut certi inter damnatam doctrinam, atque orthodoxas opiniones limites detegantur, laude digni Theologi haberentur. Sed ſi fallaces illas ratiocinationes, quas adhibent, tanti faciant, ut certos ſe eſſe jactitent, opiniones illas, Bajanas, Janſenianaſque eſſe, atque ita prædicent; tum peccant revera contra Apoſtolicæ Sedis præceptum, & Apoſtolicam Sedem contemnunt, cum pluris faciant privatam eorum opinionem, quam illius judicium, & mandatum: peccant etiam contra caritatem, & juſtitiam, quia lædunt quam maxime famam proximi ſui, iliumque ad odium, & diſſidia talia provocant, ut maxima inde in Chriſtiano populo ſcandala ſequantur; ac demum Catholicæ Religioni plurimum obſunt, tum ob honorem quem præbent damnatis ſectis; tum cum eiſdem Theologos noſtros ſentire prædicant; tum ob deriſionem cui apud illas ſectas exponunt judicium Eccleſiæ, quod veluti iniquum traducitur, quaſi in illis damnaſſet, quod in alii tolerat, ac aperte permittit; tum denique, quia ita difficiliorem faciunt errantium converſionem. Hæc vero tanti mihi momenti ſemper viſa ſunt, ut non modo convicia hæc, ſed etiam hujuſmodi argumentandi rationem horruerim. Neque enim facile fieri poſſe cenſeo, ut ita argumentando ſcandalum apud ſimpliciores præcaveri poſſit, & ut animus in eo, qui ita agit, deſit in opinionem contrariam, illiuſque aſſertores invidiam conciliandi. Accedit etiam, argumenta hujuſmodi mera eſſe ſophiſmata, poſita jam definitione Eccleſiæ, quæ decrevit, opiniones illas a damnatis erroribus eſſe omnino diverſas. Ecquis enim ignoret, in re Theologica purum putumque ſophiſma eſſe ratiocinium illud, quo probari quidpiam contenditur, quod judicio Eccleſiæ adverſetur? Quis ergo dicat non perverſe agere, qui uſu ſophiſmatum violant caritatem, ſcandala creant, & ad minus periculo ſeſe exponunt lædendi in re graviſſimam famam proximi & contemnendi Eccleſiam?

Denique muneri deſunt ſuo ſcholaſtici illi, qui hujuſmodi ratiocinandi rationem adhibent. Nam Scholaſticæ Theologiæ inſtitutum, ac Theologi officium eſt explicare orthodoxa dogmata, novatorum adverſus ea ſophiſmata ſolvere, ac diſcrimen oſtendere, quod inter proſcriptos errores, & catholicorum opiniones intercedit. Hac enim unice de cauſſa Theologia Scholaſtica utilis dici poteſt; quodnam enim aliud eſt bonum, quod ejus uſu Religioni, atque Eccleſiæ afferri poſſit? Numquid ingenii oſtentatio, glorioſa apud homines, aut ſeria occupatio, quæ otium excludat? At priora duo Eccleſiæ malum potius, quam bonum conciliant; tertium vero inutile prorſus eſt, niſi ex occupatione illa quidpiam erui valeat, quod Religioni proſit. Age vero, qui tanto conatu ſtudent Thomiſticas, vel Auguſtinianas, aut aliorum Catholicorum hominum opiniones Janſenianas oſtendere, an non potius confundere orthodoxas opiniones cum erroribus videntur, quam diſcrimen detegere, & explicare? An non favent potius, quam noceant errori proſcripto, dum illum cum Catholici hominis opinione confundendo, occaſionem novatoribus præbent ſub velo orthodoxæ opinionis tegendi errores, ac hæreſes? Ubi tunc eſt bonum, quod Eccleſiæ affert Theologia Scholaſtica? Nam ita potius errori, quam veritati Catholicæ Præſidio eſt. Nec dici poteſt obſcuram hac in re materiam eſſe: etenim Eccleſiæ definitio, quæ ſcholarum opiniones immunes ab errore declarat, perſpicua eſt, Theologi Thomiſtæ, & Auguſtiniani perſpicue explicant diſcrimen inter proprias, & damnatas ſententias, atque id egregie quoque tuentur. Ut ii ergo id faciunt, cur conjunctis viribus adverſus errorum inſidias, ex horum etiam principiis, agere Theologi reliqui non poterunt? Ita ſane prudentiores omnes faciunt, dum contra Semipelagianos diſputando, eos conſtituta quoque *Scientia Media* confutant, etſi hæc hujus aliquando erroris inſimulata fuit. Quare ergo Thomiſtica, vel Auguſtiniana, aut quæcumque alia conſtituta hypotheſi refellendi non erunt Lutherani, Janſenianique? Hac via Catholicorum honori, Eccleſiæque bono conſulitur, & conjunctis viribus, ut Apoſtolica Sedes jubet, hæreſes impugnantur. Hæc quantum ad Monitum; quoad explicationem Catholicarum opinionum earumque a Janſeniano errore diſcrimen vide c. XVI.

## CAPUT XV.

*Recenſetur novem, ac ſeptuaginta Propoſitiones Michaelis Baji, olim a Pio V. & Gregorio XIII. ac deinde ab Urbano VIII. anno 1664. confixæ in Bulla* In Eminenti.

1. NEc Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur Gratia.

2. Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia.

4. Vita æterna homini integro, & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.

5. In promiſſione facta Angelo, & primo homini continetur naturalis juſtitiæ conſtitutio, qua pro bonis operibus, ſine alio reſpectu, vita æterna juſtis promittitur.

6. Naturali lege conſtitutum fuit homini, ut ſi in obedientia perſeveraret, ad eam vitam pertranſiret, in qua mori non poſſet.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; ſed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non recte vocantur gratia: quo fit, ut tantum merita, non etiam gratiam debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Chriſti, nullum inveniri poteſt bonum meritum, quod non ſit gratis indigno collatum.

9. Dona conceſſa homini integro, & Angelo forſitan, non improbanda ratione, poſſunt dici gratia; ſed quia ſecundum uſum Sacræ Scripturæ nomine gratiæ, ea tantum munera intelliguntur, quæ per Jeſum Chriſtum male meritis, & indigni conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.



10. Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimiſſo ſæpe remanet, & corporis reſurrectio, proprie nonniſi meritis Chriſti adſcribenda eſt.

11. Quod pie & juſte in hac vita mortali uſque in finem converſati vitam conſequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ juſto Dei judicio deputandum eſt, neque in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantum ad primam inſtitutionem generis humani, in qua lege naturali conſtitutum eſt, ut juſto Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii ſententia eſt. Opus bonum citra gratiam adoptionis factum non eſt Regni cæleſtis meritorium.

13. Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantum ex eo, quod ſunt conformia legi, quodque per ſe præſtatur obedientia legi.

14. Opera bona juſtorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam juſto Dei judicio merentur accipere.

15. Ratio meriti non conſiſtit in eo, quod qui bene operatur habet gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum, ſed in eo ſolum quod obedit divinæ legi.

16. Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine caritate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum.

18. Opera Catechumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remiſſionem peccatorum facta, ſunt vitæ æternæ merita; quam vitam ipſi non conſequentur, niſi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera juſtitiæ, & temperantiæ, quæ Chriſtus fecit ex dignitate perſonæ operantis, non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21. Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium divinæ naturæ, debita fuit integritati, primæ conditionis: & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.

22. Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Romanos II. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

23. Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam ſupernaturali & gratuito, ſupra conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, ut Fide, Spe, & Caritate Deum ſupernaturaliter coleret.

24. A vanis & otioſis hominibus ſecundum inſipientiam Philoſophorum excogitata eſt ſententia, quæ ad Pelagianiſmum rejicienda eſt; Hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita fuerit largitate Conditoris ſublimatus, & ad Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera Infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio, nonniſi ad peccandum valet.

28. Pelagianus eſt error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non ſoli fures ii ſunt, & latrones, qui Chriſtum, viam & oſtium veritatis & vitæ negant, ſed etiam quicumque aliunde, quam per ipſum, in viam juſtitiæ (hoc eſt ad aliquam juſtitiam) conſcendi poſſe docent.

30. Aut tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, ut ab ea non ſuperetur.

31. Caritas perfecta & ſincera, quæ eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.

32. Caritas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.

33. Catechumenus juſte, recte, & ſancte vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per caritatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demum percipitur.

34. Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana eſt, commentitia, & ad illudendum ſacris litteris, & plurimis veterum teſtimoniis excogitata.

35. Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia, per elationem præſumptionis humanæ, cum injuria Crucis Chriſti defenditur a nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt; quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa, Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui eſt a neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, ſed ſolum nomen libertatis a peccato.

42. Juſtitia, qua juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia; non autem in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in filium Dei, & ſecundum interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire poſſit.

43. In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum abſolutionis, & in Catechumenis ante Baptiſmum eſt vera juſtificatio, ſeparata tamen a remiſſione peccatorum.

44. Operibus pleriſque, quæ a fidelibus fiunt ſolum ut Dei mandatis pareant, cujuſmodi ſunt, obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abſtinere, juſtificantur quidem homines, quia ſunt legis obedientia, & vera legis juſtitia: non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Miſſæ non alia ratione eſt Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut ſancta ſocietate Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis quæſtio eſt; ſed cauſſæ & originis: utrum omne peccatum debeat eſſe voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati ſine ulla relatione, ac reſpectu ad voluntatem, a qua originem habuit.

48. Peccatum originis e habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit ut parvulus decedens ſine regenerationis Sacramento, quando uſus rationis conſecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet, & legi Dei repugnet.

50. Prava deſideria quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto: *Non concupiſces*.

51. Concupiſcentia, ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.

52. Omne ſcelus eſt ejus conditionis, ut ſuum auctorem, & omnes poſteros eo modo inficere poſſit, quo infecit prima tranſgreſſio.

53. Quantum eſt ex vi tranſgreſſionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus naſcuntur vitiis, quam cum majoribus.

54. Definitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falſo tribuitur Auguſtino, cum Pelagii ſit.

55. Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.

56. In peccato duo ſunt, actus, & reatus: tranſeunte autem actu, nihil manet, niſi reatus, ſive obligatio ad pœnam.

57. Unde in Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione, proprie reatus peccati duntaxat tollitur: & miniſterium Sacerdotum ſolum liberat a reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed a ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens & inſpirans vivificat eum, & reſuſcitat: miniſterio autem Sacerdotis ſolum reatus tollitur.

59. Quando per eleemoſynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis noſtris offerimus, ſicut quidam errantes autumant, (nam alioqui eſſemus ſaltem aliqua ex parte redemptores) ſed aliquid facimus, cujus intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur, & communicatur.

60. Per paſſiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur noſtra delicta; ſed per communionem caritatis nobis eorum paſſiones impertiuntur, & ut digni ſimus, qui pretio Sanguinis Chriſti a pœnis pro peccatis debitis liberemur.

61. Celebris illa Doctorum diſtinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum ſubſtantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet ſecundum quem valeant operantem perducere ad regnum (hoc eſt ad modum meritorum) commentitia eſt, & explodenda.

62. Illa quoque diſtinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumſtantiis rectum eſt, & bonum (quod moraliter bonum appellare conſueverunt) vel quia eſt meritorium Regni æterni, eo quod ſit a vivo Chriſti membro per ſpiritum caritatis, rejicienda eſt.

63. Sed & illa diſtinctio duplicis Juſtitiæ, alterius, quæ ſit per Spiritum caritatis inhabitantem; alterius, quæ ſit ex inſpiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis, & in eo caritatem diffundentis, qua divinæ Legis juſtificatio impleatur, ſimiliter rejicitur.

64. Item & illa diſtinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentiæ, vitæ novæ propoſitum & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur; alterius, qua vivificatur, qui vere juſtificatur, & palmes vivus in vite Chriſto efficitur, pariter commentitia eſt, & Scripturis minime congruens.

65. Nonniſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bonus, ſive non malus, & gratiæ Chriſti injuriam facit, qui ita ſentit & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod neceſſario facit.

68. Infidelitas pure negativa in his, in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.

69. Juſtificatio impii ſit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ, quæ per eam juſtificatos faciat implere legem.

70. Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram caritatem; & caritas, etiam perfecta, poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum caritate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra caſum neceſſitatis, aut Martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum, unde & Job, & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter peccata ſua paſſi ſunt.

73. Nemo, præter Chriſtum, eſt abſque peccato originali: hinc B. Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, omneſque ejus afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum juſtorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiſcentia in renatis relapſis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur peccatum eſt, ſicut & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiſcentiæ ſunt, pro ſtatu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupiſces*. Unde homo eos ſentiens, & non conſentiens, tranſgreditur præceptum *Non concupiſces*: quamvis tranſgreſſio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt, non facit præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

77. Satisfactiones laborioſæ Juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.

79. Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe a Deo creari, & inſtitui, ſine juſtitia naturali.

*Nota* 1. Pii V. Conſt. ita abſolvitur: *Quam quidem ſententias ſtricte coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpective &c. damnamus &c.* Lacroixius, Marſius, Felix Poteſt. Continuator, & alii interpunctionem ſive virgulam, poſt verbum *poſſent*, & ante *In rigore* a Bajanis ſublatam fuiſſe aſſerunt, ut inde inferrent nullam determinate dici poſſe damnatam ex iis propoſitionibus, ſed tantum aliquas indeterminate, idenque poſſe ſingulas defendi in ſenſu ab aſſertoribus intento; ſed Urbanum VIII. in Generali Congr. an. 1644. producta ex archivo Bulla *In eminenti* a ſe edita anno 1641. pro damnatione illarum theſium comprobanda ex eadem oſtendiſſe virgulam poſitam fuiſſe poſt verbum *poſſent*. Quidquid ſit de Congregatione illa Generali, quam ii Auctores loquuntur, res explorata eſt in Conſtitutione S. Pii relata in edita a Gregorio XIII. quæ incipit *Providentiæ noſtræ*, & in illa quam diximus ab Urbano VIII. vulgatam, poſt verbum *poſſent*, reperiri virgulam. Immo addit Natalis Alexander in Hiſt. Eccl. ſæc. xv. & xvi. cap. 2. ar. xvi. *Quod ſi abſque nota interpunctionis ſeu virgula in Pontificio Pii V. diplomate hæc ſententia legenda eſſet, ſibi ipſi contradixiſſet ſapientiſſimus Pontifex; hac enim pacto nonnullæ Baji propoſitiones, non ſolum aliquo pacto, ſed ſimpliciter, & abſolute ſuſtineri poſſent: ſiquidem ſieret ſenſus, illas in rigore & ſenſu proprio ſuſtineri poſſe, quod ſane idem eſt ac poſſe abſolute & ſimpliciter ſuſtineri. Neque Toletus omnium retractationem a Michaele Bajo Pontificis nomine poſtulaſſet, & impoſuiſſet, ſi aliqua in rigore & proprio ſenſu ab Auctore intento ſuſtineri poſſet*, ut idem paullo infra ſubnectit.

En autem Baji retractatio. *Ego Michael de Baji Cancellarius Univerſitatis Lovanienſis agnoſco, & profiteor, me ex variis colloquiis, & communicationibus habitis cum R. P. D. Franciſco Toleto Concionatore Suæ Sanctitatis, & ad hanc rem ſpecialiter miſſo ſuper diverſis ſententiis, & propoſitionibus jam & olim a SS. D. N. Pio V. fel. record. ſub data Kal. Octob. an. 1579. & nuper a Gregorio XIII. iterato damnatis, & prohibitis, ita motum, & ex productum eſſe, ut plane mihi habeam perſuaſum, earum omnium ſententiarum damnationem, atque prohibitionem, jure meritoque, ac nonniſi maturo judicio, & diligentiſſima diſcuſſione præmiſſis, factam, atque decretam eſſe: Fateor inſuper, plurimas ex iiſdem ſententiis in nonnullis libris a me olim, & ante emanatam Sedis Apoſtolicæ ſuper iis cenſuram conſcriptis, & in lucem editis contineri, & defendi etiam in eo ſenſu, in quo reprobantur. Denique declaro me in præſentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi a S. Sede factæ acquieſcere, nec poſthac illas docere, aſſerere, ac defendere velle.* Actum 24. Maji &c.

*Nota* 2. Ex Suaretio Prolog. 6. c. 2. n. 14. *Generatim dici poſſe, has propoſitiones, quæ non apparent ita damnabiles propter nudam doctrinam: propter acerbitatem, & audaciam, qua Bajus ſuas propoſitiones adſtruebat, & contrarias notabat, rejectas eſſe a Pontifice ſaltem ut ſcandaloſas, quia Baji illa immodica exaggeratio ſcandalum generabat*. Eademque Vaſqueſius ait 1. 2. diſp. 170. c. 18. ſuamque aſſertionem teſtimonio comprobat duorum S. R. E. Cardinalium Bellarmini, & Toleti, quibus ita Baji cauſſa, & doctrina perſpecta erat, ut nemo his melius eam cognoſcere potuerit: cum prior Romæ eſſet dum Bulla promulgata fuit, alter vero Bajo auctor retractationis fuerit, ut ſupra diximus.

Accedit etiam celebris ex Prædicatorum familia Theologus



Contenſonius, qui tom. 2. diſſ. 1. c. 1. ſect. 1. ſcribit: *Adde (quod hac vice pro omnibus a te obſervari diligentiſſime velim) declaraſſe Pium V. plures ex Bajanis propoſitionibus eſſe veras, & catholicas, & ab Auguſtino totidem verbis quandoque decerptas, eas tamen Sanctitatem Suam reprobaſſe, vel ob cenſuræ atrocitatem, vel ob Auctoris ſupercilium, vel ob pravam earum interpretationem*. Quam ob rem, non omnes Baji propoſitiones, ſublato ſcandalo, cenſuræ in alios Theologos atrocitate, aliorum contemptu, & prava interpretatione, in aliis auctoribus repertæ, damnari debent, vel ex ipſa Suaretii, Vaſqueſiique, ac Bellarmini, & Toleti confeſſione. Immo nec omnino rejicienda videtur nonnullorum Theologorum interpretatio, qui iis remotis, quæ diximus propoſitiones aliquas ex illis aliquo pacto, & in rigore ac proprio verborum ſenſu ab auctoribus intento, propugnari poſſe tuentur, ſcilicet in ſenſu intento ab aliis Catholicis auctoribus, qui eaſdem tradiderant, ac etiam tunc docent, ſine acerbitate, ac prava illa interpretatione, qua a Bajo donabantur. Et ſane, ſi dum Summus Pontifex Baji propoſitiones in ea Conſtitutione proſcripſit, verba illa *in rigore &c.* ad Bajum referenda eſſent, non dixiſſet in ſenſu *ab Aſſertoribus*, ſed ab aſſertore intento, quod quidem comprobari ex eo etiam poteſt, quia ut Belellius, aliique referunt, ante Bullæ promulgationem, Summo Pontifici plurimorum querelæ delatæ fuerunt, *quod illa damnatione non Baji errores, ſed inſuper plures Auguſtini, & aliorum nobiliſſimorum Theologorum propoſitiones totidem verbis expreſſæ comprehenderentur*: quamobrem ac propoſitiones illæ in ſenſu catholico ab Auguſtino, aliiſque Scholæ Theologis intento dicerentur proſcriptæ, poſita in Bulla fuere verba illa, *quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſunt in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento*. Sed cum Pius V. ſuppreſſo Baji nomine eas proſcripſerit, & cum a Baji quoque diſcipulis illæ propugnarentur ſententiæ, valde mihi veriſimilior videtur Natalis Alexandri interpretatio, quæ locum non haberet, ſi aſſertores ibi deſignati, alii Catholici Auctores eſſent; præſertim cum ex epiſt. ab eodem S. Pio V. 3. Maji ſupradicti anni ad eumdem Bajum conſcripta, conſtet, ipſi Bajo, ac *ceteris illarum propoſitionum Aſſertoribus* ſilentium impoſitum fuiſſe. Ex quo conſtat voluiſſe Pontificem in illa Conſt. deſignare eſſe illas propoſitiones damnatas in ſenſu *ab Aſſertoribus* illis intento. Atque hæc omnia indicanda duxi, ne ea quæ ad vindicandas cenſuris Scholarum Orthodoxarum opiniones maxime faciunt, prætermiſſa viderentur.

## CAPUT XVI.

*De variis hominis ad ultimum finem comparati ſtatibus, de libertate, deque Chriſti gratia. Ubi ea potiſſimum declarantur, quæ ad explicanda Lutheri, Baji, Janſenii, Queſnelliique ſyſtemata, atque ad vindicandas ab omni nota Catholicorum opiniones neceſſaria videntur.*

STatus hic ſumitur pro conditione illa, ſub qua humana natura ad ſuum ultimum finem juxta providentiæ leges comparata concipitur: quo ſenſu ii, qui ultimum finem poſſident, eoque fruuntur, in ſtatu termini; qui vero per virtutes, ac bona opera ad illum pervenire contendunt, in ſtatu viæ poſiti dicuntur. Dum hominem ſpectamus veluti in via poſitum per quam, juxta providentiæ ordinem ad finem pervenire ſtudeat, triplicem diſtinguimus ipſius ſtatum; hoc eſt, innocentiæ, naturæ lapſæ, & naturæ per Chriſti gratiam reparatæ. Status innocentiæ ille eſt, in quo fuit Adamus a Deo poſitus a doloribus, miſeriis, ac morte immunis, cum ea naturæ integritate, per quam ſenſus affectuſque perfectæ rationis imperio ſubeſſet, & cum originali juſtitia ac gratia ſanctificante. Status naturæ lapſæ miſera eſt illa Adami poſterorum conditio, qui nondum per Baptiſmum ab originaria, quam ex eodem Adamo traximus, culpa liberati ſunt. Status denique naturæ reparatæ, is eſt, in quo ſunt homines Chriſti gratia liberati, & redempti. Atque ii ſtatus ſunt, in quibus revera homo aut fuit, aut nunc eſt. Diſputari quoque ſolet de ſtatibus qui non fuere, ſed eſſe poſſint, qui poſſibiles appellantur; & inquiri, 1. num poſſibilis ſit ſtatus puræ naturæ, in quo homo ſine vitio, & ſine gratia eſſet, ſubjectus tamen infirmitatibus, aliiſque miſeriis, quibus nunc ſumus obnoxii: 2. num poſſibilis ſit ſtatus naturæ integræ, in quo ſupernaturali auxilio careret homo, nec ad ſupremam eſſet beatitudinem elevatus, ſed iis naturæ præſidiis donaretur, quibus immunis fieret a noſtris miſeriis, ac per naturales virtutes iis reſpondentem beatitudinem comparare ſibi poſſet: 3. denique num poſſibilis ſit ſtatus naturæ lapſæ, non reparandæ, in quo fuiſſet homo poſt Adæ peccatum, ſi Deus infinita ſua miſericordia eum non liberaſſet. De iis ergo ſtatibus primum dicendum eſt.

Atque a recenſendis proſcriptis erroribus exordior. Pelagiani initio V. Eccleſiæ ſæculi negantes originale peccatum, Adamum dixere ita fuiſſe a Deo conditum, ut nunc homines naſcuntur, ſine ullo naturæ adjutorio, ut nunc & ſine ſupernæ gratiæ auxilio. Horum hæreſim excitavere iterum ſextodecimo ſæculo Sociniani, originariam culpam negantes, ac docentes Adamum mortalem, ac iis omnibus obnoxium conditum fuiſſe miſeriis, quibus nos premimur. Iis proxime accedunt Arminiani, qui juxta Limborchii explicationem, in Adamo nullum ſupernaturale donum, nullamque indebitam prærogativam agnoſcunt, licet ſcientia aliqua ei in illo ſtatu neceſſaria donatum fuiſſe aſſerant, eaque rectitudine, qua nec inordinate concupiſceret, nec concupiſcere poſſet, quia cum lex tunc non eſſet, liberrimus voluntatis uſus ſine culpa erat, & licet contra Pelagianos, ac Socinianos doceant a morte futurum fuiſſe immunem, virtute fructus arboris vitæ, quo in Paradiſo uti potuiſſet. Ii itaque credidere, hominem viribus naturæ, quas in præſentia habet, Deo ultimo fini, ac ſuperno bono proportionatum eſſe, ac ad illius poſſeſſionem pervenire poſſe, & Adamum peccato ſuo, ſecluſo pravo exemplo, nihil prorſus homini nocuiſſe.

Contra vero Calvinus, Lutherus, Bajus, Janſeniusque, hominem ob Adami peccatum, ita vitiatum in natura ac depravatum effingunt, ut non tantum qualibet indebita in eo prærogativa deſideretur, ſed etiam naturales, ac propriæ ipſius virtutes ac perfectiones, quibus ante illud peccatum Deo ita proportionatus erat, ut ſolis naturæ viribus cognoſcere, amare, ac bono libertatis uſu facile Deum conſequi potuiſſet. Dicam paucis, omnia conceſſa Adamo bona integritatis, juſtitiæ, innocentiæ, quibus a paſſionibus, infirmitate, ac morte immunis erat, & facile virtutem ſectari, ſancteque vivere poterat, naturæ fuiſſe proprietates, & appendices tradunt. In eo ergo cum Pelagianis, Socinianiſque conveniunt, quod hominem omni bono ſupernaturali, ac ſuperna gratia deſtitutum, initio a Deo conditum aſſerant, & quod ſolæ ei naturæ vires ad finis conſecutionem ſufficerent; diſſident vero, quia nunc nonnullis naturæ proprietatibus, & perfectionibus ſpoliatum aſſerunt. Ita vero Calvinum docuiſſe, verba hæc ſatis aperte declarant, quæ a Bellarmino recenſentur de Gratia primi hominis c. 1. *Ergo animam hominis Deus mente inſtruxit, qua bonum a malo, juſtum ab injuſto diſcerneret, ac quid ſequendum, vel fugiendum ſit præeunte rationis luce videret. Huic adjunxit voluntatem, penes quam eſt electio. His præclaris dotibus excelluit prima hominis conditio*. Vides nullam fieri ſupernaturalis gratiæ mentionem, ſed libertatis tantum per peccatum amiſſæ, & naturalis cognitionis per illud obtenebratæ, ut ipſe alibi exponit. Lutherus vero comment. in 3. Geneſ. caput clarius loquitur, quia poſtquam dixit, *juſtitiam non fuiſſe quoddam donum, ſed fuiſſe vere naturalem, ut natura Adæ eſſet diligere Deum, credere Deo, agnoſcere Deum*, ſubdit, *Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale eſt quod oculi lumen recipiant*. Et infra: *Pertinet hoc probant originalem juſtitiam eſſe de natura hominis: ea autem per peccatum amiſſa, non manſiſſe integra naturalia, ut ſcholaſtici delirant*. In eamdem abiere hæreſim Bajus, ejuſque Sectatores. Vide Baji propoſitiones circa gratiam Angelorum, & primi hominis, 1. 3. 7. 9. 21. 23. 24. 27. 66. in quibus aſſerit Angeli, primique hominis *merita* non recte vocari *gratiam*; felicitatem quam conſecuti ſunt Angeli, quamque perſeverando aſſecutus eſſet Adam, non *gratiam* ſed *mercedem* fuiſſe; *merita* primi hominis *munera* fuiſſe creationis, ac exaltationem humanæ *naturæ* in divinæ conſortium, id eſt, juſtitiam & ſanctificationem, ſive in filii Dei adoptionem, naturalem dicendam eſſe, non ſupra naturæ ordinem atque indebitam: naturalem itidem, ſive juxta naturæ conditionem fuiſſe immortalitatem. Denique

irridet Theologos ajentes, Adamum ſupernaturalibus, & gratuitis donis ac auxiliis indiguiſſe, ut fide, ſpe, & caritate Deum coleret. Hæc vero cum ita ſe habeant, quis non videt Bajum cum Calvino, ac Luthero ſenſiſſe, hominem a Deo initio formatum cum debitis ipſius naturæ perfectionibus, ea fuiſſe mente ac libertate præditum, qua bonum malumque diſcernere, ſancteque vivere, ac æternam adipiſci beatitudinem potuiſſet, ſi vellet, quave perfecte corpus ejuſque motus dependeret, ac nutu ſuo facile regeret; corpus denique habuiſſe nec infirmitatibus, nec morti obnoxium? Ita ſane ipſius ſententiæ declarant, atque ita expoſitæ illæ fuere a celebrioribus Theologis, ſcilicet a Bellarmino de Grat. primi hominis lib. 1. cap. 1. ab Aloyſio Curiano in Tractat. contra Bajum cap. 1. §. 1., a Vaſqueſio, a Suareſio proleg. 6. de Grat. c. 2. n. 5. a Ripalda, Coneto, Eſtio, Franciſco Macedo, aliiſque. Hoc vero poſito, quis non videt turpiter eos errare, qui cenſeant cum Bajo ſentire, negantes poſſibilem ſtatum puræ naturæ, quia hic propoſitione 55. dixerat: *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur?* Nam Bajus puram naturam hominis eam credidit, quæ in Adamo fuit, nunc vero puram, ſed depravatam, vitiatam, ac in naturalibus corruptam ob peccatum eſſe, ait, & a Deo vitiatam fieri non potuiſſe naturam aſſerit. At qui negant inter Catholicos, naturam puram a Deo creari potuiſſe, ex aliis principiis id eruunt, quæ non ſunt improbata, ut infra oſtendemus. Redeo nunc ad rem.

Neque dubitari poteſt, quin in eadem cum Bajo hæreſi fuerit Janſenius damnati illius ſyſtematis propugnator acerrimus, cum recenſendo Adamiticæ culpæ conſectaria, ea doceat, quæ ex pravis Baji principiis ſequuntur, de quibus infra dicemus. Interim indicare ſufficiat Queſnellianas illas theſes, quæ eumdem errorem præſeferunt, ſunt vero 34. 35. 36. 37. in quibus declarat, Adami gratiam, quæ ſequela fuit creationis, debitam adhuc integræ naturæ fuiſſe, & humana duntaxat produxiſſe merita; ac diſcrimen deſignando quod inter gratiam ſtatus innocentiæ, atque Chriſti gratiam interceſſit, ait, illam quemque in *propria perſona* recipere debuiſſe: hanc vero *in perſona Chriſti*; ac illam ſanctificando hominem in ſemetipſo fuiſſe ei *proportionatam*; hanc vero nos in Chriſto ſanctificando, omnipotentem eſſe, ac Dei Unigenito Filio dignam. Quæ ſane perſpicue deſignare videntur, voluiſſe Queſnellium adſtruere integritatem, ac ſanctitatem, cæteraſque Adami prærogativas, naturæ nondum per culpam depravatæ inſeparabilem conditionem, ac debitas proprietates fuiſſe. Id vero ne gratis videatur aſſertum, celebres nonnullos Theologos indicandos cenſui, qui rem ita explicaverunt. Vide Jacobum Fonteneam Tom. 1. *Conſtit. Unigenitus propugnata* pag. 577. & ſeq., *Inſtructionem Paſtoralem* editam, ac probatam poſt comitia Cardinalium, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Galliarum an. 1714. Henricum Cardinalem Biſſy in Tract. Theologico adv. Queſn. &c., Gregorium Selleri S. R. E. Cardinalem in principio Tomi 1., alioſque Theologos.

Habes itaque hæreſes contra catholica de ſtatu innocentiæ dogmata, quæ credere nos cogunt, Adamum in illo fuiſſe ſtatu poſitum, ſupernaturali gratia inſtructum, per quam in ſanctitate, & juſtitia conſtituebatur, a morte, ac miſeriis immunis, nec concupiſcentiæ & paſſionibus ſubjectum, cujus affectus rationis imperio omnino ſubditi eſſent. Dum hæc intacta maneant, nil eſt quod in Scholaſticorum opinionibus reprehendas, quæ verſantur vel circa inſtans, in quo fuit illi gratia collata, vel circa diſtinctionem originalis juſtitiæ a caritate; vel circa neceſſitatem gratiæ per ſe efficacis ultra ſufficientem, vel circa naturam habitus ſupernaturalis auxilii, aliudve ſimile. Dum enim ſtatuas habuiſſe ſupernaturale auxilium, ſine eo nihil agere potuiſſe, quod ad æternam felicitatem conferret, ac liberum ſub hoc auxilio manſiſſe; fides noſtra ſarta ac tecta ſervatur; ſive dicas, gratiam ſanctificantem habuiſſe, & ſufficientem qua bene agere poſſet, ſi vellet; ſive auxilium efficax ultra ſufficiens ad ſalvandam dependentiam a Deo, neceſſarium ei fuiſſe ad agendum opineris: ſive putes ſupernam dilectionem divinitus eidem inſpiratam, ac in eo permanentem caritatem fuiſſe, qua ſanctus Deoque carus eſſet, & qua ſi vellet bene agere, ac in accepta juſtitia perſeverare potuiſſet, quin etiam novo auxilio adjuvaretur, ſive alio modo Scholaſticis etiam ignoto explices inhærentem, aut permanentem in eo ſanctitatem, & juſtitiam, & ſupernum adjutorium, ſine quo bene agere, ac perſeverare non poterat. Idem de integritate, aliiſque privilegiis dicas; nam modo rationis in affectus imperium adſtruas, ac immunem illum a morte fuiſſe, nil vetat, quominus vel in gratia ſupernaturali, vel in naturali rectitudine vim illius imperii conſtituas, & quominus una, vel altera hypotheſi, qua id contigerit ratione demonſtres: ſicut liberum cuique eſt inveſtigare, quo modo ab infirmitatibus, & morte futurus fuiſſet immunis, dum tamen legem fateatur, qua a moriendi neceſſitate liberabatur.

Pauca nunc de ſtatu puræ naturæ dicemus, idque ex eo quod Sporerius, ſive illius ſupplementi auctor, aliique confidenter aſſerant, Bajanos, Janſenianoſque eſſe, qui hunc poſſibilem negent. Ii equidem poſſibilem negant, ſed ducti principiis ſuperius a nobis expoſitis, quæ ſunt hæreſeos ab Eccleſia notata. Si ergo Theologi ſunt, qui principia illa improbent, ac alia via adſtruere conentur, vel Deum hominem concupiſcentiæ rationi rebelli ſubjectum condere initio non potuiſſe, vel debuiſſe etiam illum ſupernaturali gratia donare; cur damnati erroris contra Apoſtolicæ Sedis ſententiam arguuntur? Sunt vero quam putes, qui hominem fieri potuiſſe, qualis nunc naſcitur, negent, ac nonnulli etiam qui attenta divina providentia, nequidem ſine gratia condi poſſe propugnent. Ex iis autem nemo cum Janſenianis convenit in damnatis erroribus. Ii enim, ut vidimus, integritatem, juſtitiamque originalem, & ſanctitatem debitas naturæ proprietates adſtruebant. Contra vero Auguſtiniani, aliique Theologi Orthodoxi, hæc indebita homini eſſe, ac ſanctitatem gratuitum donum ſupernaturale fatentur. Negant vero poſſe hominem fieri concupiſcentiæ ſubjectum; quia hunc effectum peccati ad peccatum inclinantem, & contra naturam eſſe hominis rationalis juxta SS. Auguſtinum, & Thomam opinantur. Quid vero in hoc eſt revelationi, ac definitioni Eccleſiæ contrarium?

Dicent fortaſſe damnatam eſſe Baji propoſitionem, quæ hominem fieri potuiſſe negat, ſicut nunc naſcitur. Sed jam dixi, quo ſenſu hæc proſcripta fuerit, ac celebriores Theologi aſſerunt, hanc unam de illis eſſe, quæ aliquo pacto defendi poſſunt, licet attentis Baji principiis jure meritoque proſcripta in eo fuerit. Videatur Petrus Maſſius *de Peccato Originali*, quæſt. IV. ubi plurima profert ex Auguſtino, Thoma, Bonaventura, Alenſi, aliiſque Theologis, quæ probant concupiſcentiam eſſe ab appetitu ſenſitivo diſtinctam, ac perverſam affectionem, ſive qualitatem, quæ Deum auctorem habere nequeat. Accedit etiam, quod ſi ex illis fas eſſet inferre, potuiſſe revera Deum hominem facere qualis nunc naſcitur, cum nunc peccato naſcatur infectus; ita quoque fieri potuiſſe oporteret, quo nihil abſurdius.

Alii vero cenſent, non ſolum fieri a Deo non poſſe hominem concupiſcentiæ ſubjectum, ſed nec etiam ſupernaturali gratiam deſtitutum; non quod hæc naturæ ſit debita, cum donum ſit gratuitum, & ſupernaturale; ſed quia poſito homine ad imaginem Dei formato, ac amante Deum, atque in ipſum veluti ac in ultimum finem ſuum tendente, illumque appetente, providentiæ ordo poſtulat, ut ea ipſi concedantur, quæ ad illius conſecutionem ſunt neceſſaria: & ſicut alii Theologi teneri Deum ex providentiæ lege aſſerunt ad unicuique dandum in hoc ſtatu auxilia ſufficientia Redemptoris, quibus poſſint homines expedire, & proxime mandata ſervare, quæ tamen auxilia etſi ex illa lege debita, ad veram tamen gratiam pertinere tuentur; ita iſti, quod hominis naturam exigere aſſerant imaginem Dei, innatum Dei clare videndi appetitum, & eſſe non poſſit, quin Deum amet, quem tamen nequit ſine gratia diligere, nequidem ut naturæ auctorem, in quocumque ſtatu ex providentiæ & juſtitiæ lege, homini gratiam conditoris deberi opinantur, ut mandata ſervare, Deum auctorem ſuum diligere, ac optatam beatitudinem conſequi valeat.

Opinio hæc Novatorum ſupra expoſitam hæreſim deteſtatur, atque in tribus fundatur principiis, in quibus Theologi pro libito diſceptare ſalva fide poſſunt. Nam aſſerunt, 1. Ho-



1. Hominem natura ſua ad imaginem Dei eſſe. 2. Fieri non poſſe, quin indito naturæ appetitu feratur in Deum ipſius auctorem, ac finem clare videndum. 3. Amare non poſſe Deum, nequidem ut naturæ auctorem, quin ſuperna gratia a caritatis, & ſupra ſeipſum elevetur, ac diligatur in Deum propter ſe amabilem. Hæ vero opiniones ſunt, quæ revelatis principiis, & Eccleſiæ definitionibus non adverſantur, & quæ in Scholis Catholicis ſemper apud nonnullos viguere. Ex hujuſmodi principiis eruunt, Deum condito homine rationali, vi ſuæ providentiæ, debere illi gratiam conferre, qua ſuum auctorem diligere poſſit, ſervare mandata, & in finem ſuum pervenire: quia gratia is, qui eſt natura ſervus, adoptatur, ut licite ſerviat, & ſuum dominum colat, & jus habeat ad illam hæreditatem, ſine qua beatus eſſe non poſſet. Ubinam hæc opinio ab Eccleſia proſcripta eſt? Immo Apoſtolica Sedes, ut improbat eos, qui venturiam, quæ communior eſt, Pelagianiſmi, & Manichæiſmi cum Janſenio inſimulant; ita eos reprehendit, qui hanc Janſenianiſmi accuſant. Atque hæc una ex illis Scholæ opinionibus eſt, quæ a catholicis etiam Romæ ſub oculis Pontificis propugnantur; Mitto enim Contemporaneum celeberrimæ Dominicanæ familiæ Theologum, alioſque, qui editis jam operibus variis in locis puræ naturæ ſtatum impoſſibilem tradidere. Cardinalis Noriſius, Fulgentius Belelli, & Laurentius Berti Romæ hanc propugnaverunt opinionem, ac in editis in lucem operibus aſſeruere; & eamdem traditam vidi ac publice propugnatam non ſolum in Schola Auguſtinianenſium, ſed etiam a Monachis Caſinenſibus in Monaſterio S. Caliſti & a Viro Clariſſimo Antonio Franciſco Vezzoſi Clerico Regul. in Conventu S. Andreæ de Valle. Sed hæc ſatis de ſtatu innocentiæ & naturæ puræ.

Diſputandum nunc eſt de ſtatu naturæ lapſæ, hoc eſt de miſera illa conditione, in qua humanum genus ob Adami culpam nunc reperitur, ſpoliatum nempe naturæ indebitis donis; miſeriis, quibus premimur, concupiſcentiæ, poteſtati dæmonis, denique indignationi ſubjectum, ac ad ipſa culpa per generationem propagata infectum. Orthodoxa fides docet, omnes homines ex Adamo propagatos, etiam ex Fidelium parentibus ortos originali peccato infectos naſci, eſſe jure ad æternam felicitatem privatos, filios iræ, atque vindictæ, & æternæ damnationi obnoxios. Hæreticorum nonnulli, ut Pelagiani, Sociniani, & Arminiani originale peccatum negant. Lutherani vero, Calviniani, ac Janſeniani nimium illius effectus extollunt. Nam per illud liberum arbitrium omnino extinctum prædicant, ac rationem miſere obtenebratam, depravatamque ipſam naturam. Ad Lutheranos, Calvinianoſque quod ſpectat, præter quam quod peccatum originale in concupiſcentia formaliter poſitum aſſerant, quæ etiam in baptizatis remanet, ajunt Baptiſmum tegere tantum, aut radere, non vero tollere originale peccatum, & editi contra eoſdem in Concilio Tridentino Canones palam faciunt, docuiſſe etiam perditum omnino Adami culpa fuiſſe liberum arbitrium. Aliquam hæreſim abiiſſe quoque Bajum, Janſenium, atque Queſnellium, eorum damnatæ propoſitiones oſtendunt, ex quibus conſtat in homine poſt Adami peccatum libertatem deeſſe indifferentiæ, ad merendum & demerendum ſatis eſſe, ut a coactione immunis ſit, nec requiri ut a neceſſitate antecedente & inevitabili ſit liber. Hinc ajunt peccare omnes damnabiliter, etiam in iis, quæ vitare nequeunt; indeliberatos concupiſcentiæ motus eſſe vera peccata; impoſſibilia Deum jubere, hominibus quoque juſtis impoſſibilia eſſe aliqua Dei præcepta, atque iis ſimilia, quæ clariora fient, eorum expoſita hæreſi.

Omnes ergo Novatores iſti ajunt, Adamum per voluntarium peccatum dona naturæ debita perdidiſſe, & inter alia libertatem indifferentiæ, & claram cognitionem eorum, quæ ad jus naturæ pertinent. Quamobrem ignorantia eorum, quæ ad naturæ legem pertinent, & agendi, peccandique neceſſitas, atque concupiſcentia rebellis, veluti voluntariæ in Adamo voliti reputantur. Ideoque invincibilis juris naturæ ignorantia a culpa non excuſat, indeliberati concupiſcentiæ motus peccata ſunt contra præceptum *non concupiſces*, & operationes omnes, quamquam neceſſariæ, ut ſunt opera omnia Infidelium, ſecundum hypotheſim Janſenianam, ſunt peccata, quia neceſſitas ipſa, qua inevitabiliter fiunt ex voluntaria, & libera Adami culpa, cum quo ea quoque peccavimus, orta eſt, ac remanet in homine etiam poſtquam per Baptiſmum ſit originale peccatum ſublatum.

Itaque homo poſt Adami peccatum libertatem amiſit, ac neceſſario agit quæcumque operatur. Quamobrem ſpectari juxta Novatores hujuſmodi debet, veluti agens neceſſarium, delectatione ad ea, quæ operaturus ſit, determinandum. Itaque ſicuti bilanx determinatur pondere, & ſicut lanx quæ majori premitur pondere neceſſario inclinatur, ita neceſſario in eam trahitur partem hominis voluntas, in quam major delectatio urgeat. Hæc eſt vera Janſenianæ hæreſis imago a Luthero ac Calvino delineata, & a Bajo, Janſenio, atque Queſnellio veluti aliquo velo obducta. Videant vero ii, qui Auguſtinianos, ac Thomiſtas Janſeniſmi inſimulant, num jure horum de libertate hominis ſententiam cum Janſenii ſyſtemate confundant? Nam ii omnes fatentur per Adami peccatum attenuatas quidem eſſe liberi arbitrii vires, ſed manere adhuc indifferentiæ libertatem.

Sed antequam ad aperiendum diſcrimen veniamus, quod inter hos Novatores Catholicoſque Theologos intercedit, obſervare neceſſe eſt, tria alia illos ſtatuere, quæ ſunt cum recenſito errore connexa; ſcilicet amiſſam cum libertate fuiſſe naturalis ſcientiæ cognitionem, caſtumque amorem Dei integræ naturæ debitum, ac loco illius dominantem cupiditatem ſucceſſiſſe. Cum vero in homine neceſſitas, ignorantia legis, & vitioſa cupiditas ob peccatum inſint libere in Adamo commiſſum, aſſerere non verentur, ad peccatum, & demeritum agendi neceſſitatem non obeſſe, ſed libertatem ſufficere libere in Adamo amiſſam, eamdemque ob cauſſam peccata eſſe, quæ ex ignorantia etiam invincibili contra naturæ legem fiunt, atque dominantis concupiſcentiæ motus. Hæc baſis eſt Janſeniani ſyſtematis. Ut vero peſſimas, quæ inde naſcuntur conſecutiones, intelligere valeamus, duo illi amores, ſive duæ illæ delectationes exponendæ ſunt, quibus veluti pondere neceſſario flectitur, agiturque voluntas. Sunt ii duo amores, amor mundi, qui vitioſa cupiditas, ac terrena quoque delectatio dicitur, & amor Dei, ſive caritas a Deo inſpirata. Nullam in homine actionem eſſe contendunt, quæ aut ex vitioſa illa cupiditate, aut ex caritate perfecta non orietur. Quamobrem, quæ ex caritate non ſunt, ea omnia ex cupiditate, ideoque vera peccata eſſe prædicant. Hinc omnia opera Infidelium, & peccatorum cum ex caritate non ſint, veluti ex vitiata radice prodeuntia infecta eſſe atque peccata ajunt. Hinc vel ipſe timor gehennæ, quo peccator ad converſionem diſponitur, & actus reliqui, qui a caritate non oriantur, cujuſque generis ſint, vera peccata eſſe definiunt. Hac de cauſſa, liberum arbitrium ſine ſanctificante gratia nihil niſi peccatum operari poſſe, atque gratiam omnem extra dominantem caritatem, etiam ſufficientem, excludunt. Hæc indicaſſe ſufficiat, ut inde concludere clare poſſim, toto cælo Thomiſtarum, Auguſtinianenſium, aliorum Theologorum opiniones ab horum Novatorum erroribus diſſidere. Nam ut incipiam a libero arbitrio.

Quis horum eſt, qui Adami peccato extinctum aſſerat? Numquid illud perimit gratia efficax? At hæc in infirmo, & attenuato arbitrio a Deo datur, ut illud roboret, adjuvet, perficiat, modo tamen ejuſdem indoli conſentaneo, libero ſcilicet, cum libera ſit illius indoles. Gratia enim efficax quæ lapſis hominibus datur, medicinalis eſt, neque præſumi poteſt, peritum medicum, cognito ægroti morbo, medicinam porrigere, quæ illum occidat. Quis ergo credat Deum divinum medicum, cui arbitrii infirmitas cognita eſt; congruam medicinam non porrigere? Si Adami peccatum non extinxit arbitrium, numquid medicina divina illud interimet? *Si non occiditur per vulnerantem*, inquit Proſper, *numquid per medentem?* Quod medicus gravi infirmitati natura ſua efficax remedium porrigat, idcone ægroti naturæ detrimentum accipiet? Paucis dicam, efficax gratia ratio eſt Dei Omnipotentis, qui non tollere, ſed roborare, juvare, perficere vult libertatem; ergo perficit, non minuit, non extinguit: alioquin effectus infinitæ cauſſæ virtuti non reſponderet. Dices intellectu difficile eſt, qua ratione id cum arbitrio concilietur. At myſterium eſt, ut ait Auguſtinus, quid ergo mirum?

Hæc vero non ad Thomiſtas tantum, ſed etiam ad Auguſtinianos pertinent. Si enim medicinalis efficax gratia a Deo

Deo ad perficiendum libertatis uſum deſtinata eſt, ſive hæc præmotio dicatur, ſive divina inſpiratio, ſive dilectio, ſive delectatio prævia ac victrix, ſemper Dei actio eſt, atque affectum parit, quem Deus vult. Quid, ſi dicant moralem neceſſitatem afferre præviam prædominantem delectationem? Quis unquam hanc proſcripſit opinionem? Sed ut os obſtruatur imperitis nonnullis, quibus Sorbonicus ille Turnellius impoſuit, dum aſſeruit delectationem ſuperiorem, ſeu relative victricem baſim conſtituere Janſeniani ſyſtematis, paullo fuſius rem agam. Opinio hæc damnata jam Janſeniana hæreſi propugnata fuit a Baſilio Pontio, Auguſtino Burgenſi, Manſio, Macedo, Haberto, Cardinali Lauræa, Cardinali Noriſio, aliiſque Romæ ſub oculis Pontificis Summi tradita & propugnata fuit ab Auguſtinianis, & Monachis Caſinenſibus, ac aſſerta & typis tradita a Laurentio Berti, aliiſque. Numquid paſſa id fuiſſet Apoſtolica Sedes, cujus judicio Janſeniana hæreſis damnata fuit, ſi res ita ſe haberet, ut Turnellius aſſerit? Immo pluries hæc doctrina expenſa fuit, ac poſt illius examen, Noriſius Cardinalis renunciatus fuit, ac Berti laudatus. Sed an non Moliniani ipſi propugnant gratiam relativam, comparatam malitiæ gradibus, quæque reſpectu Tyriorum eſt efficax ſeu victrix, & reſpectu Corozaitarum inefficax eſt? Numquid hæc a Janſenianis differt, quia gratiam, non vero inſpirationem, lumen cæleſte, ſanctam delectationem vocant? At hic non eſt de nominis appellatione contentio. Itaque cum jam ſit notum, Janſenium extinctum aſſerere arbitrium per peccatum Adami, jam patet fundamentum ſyſtematis: ac delectatio illa victrix in Janſenio non poteſt libertatem, quæ non eſt, tollere, ſed naturam neceſſario operantem flectere debet: ut ab aliis vero uſurpata, juvat, fovet, perficitque libertatem, ut alia quæcumque efficax gratia.

Diſſident præterea Thomiſtæ, Auguſtiniani, aliique ab iſtis Novatoribus, quia iſti præter dominantem caritatem, nullam aliam gratiam agnoſcunt, ac ſufficientem damnant. Contra vero Thomiſtæ ſufficientem adſtruunt, quæ vere potentiam perficit, ac dat poſſe operari, atque hanc ab efficaci diverſam ſtatuunt, conceſſamque aſſerunt, non prædeſtinatis tantum, ſed Catholicis, hæreticis, ac etiam infidelibus, licet nonnulli eorum cum aliis Catholicis ſentiant, non dari parvulis decedentibus in utero matris, ac obcæcatis nonnullis peccatoribus, & infidelibus: quia in re conſentientes quoque habent Auguſtinianos, qui gratiam ſufficientem, uſurpata ab Auguſtino phraſi, etiam parvam vocare ſolent, quod concupiſcentiæ conatus non vincat: differunt vero iſti a Thomiſtis; quia ſine novo auxilio, hanc ſatis eſſe ajunt ad orandum, ſi homo velit, ut gratiam uberiorem ad vincendum aptam obtineat.

Aliud eſt Auguſtinianæ doctrinæ caput, quod cum damnatis erroribus aliqui imperiti confundunt, quod ſcilicet, ii doceant hominem teneri ad actiones ſuas humanas in Deum ultimum finem dirigendas, nec poſſe eas ita in Deum referre ſine gratia. A Janſenianis, Bajaniſque hæc opinio longe diverſa eſt, cum Auguſtiniani dicant tantum vel actu, vel virtute in Deum referendas: cum adſtruant, præſto eſſe infidelibus, & peccatoribus etiam ſaltem non obcæcatis gratiam, qua ita actiones dirigant ſuas, cum fateantur non ita eſſe mentem ab originali culpa depravatam, ut motus aliquos bonos natura ſua habere non poſſit, ac non habeat, & ut gratia deſtituta neceſſario ad peccandum trahatur. Nam beatitudinis amor, qui in natura eſt, bonus eſt naturæ motus, & ſi qui ſint actus, qui ad Deum non referuntur, juxta Auguſtinianos, non ſunt mali aut lethalia peccata, quæ ab infecta dominante cupiditate inficiantur; ſed mali tantum dici poſſunt ob defectum rectæ ordinationis, ac fere ſemper culpa venialis, ac leviſſima ſunt. Rurſum gehennæ metum in pœnitente bonum, ac ſalutarem fatentur, ac Novatores hac in re validiſſime confutant, licet aſſerant eſſe præterea ad juſtificationem obtinendam neceſſariam initialem caritatem, qua & Deum pœnitens diligere incipiat, & ſeſe a creatura avertere, atque convertere ad Creatorem. Hanc opinionem cenſura notari poſſe vetuit Apoſtolica Sedes, ut videre eſt in notis adjectis Theologiæ P. Antoine ex Benedicti XIV. doctrina. Vides ergo quam late diſtent Catholicorum opiniones a damnatis ſententiis.

Sed unum adhuc monendum ſupereſt, ſcilicet, notandos non eſſe Catholicos, qui ſalva fide, qua credimus, hominem juſtificari per gratiam eidem inhærentem, gratiam ei neceſſariam eſſe ad bene agendum etiam ad initium fidei, eamque iis conferri omnibus, quos ſupra diximus, atque hanc arbitrii libertatem juvare, & roborare, non adimere, diverſo a recepto in Scholis modo ſupernaturalium donorum, & gratiæ interioris naturam explicent. Nam id Philoſophi potius modum declarantis, quo actiones noſtræ fiant, habituſque in anima inſint, munus eſt, quam Theologi revelationem unice proponentis, atque conſecutiones ex ea deducentis. Quis ergo reprehendat illos, qui ſanctificari animam per caritatem aſſerant, & caritatem eſſe vel Dei in nobis permanentem actionem, vel inſpiratam divinitus dilectionem, quæ naturam elevet, elevatam ad Deum amandum, ejuſque amore agendum inclinet, adjuvetque etiam ut vere actu diligatur Deus, vel Dei amore quiſquam agatur? ſi hæc ſalva libertate fiant, quid eſt, quod damnari poſſit, præſertim cum aliæ etiam divinæ in homine gratiæ operationes juxta definitam ab Eccleſia doctrinam explentur? Dum neceſſitas gratiæ ſalvatur ad initium fidei, ad ſanctitatem, ad credendum, ſperandum, agendumque ut oportet, libertas una cum gratia operante, & myſterium in conciliandа gratia cum libero arbitrio, ſalva fides, ac Eccleſiæ doctrina eſt.

## CAPUT XVII.

*Decretum SS. D. N. Alexandri VII. Feria V. die 30. Januar. 1619.*

*In Congregatione Generali S. Romana, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Domino Alexandro divina Providentia Papa VII. et Eminentiſſ. & Reverendiſſ. DD. S. R. E. Cardinalibus in univerſa Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.*

*Cum nuper a Regularibus Mendicantibus diœceſis Andegaven. Judicio Sedis Apoſtolicæ (ad quam dumtaxat controverſias Fidei, ac morum univerſalis Eccleſiæ pertinet definire) infra inſertæ propoſitiones fuerint oblatæ, de mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Alexandri divina Providentia Papæ VII. plurium Theologorum, & Canoniſtarum a Sanctitate Sua id ſpecialiter deputatorum examini fuit commiſſa, quo peracto, & relata Sanctitati Suæ unanimi eorumdem Theologorum, atque Canoniſtarum cenſura; Idem Sanctiſſimus, auditis votis Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium, Generalium Inquiſitorum, eaſdem propoſitiones, prout infra qualificatas, auctoritate Apoſtolica declaravit, declaratas decrevit, & tales, ab omnibus haberi præcepit.*

1. Concil. Trid. non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Epiſcopis, ut Sæcularium confeſſiones audire poſſint, neque ex illius Concilii auctoritate privilegia Regularium reſtringi poſſunt, cum in Gallia receptum non ſit, præterquam in deciſionibus Fidei, neque etiam Bullam Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata.

Eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, in hæreſim, & ſchiſma inducens, Sacro Concilio Tridentino, & Sedi Apoſtolicæ injurioſa.

2. Ubi Concil. Trid. eſt receptum, non poſſunt Epiſcopi reſtringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confeſſiones audiendas, neque illas ulla ex cauſa revocare. Quinimmo Ordinum mendicantium Religioſi ad eas approbationes obtinendas non tenentur; & ſi ab Epiſcopis Religioſi non probentur, rejectio illa tantumdem valet, ac ſi approbatio conceſſa fuiſſet.

Complexe accepta eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, & erronea.

3. Regulares Ordinum mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo ad confeſſiones audiendas in ſua diœceſi, habentur pro approbatis in aliis diœceſibus, nec nova Epiſcoporum indigent approbatione. Regulares habent poteſtatem abſolvendi a peccatis Epiſcopo reſervatis, etiamſi ab Epiſcopo auctoritas ipſis indulta non fuerit.

Quoad primam partem eſt falſa, & ſaluti animarum perincioſa. Quoad ſecundam partem eſt falſa, auctoritati Epiſcoporum, & Sedis Apoſtolicæ injurioſa.



4. Nullus in foro conſcientiæ Parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, nec ad annuam Confeſſionem, nec ad miſſas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, Fidei rudimenta, moremque doctrinam, quæ ibi in Catecheſibus annunciantur, & docentur.

Quoad primam, & ſecundam partem ſimpliciter accepta, eſt erronea, & temeraria: ſuppoſitis vero privilegiis Apoſtolicis, nullam meretur Cenſuram. Et quoad tertiam partem de auditione verbi Dei ſervetur diſpoſitio ſacri Concilii Tridentini.

5. Talem legem in hac materia nec Epiſcopi, nec Concilia Provinciarum, vel Nationum ſancire, nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Eccleſiaſticis cenſuris mulctare poſſunt.

Suppoſitis itidem privilegiis Apoſtolicis, nullam meretur cenſuram; verum iſta non eſt Prædicanda, nec publice docenda, prout nec præcedens quarta.

6. Regulares mendicantes petere poſſunt licite a Judicibus Sæcularibus, ut injungant Epiſcopis, quatenus ipſi mandata concedant ad prædicandum in Adventu, & Quadrageſima: Quod ſi renuant facere Epiſcopi, decretum judicum Sæcularium tantumdem valet, ac ſi permiſſio dictis Religioſis conceſſa fuiſſet.

Eſt falſa, erronea & in hæreſim, ac ſchiſma inducens.

Hanc ergo qualificationem, & declarationem a cunctis tenendam, ſequendam, & in praxi obſervandam eſſe, Sanctitas ſua declaravit, & mandavit ſub pœnis contra Schiſmaticos, Temerarios, Seditioſos, ac de hæreſi ſuſpectos reſpective impoſitis, contrariis quibuſcumque non obſtantibus &c.

*Nota.* Adeo clara eſt affixa ſex ſupra recenſitis propoſitionibus cenſura, ut explicatione noſtra non egeat. Vide tamen, ſi placet, apud Auctorem earumdem refutationum.

## CAPUT XVIII.

*Decretum alterum ejuſdem Pontificis die 24. Septembris 1665.*

*Sanctiſſimus D. N. audivit non ſine magno animi ſui mærore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire ac ſummam illam luxurantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab evangelica ſimplicitate, Sanctorum Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius perverti contingeret, idem Sanctiſſimus D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpecioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſerio commiſit: Qui tantum negotium ſtrenue aggreſſi, eique ſedulo incumbentes, & mature diſcuſſis uſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſigillatim expoſuerunt.*

1. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

De eadem ſic Clerus Gallicanus in ſua cenſura an. 1700. 4. Sept. *Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, in praxi pernicioſa, erronea, fidei, & Evangelii abolitionem inducit.*

Repugnat S. Th. 2. 2. q. 44. art. 2. ad 1. ubi ſic: *dantur præcepta de actibus virtutum*; atqui præcepta hæc ſpecialia ſunt, & ſpecialiter obligant. Eadem enim eſt omnium virtutum Theologicarum ratio: atqui ex eodem S. Th. 1. 2. q. 100. art. 10. *actus caritatis cadit ſub præceptum legis, quod de hoc ſpecialiter datur*; ergo.

Et vero fides ſpecialiter præcipitur Hebr. 11. his verbis: *accedentem ad Deum credere oportet, quia eſt*: & Joan. 1. *Hoc eſt mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus*. Spes præcipitur Pſ. 4. *Sperate in Domino*. Caritas Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum*; & alibi toties, ut lex tota ad præceptum caritatis quodammodo revocari videatur; ergo tenetur fidelis ad actus Virtutum Theologicarum, non ſolum per accidens, puta cum eos elici neceſſe eſt, ut vitetur grave aliquod peccatum, quod nemo unus negavit, ſed per ſe, & ex vi ſpecialis præcepti. Vide Auctorem *de Fide* q. 11. Reſp. *de Spe* p. 11. & *de Caritate*, c. 11. ar. 1. q. 1.

2. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

Cenſura Cleri Gallicani: *Doctrina hac propoſitione contenta falſa eſt, ſcandaloſa, contraria juri divino, & humano tam Eccleſiaſtico, quam civili, immo & naturali.*

Repugnat Concilio Tridentino, quod *deteſtabilem duellorum uſum fabricante diabolo introductum eſſe declarat*; ſeſſ. 25. c. 19. Quæ ſane declaratio vix quidquam prodeſſe poteſt, ſi duellum ad vitandam timiditatis notam acceptare liceat, quia ſemper notam hanc verebuntur homines mundani; eſt ergo falſa hæc propoſitio, occaſionem præfert ruinæ ſpiritualis proximi, cum duella foveat, divinæ legi opponitur, quæ occiſionem vetat, & etiam naturali, quæ docet ob inanem mundi gloriam non eſſe exponendam animam certo æternæ ſalutis periculo, ac ob vanum timorem, vitam, cujus Dominus eſt Deus, exponi certo periculo non poſſe.

3. Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

Patet ex hujus propoſitionis cenſura, quid faciendum in praxi. In hac enim materia, aliiſque ſimilibus mere poſitis, ſufficit pro omni expoſitione declaratio S. Sedis explicantis Conſtitutiones ſuas. Vide in tractatu *de Cenſuris* notam a nobis adjectam, in qua hujus propoſitionis mentio fit, ejuſque ſenſus exponitur.

4. Prælati regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

Repugnat D. Thomæ qui in ſupplem. q. 20. ar. 2. poteſtas ordinis, ait, quantum eſt ad ſe, extendit ſe ad omnia peccata remittenda: *Sed, quia ad uſum hujuſmodi poteſtatis requiritur juriſdictio, quæ a majoribus in inferiores deſcendit, ideo poteſt Superior aliqua ſibi reſervare, in quibus inferiori judicium non committat.* Et iterum: *Quandoque eſt conſuetudo in aliquo Epiſcopatu, quod enormia crimina ad terrorem reſervantur Epiſcopo*: Ergo Prælati Regulares, abſque Superiorum Eccleſiaſticorum conſenſu; a cenſuris reſervatis abſolvere non poſſunt. Porro poteſtas abſolvendi ab hæreſi etiam occulta, nedum ſæculares, ſed etiam ſubditos ſuos, jam non competit Regularibus, prout declaravit S. Congregatio an. 1628. de quo conſule Dominicum Vivam in examine hujus propoſitionis. Vide etiam quæ dixi *de Obligationibus*, & in nota adjecta quæſt. VII. cap. 3. *de Fide*, ubi oſtendi hanc facultatem ſublatam etiam eſſe Epiſcopis per Bullam Cœnæ.

5. Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare ſi probare non poſſis.

Repugnat D. Thomæ 2. 2. qu. 37. ar. 7. in corp. *Quædam peccata*, ait S. Doct. *occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel ſpirituale, puta ſi aliquis occulte tractet, quomodo Civitas tradatur hoſtibus, vel ſi hæreticus privatim homines a fide avertat*, ut avertere ſolet id hominum genus, quorum ſermo, ut cancer ſerpit: *Et quia ille, qui ſic occulte peccat, non ſolum in ſe peccat, ſed etiam in alios, oportet ſtatim procedere ad denunciationem, ut hujuſmodi nocumentum impediatur.* Tunc autem non requiritur diſcretus judex, ut probes, ſed ut criminis indicia declares, & exponas. Vide, quæ dicta ſunt ab Auctore *de Correctione fraterna* q. 111. n. 2.

6. Confeſſarius, qui in Sacramentali confeſſione tribuit Pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.

Hæc propoſitio puerili diſtinctione denunciandi neceſſitatem

tem cludit: Nam cum Apoſtolica Sedes veluti hæreſeos ſuſpectos denunciandos juſſerit Confeſſarios qui loco medicinæ venenum pœnitentibus præbent, eos provocando ad turpia, vel in Confeſſione vel immediate antea vel poſt, aut occaſione confeſſionis, manifeſtum eſt, eos quoque denunciari voluiſſe, qui per chartam, domi legendam, ad turpia ſollicitaverit. Vide noſtram *appendicem de Sollicitatione*.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denuntiandi.

Eadem eſt ratio propoſitionis hujus, quæ præcedentis; on enim ſollicitans, qui ſollicitati Confeſſionem excipit, poteſt eum eximere a lege eidem per Superiores legitimos impoſita? Mera igitur ſunt hæc ſubterfugia ad eludendas Superiorum leges.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

In hac propoſitione auri ſacra fames omnibus Chriſtianis, præcipue vero Sacerdotibus ſevere interdicta repugnat. Veritas cenſuræ hic patet, quod Eccleſia, quæ, ut continuo, & indefeſſe loquitur Doctor Angelicus, errare non poteſt, non patiatur, ut Sacerdos de ſpecialiſſima ſacrificii parte pro nutu diſponere, eamque ære pro nummis ablegare poſſit. Cum ex ejuſdem Eccleſiæ præcepto pro ſe Miſſam offerre debeat, ut patet ex his Offertorii verbis: *pro innumerabilibus peccatis & offenſionibus & negligentiis meis*. Prævertat Apoſtolus Hebr. VII. ubi docet, Sacerdotes *neceſſitatem habere, primo pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi*.

9. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

Hæc propoſitio titulo duplici reprobanda eſt, 1. quia juſtitiam lædit. Quo enim titulo Sacerdotes collato alteri minori ſtipendio alteram ſtipendii partem ſibi retinent? 2. quia negotiationem importat Clericis in materia etiam profana, & a fortiori in materia ſacra prohibitam, prout docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 77. ar. 4. ad 3. Hinc colligunt, Viva, & alii accuratiores, eum qui per alium celebrat, teneri ex juſtitia ad ferendum eidem ſtipendii exceſſum, quem penes ſe, & nullo ex titulo ſervaverat. Vide cenſuram a Benedicto XIV. in eos latam, qui mercimonia exercent Miſſarum.

10. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

Hæc propoſitio repugnat his D. Thomæ verbis in ſupplem. quæſt. 71. ar. 14. ad 2. *Suffragium Miſſæ diſtributum in multos minus prodeſt ſingulis, quam prodeſſet ſi fieret pro uno tantum*: Repugnat etiam rationi, quia quidquid ſit de participatione unius ejuſdemque ſacrificii in plures diſtributi, certe ſtipendium non datur Sacerdoti tanquam pretium fructus ſacrificii; ſed tanquam aliud a lege, vel conſuetudine ſtatutum ad Miniſtri ſuſtentationem; porro nulla lex permiſit unquam plura pro uno Sacrificio recipi ſtipendia, ſed id omni, & quocumque tempore in Eccleſia Chriſti inviolate prohibitum eſt, & multo magis cum intervenit promiſſio contraria juramento confirmata.

11. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio eſt temeraria, erronea, & confeſſionis integritati derogat*.

Repugnat expreſſiſſimis D. Thomæ verbis in ſupplem. quæſt. 10. ar. 5. ad 3. *Aliquis tenetur iterum confiteri, cum ad memoriam peccatum venerit, ſicut pauper* (qu. 2. ar. 3. ad 2.) *qui non poteſt ſolvere, quod debet, tenetur cum primo poteſt*. Quid efficacius ad perimendum hujus propoſitionis errorem? Et vero, ait Viva, ſe habet ſecundum quid ad ſecundum quid, ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter; ergo ſicut, qui nullatenus peccata depoſuit, eadem licet per ſinceram contritionem ſibi dimiſſa, deponere tenetur quamprimum poteſt; ita & ea quis deponere tenetur, quæ ſibi e memoria exciderant, & deinceps animo occurrunt? Vide auct. ar. 2. *de Confeſſione* quæſt. VIII.

12. Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

Cenſura Cleri Gallicani: *Doctrina hac propoſitione contenta falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, erronea, in hæreſim, & ſchiſma inducens, Concilio Tridentino contraria, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ deſtructiva, invalidis confeſſionibus viam aperit, jam olim a Summis Pontificibus, & a Clero Gallic. damnata*. Pluries a Romanis Pontificibus hæc propoſitio proſcripta fuit. Hanc enim non competere Regularibus facultatem declaravit Sac. Congr. Concilii 10. Septembris 1572. approbante Gregorio XIII. Cong. Epiſcoporum, & Regularium die 9. Januarii 1601. approbante Clemente VIII. ac deinceps 7. Januarii 1617. approbante Paulo V. quod & præſtitit etiam ſub Urbano VIII. quamobrem Alexander VII. iſtam propoſitionem proſcripſit, & Clemens X. Conſt. incipient *Supremi magni*, non ſolum denuo definivit, per *Mare magnum*, aliave privilegia, nulli Regularium cujuſcumque ordinis, inſtituti, ſeu Societatis, etiam Jeſu, factam eſſe poteſtatem abſolvendi a caſibus Epiſcopo reſervatis, ſed inſuper ſancivit *habentes facultatem abſolvendi a caſibus omnibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis non ideo a caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvere poſſe*.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato.

Cenſura Cleri Gallic. eadem, quæ propoſitionis præcedentis. Vide Auctorem novum *de Pœnitentia* cap. III. ar. 2. qu. 3.

14. Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio temeraria eſt, erronea; ſacrilegio favet, & præceptis Eccleſiæ illudit*.

Repugnat rationi, quæ ſatis docet non magis impleri præceptum Confeſſionis per Confeſſionem voluntarie nullam, quam præceptum reſtitutionis per exhibitionem monetæ falſæ. Repugnat etiam S. Thomæ; ſecundum quem ad pœnitentiam requiritur *ex parte ipſius, qui ſuſcipit Sacramentum ..... Contritio, quæ eſt de eſſentia Sacramenti*. Quæro autem, an contritio voluntarie nulla, & ſacrilega ſit de eſſentia pœnitentiæ? Denique confeſſio, quam præcipit Eccleſia ſemel ſaltem in anno, nonalia eſt, quam a Deo præcepta; hanc enim Eccleſia fieri jubet: Deus vero Confeſſionem jubet, quæ peccatorem cum ipſo reconciliet, ideoque validam.

15. Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

Repugnat D. Tomæ 3. part. q. 90. ar. 2. *Requiritur ex parte pœnitentis*, ait S. Doctor, *quod recompenſet ſecundum arbitrium miniſtri Dei, quod fit in ſatisfactione*. Sane ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 8. *Pœnæ ſatisfactoriæ magnopere a peccato revocant, & quaſi frœno quodam pœnitentes coercent ... medentur peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actibus tollunt*; atque ii effectus ſaltem ex præcipua ſui parte haberi non poſſent, ſi ſufficeret pœnitentiam uni impoſitam, per alium impleri. Quanta inde iis præſertim, qui opum divites ſunt, peccandi, & nunquam ſatisfaciendi facilitas!

16. Qui Beneficium curatum habent poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinatio.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio eſt falſa, temeraria, Concilio Tridentino contraria*. Quod conſulendum eſt ſeſſ. 23. cap. 15. ubi decernitur: *Nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum, ac proinde etiam Parochorum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut beneficium parochiale habeat, aut ab Epiſcopis idoneus judicetur, & approbationem obtineat*. Et vero, ne ipſis quidem Epiſcopis extra propriam Diœceſim verſantibus licet ſibi in Confeſſarium eligere Sacerdotem, qui approbatus non ſit, prout re diu graviter expenſa definiit Gregorius XIII. apud Vivam hinc num. 7.

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publice & coram



coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, erronea, Decalogo aperte repugnat, cædibus patrocinatur, & Magiſtratibus, ipſique humanæ ſocietati certam perniciem intentat*. Hæc ipſa Cleri cenſura ſuam ſecum probationem trahit. Vide Auctorem de *Juſt. & jure* c. xi. qu. 10.

18. Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.

Cenſura Cleri Gallic. eadem quæ præcedentis. Et vero, ubi apud eos, qui homicidam hanc propoſitionem evomuerunt, ubi, inquam, patientia Chriſtiana? Ubi illud Chriſti: *Beati eſtis, cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſus vos mentientes*? Ubi moderamen inculpatæ tutelæ a Theologis omnibus requiſitum?

19. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Uxorem in adulterio deprehenſam.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio eſt erronea, crudelitatem, privatamque vindictam approbat*.

Repugnat & rationi, & auctoritati D. Thomæ 2. 2. q. 64. art. 3. *Principibus habentibus publicam auctoritatem ſolum licet malefactores* (quibus ſane annumeranda eſt adultera, quæ juxta legem Moyſis lapidanda erat) *occidere, non autem privatis perſonis*; qualis eſt maritus relative ad vitam uxoris. *Vir enim non eſt Judex uxoris & ideo non poteſt eam interficere, ſed coram Judice accuſare*: in ſupplem. qu. 60. art. 1. ad 2. ubi quæſtionem hanc ex profeſſo verſat Doctor Angelicus. Præiverat Auguſtinus lib. II. de Adult. Conjug. ubi occiſionem hanc vocat *rem nefariam*; & merito, tum quia non licet quemquam inauditum damnare, cum Deus ipſe Adamum audire voluerit, dicens, *Adam ubi es?* forte enim innoxia eſt uxor, & a ſtupratore oppreſſa; tum quia ſi rea ſit conjux, & ſponte ſuccubuerit libidini, in æternum damnabitur, quo malo nullum eſſe gravius poteſt.

20. Reſtitutio a Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſit pœna.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, cavillatoria, ac præceptis Eccleſiaſticis illudit*.

Et vero, quia pœnæ non arbitrariæ, ſed ipſo naturali jure impoſitæ, obligant independenter a ſententia Judicis; Atque reſtitutio ab iis facienda, qui horas omiſere, non ſolum Eccleſiæ legibus, ſed ipſo naturali jure impoſita eſt. Quia ipſo naturæ jure conſtitutum eſt, ut, qui ex pacto ad aliquid faciendum tenetur ſub certis conditionibus, nihil acquirat, quando iiſdem conditionibus deeſt. Vide quæ dicta ſunt ab Auctore tract. *de Obligation*. c. 2. q. 112.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio literarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet.

Repugnat D. Thomæ quodlibet. 1. quæſt. 7. art. 1. *Præbendatus debitum, quod debet Deo, per ſe ipſum debet ſolvere*. Si per ſe ipſum debet, ergo bono ſufficit ut per alium. Nec nocet, quod propoſitio loquatur de Beneficiario ſtudiis vacante. Neque enim officii ſancte recitati penſum, ſtudiorum fructus retardare poteſt, cum Dei benedictionem inducat. Certe ſi juniores Beneficiarii non ſatis haberent intervalli, ut magnum Eccleſiæ officium recitarent, non deberent ab eo propria auctoritate abſtinere, ſed recurrere ad Epiſcopum, qui his in caſibus non diſpenſat abſolute, ſed ſolius B. Virginis officii recitationem indulget.

22. Non eſt contra juſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Cenſura Cleri Gallicani: *Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, pernicioſa, erronea, hæreſim ſimoniacam a Sacra Scriptura, canonibus, & Pontificiis Conſtitutionibus reprobatam, mutato tantum nomine, per fallaciam mentis, ſive directionem intentionis inducit*.

Repugnat primis Chriſtianiſmi principiis. Certe ſi ſemel ſtet non vendi beneficium, quia ſolum venduntur temporalia ejus emolumenta, jam ne ipſe quidem Giezi Simoniæ reus judicari poteſt. Longe aliter S. Thom. qu. 100. ar. 4. *Beneficia*, inquit, *Eccleſiaſtica, quoad fructus temporales, nullo modo vendere licet, quia vis fructibus venditis intelliguntur etiam ſpiritualia venditioni ſubjici*. Vide, quæ paſſim dicta ſunt in art. *de Simonia* qu. xx. *Reſp*. 3.

23. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult ſe ſubjicere præcepto.

Cenſura Cleri Gallic. *Doctrina hac propoſitione contenta, falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, pernicioſa, Eccleſiaſticorum mandatorum incuriam inducit, jejunii leges pravis artibus eludit*.

Repugnat ſaniorum quotquot fuerunt Theologorum judicio. Apud eos enim omnes receptum eſt illud S. Thomæ 1. 2. q. 96. art. 4. *Leges non Eccleſiaſticæ ſolum, ſed & civiles habent vim obligandi in foro Conſcientiæ*, ac proinde per ſe & ex natura rei, & ſecluſo contemptu; ergo peccat mortaliter, quis eas in materia gravi infringit. Vide quæ dicta ſunt in Tract. *de Legibus & Jejunio*.

24. Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

Hæc adeo horrenda ſunt, ut refutatione non indigeant: inter vitia, quæ ſunt contra naturam, ait S. Thom. 2. 2. quæſt. 154. art. 12. ad 4. *infimum locum tenet peccatum immunditiæ*, ſeu mollitiei, *quod conſiſtit in ſola omiſſione concubitus ad alterum. Graviſſimum autem eſt peccatum beſtialitatis, quia non ſervatur debita ſpecies ...... poſt hoc autem eſt vitium ſodomiticum, quia ibi non ſervatur debitus ſexus*. Vide, quæ dicta ſunt in Tract. *de Peccatis* quæſt. 18. &c.

25. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens: Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

Repugnat vel ipſi rationi, quaſi vero fornicatio non ſit crimen malus ſimplici tactu etiam mortaliter malo; quaſi quoque fornicatio non pariat effectus, circa quos pœnitentem interrogari neceſſe eſt, puta, an Virgo defloratæ fuerit &c. Vide quæ dixi in loco mox citato.

26. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.

Cenſura Cleri Gallicani: *Hæc propoſitio falſa eſt, & perniciosa, verbo Dei contraria, & judicum corruptelas inducit*.

Longe aliter D. Thomas 2. 2. quæſt. 71. art. 4. ad 3. *Juſtitia*, inquit, *non declinat in unam partem magis, quam in aliam*, ergo ubi plena eſt utrinque æqualitas, plenum ſervare debet æquilibrium, abſque eo, quod ſtatera ejus in unam potius, quam in alteram partem auri pondere inclinetur. In hoc ergo caſu id agere debet Judex, ut partes amice conveniant, aut ut rem de qua litigatur, ex æquo dividant inter ſe. Vide in Tr. *de Judicum obligationibus*.

27. Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, rejectam eſſe a Sede Apoſtolica tamquam improbabilem.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio quatenus ſilentium, & tolerantiam pro Eccleſiæ, vel Sedis Apoſtolicæ approbatione ſtatuit, falſa eſt, ſcandaloſa, ſaluti animarum noxia, patrocinatur peſſimis opinationibus, quæ identidem temere obtruduntur; atque ad Evangelicam veritatem iniquis præjudiciis opprimendam, viam parat*.

Hæc propoſitio ex omni parte peccat, & quidem 1. quatenus juniorum libros, veterum placitis præponere videtur, contra id quod ait S. Cæleſtinus I. epiſt. 1. *deſinat novitas inceſſere vetuſtatem*. 2. Quatenus ſupponit Apoſtolicam Sedem tacito aſſenſu probare quidquid ſollemni judicio non improbat. Quaſi vero vel omnia, quæ ſingulis diebus exurgunt opinionum portenta, ſingulis diebus configere poſſit, vel pudendas eas approbaverit, aut permiſerit opiniones, quæ a Theologis primum, deinde ab Epiſcopis reprobatæ, tandem ab ipſis Rom. Pontificibus creſcente malo confixæ ſunt. Et vero Innocentius XI., & Alexander VIII. in Decretis ſuis monent, non cenſendas eſſe approbatas alias propoſitiones ibi non expreſſas, etiamſi Sedi Apoſtolicæ exhibitæ ſint ut damnentur. 3. Quia cum nul-

nulla ſit pene propoſitio tam horrenda, quæ approbatores ſuos non habuerit, nullaque quoque erit laxitas, quam practice ſequi illicitum ſit.

28. Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſſa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio ſeditioſa eſt, Apoſtolica doctrina, ac dictis Dominicis aperte contradicit.*

Et vero Luc. xx. ait Chriſtus: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari*: Et Rom xiii. ait Apoſt. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit... itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Vide, quæ dixi in Tr. *de Legibus* cap. II. q. 1. & ſeq.

*Quibus peractis, dum ſimilium propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus, re mature conſiderata, ſtatuit & decrevit, prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum tanquam ſcandaloſas, eſſe damnandas, & prohibendas: ſicut eas damnat, ac prohibet; ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, & defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præter quam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.*

*Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, ac ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.*

## CAPUT XIX.

*Decretum tertium ejuſdem Alexandri VII. Die 18. Martii 1666.*

*SAnctiſſimus D. N. poſt latum Decretum die 24. Septembris proxime elapſi, quo viginti octo propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulo, & accurate uſque ad hanc diem infraſcriptis aliis, quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Reverendiſſimos DD. Cardinales adverſus hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſigillatim ſuper unaquaque ipſarum audivit.*

*Propoſitio* 29. In die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Jejunium.

Cenſura Gallic. eadem quæ xxvii.

Idem etiam motivum, quia qui ſæpius modicum quid comedendo ad notabilem quantitatem devenit, ſe habet, ut qui ſæpius modicum quid furando ad gravem ſummam pervenit; & utrique gravis tandem peccati reum ſe conſtituit. Vide quæ dicta ſunt to. 1. *de Eccleſiaſtico jejunio* q. vi. *Reſp.* 3. ubi ſatis ſuperque demonſtratum eſt modicam cibi quantitatem ſæpe repetitam illam nutritionem efficere, quæ mortificationi opponitur, quam Eccleſia per jejunium vult, atque optat.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit comparabilis cum jejunio.

Cenſura Cleri Gallic. eadem quæ præcedentis. Vide, quæ dicta ſunt in loco ſupra citato qu. vii. ubi etiam oſtendimus, experientia conſtare Officiales illos poſſe ſine gravi nocumento jejunare, & ab Eccleſiæ præcepto non poſſe homines ſine gravi ratione excuſari.

31. Excuſantur abſolute a præcepto jejunii illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.

Cenſura Cleri Gallic. eadem, quæ xxvii.

Utramque hanc propoſitionem prædamnavit Angelus ſcholæ 2. 2. q. 147. art. 4. ad 2. his verbis: *Si immineat neceſſitas ſtatim peregrinandi, & magnas diætas, pedeſtres nimirum, vel onoroſa faciendi, vel etiam multum laborandi, vel per conſervationem vitæ corporalis, vel per aliquod neceſſarium ad vitam ſpiritualem, & ſimul cum hoc non poſſet Eccleſiæ jejunia obſervari, non obligatur homo ad jejunandum*, ergo a jejunio non excuſantur ii, de quibus agunt prædictæ propoſitiones. Vide qu. vii. cit. n. 6.

32. Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.

Repugnat D. Thomæ 2. 2. q. 147. art. 8. ad 3. *In quolibet jejunio*, ait S. Doctor, *interdicitur eſus carnium; in jejunio autem Quadrageſimali interdicuntur ova, & lacticinia*: ergo evidens eſt ab ovis, & lacticiniis per Quadrageſimam eſſe abſtinendum iis in locis, ubi huic conſuetudini ex generali, vel ſpeciali Superiorum diſpenſatione derogatum non eſt: Sicut ei quod lacticinia in Gallia derogatum eſt. Quamquam, & multæ ſunt in illo regno Diœceſes in quibus modica pecunia ſumme pro lacticiniorum redemptione a ſingulis ſolvitur, ut in Diœceſi Bononienſi. Vide in cit. Tract. qu. 1.

33. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiatus de fructibus ſui beneficii fecerit.

Propoſitio plane abſurda, non enim magis reſtituuntur fructus injuſte percepti per eleemoſynas præcedentes, quam bonum pauperi ereptum eidem reſtitutum cenſeatur per eleemoſynas eidem, vel alii cuilibet antea factas. Et vero eleemoſyna de ſe gratuita eſt, quod autem gratuito datur, juſtitiæ debitum non expungit.

34. In die Palmarum recitans officium Paſchale ſatisfacit præcepto.

Propoſitio falſa, quia ſola officii præſcripti recitatio ſatisfacere poteſt, niſi quandoque excuſet bona fides aliud pro alio recitantis; quo etiam in caſu compenſanda venit officiorum inæqualitas. Vide quæ dicta ſunt *de Religione*, ubi de Officio Divino, ſeu Horis canonicis quæſt. iv.

35. Unico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti, & craſtino.

Eadem, quæ in præcedentibus abſurditas; quaſi nempe unius, & integri officii recitatio, unicuique diei per Eccleſiam affixa non ſit; vide hic uberes, ſed amaros probabilitatis fructus; certe ſtando in propoſitione xxviii. ſuperius relata, poterat unuſquiſque practice ſequi opiniones mox adductas ante judicium Sedis Apoſtolicæ; ſunt enim eæ omnes non in uno ſolum, ſed & in pluribus libris juniorum.

36. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſe revocata per Concilium Tridentinum.

Cenſura Cleri Gallic. eadem, quæ xxi. idem & cenſuræ motivum.

37. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

Ficta erat hæc revalidatio, atque, etiamſi genuina fuiſſet, jam non eſſet in vigore poſt cenſuram hujuſce propoſitionis, quæ notam prædictarum indulgentiarum revocationem importat.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quam primum eſt conſilium, non præceptum.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio eſt falſa, pernicioſa, aperte Concilii Tridentini Decretum invertit.*

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

Cenſura Cleri Gallic. eadem quæ xxxviii.

Æquitas cenſuræ propoſitionis utriuſque ex ſola Tridentini Concilii lectione manifeſta eſt, & aperta. Sane vero quis unquam id fieri *quamprimum* contendet, quod aliquando ad unum, vel alterum menſem protraheretur?

40. Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

Repugnat D. Thomæ 2. 2. qu. 154. art. 4. *Oſcula*, ait, *ſunt peccata mortalia, ſecundum quod libidinoſa ſunt*; atqui oſcula ob delectationem carnalem vere ſunt libidinoſa, & falſum ſupponunt, qui ea a periculo conſenſus ulterioris ſecludi ſupponunt. Quare enim placet oſculum, niſi quia ſtimulat, & rapit cor hominis in id, ad quod de ſe, & propriæ corruptionis pondere vergit, & inclinatur.

41. Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo *Regalo*, dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & aliæ famulæ nimis difficile invenirentur.

Cen-



Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, pernicioſa, hæretica, aperte repugnans præcepto Chriſti jubentis, manum, pedem, oculum quoque dextrum ſcandalizantem abſcindere & projicere.*

Hæc Cleri cenſura ſuam ſecum probationem habet omni majorem exceptione. Vide quæ dicta ſunt, ubi de occaſione proxima.

42. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obligat ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio, in qua mutati tantum mutui, & uſuræ nomine, licet res eodem recidat, per falſas venditiones, & alienationes, ſimulataſque ſocietates, aliaſque ejuſmodi artes, & fraudes vis Divinæ legis eluditur, doctrinam continet falſam, ſcandaloſam, cavillatoriam, in praxi pernicioſam, palliativam uſurarum, verbo Dei ſcripto, ac non ſcripto contrariam, jam a Clero Gallic. reprobatam, Conciliorum, ac Pontificum Decretis ſæpe damnatam.*

Ratio cenſuræ eſt, quia obligatio non repetendæ ſortis ad certum tempus eſt mutuo intrinſeca. Vide quæ fuſe dicta ſunt in Tract. *de Contractibus*, ubi de uſuris.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat pluſquam per decem annos.

Exiſtimarunt aliqui cum Soto, animas, ut ajunt, *purgantes*, ultra annos decem non torqueri, quæ cerebri ſe-zantis imaginatio, propoſitionis præcedentis fundamentum erat; verum hæc ab omnibus rejecta eſt: qui ergo legata in perpetuum habent, eadem in perpetuum adimplere tenentur ex juſtitia, quia pacta legitime ſancita prorſus ſervari neceſſe eſt.

44. Quoad forum conſcientiæ, reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

Hujus propoſitionis falſitas aperte patet, tum ex conſtanti uſu Eccleſiæ, qui pœnitentes in excommunicatione fato functos, etiam poſt mortem abſolvit, tum ex aliis, quæ dicta ſunt in Tract. *de Cenſuris*.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri uſquedum adhibita diligentia corrigantur.

Sua ſunt libris prohibitis pericula, & multi ſunt, qui eos legendo etiam ut id, quod malum eſt recenſent, & corrigant, magno ſe ſeductionis diſcrimini objiciunt. Ac præterea in re tam gravi Eccleſiæ parendum eſt, quæ hos legere vetat, quouſque juxta præſcriptum a ſe modum libri vetiti corrigantur.

*Quibus maturo penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decrevit, prædictas Propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum tanquam ſcandaloſas, eſſe damnandas, & prohibendas: ſicut eas damnat ac prohibet; itaut quicumque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.*

*Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.*

## CAPUT XX.

*Decretum SS. D. N. Innocentii XI. die 2. Martii 1679.*

*SAnctiſſimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium ſibi a Deo creditarum ſaluti ſedulo incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis, a fel. rec. Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens; plurimas Propoſitiones, partim ex diverſis vel libris, vel theſibus ſeu ſcriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubjecit. Quibus propoſitionibus ſedulo, & accurate ſæpius diſcuſſis, eorumdem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis, idem SS. D. N. re poſtea mature conſiderata, ſtatuit & decrevit pro nunc ſequentes propoſitiones, unamquamque ipſarum, ſicuti jacent, ut minimum tanquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per Decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.*

1. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

Cenſura Cleri Gallic. *Doctrina hac propoſitione contenta eſt reſpective falſa, abſurda, pernicioſa, erronea, probabilitatis peſſimus fructus.*

Vide quæ dicta ſunt in Tr. *de Conſcientia*, ubi omni argumentorum genere probatum eſt nequidem probabiles eſſe opiniones illas, quas juniores Caſuiſtæ docebant permiſſas, & licitas eſſe in concurſu aliarum, quæ ſimul & tutiores ſunt, & probabiliores. Sane propoſitio, de qua agitur, eo etiam titulo ridicula eſt, & abſurda, quod non attendat in dubia collatione cujuſcumque Sacramenti grave ſemper reperiri periculum irreverentiæ. Immania probabilitatis conſectaria, malæ arboris fructus peſſimi, ex decurſu magis, ac magis innoteſcunt.

2. Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

Cenſura Cleri Gallic. eadem, quæ propoſitionis præcedentis, idem & motivum, toties in jure Canonico repetitum, quod nempe in dubiis, & a fortiori in iis, quæ ſunt plus quam dubia, qualia ſunt minus probabilia, viam debeamus eligere tutiorem. Vide inſuper quæ dicta ſunt, ubi de obligationibus Judicum.

3. Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, pernicioſa, novam morum regulam, novumque prudentiæ genus, nullo ſcripturarum, aut traditionis fundamento, cum magno animarum periculo ſtatuit.*

Eandem in citato *de Conſcientia* tractatu a fundamentis ſubverſam reperire eſt.

4. Ab infidelitate excuſabitur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

Cenſura Cleri Gallicani eadem, quæ primæ Innocentii XI., & eadem Cenſuræ ratio.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, pernicioſa, piarum aurium offenſiva, erronea, impia, primum, & ſummum mandatum irritum facit, atque Evangelicæ legis ſpiritum extinguit.*

6. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum caritatis erga Deum.

Cenſura Cleri Gallic. eadem, quæ præcedentis.

7. Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.

Cenſura Cleri Gallicani eadem, quæ præcedentium: *præcipitur*, ait D. Th. 2. 2. q. 44. art. 5. ut *ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligamus*. An ex tota virtute diligit, qui ſemel in vita, aut ſingulis quinquenniis diligit? An cenſeretur filius impoſitam ſibi a Deo de honorandis parentibus legem adimplere, ſi ſemel in vita, aut per quinquennium debitam patri reverentiam præſtaret? Hæc quoque Turcas puderet, quomodo animis volvere, ac multo magis verbis exprimere auſi ſunt viri Chriſtiani? Vide, quæ dicta ſunt *de Caritate*.

8. Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, pernicioſa, erronea, & ad Epicuri ſcholam ablegandam.*

Repugnat D. Thomæ, 1. 2. q. 18. art. 9. ſic loquenti: *Cum rationis ſit ordinare actum a ratione deliberativa procedentem, ſi non ſit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnat rationi, & habet rationem mali.* Porro quis niſi Epicuri alumnus, voluptatem dixerit finem eſſe cibi & potus?

tus) Vide, quæ dicta ſunt de virtute temperantiæ, & de neceſſitate omnes, & ſingulos actus ad Deum referendi.

9. Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

Longe aliter D. Thom. in ſuppl. q. 49. ar. 5. *Duobus ſolummodis Conjuges abſque omni peccato conveniunt: ſcilicet cauſſa procurandæ prolis & debiti reddendi; alias autem ibi eſt peccatum ad minus veniale.*

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

Cenſura Cleri Gallicani: *Hujus propoſitionis doctrina ſcandaloſa & pernicioſa eſt, piorum aurium offenſiva, & ſecundo caritatis præcepto contraria, reſpective hæretica, & amorem vel in ipſis parentibus, & liberis humanitatis ſenſum extinguat.*

11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

Cenſura Cleri Gallic. eadem, quæ præcedentis.

Utraque propoſitio præceptum fraternæ Caritatis directe ſubvertit. Certe proximum ſicut nos, & poſt Deum diligere jubemur. Deum autem, & noſmetipſos non exterius ſolum, ſed & interiori, ac formali actu diligere præcipimur. Unde Angelus ſcholæ 2. 2. q. 25. art. 9. *effectus*, inquit, *& ſigna Caritatis ab interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur.* Vide dicta ubi de præcepto Caritatis.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio eſt temeraria, ſcandaloſa, pernicioſa, erronea, Evangelicum de eleemoſyna præceptum peſſundat.*

Hujus cenſuræ veritas, & æquitas per ſe patet, & amplius adhuc ex iis eluceſcet, quæ dicta ſunt agendo de eleemoſyna in Tract. *de Caritate*. Fundamentum erroneæ hujus propoſitionis hoc fuit, quod liceat ditiſſimis, ipſiſque adeo Regibus ſervare ſua ad ſuum, ſuorumque ſtatum augendum; quo ſemel facto principio, vix locupletiſſimi quique ſuperfluum habebant, cum ambitio, & effrænis cupiditas nunquam dicat, *ſatis eſt*. Aliter ſentit S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 5. ad 3. ubi definit, mortaliter peccare eum, qui non dat eleemoſynam ex iis, quæ ſibi neceſſaria non ſunt *ſecundum præſentem ſtatum. Nec oportet*, inquit, *quod homo conſideret omnes caſus, qui poſſunt contingere in futurum, puta ſui, ſuorumque ad ſtatum altiorem promotionis: hoc enim eſſet cogitare de craſtino.*

13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

Cenſura Cleri Gallic. eadem quæ x. Innocentii XI.

Cenſuræ ratio eſt, quia ex D. Th. 2. 2. q. 25. art. 7. *Id quod habet majorem rationem boni, eſt magis diligendum, & quod Deo ſimilius*. Ergo cum proximi vita majus ſit bonum, quam ejuſdem opes, & ex parte vitæ majorem cum Deo ſimilitudinem habeat, magis vitam ejus, quam bona diligere debemus. Et vero proximum ſicut nos diligere tenemur. Quis porro vellet, ut alius de ſua vita triſtaretur, & de morte ſua naturali gauderet?

14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.

Cenſura Cleri Gallic. eadem, quæ præcedentis, eadem & ratio cenſuræ.

15. Licitum eſt filio gaudere de Parricidio parentis a ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio eſt falſa, ſcandaloſa, execranda, pietati erga parentes contraria, viam crudelitati, & avaritiæ aperiens.*

Refellitur abunde ex iis, quæ ad præcedentes propoſitiones dicta ſunt.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.

Repugnat his D. Th. verbis 2. 2. q. 62. ar. 1. *De actibus fidei dantur præcepta in lege Divina. Dicitur enim Eccleſ. 2. Qui timet Deum, credit illi.* Et vero, ſi fides non cadat ſub præceptum ſpeciali, non peccat ſpecialiter infidelis, qui fidem ſibi ſufficienter propoſitam amplecti detrectat; quod repugnat, & D. Thomæ, 2. 2. q. 10. ar. 1. & conſtanti ſaniorum Theologorum judicio. Vide Tr. *de Fide*, & notas ibid. adjectas.

17. Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.

Cenſura Cleri Gallic. eadem, quæ primæ Alexandri VII. ad quam recurre.

18. Si a poteſtate publica quis interrogetur fidem ingenue confiteri, ut Deo, & Fidei glorioſum, conſulo; tacere, ut peccaminoſum per ſe, non damno.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, præceptis Evangelicis, & Apoſtolicis aperte contraria, & hæretica.*

Audiatur S. Th. 2. 2. q. 3. ar. 2. *Apoſtolus dicit ad Rom. x. Corde creditur ad juſtitiam ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Et infra. *Si aliquis interrogatus de fide* (auctoritate publica) *taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide, peccaret. In hujuſmodi enim caſibus confeſſio fidei eſt de neceſſitate ſalutis.* Vide tr. *de Fide*.

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

Utriuſque hujus propoſitionis doctrina, ſubtilis quidem, ſi non philoſophice conſideretur, ſed theologice, magnopere erronea eſt. Fidei enim certitudo, & firmitas non menſuratur ex motivis & rationibus, quæ ad fidem tanquam præambula inducunt, ſed ex operatione Dei, quo movente accipit humana mens: *Verbum auditus Dei, non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt vere verbum Dei*, ideoque illud ea jam certitudine amplectitur, quæ omnes aliam ſeu moralem, ſeu naturalem excedit; ergo, qui audito Chriſti Evangelio ab hominibus aliquando nulla miracula patrantibus, Alcorani deinceps prædicationem audit ab hominibus, qui ut Jannes & Mambres per præſtigia illudunt, impudenter prorſus aſſenſum fidei ſibi propoſitæ datum rejicit, & repudiat. Ita ferme Martinus Steyartius Tom. 1. ed. 1736.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, pernicioſa, & Apoſtolicam fidei depoſitionem evertit.*

Si vera ſit hæc propoſitio, jam 1. æternam ſalutem conſequi poterit quoddam hominum genus in fide ſcepticum nihil in Religione tenens certum, ſed ſuum ſingulis Chriſtianiſmi ſectis probabilitatem ineſſe exiſtimans, deſperanſque de aſſequenda in tantis varietatibus certitudine. Longe aliter S. Th. 2. 2. qu. 2. art. 4. *Actus qui eſt credere, ait, habet firmam adhæſionem*. 2. Nemo fidelis tenebitur paratus eſſe vitam perdere potius quam deſerere fidem; quis enim vitam pro notitia ſolum probabili, & erroris periculo obnoxia profundere tenetur? 3. Poſſet quis poſt intenſos, & iteratos contritionis actus credere fide ſupernaturali ſe juſtificatum eſſe; cum ex juſtificatio probabiliter oriatur, ex illa præmiſſa revelata univerſali, quod contritus gratiam conſequatur: atqui conſequens repugnat Trident. ſeſſ. 9. cap. 9.

22. Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio in Deum Remuneratorem, & in Chriſti Mediatoris nomen contumelioſa eſt, erronea, & hæretica.*

Repugnat expreſſe Apoſt. ad Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*, ubi non minus requiritur explicita fides Dei Remuneratoris, quam explicita fides Dei unius, & hanc tamen nemo negat neceſſariam eſſe etiam neceſſitate medii. Et vero fides eſt baſis, & fundamentum ſpei noſtræ cum ſit *ſperandarum ſubſtantia rerum* ex eodem Apoſtolo; ergo fides non in Deum ſimpliciter, ſed in Deum, ut a quo bona cuncta ſperantur, ferri debet; ac proinde habere pro objecto Deum tamquam remuneratorem. Hinc S. Th. lect. 2. hic *Non ſolum*, inquit, *eſt neceſſarium credere, quod Deus ſit, ſed quod habeat providentiam de rebus: aliter nullus iret ad ipſum, ſi non ſperaret aliquam remunerationem ab ipſo.*

23. Fides late dicta ex teſtimonio Creaturarum, ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit.

Cenſura Cleri Gallic. eadem, quæ præcedentis.

Ra-



Ratio cenſuræ hæc eſt, quod *per cognitionem naturalem homo non convertitur in Deum, in quantum eſt juſtificationis cauſſa, unde talis cognitio non ſufficit ad juſtificationem.* Verba ſunt Doct. Angelici 1. 2. quæſt. 113. art. 4. num. 2. Et vero, inter principium juſtificationis, & juſtificationem ipſam aliqua intercedere debet proportio; ergo cum juſtificatio ſit ſupernaturalis, neceſſe eſt, ut & ſupernaturalis ſit fides, cui illa innititur. Hinc Tridentinum ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis*, inquit, *dixerit ſine Spiritus Sancti adjutorio hominem credere … poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

24. Vocare Deum in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

Repugnat D. Thomæ 2. 2. quæſt. 98. art. 3. ad 2. *Ille*, inquit, *qui jocoſe* (ac proinde in qualibet alia re levi) *perjurat, non evitat Divinam irreverentiam, ſed quantum ad aliquid magis auget, & ideo non excuſatur a peccato mortali.* Conſuetudo autem jurantes tunc demum excuſabit, ait Steyartius ubi ſup. pag. 23. cum de illa tollenda ſerio laborabunt.

25. Cum cauſſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio eſt temeraria, ſcandaloſa, pernicioſa, bonæ fidei illudens, & Decalogo contraria.*

Repugnat D. Thomæ 2. 2. qu. 110. art. 3. *Cum voces*, inquit, *ſint naturaliter ſigna intellectuum, innaturale eſt, & indebitum, quod aliquis voce ſignificet id, quod non habet in mente*: porro, qui jurat ſine animo jurandi, exterius ſimulat id, quod reipſa, & intus non facit; ergo vere mentitur, & peccat. Vide dicta *de Juramento*.

26. Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſſa, ſive quocumque alio fine juret ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio temeraria eſt, ſcandaloſa, pernicioſa, illuſoria, erronea, mendaciis, fraudibus, & perjuriis viam aperit, ſacris Scripturis adverſatur.*

27. Cauſſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

Cenſura Gallic. Cleri eadem, quæ præcedentis.

Utraque repugnat his D. Thom. verbis 2. 2. quæſt. 89. art. 7. ad 4. *Debet juramentum ſervari ſecundum intellectum ejus, cui juramentum præſtatur; Unde Iſidorus dicit: Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conſcientiæ Judex eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit.* Dupliciter autem reus fit, quia, *& Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.*

Nec nocet, quod aliquando grave proximi malum per amphibologias, & non aliter averti poſſit; nam, ut bene S. Thomas ibidem quæſt. 110. artic. 4. *Non licet aliqua inordinatione uti ad impediendum nocumenta, & defectus aliorum.* Quis æquivocationes nihil habere inordinati contendere auſit? Vide, quæ contra amphibologias, & mendacia dicta ſunt tract. *de Virt. Moral.* cap. IV. quæſt. 11.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, pernicioſa, patrocinatur humanæ ambitioni; perjuria excuſat, publicæ poteſtati contra Dei mandatum adverſatur.*

Nec obſtat, quod ſi non jures, crimen occultum fatearis, quia imputare tibi debes, quod te eas in anguſtias conjeceris. Adde, quod lex non intendit, ut occultum tui crimen reveles, ſed ut ab officio, quod male ambiiſti, & quod in Reipublicæ detrimentum exerceſcis, te retrahas. Unde tunc non imponitur præceptum juſto rigidius, ſed rationabile, & quod ad bonum publicum valde conducit.

Confirm. quia quando Superior promovendos ad Ordines interrogat de natalibus, de cenſuris, de irregularitatibus, aut eos qui matrimonium contrahere volunt, de impedimentis; etſi nulla tunc præceſſerit infamia, aut ſemiprobatio, datur tamen obligatio candide reſpondendi, adeoque occultum dedecus manifeſtandi, niſi tamen velint, ii a matrimonio, illi ab Ordinibus abſtinere; ergo a pari in caſu propoſito.

29. Urgens metus gravis eſt cauſſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

Audiatur S. Thomas, qui peſtilentem hanc doctrinam aperte damnat 2. 2. q. 93. art. 1. *Mendacium*, ait ex Auguſtino, *maxime pernicioſum eſt, quod fit in his quæ ad Chriſtianam Religionem* (ac proinde, quæ ad Sacramenta, potiſſimam Chriſtianæ Religionis partem) *pertinent. Eſt autem mendacium, cum aliquis exterius ſignificat contrarium veritati. Sicut autem ſignificatur aliquid verbo, ita etiam ſignificatur aliquid facto; & ideo ſi per cultum exteriorem aliquid falſum ſignificatur*, ut revera ſignificatur, cum ſimulatur adminiſtratio Sacramentorum, puta cum metu mortis datur indigno hoſtia non conſecrata, *erit cultus pernicioſus*. Hinc olim condemnati *Libellatici*, qui nummata pecunia a Magiſtratibus Ethnicis obtinebant libellos ſidem facientes, ipſos Cæſarum edictis de cultu Idolorum, quæ tamen non adoraverant, obſecutos fuiſſe. Hinc recentius damnati illi, qui ieccationem ad Deum, aut crucem in ſinu geſtatam dirigentes, thus coram idolo adolebant. Probanda tamen, ait Steyaert, praxis Confeſſariorum, qui pœnitenti, quem non abſolvunt, dant benedictionem, ne apud alios ſuſpicionem incurrat.

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, erronea, mundano honori inſervit, ultionem, & homicidia excuſat.*

Permittit quidem D. Thomas, ut is, cui mors intentatur, vim vi repellat. Verum calumnia non eſt proprie vis, ut ſaniores quotquot ſunt Theologi advertunt, aliaque, quam percuſſionis, via repelli poteſt, implorato ſcilicet Magiſtratus auxilio, quod ſi non juvet, dicendum cum propheta Rege: *propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras*. Et vero, quis niſi mundano ſpiritu refertus exiſtimet verum, ſolidumque honorem tam fragilem eſſe, ut a quocumque nebulone colaphum, aut fuſtem per injuriam indigente, viro honorato injuriam hanc pro Chriſto patienter ſuſtinenti, auferri poſſit? Vide dicta ad Tract. *de Juſtitia & Jure* cap. 12. qu. 2.

31. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio legi Dei, & ordini caritatis divinitus inſtituto contraria eſt, pernicioſa, & erronea.*

32. Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33. Licitum eſt hæredi, quam legatario contra injuſte impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſed taliter defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſte impedientem.

Cenſura Cleri Gallic. eadem quæ xxxi. præcedentis.

Horret animus eas audire propoſitiones, quæ ipſis etiam Clericis tribuunt feralem licentiam ferro, veneno, aut alio mortis genere graſſandi in eos, qui ſibi quoad beneficiorum poſſeſſionem adverſantur. Bene hic Steyaert: *De viris ſanguinum ſalva me* Domine.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, erronea, infandis homicidiis, & parricidiis procurandis apta.* Homicidii enim feſtinatio eſt prohibere naſci, nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet.

35. Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem

habe-

habere, cum paritas; ac conſequenter dicendum erit, in nullo aborsu homicidium committi.

Cenſura Cleri Gallic. eadem, quæ præcedentes.

Jungatur hæc propoſitio cum ſuperiori, & manifeſtum erit fœtum quamdiu eſt in utero matris occidi poſſe a puella, mortem, vel infamiam, quæ ſemper imminet, pertimeſcente. O extremum abſurditatis! De his quinque propoſitionibus conſule, quæ dicta ſunt in Tract. *de Juſt. & Jure* cap. citato quæſt. V.

36. Permiſſum eſt furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio, quatenus furtum permittit in gravi neceſſitate, falſa eſt, temeraria, & Reipublicæ pernicioſa.*

Vide, quæ dixi in Tract. *de Juſtitia*: Interim compara hanc doctrinam cum doctrina ſuperiori de occidendo fure, & omnia furibus plena habebis. Furabuntur pauperes propter neceſſitatem, quæ ſæpe eſt, & ſæpe judicatur gravis; occident divites ob boni ſui dilapidationem, ſaltem quoties certum ſibi unum ſubripi videbunt, aut ſubripiendum pertimeſcent. Inde quæ & quanta malorum ſtrues!

37. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio falſa eſt, furtis viam aperit, & Famulorum fidem labefactat.*

Peccat hæc propoſitio, quatenus quemlibet famulum in propria cauſſa judicem conſtituit. Quod ſi ſemel admittatur, nulla erit in familiis pax, nullus ordo, nulla ſecuritas. Vide quæ dicta ſunt in Tract. *de Juſt. & Jur.* cap. 5. quæſt. xx.

38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

Cenſura Cleri Gall. *Hæc propoſitio eſt falſa, pernicioſa, & furta etiam gravia approbat.*

Repugnat rationi; qui enim grandem per modica furta ſummam deprædatus eſt, jam incipit eſſe detentor rei alienæ in magna quantitate, ac proinde peccati mortalis reus, ni ſummam hanc partem reſtituat. Vide Auct. cap. citato.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, fraudibus, & dolo patrocinatur, & juſtitiæ regulis repugnat.*

Repugnat D. Th. 2. 2. q. 62. art. 7. Ubi *ad reſtitutionem* obligatur *quicumque eſt cauſſa injuſtæ acceptionis, id quidem, ait S. Doct. contingit . . . movendo ad ipſam acceptionem, quod fit præcipiendo, conſulendo &c.* Vide, quæ dicta in Tract. *de Juſtitia & Jure* par. II. c. IV. q. 1. & ſeq.

40. Contractus Mohatra licitus eſt etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retro venditionis prævie inito, cum intentione lucri.

Cenſura Cleri Gall. eadem quæ XII. Alexandri VII. Vide Tract. noſtrum *de Contractibus* cap. 5. q. XVIII. ubi ex profeſſo probatum eſt, contractum *Mohatra* uſuram eſſe, & omnino injuſtum.

41. Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

Cenſura Cleri Gallic. eadem, quæ XLII. Alexandri VII. Vide eumdem Tract. cap. III. qu. VIII. Reſp. 2.

42. Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur, tamquam ex juſtitia debitum.

Cenſura Cleri Gallic. eadem, quæ XLI. Alexandri VII. Cenſuræ hujus æquitas patebit ex eod. Tract. eademque q. & Reſp.

43. Eſtne non niſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?

Longe aliter S. Th. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 4. *Non eſt licitum mendacium officioſum dicere, ad hoc quod aliquis alium a quocumque periculo liberet*, etiam mortis; ut ex contextu evidens eſt. Si mendacium hujuſmodi a peccato veniali non vacat, quomodo a mortali vacabit falſi criminis exprobatio. Vide dicta ſuperius, & tr. *de Virt. Moralibus* c. IV. q. 1. & ſeq.

44. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

Cenſura Cleri Gallic. *Hujus propoſitionis doctrina falſa eſt, temeraria, ſcandaloſa, erronea, ſpatioſam calumniatoribus, & impoſtoribus portam aperit; & clare detegit, quam nefaria placita probabilitatis nomine inducantur.*

Adde, quod illud Dei præceptum: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*, ſic ſemper intellectum fuerit, ut graviter in materia gravi obligaret. Porro gravis eſt materia quælibet accuſatio de crimine, quod quis reipſa non perpetravit.

45. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat, tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut e contra.

Cenſura Cleri Gallicani, eadem quæ XXII. Alexandri VII.

46. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; immo etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.

Cenſura Cleri Gallic. eadem, quæ ejuſdem propoſitionis XXII. Alexandri VII. Hæc opinionum portenta in Tract. *de Simonia* confutata reperies.

47. Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc *digniores*, non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo: vel ſecundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concurſus.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio Concilio Tridentino contraria eſt; Eccleſiæ utilitati, ac ſaluti animarum, quæ a paſtorum delectu præcipue pendet, adverſatur.*

Hujus propoſitionis errorem nervoſe, & breviter præfocavit S. Th. his verbis 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3. *Neceſſe eſt eligere ad Beneficia meliorem, vel ſimpliciter, vel in ordine ad bonum commune.* Vide quæ dicta ſunt, ubi de Beneficiis.

48. Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur.

Cenſura Cleri Gallic. *Doctrina hac propoſitione contenta ſcandaloſa eſt, pernicioſa, caſtarum, ac piarum aurium offenſiva, & erronea.*

Cenſuræ veritas, & æquitas ex ſe patet: *Fornicatio* ait S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2. *eſt contra naturam prolis educandæ*, & ideo eſt *peccatum mortale*; ac proinde non ideo ſolum vitioſa, quia prohibita. Certe ſi fornicatio nonniſi a Dei poſitiva lege habeat, quod peccatum ſit gentiles, qui, legem hanc neſcierant, inculpabiliter fornicati fuere, quod repugnat Apoſtolo 1. Cor. 6. & Epheſ. 5. ubi fornicatio inter vitia per ſe mala, & quæ per Chriſti gratiam abluenda ſunt, numeratur. Sed de his prolixius in Tract. *de Peccatis* art. IV. quæſt. II. dictum eſt.

49. Mollities jure naturæ prohibita non eſt: Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

Repugnat D. Th. q. 15. *de Malo* art. 1. Repugnat Apoſtolo mollitiem recenſenti inter ea peccata, quæ Ethnicos ſolam naturæ legum agnoſcentes in perpetuum damnare potuerunt. Repugnat vel ipſis paganis, quos inter Martialis vir alioqui leviſſimus. Vide citatum caput.

50. Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; ideo ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

Cenſura Cleri Gallicani eadem, quæ XLVIII. Innocentii XI.

Repugnat Apoſtolo generatim, & indiſtincte pronunncianti, Rom. VII. *Quid mulier, vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Repugnat & Auguſt. quem tamen in fœditatis ſuæ patrocinium adducere conati ſunt pſeudo-Caſuiſtæ. *Non eſt ita exiſtimandum*, ait lib. 1. de Serm. Dom. c. 17. *quod hoc femina, viro permittente, facere poſſe videatur; hoc enim omnium ſenſus excludit.* Vide dicta ad idem caput.



51. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, pernicioſa, verbis Dominicis, & Apoſtolicis aperte contraria, & hæretica; quam enim dabit homo commutationem pro anima ſua? & digni ſunt morte non ſolum, qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Cenſura hæc ſuam ſecum defert probationem. Appoſite S. Th. 1. 2. q. 62. art. 7. ad 1. *Non ſolum peccat ille qui peccatum exequitur, ſed etiam, qui quocumque modo peccati cauſſa eſt, vel cooperatur.* Vide quæ dicta ſunt ubi *de Scandalo*.

Nota cum Steyartio tenebroſam erroneæ Caſuiſtarum Theologiæ profunditatem. Cum audis *notabile detrimentum*, magni aliquid concipis. Cum veneris ad rem ipſam, nihil detegis. Poteſt juxta eos occidi homo? utique pro re gravi: ſed quænam ea eſt? *regulariter aureus unus* vel ad ſummum paullo plures, ſed quibus nec vitam bovis in macello emas. Poteſt & occidi, qui alterius honorem invadit; ſed invadere cenſetur, qui dat alapam, ictumve fuſtis, aut dicit *mentiris*. Poteſt famulus Magiſtri libidibus cooperari, ſi id faciat *metu notabilis detrimenti*. Cujuſnam vero? an mortis? Non ita ſane, ſed ne torvis oculis aſpiciatur.

52. Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, & ſi abſit contemptus.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, ad violandas leges tum civiles, tum Eccleſiaſticas, & Apoſtolicas viam aperit, ac proinde Superiorum auctoritate prohibenda.*

Vide, quæ dicta ſunt in Tract. *de Legibus*, ubi abunde probatum eſt id quod docet S. Thom. 1. 2. q. 96. art. 4. *Leges* etiam civiles, & a fortiori Eccleſiaſticas *habere vim obligandi in foro conſcientiæ*, & quidem graviter in materia gravi, & ſecluſo quocumque contemptu.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor ſimul, a diverſis Celebrantibus audit.

Cenſura Cleri Gallicani: *Hæc propoſitio abſurda eſt, ſcandaloſa, illuſoria, communique Chriſtianorum ſenſui repugnat.*

Ratio eſt, quia plures diverſorum Sacrorum partes non magis Sacrum unum efficiunt, quam caput Joannis, pectus Petri, & pedes Pauli ſimul ſunt unus homo. Sane ſi quatuor diverſarum partes audiens, Miſſam integram audire cenſetur, qui decem aut viginti partes ſimul audierit, eam audiſſe, quid ni cenſeatur? O miſeros parentes noſtros, qui hæc compendia neſcierunt? Ex propoſitionis hujus cenſura obiter colliges cum Steyartio, eum qui Miſſam audit a Conſecratione uſque ad finem, non ſatisfacere præcepto, ſi aliam poſthac audit a principio ad conſecrationem.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.

Cenſura Cleri Gallicani eadem quæ XX. Alexandri VII.

Idem prorſus, ac ſi dixeris, qui centum debes, & nonniſi decem ſolvere potes, non teneris ad decem. Nec ridiculum minus eſt fundamentum aſſertionis, quam aſſertio ipſa; ex ea tamen inferebant recentiores Caſuiſtæ, eum, qui totum, vel jejunii, vel Miſſæ audiendæ præceptum implere nequit, ne ad eam quidem partem teneri, quam poteſt: quod ſi in reſtitutione ſibi facienda non admiſiſſent, cur in rebus Deo debitis tam facile admiſerunt? Vide dicta, ubi *de D. Officii recitatione*.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

Cenſura Cleri Gallic. *Doctrina hac propoſitione contenta temeraria eſt, ſcandaloſa, erronea, impietati, & ſacrilegiis favet, & præceptis Eccleſiæ illudit.*

Repugnat Concilio Lateranenſi, ſecundum quod: *Omnis utriuſque ſexus debet reverenter ad minus in paſcha Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere. Si reverenter*, ergo non ſacrilege, ſed cum debita animi præparatione. Fundamentum impiæ hujus aſſertionis hoc erat, & quod modus præcepti ſub præceptum non cadat, & quod Eccleſia actus interiores præcipere nequeat. Fallit utrumque: Tum quia præceptum Eccleſiæ ſic impleri debet, ut nihil fiat contra finem actus præcepti, qui in communione eſt unio cordis cum Chriſto. Tum quia Eccleſia cum Communionem, aliaque ejuſdem generis multa præcipit, non tam præceptum condit novum, quam determinet Divinum. Tum denique quia non inepte probatur actus interiores ab Eccleſia præcipi poſſe. Vide quæ dixi in Tract. *de Legibus*.

56. Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio, temeraria, ſcandaloſa, erronea, impia, & ſacris literis contraria.*

Audiatur vel ipſa ratio, & rationi conſonans S. Th. 3. part. q. 80. art. 4. ad 5. *Apoſtolus dicit 1. ad Cor. 11. Qui manducat, & bibit indigne; judicium ſibi manducat, & bibit, ideſt condemnationem. Dicit autem Gloſſa ibidem, quod indigne manducat, & bibit, qui in crimine eſt*, ergo qui in peccato mortali, ſi hoc Sacramentum accipiat, damnationem acquirit: atqui eſt in crimine & peccato, qui *gentiliter* vivit, ſeu qui inſtar Ethnici, Dei & Eccleſiæ leges neſcit: ſuiſque criminibus habenas laxat; ergo frequens ejus Communio, nedum nota eſt prædeſtinationis, ſed e contrario reprobationis, & quidam æternæ damnationis prodromus.

57. Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio eſt hæretica.*

Repugnat Conc. Trid. ſic definienti: *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Vide ſuperius dicta ad prop. XXIII. Innocentii XI.

58. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.

Cenſura Cleri Gallic. *Doctrina hac propoſitione contenta falſa eſt, temeraria, in errorem inducit, ſacrilegiis favet, Chriſtianæ ſimplicitati, Miniſtrorum Chriſti judiciariæ poteſtati Confeſſionis integritati, atque ipſius Sacramenti inſtitutioni, ac fini derogat.*

Repugnat vel ipſi rationi, quæ aperte declarat medico ſpirituali, non ſecus ac corporali jus eſſe, ut interrogando cognoſcat, an inveteratum ſit necne malum, quod ſibi curandum proponitur. Solide S. Thomas in ſupplem. qu. 9. art. 2. ad 1. *Unum peccatum per ſe conſideratum non ita demonſtrat malam diſpoſitionem peccantis, . . . quia in unum peccatum aliquis quandoque labitur, ex ignorantia, vel infirmitate: ſed multitudo peccatorum, ſeu eorum conſuetudo, quod in idem recidit in præſenti demonſtrat malitiam peccantis, vel magnam corruptionem ejuſdem.* Quis porro dixerit indifferens eſſe Confeſſioni, an pœnitens ex infirmitate, an ex magna & inveterata corruptione peccaverit?

59. Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſum, ratione magni concurſus Pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut Indulgentiæ.

Cenſura Cleri Gallic. eadem quæ præcedentis.

Repugnat D. Thomæ, ubi ſupra, ſic ille: *De neceſſitate confeſſionis eſt, quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet; quod ſi non faciat, tunc eſt Confeſſionis ſimulata.* Sed qui dimidiate tantum confitetur, non omnia, quæ in memoria habet, peccata deponit: ergo non vere, ſed ſimulate, & ideo invalide, confitetur. Nec obeſt magnus pœnitentium concurſus: nemo enim ante Recentiores etiam ſomniando cogitavit cauſſam hanc ſufficere, ut quis a Confeſſione quantum fieri poterit perfecta, & integra excuſetur. Jungatur hæc propoſitio cum undecima ex iis, quæ ab Alexandro VII. proſcriptæ ſunt, & apparebit Caſuiſtas inveniſſe artem, vi cujus, qui flagitioſiſſima quæque commiſerat, liber erat ab iis confitendis.

60. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dum-

dummodo ore profeſſus fuerit, ſe dolere, & proponere emendationem.

Cenſura Cleri Gallic. *Hæc propoſitio eſt erronea, & ad finalem impœnitentiam ducit.*

Repugnat naturæ pœnitentiæ, quæ vetat ne Confeſſarius quemquam abſolvat, niſi prudenter judicet eum vere de peccatis dolere, & ſerio diſpoſitum eſſe ad *emendam*, ut loquitur S. Thomas. *Quis autem id de eo judicet, in quo nullam emendationis ſpem deprehendit?* Vide, quæ dicta ſunt de peccati Occaſionibus, & ubi de Obligationibus Confeſſariorum.

61. Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere: quinimmo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

Cenſura Cleri Gall. eadem quæ xli. Alexandri VII. idem & motivum cenſuræ.

62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

Cenſura Cleri Gallic. eadem quæ xli. Alexandri VII.

63. Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

Cenſura Cleri Gallicani: eadem quæ xli. Alexandri VII. Circa hæc recurre ad ea, quæ ab Auctore dicta ſunt *de Occaſione proxima.*

64. Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. C.

Cenſura Cleri Gallicani eadem quæ xxi. Innocentii XI.

Dicitur Hebr. 10. ait S. Th. 2. 2. q. 2. art. 3. *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo.* Atqui inter myſteria quorum Fides ad placendum Deo eſt neceſſaria, prima tenet myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis, ex eodem S. Doctore ibid. art. 7. & unanimi Theologorum ſuffragio. Vide quæ dicta ſunt agendo *de Fide.*

65. Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe.

Virulentum hoc dogma ex æquo confutavimus in loco mox allegato. Ecquis in animum ſibi inducat, fidem deſidem, otioſam, quæque ita non erumpit in actum, ut quaſi in animo obliteretur, ad juſtificationem ſufficere? Hinc colliges non modo beneficio abſolutionis privandum eſſe pœnitentem, qui Religionis myſteria primaria ignorat, ſed etiam, an ignoret, ex profeſſo eſſe interrogandum, ſi probabilem hujus ignorantiæ ſuſpicionem, ſive ex modo confitendi, ſeu aliter præbeat. Quia cavendum Confeſſario, ne indignum abſolvat.

*Quicumque autem cujuſvis conditionis, ſtatus, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputative, publice, aut privatim tractaverit vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.*

*Inſuper diſtricte in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.*

*Tandem, ut ab injurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alii quicumque in poſterum ſe abſtineant, & ut paci & caritati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute ſanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quam in Theſibus, Diſputationibus, ac Prædicationibus, caveant ab omni cenſura, & nota, nec non a quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognita ſint, & ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur.*

## CAPUT XXI.

*Propoſitiones duæ de omnipotentia donata, & ſubjecta creaturæ, quæ die 23. Novembris ann. 1679. ab Innocentio XI. damnatæ ſunt ut temerariæ ad minimum, & novæ.*

1. DEus donat nobis omnipotentiam ſuam, ut ea utamur, ſicut aliquis donat alteri villam, aut librum.

2. Deus ſubjicit nobis ſuam Omnipotentiam.

Si quibus probari poſſit prædictæ duæ theſes, iis utile, qui concurſum indifferentem in primo actu admittunt; & hi tamen fatentur iiſdem theſibus jure merito præfixum fuiſſe nigrum theta a Pontifice Romano. Scilicet enim concurſus Dei, qualiſcumque fingatur, non eſt concurſus ſubjectionis, ſed dignitatis, ac dominii cum ſit concurſus Dei pleniſſime dominii voluntatis creatæ, & actuum liberorum. Et vero ſi Omnipotentia voluntati creatæ ſubdita foret, non poſſet eſſe eadem creata libertas in manu Omnipotentiæ Divinæ, ſicut non poteſt in manu Subditorum eſſe voluntas Principis: porro luce meridiana clarius eſt libertatem creatam eſſe in manu Omnipotentiæ juxta id Prov. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*: & Hierem. 18. *Sicut lutum in manu figuli, ita & vos.* Sed de his, quæ incauto exciderunt mihi, & nihil ad moralem ſpectant, adi Dominicum Viva pag. 531.

## CAPUT XXII.

*Propoſitiones duæ de Confeſſione diverſis temporibus proſcriptæ.*

1. SCientia ex confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multo majus ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.

Addita deinde explicatione, ſive limitatione, quod (propoſitio) ſit intelligenda de uſu ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ cum gravamine pœnitentis, ſecluſa quacumque revelatione, atque in caſu, quo multo majus gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſo ſequeretur (Conſultores Romani die 18. Nov. 1682. dictam propoſitionem quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis, omnino prohibendam eſſe, etiam cum dicta explicatione, vel limitatione . . . mandantes etiam univerſis Sacramenti Pœnitentiæ miniſtris, ut ab ea in praxim deducenda prorſus abſtineant. Vide quæ *de Sigillo Confeſſionis* ab Auctore explicantur.

2. Licet per literas ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſenti abſolutionem obtinere.

Hæc propoſitio die 20. Jun. ann. 1602. damnata eſt a Clemente VIII. Bulla 27. *ad minus uti falſa, temeraria, & ſcandaloſa.* Vetatque idem Papa ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & ſibi reſervatæ, *ne deinceps iſta propoſitio publicis, privatiſque lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceatur, neve unquam tamquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.*

Circa utramque hanc theſim plura proponi poſſunt ſcitu digniſſima, ut legere eſt apud Vivam. Sed quia hæc fuſe tractata ſunt, ubi *de Pœnitentia*, ea omittimus in præſenti.

## CAPUT XVIII.

*Propoſitio unica ab Innocentio X. damnata anno 1647. in Congregatione Generali Suprema, & Univerſalis Inquiſitionis.*

1. SAnctus Petrus & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, unicum efficiunt, vel ſunt duo Eccleſiæ Catholicæ Coriphæi ac ſupremi Duces, ſumma inter ſe unitate conjuncti, vel ſunt geminus univerſalis Eccleſiæ vertex, qui in unum diviniſſime coaluerunt, vel ſunt duo Eccleſiæ Summi Paſtores ac Præſides, qui unicum caput conſtituunt,

Damna-



Damnatur hæc propoſitio, ut hæretica, ſi illa explicetur, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum ſine ſubordinatione S. Pauli ad S. Petrum in poteſtate ſuprema & regimine univerſalis Eccleſiæ.

*Nota.* Hæc propoſitio Scripturæ, & univerſæ Patrum traditionis adverſatur, ex quibus diſcimus Eccleſiam ſupra Petrum fundatam, atque hunc Principem, ac Caput a Chriſto fuiſſe conſtitutum; Paulum vero extraordinaria Apoſtolatus, & Epiſcopatus poteſtate, Petro æqualem fuiſſe; ſed Petrum præterea Caput, Principem, ac ordinarium totius Eccleſiæ Paſtorem fuiſſe, cui & Paulus, & Apoſtoli reliqui ſubjiciebantur.

## CAPUT XXIV.

*Propoſitiones duæ ab Alexandro VIII. damnatæ 24. Auguſti 1690.*

1. BOnitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actuum cum regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in ſuum finem ultimum interpretative, hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis.

Cenſura Summi Pontificis, & Cleri Gall. *Hæc propoſitio eſt hæretica.* Talem vero eſſe patebit ex iis, quæ dicta ſunt agendo de præcepto Caritatis. Primam hujus partem clare perimunt hæc S. Thomæ verba 1. 2. q. 89. art. 2. ad 5. *Cum homo uſum rationis habere inceperit... hoc eſt tempus pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo ad ejuſdem amorem.*

Vide etiam quæ dicta ſunt in Tract. *de Virtutibus Theol.* c. 11. q. 1. & q. 3.

2. Peccatum philoſophicum, ſeu morale, eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero & mortale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non offenſa Dei, neque peccatum mortale, diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Cenſura Summi Pontificis, & Cleri Gall. *Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, temeraria, piarum aurium offenſiva, & erronea.*

Breviter, ſed nervoſe S. Th. 1. 2. q. 71. ar. 2. ad 4. *ejuſdem eſt rationis, quod peccatum ſit contra ordinem rationis humanæ, & quod ſit contra legem æternam*: ergo dari nequit peccatum, quod rationi adverſetur, ideſt philoſophicum, quin eo ipſo legi æternæ diſſentiat, & quin conſequenter ſit Theologicum. Vide quæ eam in rem ſcripta ſunt in tract. *de Peccatis*, qu. 2.

Hactenus laxiorem doctrinam præeunte Sede Apoſtolica infectati ſumus; rigidiorem nunc, & quæ in oppoſitum ſcopulum impingit, eadem præeuntes Sede Apoſtolica impugnabimus; ſic tamen ut nullam affingamus notam iis propoſitionibus, quæ ad dogma, non autem ad praxim pertinent; & circa quas utiliter conſuletur tractatus *de Gratia.*

## CAPUT XXV.

*Conſtitutio Innocentii XI. proſcribentis octo, & ſexaginta Theſes, quæ prætextu Orationis quietis a Michaele de Molinos docebantur.*

### INNOCENTIUS EPISCOPUS

### SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

*CÆleſtis Paſtor Chriſtus Dominus, ut jacentem in tenebris mundum, variiſque gentium erroribus involutum a poteſtate diaboli, ſub qua miſere poſt lapſum primi parentis tenebatur, ſua ineffabili miſeratione liberaret, carnem ſumere, & in ligno Crucis chirographo redemptionis noſtræ affixo, in teſtimonium ſuæ in nos caritatis ſeſe hoſtiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus eſt, mox rediturus in Cœlum, Eccleſiam Catholicam ſponſam ſuam tamquam novam Civitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de Cœlo, non habentem rugam, neque maculam, unam ſanctamque in terris relinquens, armis potentiæ ſuæ contra portas Inferi circumvallatam, Petro Apoſtolorum Principi, & Succeſſoribus ejus regendam tradidit, ut doctrinam ab ipſius ore hauſtam, ſartam tectamque cuſtodirent, ne oves pretioſo ſuo ſanguine redemptæ pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod præcipue Beato Petro mandaſſe ſacræ literæ docent: Cui enim Apoſtolorum, niſi Petro dixit:* Paſce oves meas; *& rurſus:* Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. *Quare Nobis, qui non noſtris meritis, ſed inſcrutabili Dei Omnipotentis conſilio in ejuſdem Petri Cathedra pari poteſtate ſedemus, ſemper fixum in animo fuit, ut populus Chriſtianus eam ſectaretur fidem, quæ a Chriſto Domino per Apoſtolos ſuos perpetua, & nunquam interrupta traditione prædicata fuit, quamque uſque ad ſæculi conſummationem permanſuram eſſe promiſit.*

*Cum igitur ad Apoſtolatum noſtrum relatum fuiſſet, quemdam Michaelem de Molinos prava dogmata tum verbo tum ſcripto docuiſſe, & in praxim deduxiſſe, quæ prætextu Orationis quietis contra doctrinam, & uſum a ſanctis Patribus ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis receptum, Fideles a vera Religione, & a Chriſtianæ pietatis puritate in maximos errores, & turpiſſima quæque inducebant: Nos quibus cordi ſemper fuit, ut fidelium animæ nobis ex alto commiſſæ, purgatis pravarum opinionum erroribus ad optatum ſalutis portum tuto pervenire poſſint, legitimis præcedentibus indiciis, prælictum Michaelem de Molinos carceribus mancipari mandavimus, deinde coram Nobis, & Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Inquiſitoribus Apoſtolica auctoritate ſpecialiter deputatis, auditis pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, eorumque ſuffragiis tum voce tum ſcripto ſuſceptis, maturæque perpenſis, implorata etiam Sancti Spiritus aſſiſtentia cum Prædictorum Fratrum noſtrorum unanimi voto ad damnationem infraſcriptarum Propoſitionum ejuſdem Michaelis de Molinos, a quo fuerunt pro ſuis recognitæ, & de quibus Propoſitionibus tamquam a ſe dictatis, ſcriptis, communicatis, & creditis ipſe convictus & reſpective confeſſus fuerat, ut latius in proceſſu, & decreto de mandato noſtro lato die 24. Auguſti præſentis ann. 1687. devenire ut infra decrevimus.*

### PROPOSITIONES.

OPortet hominem ſuas potentias annichilare. Et hæc eſt via interna.

2. Velle operari active, eſt Deum offendere, qui vult eſſe ipſe ſolus Agens, & ideo opus eſt ſe ipſum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & poſtea permanere, velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo ſunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis eſt gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis ſine nobis.

5. Nihil operando anima ſe annihilat, & ad ipſum principium redit, & ad ſuam originem, quæ eſt eſſentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, & Deus tunc in ſeipſo remanet; quia tunc non ſunt amplius duæ res unitæ, ſed una tantum, & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & anima ſeipſam annihilat in eſſe operativo.

6. Via interna eſt illa, qua non cognoſcitur nec lumen, nec amor, nec reſignatio, & non oportet Deum cognoſcere, & hoc modo recte proceditur.

7. Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiſo, nec de Inferno, nec de morte, nec de æternitate.

8. Non debet velle ſcire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate reſignata maneat, nec ne; nec opus eſt ut velit cognoſcere ſuum ſtatum, nec proprium nihil, ſed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminiſci nec ſui, nec Dei, nec cujuſcumque rei, & in via interna omnis reflexio eſt nociva, etiam reflexio ad ſuas humanas actiones, & ad proprios defectus.

20. Si proprii defectus alios ſcandalizent, non eſt neceſſarium reflectere, dummodo non adſit voluntas ſcandalizandi; & ad proprios defectus non poſſe reflectere, gratia Dei eſt.

21. Ad dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur necne, non opus eſt reflectere.

22. Qui ſuum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiſo, nec debet deſiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, cujus ſpem expurgare debet.

23. Reſignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda eſt cogitatio, & cura de omni re noſtra; & relinquere, ut faciat in nobis ſine nobis ſuam divinam voluntatem.

24. Qui divinæ voluntati reſignatus eſt, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere eſt imperfectio cum ſit actus propriæ voluntatis & electionis; & eſt velle, quod divina voluntas noſtræ conformetur, & non quod noſtra divinæ. Et illud Evangelii, *petite, & accipietis*, non eſt dictum a Chriſto pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Immo hujuſmodi animæ eo perveniunt, ut non poſſint a Deo rem aliquam petere.

25. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque eſt actus propriæ voluntatis.

26. Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita; quia melius eſt divinæ Juſtitiæ ſatiſfacere, quam divinam Miſericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & illud ab amore noſtri intereſſato, nec eſt res Deo grata, nec meritoria, quia eſt velle crucem fugere.

27. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cogitatione animæ noſtræ, non eſt amplius habenda ratio tentationum; nec eis alia reſiſtentia fieri debet, niſi negative, nulla adhibita induſtria; & ſi natura commovetur, oportet ſinere, ut commoveatur, quia eſt natura.

28. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, ſpeciebus, & propriis conceptionibus, non adorat Deum in ſpiritu & veritate.

29. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

30. Aſſerere, quod in oratione opus eſt ſibi per diſcurſum auxilium ferre, & per cogitationes, per quas Deus animam non alloquitur, ignorantia eſt. Deus nunquam loquitur, ejus locutio eſt operatio; & ſemper in anima operatur, quando hæc ſuis diſcurſibus, cogitationibus, & rationibus eum non impedit.

31. In ratione opus eſt manere in fide obſcura, & univerſali, cum quiete & oblivione cujuſque cogitationis particularis, ac diſtinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis, & ſic in Dei præſentia manere ad illum adorandum & amandum, eique inſerviendum, ſed abſque productione actuum, quia in his Deus ſibi non complacet.

32. Cognitio hæc per fidem non eſt actus a creatura productus, ſed eſt cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura ſe habere non cognoſcit, ſed poſtea cognoſcit illam ſe habuiſſe; & idem dicitur de amore.

33. Myſtici cum Sancto Bernardo in Scala Clauſtralium, diſtinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infuſam. Qui ſemper in primo ſiſtit, nunquam ad ſecundum pertranſit. Qui ſemper in ſecundo perſiſtit, nunquam ad tertium pervenit, qui eſt noſtra contemplatio acquiſita, in qua per totam vitam perſiſtendum eſt, dummodo Deus animam non trahat, abſque eo quod ipſa id expectet, ad contemplationem infuſam, & hac ceſſante, anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipſo permanere abſque eo quod amplius redeat ad ſecundum, aut primum.

34. Qualeſcumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, ſi voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur; ſed cum indifferentia, & reſignatione tolerentur, non impediunt orationem Fidei: immo eam perfectionem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati reſignata remanet.

35. Etiamſi ſuperveniat ſomnus, & dormiatur, nihilominus ſit Oratio & contemplatio actualis, quia oratio, & reſignatio, idem ſunt, & dum reſignatio perdurat, perdurat & oratio.

36. Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, ſunt abſurdum maximum, quod dictum fuerit in myſtica. Cum non ſit niſi unica via, ſcilicet via interna.

37. Qui deſiderat, & amplectitur devotionem ſenſibilem, non deſiderat, nec quærit Deum; ſed ipſum, & male agit, cum eam deſiderat, & eam habere conatur, quia per viam internam incedit, tum in locis ſacris, quam in diebus ſolemnibus.

38. Tædium rerum ſpiritualium bonum eſt; ſiquidem per illud purgatur amor proprius.

39. Dum anima interna faſtidit diſcurſus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in ſe ipſa ſentiens fervorem, bonum ſignum eſt.

40. Totum ſenſibile, quod experimur in vita ſpirituali, eſt abominabile, ſpurcum, & immundum.

41. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a ſenſibus cognoſci. Opus eſt amittere virtutes.

42. Nec ante, nec poſt Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro iſtis animabus internis) quam permanentia in ſolita reſignatione paſſiva, quia modo perfectiore ſupplet omnes actus virtutum, qui fiunt, & fiunt in via ordinaria. Et ſi hac occaſione Communionis inſurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi ſunt, quoties non dignoſcatur, eos eſſe ex impulſu ſpeciali Dei; alias ſunt impulſus naturæ nondum mortuæ.

43. Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, ſi in diebus ſollemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in ſe devotum aliquem ſenſum; quoniam animæ internæ omnes dies ſunt æquales omnes feſtivi. Et idem dicitur de locis ſacris, quia hujuſmodi animabus omnia loca æqualia ſunt.

44. Verbis, & lingua gratias agere Deo non eſt pro animabus internis, quæ in ſilentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis, & quo magis Deo ſe reſignant, experiuntur ſe non poſſe orationem Dominicam, ſeu *Pater noſter*, recitare.

45. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuoſas, ex propria electione, & activitate, alias non eſſent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Chriſti; quia, cum iſta objecta ſenſibilia ſint, talis eſt amor erga illa.

46. Nulla creatura, nec B. Virgo, nec Sancti ſedere debent in noſtro corde, quia ſolus Deus vult illud occupare, & poſſidere.

47. In occaſione tentationum, etiam furioſarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppoſitarum, ſed debet in ſupradicto amore, & reſignatione permanere.

48. Crux voluntaria mortificationum pondus grave eſt, & infructuoſum, ideoque dimittenda.

49. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non ſufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæſionem.

50. B. Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus ſanctior, igitur ad ſanctitatem perveniri poteſt abſque opere exteriori.

51. Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, Dæmon violentiam inferat earum corporibus, eaſque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & ſine mentis offuſcatione, movendo phyſice illorum manus, & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per ſe peccaminoſos, in quo caſu non ſunt peccata, quia in iis non adeſt conſenſus.

52. Poteſt dari caſus, quod hujuſmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum perſonarum, ſcilicet maris & feminæ, & ex parte utriuſque ſequatur actus.

53. Deus præteritis ſæculis Sanctos efficiebat tyrannorum miniſterio, nunc vero eos efficit Sanctos miniſterio Dæmonum, qui cauſando in eis prædictas violentias facit, ut illi ſe ipſos magis deſpiciant, atque annihilent, & ſe Deo reſignent.



54. Job blaſphemavit, & tamen non peccavit labiis ſuis quia fuit ex Dæmonis violentia.

55. Sanctus Paulus hujuſmodi Dæmonis violentias in ſuo, corpore paſſus eſt, unde ſcripſit: *Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum, hoc facio.*

56. Hujuſmodi violentiæ ſunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia ſupereſt, via: Et hæc eſt via facilior, & tutior.

57. Cum hujuſmodi violentiæ occurrant, ſinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo induſtriam, nullumque proprium conatum, ſed permanere debet homo in ſuo nihilo; & etiamſi ſequantur pollutiones, & actus obſcœni propriis manibus, & etiam pejora, non opus eſt ſeipſum inquietari; ſed foras emittendi ſunt ſcrupuli, dubia, & timores, quia anima ſit magis illuminata, magis roborata, magiſque candida, & acquiritur ſancta libertas. Et præ omnibus non opus eſt hæc confiteri: & ſanctiſſime fit, non confitendo; quia hoc pacto ſuperatur Dæmon, & acquiritur theſaurus pacis.

58. Satanas, qui hujuſmodi violentias infert, ſuadet deinde gravia eſſe delicta, ut anima ſe inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas, melius eſt ea non confiteri, quia non ſunt peccata, nec etiam venialia.

59. Job ex violentia Dæmonis ſe propriis manibus polluebat, eodem tempore quo mundas habebat ad Deum preces (ſic interpretando locum ex cap. XVI. Job.)

60. David, Hieremias, & multi ex Sanctis Prophetis hujuſmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

61. In Sacra Scriptura multa ſunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminoſos, uti illud de Sampſone, qui per violentiam ſe ipſum occidit cum Philiſtæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus eſt, quæ alias erant prohibita, & peccata fuiſſent; De Juditha, quæ Olopherni mentita fuit: De Eliſeo, qui pueris maledixit: De Elia, qui combuſſit Duces cum turmis Regis Acab. An vero fuit violentia immediate a Deo peracta, vel Dæmonum miniſterio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

62. Cum hujuſmodi violentiæ etiam impuræ abſque mentis offuſcatione accidunt, tunc anima Deo poteſt uniri, & de facto ſemper magis unitur.

63. Ad cognoſcendum in praxi, an aliqua operatio in aliis perſonis fuerit violenta, regula, quam de hoc habeo, nedum ſunt proteſtationes animarum illarum, quæ proteſtantur ſe dictis violentiis non conſenſiſſe, aut jurare non poſſe, quod in iis conſenſerint, & videre quod ſint Animæ, quæ proficiant in via interna; ſed regulam ſumerem a lumine quodam actuali, cognitione humana, ac Theologica ſuperiore, quod me certo cognoſcere facit cum interna certitudine, quod talis operatio eſt violenta, & certus ſum quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: eo modo quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipſe ſit, qui revelat, & anima in contrarium non poteſt dubitare.

64. Spirituales viæ ordinariæ in hora mortis ſe deluſos invenient, & confuſos, & cum omnibus paſſionibus in alio mundo purgandis.

65. Per hanc viam internam pervenitur, etſi multa cum ſufferentia ad purgandas, & extinguendas omnes paſſiones ita quod nihil amplius ſentiant, nihil, nihil: nec ullam ſentiant inquietudinem, ſicut corpus mortuum, nec anima ſe amplius commoveri ſinit.

66. Duæ leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tandiu perdurant, quandiu perdurat amor proprius, unde quando hic purgatus eſt, & mortuus, ut fit per viam internam, non adſunt amplius illæ duæ leges, & duæ cupiditates, nec ulterius lapſus aliquis incurritur, nec aliquid ſentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

67. Per contemplationem acquiſitam pervenitur ad ſtatum non faciendi amplius peccata nec mortalia, nec venialia.

68. Ad ejuſmodi ſtatum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur.

69. Via interna ſejuncta eſt a Confeſſione, a Confeſſariis, & a caſibus conſcientiæ, a Theologia, & Philoſophia.

70. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut ſint mortuæ, Deus Confeſſione aliquando efficit impoſſibilem, & ſupplet ipſe tanta gratia perſeverante, quantum in Sacramento reciperent; & ideo hujuſmodi animabus non eſt bonum in tali caſu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id eſt in illis impoſſibile.

71. Anima cum ad mortem myſticam pervenit, non poteſt amplius aliud velle quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abſtulit.

72. Per viam internam pervenitur ad continuum ſtatum immobilem in pace imperturbabili.

73. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem ſenſuum: quinimmo ſignum, quod quis in ſtatu nihilitatis maneat, ideſt mortis myſticæ, eſt, ſi ſenſus exteriores non repræſentent amplius res ſenſibiles, unde ſint, ac ſi non eſſent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ſe ad res applicet.

74. Theologus minorem diſpoſitionem habet, quam homo rudis ad ſtatum contemplativum: Primo quia non habet fidem adeo puram: Secundo quia non eſt adeo humilis: Tertio quia non adeo curat propriam ſalutem: Quarto quia caput refertum habet phantaſmatibus, ſpeciebus, opinionibus, & ſpeculationibus, & non poteſt in illum ingredi verum lumen.

75. Præpoſitis obediendum eſt in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religioſorum tantummodo ad exterius pertingit: in interiore vero aliter res ſe habet, quia ſolus Deus, & Director intrant.

76. Riſu digna eſt nova quædam doctrina in Eccleſia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Epiſcopo, quod ſi Epiſcopus non ſit capax anima ipſum cum ſuo directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere poſſunt, quia Eccleſia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcumque ſibi bene viſum.

77. Dicere, quod internum manifeſtandum eſt exteriori tribunali Præpoſitorum, & quod peccatum ſit id non facere, eſt manifeſta deceptio: quia Eccleſia non judicat de occultis, & propriis animabus præjudicant his deceptionibus, & ſimulationibus.

78. In mundo non eſt facultas, nec juriſdictio ad præcipiendum, ut manifeſtentur Epiſtolæ Directoris quoad internum animæ, & ideo opus eſt animadvertere, quod hoc eſt inſultus Satanæ &c.

*Quas quidem propoſitiones tamquam hæreticas, ſuſpectas, erroneas, ſcandaloſas, blaſphemas, piarum aurium offenſivas, temerarias, Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & everſivas, & ſeditioſas reſpective; ac quæcumque ſuper iis verbo ſcripto, vel typis emiſſa, pariter cum voto eorumdem Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & Inquiſitorum Generalium damnavimus, circumſcripſimus, & abolevimus; deque iiſdem, & ſimilibus omnibus, & ſingulis poſt hac quoquo modo loquendi, ſcribendi, diſputandi, eaſque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuſcumque interdiximus, & contrafacientes omnibus Dignitatibus, Gradibus, Honoribus, Beneficiis, & Officiis ipſo facto perpetuo privavimus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipſo innodavimus, a quo niſi a Nobis, & a Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris valeant abſolvi. Præterea eodem noſtro Decreto prohibuimus, & damnavimus omnes libros, omniaque opera quocumque loco, & idiomate impreſſa, necnon omnia manuſcripta ejuſdem* Michaelis de Molinos, *vetuimuſque, ne quis cujuſcumque gradus, conditionis, vel ſtatus, etiam ſpeciali nota dignus audeat ſub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, ſive ſub iiſdem verbis, ſub æqualibus, aut æquipollentibus, ſive abſque nomine, ſeu ficto, aut alieno nomine ea imprimere, vel imprimi facere, neque impreſſa, ſeu manuſcripta legere,*

*vel apud ſe retinere, ſed Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim tradere, & conſignare teneantur ſub eiſdem pœnis ſuperius inflictis; qui Ordinarii, & Inquiſitores ſtatim ea igni comburant, vel comburi faciant. Tandem ut prædictus* Michael de Molinos *ob hæreſes, errores, & turpia facta prædicta debitis pœnis in aliorum exemplum, & ipſius emendationem plecteretur; lecto in eadem noſtra Congregatione toto proceſſu, & auditis dilectis filiis Conſultoribus noſtræ ſanctæ Inquiſitionis Officii, in Sacra Theologia, & in Jure Pontificio Magiſtris, cum eorumdem Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium unanimi voto, dictum* Michaelem de Molinos, *tamquam reum convictum, & confeſſum reſpective, & uti hæreticum formalem, licet pœnitentem, in pœnam arcti & perpetui carceris, & ad peragendas alias pœnitentias ſalutares, prævia tamen abjuratione de formali per ipſum emittenda, ſervato juris ordine, damnavimus; mandantes, ut die, & hora præfigendis in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Minervam hujus almæ Urbis, præſentibus omnibus Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & Romanæ Curiæ noſtræ Prælatis, universoque populo ad id etiam per conceſſionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenore proceſſus, ſtante in ſuggeſtu eodem* Michaele de Molinos, *una cum ſententia inde ſequuta legeretur; & poſtquam idem de* Molinos *habitu pœnitentiæ indutus prædictos errores, & hæreſes publice abjuraſſet, facultatem dedimus dilecto filio noſtro Sancti Officii Commiſſario, ut eum a Cenſuris, quibus innodatus erat, in forma Eccleſiæ conſueta abſolveret; quæ omnia in executionem dictæ noſtræ ordinationis die 3. Septembris labentis anni ſolemniter adimpleta fuere.*

*Et licet ſupranarratum Decretum de Mandato noſtro latum ad majorem fidelium cautelam typis editum, publicis locis affixum, & divulgatum fuerit; nihilominus ne hujus Apoſtolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri poſſet, utque populus Chriſtianus Catholica veritate inſtructior per viam ſalutis incedere valeat, Prædeceſſorum noſtrorum Summorum Pontificum veſtigiis inhærentes, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſupradictum Decretum denuo approbamus, confirmamus, & debitæ executioni trademandamus; iterumque prædictas propoſitiones definitive damnantes, & reprobantes, libroſque, & manuſcripta ejuſdem* Michaelis de Molinos *prohibentes, & interdicentes ſub eiſdem pœnis, & cenſuris contra tranſgreſſores latis, & inflictis.*

*Decernentes inſuper præſentes literas ſemper, & perpetuo validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ſicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate fungentes, & functuros ubique judicari, & definiri debere, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.*

*Datum Romæ apud S. M. Maj. anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo ſeptimo, duodecimo Kalendis Decemb. Pontificatus noſtri anno duodecimo.*

En nefaria Molinos commenta, quæ dum in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam legerentur coram confertiſſima multitudine populi, plebs effuſiſſimis vocibus conclamabat: *Damnetur ad ignem, ad ignem*. Sed lenis inquiſitio Romana, miſerum ſenem, ( qui principiis ſuis adhærens per annos duodecim a Sacramentali Confeſſione ſe abſtinuerat, & cujus in ſcriniis reperta duodecim millia Epiſtolarum ſatis indicabant, quam late errores ſuos ſparſiſſet ) addixit carceri perpetuo, ubi pœnitens obiit die 28. Nov. ann. 1692.

Traditorum errorum ſumma hæc eſt. 1. homini enitendum eſſe, ut facultatum ſuarum activitatem cohibeat, adeoque quantum ad ipſas maneat in quiete ( unde commenti hujus ſequacibus inditum eſt nomen *Quietiſtarum*) & ſic de nulla re curam habeat, non de inferno, non de paradiſo, non de propriis defectibus &c. Propoſ. i. ii. iv. vi. vii. viii. ix.

2. Abjiciendam eſſe tum orationem, qua quidpiam petatur, tum quamlibet corporis mortificationem. Propoſ. xiv. xxxviii.

3. Id locum habere etiam, cum quis inſolitis tentationibus quatitur, & impuras quaſcumque carnis rebelliones experitur, quia hæc meræ ſunt dæmonis violentiæ, quæ ad fornicationem uſque progredi poſſint, & de facto pluries progreſſæ ſint, abſque ullo hominis peccato, quia abſque ullo ejus conſenſu. Propoſ. xli. xlii. li. &c.

4. Obſcœna hæc, ſi quandoque in corpore exurgant, non eſſe Confeſſario aperienda, ut quæ nequidem ſint veniales culpæ; immo, quæ animum in via interna progredientem magis uniant Deo. Propoſ. xlvii. xlviii. lii. &c.

Hæc porro eo uſque fidei, communique Chriſtianorum ſenſui adverſantur, ut nulla indigeant confutatione. *Intelligendum eſt*, ait S. Thom. 1. part. quæſt. 105. art. 5. *ſic Deum operari in rebus; quod tamen ipſæ res propriam habeant operationem*, & 2. 2. quæſt. 180. art. 3. *Vita noſtra hic dicitur operatio, cui homo principaliter intendit*: non ergo *gratia inimica eſt activitati naturali; ſed hæc cum illa concurrere debet*.

*Per jejunium, vigilias, & alia hujuſmodi retrahitur homo a peccatis luxuriæ, & a quibuſcumque aliis peccatis*, ait idem S. Thomas 2. 2. quæſt. 180. art. 2. Unde Apoſtolus 1. Cor. 9. *Caſtigo corpus meum &c.* & Rom. 8. *Si facta carnis mortificaveritis, vivetis*; non ergo *Crux voluntaria mortificationum pondus eſt infructuoſum &c.*

*Dominus*, ait idem Angelus Scholæ 2. 2. qu. 83. art. 5. *docuit diſcipulos*, utique Divinæ voluntati reſignatos, determinatos, quædam *petere*, ac ea præſertim, quæ *continentur in petitionibus Orationis Dominicæ*, ac proinde ne non ſuccumberent tentationi; ergo non *convenit tantum, ſed & prorſus neceſſe eſt ut ii etiam, qui divinæ voluntati reſignati ſunt, a Deo rem aliquam petat*.

Cetera, quæ pudor pene prohibuit referre, prohibet confutare: perpendat quis impium Molinos ſyſtema, ſtatimque gnoſticum hominem deprehendet, qui ſuos ſuaſque ad nefaria quæque flagitia pellicere voluit, eiſque omnem adimere ſcrupulum, veritus dumtaxat, ne vel Confeſſario, vel Superiori, quiſquis ille foret, infamia ſua detegeretur.

## CAPUT XXVI.

*Refertur Decretum alterum SS. D. N. Alexandri Papæ VIII. die 7. Decemb. 1690.*

*Sanctiſſimus D. N. Alexander Divina Providentia Papa VIII. prædictus, pro paſtorali cura ovium a Chriſto Domino ſibi commiſſa de earum ſalute ſollicitus, ut inoffenſo gradu per rectas ſemitas poſſent incedere, & paſcua nimium perniicioſa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius ſupra triginta propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus commiſit, qui tantum negotium diligenter aggreſſi, eique ſedulo, ac pluries incumbentes, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſigillatim detulerunt.*

## PROPOSITIONES

*Autem ſunt infraſcriptæ, videlicet.*

1. IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſſa ſua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.

Si res ita ſe haberet, prava deſideria, quæ homo invitus patitur, & involuntarii concupiſcentiæ motus, totidem



tidem peccata erunt, quod a Tridentinis Patribus in Calvino, ac Luthero, & ab Apoſtolica Sede in Bajo damnatum eſt. Vide Tract. *de actibus humanis* tom. I. præfixum, & cap. xvi. de damnata doctrina, in quo declaratur, hac propoſitione baſim contineri Janſeniani ſyſtematis, quod ſtatuit amiſſum fuiſſe in Adamo liberum arbitrium, Dei caſtum amorem, & legis naturalis cognitionem, quæ perfectiones naturæ integræ debebantur. Cum vero harum naturalium, ut ipſi ajunt, perfectionum omiſſio, voluntaria & libera in Adami voluntate fuerit, libertatem hanc quam in cauſſa homines habuerant ſufficere blaterant ut neceſſariæ ex cupiditate prodeuntes, aut involuntariæ etiam ob ignorantiam legis naturalis actiones vera peccata formalia ſint. Hæc autem & ab Eccleſia damnata ſunt, & iis confutantur argumentis, quibus ex Scriptura, & patribus oſtenditur, manere adhuc in homine lapſo liberum arbitrium; neminem peccare in eo quod vitare non poſſit; invincibilem ignorantiam a culpa excuſare, & naturam per originale peccatum ita depravatam non eſſe, ut cognitiones aliquas, aliquoſque motus non habeat, ac habere poſſit, etiam gratia ſpoliata; quæ mala non ſint.

2. Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali.

Repugnat S. Thomæ 1. 2. quæſt. 76. art. 3. ubi ait: *Patet, quod nulla ignorantia invincibilis eſt peccatum*. Vide quæ dicta ſunt in Tract. *de Actibus Humanis*, & *de peccatis* c. 4.

3. Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.

Hoc propoſitio confutata fuit Tract. *de Conſcientia* qu. iv. reſp. 2.

4. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.

De iſta, & duabus ſequentibus agunt Theologi, ubi de Gratia; ibi enim Theologi probant, ac perſpicuis ex Scriptura, & PP. deductis argumentis oſtendunt, Chriſtum non pro ſolis fidelibus, ſed pro omnibus mortuum eſſe, ac etiam Paganos, Judæos, Hæreticoſque Divinæ Redemptionis beneficium experiri per interiorem mentis, illuſtrationem, inſpirationem, motionemque divinæ Gratiæ ſufficientis. Solum enim de obduratis, & obcæcatis nonnullis, deque parvis decedentibus in utero matris, aut non valentibus ad baptiſmum pervenire in ſcholis controvertitur, num gratiam ſufficientem recipiant.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jeſu Chriſto influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.

6. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quam pernicioſa eſt, ſicut ut proinde merito peſſimus petere: a gratia ſufficienti libera nos Domine.

7. Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi Dei, caritas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.

Falſa eſt hæc propoſitio, atque præcipuum in ea repetitur Janſeniani ſyſtematis fundamentum, ſtabilito tamen, deperditum eſſe in ſtatu naturæ lapſa liberum arbitrium. Hoc enim ſenſu propoſitio illa indicat, omnem actionem noſtram deliberatam neceſſario oriri vel ab illa vitioſa cupiditate, quæ in homine, loco caſti amoris naturæ nondum vitiatæ debiti, ſucceſſit; vel ex Gratia Chriſti, ſive Caritate, qua idem homo jam neceſſitati agendi ſubjectus, inſtar lancis flectitur, atque trahitur. En turpiſſima propoſitionis hæreſis! Fides autem orthodoxa docet, præter actus a Caritate prodeuntes, dari etiam ſupernaturales actus Fidei, Spei, & Timoris, atque bonas nonnullas operationes in infidelibus, peccatoribus, aliiſque Caritate carentibus. Vide Tract. *de Actibus Humanis*, & quæ a nobis cap. xvi. dicta ſunt.

8. Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.

Falſa eſt hæc propoſitio; neque magis neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare, quam fidelem in omni opere ſanctum eſſe. Vide quæ ſuperius dicta ſunt cap. xvi.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.

Falſa eſt hæc aſſertio; quia non peccat, qui ordinate agit; porro agit ordinate, qui peccatum etiam præciſe, ut turpe eſt, & humanæ naturæ infenſum deteſtatur: quia peccatum etiam ut turpe, & naturæ diſconveniens deteſtationem meretur. Ita Stayaert Tom. 1. pag. 336. qui addit deteſtationem, ſeu odium peccati reſpicere poſſe meram ejus turpitudinem ſine reſpectu offenſæ Dei, quæ eidem peccato ineſt; ſic tamen, ut deteſtans ad actum illum ſe excitet ex aliqua Dei dilectione, vel alio motivo, quod nullatenus poſſit redargui. Quamquam, ut notavit Viva, inde etiam peccat hæc propoſitio, quod ſupponat peccatum ut naturæ contrarium odio haberi poſſe ſine ullo prorſus ad Deum reſpectu. Utique qui peccatum odit ut contrarium naturæ, odit illud ut prohibitum a Supremo Legiſlatore, & ut repugnans legi æternæ, quæ Deus eſt; ut cum aliis dixi in Tract. *de Peccatis* cap. 1. artic. 1. Interim nota eos, qui peccatum odio haberi volunt *cum reſpectu ad Deum offenſum*, exigere, ut quiſquis oderit peccatum, quatenus eſt offenſa Dei ſumme boni, ac proinde eoſdem arbitrari illud dumtaxat peccati odium ab omni culpa vacare, quod ex Caritatis motivo procedit: patet id vel ex ipſa prop. vii. quam paullo ante ſuo ordine retulimus. Vide explic.

10. Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, mere ut cæleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.

Confutata eſt hæc propoſitio in *Tract. de Spe*, & *Caritate*.

11. Omne, quod non eſt ex Fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

Si vera ſit hæc aſſertio, nulla erunt opera moraliter bona; malum erit id omnè, quod fit ex notitia unius Dei: malus erit actus Fidei, & Spei, & Timoris ab homine actu, vel habitu per Caritatem non operante procedens; quæ omnia totidem ſunt apud alios, quam Janſenii Aſſeclas, falſa, & abſurda.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana.

Repugnat Concilio Trid. ſeſſ. 6. canon. 28. inquienti: *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti; aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva, aut eum, qui fidem ſine caritate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit*. Hæc ſunt impura infecti Janſeniani ſeminis germina, ſcilicet, conſectaria illius erroris, quo putant, omnia a vitioſa infici cupiditate, ac peccata eſſe, ubi Chriſti caritas non regnet.

13. Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, caritate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

Repugnat D. Thomæ: *Cum*, ait Doct. 2. 2. qu. 17. art. 5. *ſpes habeat Deum pro objecto* ( in quantum ſcilicet eſt certitudo æterna, ut ibidem docet S. Thom. artic 7.) *manifeſtum eſt, quod ſpes eſt virtus Theologica*: Abſit autem, ait Franciſcus Van-Ret Dominicanus, ut peccet quis virtutis Theologicæ actus exercendo. Vide citatos jam Tract. *de Spe*, & *Caritate*.

14. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

Utriuſque propoſitionis idem eſt ſenſus. Idem & error, breviterque refellitur nitida hac, & ſimplici S. Thomæ ratiocinatione: *Nullum malum eſt a Spiritu Sancto: Atqui timor etiam ſervilis eſt a Spiritu Sancto; Unus enim Spiritus eſt, qui facit duos timores, ſcilicet ſervilem: & caſtum; ergo timor ſervilis non eſt malus*. Neque ſolum non malus, ſed etiam eſt ſupernaturalis, cum ſit a Spiritu Sancto, & *procedat ex actu Dei convertentis cor* diſpoſitive, prout tradit S. Doct. 3. p. qu. 85. art. 5. ad 3. & Trident.

16. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chri-

Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei ad ipſum quodammodo diſtante.

Si vera ſit hæc propoſitio, nunquam concedi poteſt abſolutio, niſi jam præmiſſa pœnitentis ſatisfactione, cum lex Chriſti ab hominibus tolli non poſſit: atqui hoc univerſæ Eccleſiæ, atque ipſi rigidorum Caſuiſtarum praxi repugnat, qui quotidie mutuas ſibi abſolutiones ſub onere præſtandæ deinceps ſatisfactionis impendunt: ergo merito reprobata eſt hæc propoſitio. Et vero abſolutio concedi poteſt, & de facto ſæpe conceditur homini ſenſibus deſtituto, qui nullam proin ſatisfactionem ponere poteſt.

17. Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus.

Idem qui præcedentis aſſertionis error. Non invertit ordinem pœnitentiæ praxis mox abſolvendi eos, qui legitimis inſtructi ſunt diſpoſitionibus: ſed praxis abſolvendi eos, qui peccato adhærent, qui Eccleſiæ conſuetudinem carpunt, qui in legitimos paſtores debacchantur, qui tota die veritatem, & caritatem inclamant, & utramque in praxi reſpuunt.

18. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

Indicat Sedes Apoſtolica in hujus propoſitionis cenſura, quid habeat pro abuſu, quid pro uſu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

Eſt plane falſa: *Contritio*, ait S. Thom. in ſupplem. q. 1. art. 2. *ſolum de illis peccatis poteſt eſſe, quæ ex duritia noſtræ voluntatis in nos perveniunt; & quia peccatum originale noſtra voluntate non eſt inductum .... ideo de ipſo non poteſt eſſe contritio*. Nec proinde a fortiori pro eo agenda eſt toto vitæ decurſu pœnitentia.

20. Confeſſiones apud Religioſos factæ, plerumque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

Injurioſa eſt Eccleſiæ, quæ alioqui male Religiones inſtituit, male etiam Religioſorum utitur miniſterio. Injurioſa eſt etiam Religioſis, in quibus animam diabolo venditam, & pene omnimodam pietatis, ac ſcientiæ privationem ſupponit. Hujus propoſitionis exceſſum jam pridem prædamnavit S. Th. in Guilelmo de Sancto amore, Religioſorum impugnatore.

21. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.

Continet judicium inſigniter temerarium in materia gravi. Eadem de cauſſa, eademque temeritate ſuſpicabitur Parochianus vel de Parocho, qui leviorem imponet pœnitentiam, ne pingui oblatione fruſtretur, vel de Vicariis, aliiſque inferioribus Sacerdotibus, qui per tura vini, & frumenti quæſtum faciunt, non nego quoſdam utrinque eſſe; qui officio ſuo deſint; *Iliacos intra muros peccatur, & extra*. Sed quorumdam vitia corpori toti adſcribenda non ſunt; nec ſi proditor Judas, alii continuo Apoſtoli omnes proditionis erunt redarguendi.

22. Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.

Contra aſſumi poteſt illud S. Th. 2. 2. q. 10. art. 12. *Eccleſiæ conſuetudo ſemper eſt in omnibus æmulanda*. Eſt autem nunc Eccleſiæ conſuetudo, quod Communio non differatur, donec quis condignam de peccatis ſuis egerit pœnitentiam, ſeu ſatisfactionem, idque nedum pro ſacrilegio habendum ſit, conſonat parabolæ filii prodigi, cui ſincere ad patrem reverſo occiſus eſt in epulum *vitulus ſaginatus*. Nec, puto, ait Steyaert, dilata Davidi fuiſſet Euchariſtia, ſi jam inſtituta fuiſſet, donec pœnitentiam omnem ſibi impoſitam ſubiiſſet.

23. Similiter arcendi ſunt a ſacra Communione, quibus needum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

I nunc & quære, qui ſacra Euchariſtia reficiantur, quære, inquam, in alio orbe, qui novi figmenti homines habeat, in hac enim peccati terra *in multis offendimus omnes*; non eſt, qui ſæpius non peccet; qui dixerit ſe peccatum non habere, ipſe ſe ſeducit; ergo nullibi, aut fere nullibi eſt amor ille puriſſimus, & omnis mixtionis expers, quem ut præviam ad Euchariſtiæ Sacramentum præparationem requirit præcedens propoſitio. Mundi erant Apoſtoli, cum Chriſti Corpus in ultima Cœna recepere. Quæro, an iis adhuc tam infirmis ineſſet amor omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat a Beata Virgine Maria in die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet, ſecundum verba legis.

Hæc aſſertio, ſi de *macula peccati* intelligatur, non notas meretur, ſed flammas; ſi vero de *macula legali*, falſa etiam eſt, & piarum aurium offenſiva: Non erat partus ille puriſſimus obnoxius legi, nec ex eo quod Chriſtus, & Maria hoc in puncto legem adimpleverint, colligi magis poteſt eos legem adimplere debuiſſe, quam ex eo, quod Chriſtus Baptiſmum receperit, colligi queat, eum indiguiſſe Baptiſmo. Errorem hujus propoſitionis breviter, & ſolide confutat Angelus Scholæ ex ipſo Levitici textu c. 12. ubi ea ſolum mulier declaratur immunda, quæ *ſuſcepto ſemine prolem parit*.

25. Dei Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare.

Refellitur ex hodierna Eccleſiæ praxi, & conſuetudine, quæ, teſte Auguſtino ipſo, cujus auctoritate præcipue innituntur propoſitionis hujus Aſſertores, ea quæ ſunt contra rectam fidem, & bonos mores non approbat, nec tacet, nec facit. Sed de his fuſius agunt Theologi in tractatu *de Incarnatione*.

26. Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana eſt.

Repugnat D. Thomæ 3. par. qu. 25. art. 5. ad 3. *Beata Virgo*, inquit, *ſecundum ſeipſam eſt venerationis capax*. Et vero B. Virgo in ſe ipſa, licet non a ſe ipſa, eſt Dei Mater, Virgo Virginum mundiſſima, Creatura omnium poſt ſacram Chriſti humanitatem Sanctiſſima; ergo laus, quæ ei defertur, non relative ſolum, ut imaginibus, non ob meritum Chriſti contactum, ut vivificæ Cruci, ſed eidem *ſecundum ſe ipſam* non eſt vana, ſed pia, & religioſa.

27. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: *In nomine Patris &c.* prætermiſſis illis, *Ego te baptizo*.

Repugnat D. Thomæ 3. par. quæſt. 66. art. 5. & ceteris ferme, præter Morinum, Theologis. Vide tract. *de Baptiſmo*.

28. Valet Baptiſmus collatus a miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit: *Non intendo facere quod facit Eccleſia*.

Propoſitio hæc, ne ipſis quidem externæ, ut ajunt, intentionis defenſoribus placet; cum juxta eos exterior omnis ritus, & forma Sacramentorum obſervari poſſit, abſque eo quod verum conficiatur Sacramentum, de quo legatur Contenſonius, Juvenin, & P. Serry. Verum ea de re conſulendus Tract. *de Baptiſmo*, præſertim nota ex Tract. *de Synodo Diœceſana* Benedicti XIV. deprompta.

29. Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.

Romanum Pontificem eſſe Petri ſucceſſorem, totius Eccleſiæ caput, ac unitatis centrum omnes Catholici unanimi conſenſu firmiſſime credunt. Eique prærogativam conceſſam eſſe, ne erret in rebus fidei, & qua ſupra Concilium ſit, docet Scriptura, dum ſuper Petrum Eccleſiam fundatam ait, ac Petro privilegium conceſſum, ne ei fides deficeret, & ut contra ipſius definitiones pro regenda Eccleſia & applicando concredito ſibi fidei depoſito, portæ Inferi prævalere non poſſent, ac jus etiam in Fratres, hoc eſt in Epiſcopos omnes, quos in fide confirmare jubetur. Traditio quoque, ac omnes fere Catholici, inter quos Galli etiam Theologi reperiuntur, qui ante annum 1682. ſcripſerunt, hanc in Romano Pontifice prærogativam adſtruunt. Quam ob rem omnibus exploratum arbitror, jure fuiſſe illam propoſitionem damnatam, præſertim ob notam, quam contrariæ inurit ſententiæ temere omnino.

30. Ubi quis invenerint doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificiam Bullam.



Repugnat hæc doctrina, tum D. Th. 2. 2. q. 10. ar. 12. tum præcipue Auguſtino ipſi. *Hac*, ait in ſua ad Bonifacium epiſt. cap. 1. *qua duabus epiſtolis Pelagianorum iſta diſputatione reſpondeo, ad tuam potiſſimum dirigere Sanctitatem non tam diſcenda, quam examinanda, & ubi forſitan aliquid diſplicuerit, exterminandum conſtitui*. Qui Auguſtinianam doctrinam ſectari profitentur, hoc præclarum Auguſtini factum imitentur.

31. Bulla Urbani VIII. *In Eminenti*, eſt ſubreptitia.

Non alia de cauſſa Bullam hanc ſubreptitiam eſſe judicarunt propoſitionis Auctores, quam quia Baji, & Janſenii doctrinam condemnat; quod poſteriorum Pontificum conſtitutionibus multo amplius peractum eſt. Has autem ad unam omnes ſubreptitias eſſe, vel etiam obreptitias credant Janſeniani, ſi velint; non credent quotquot ſunt vere Catholici.

*Quibus mature conſideratis, idem Sanctiſſimus ſtatuit & decrevit XXXI. ſupradictas Propoſitiones, tamquam temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas reſpective eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, & prohibet: Itaut quicumque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.*

*Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, & dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.*

*Non intendit Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propoſitiones in majori numero ultra ſupradictas XXXI. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expreſſas, approbare.*

## CAPUT XXVII.

*Breve Innocentii XII. proſcribentis tres & viginti Theſes, quæ prætextu amoris erga Deum puriſſimi in Galliis docebantur.*

## INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

*CUM alias ad Apoſtolatus noſtri notitiam pervenerit, in lucem prodiiſſe librum quemdam Gallico idiomate editum, cui titulus: Explication des maximes des Saints ſur la vie interieure par Meſſire François de Salignac Fenelon, Archevêque Duc de Cambray, Precepteur de Meſſeigneurs le Duc de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry. A Paris chez Pierre Aubouin, Pierre Emery, Charles Clouſier 1697. Ingenti vero ſubinde de non ſana libri hujuſmodi doctrina excitatus in Galliis rumore adeo percrebuit, ut opportunam Paſtoralis vigilantiæ noſtræ operam efflagitaverit; Nos eumdem librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, aliiſque in Sacra Theologia Magiſtris, mature, ut rei gravitas poſtulare videbatur, examinandum commiſimus. Porro hi mandatis noſtris obſequentes, poſtquam in quamplurimis Congregationibus varias propoſitiones ex eodem libro excerptas diuturno, accuratoque examine diſcuſſerant, quid ſuper earum ſingulis ſibi videretur, tam voce, quam ſcripto nobis expoſuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram Nobis deſuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magiſtrorum ſententiis, Dominici gregis Nobis ab Æterno Paſtore crediti periculis, quantum nobis alte conceditur occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, librum prædictum ubicumque, & quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione hucuſque impreſſum, aut impoſterum imprimendum, quippe ex cujus lectione, & uſu fideles ſenſim in errores ab Eccleſia Catholica jam damnatos induci poſſent, ac inſuper tamquam continentem propoſitiones, ſive in obvio earum verborum ſenſu, ſive attenta ſententiarum connexione, temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, in praxi pernicioſas, ac etiam erroneas reſpective, tenore præſentium damnamus, & reprobamus, ipſiuſque libri impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & uſum omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus etiam ſpecifica & individua mentione, & expreſſione dignis, ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda, interdicimus, & prohibemus. Volentes, & Apoſtolica auctoritate mandantes, ut quicumque ſupradictum librum penes ſe habuerint, illum ſtatim atque præſentes literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere, ac conſignare omnino teneantur. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque &c. Ceterum propoſitiones in dicto libro contentæ, quas Apoſtolici cenſura judicii, ſicut præmittitur, configendas ducimus, ex Gallico idiomate in latinum verſæ, ſunt tenoris, qui ſequitur, videlicet.*

1. Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt caritas pura, & ſine ulla mixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando.

2. In ſtatu vitæ contemplativæ, ſeu unitivæ omittitur omne motivum intereſſatum timoris & ſpei.

3. Id, quod eſt eſſentiale in directione animæ, eſt non aliud facere, quam ſequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & ſubtilitate: Oportet ſe intra hos limites continere, ut ſinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, niſi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum eſt animabus adhuc ſibimet affixis, & adeo poteſt illas ſcandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In ſtatu ſanctæ indifferentiæ anima non habet amplius deſideria voluntaria, deliberata propter ſuum intereſſe, exceptis iis occaſionibus, in quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem ſtatu ſanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut ſimus perfecti & beati propter intereſſe proprium, ſed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res iſtas impreſſione ſuæ gratiæ.

6. In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus amplius ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrorum meritorum, ut noſtrum intereſſe omnium maximum, ſed eam volumus voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipſe vult, quam nos vult velle propter ipſum.

7. Derelictio non eſt niſi abnegatio, ſeu ſui ipſius renunciatio, quam Jeſus Chriſtus a nobis in Evangelio requirit, poſtquam externa omnia reliquerimus. Iſta noſtri ipſorum abnegatio non eſt, niſi quoad intereſſe proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, ſeu ſui ipſius derelictio exerceri debet, ſunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei oſtendendo perfugium, neque ullam ſpem quoad ſuum intereſſe proprium, etiam æternum.

8. Omnia ſacrificia, quæ fieri ſolent ab animabus quam maxime diſintereſſatis circa æternam beatitudinem, ſunt conditionalia. Sed hoc ſacrificium non poteſt eſſe abſolutum in ſtatu ordinario. In uno extremarum probationum caſu hoc ſacrificium fit aliquo modo abſolutum.

9. In extremis probationibus poteſt animæ invincibiliter perſuaſum eſſe perſuaſione reflexa, quæ non eſt intimus conſcientiæ fundus, ſe juſte reprobatam eſſe a Deo.

10. Tunc anima diviſa a ſemetipſa expirat cum Chriſto in Cruce dicens: *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* In hac involuntaria impreſſione deſperationis conficit ſacrificium abſolutum ſui intereſſe proprii quo ad æternitatem.

11. In hoc ſtatu anima amittit omnem ſpem ſui proprii intereſſe, ſed nunquam amittit in parte ſuperiori, id eſt in

in ſuis actibus directis, & intimis ſpem perfectam, quæ eſt deſiderium diſintereſſatum promiſſionum.

12. Director tunc poteſt huic animæ permittere, ut ſimpliciter acquieſcat jacturæ ſui proprii intereſſe, & juſtæ condemnationi, quam ſibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Chriſti pars in Cruce non communicavit ſuperiori ſuas involuntarias perturbationes.

14. In extremis perturbationibus pro purificatione amoris ſit quædam ſeparatio partis ſuperioris animæ ab inferiori. In iſta ſeparatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca & involuntaria perturbatione; Nam totum, quod eſt involuntarium, & intellectuale, eſt partis ſuperioris.

15. Meditatio conſtat diſcurſivis actibus, qui a ſe invicem facile diſtinguuntur. Iſta compoſitio actuum diſcurſivorum, & reflexorum eſt propria exercitatio amoris intereſſati.

16. Datur ſtatus contemplationis adeo ſublimis, adeoque perfectæ, ut fiat ſpiritualis, ita ut quoties anima actu orat, ſua oratio ſit contemplativa, non diſcurſiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejuſque actus methodicos.

17. Animæ contemplativæ privantur intuitu diſtincto, ſenſibili, & reflexo Jeſu Chriſti duobus temporibus diverſis; Primo in fervore naſcente earum contemplationis. Secundo anima amittit intuitum Jeſu Chriſti in extremis probationibus.

18. In ſtatu paſſivo exercentur omnes virtutes diſtincte, non cogitando, quod ſint virtutes; quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, & amor zelotypus ſimul efficit, ne quis amplius ſibi virtutem velit, nec unquam ſit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non eſt.

19. Poteſt dici in hoc ſenſu, quod anima paſſiva, & diſintereſſata nec ipſum amorem vult amplius, quatenus eſt ſua perfectio, & ſua felicitas, ſed ſolum quatenus eſt id, quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformatæ ſua peccata deteſtari, & condemnare ſe, & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, ſed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propriam ſuam gloriam.

21. Sancti myſtici excluſerunt a ſtatu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (de puro amore) eſſet pura & ſimplex perfectio Evangelica in univerſa traditione deſignata, antiqui Paſtores non proponebant paſſim multitudini juſtorum, niſi exercitationem amoris intereſſata eorum gratiæ proportionatam.

23. Purus amor ipſe ſolus conſtituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii ſunt.

*Non intendimus tamen per expreſſam Propoſitionum hujuſmodi reprobationem alia in eodem libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eædem præſentes literæ omnibus facilius innoteſcant, nec quiſquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & auctoritate præfata decernimus, ut illa ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; ita ut ſic publicatæ omnes & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent: Utque ipſarum præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

*Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo piſcatoris die XXI. Martii MDCXCIX. Pontificatus noſtri Anno VIII.*

En totum ſyſtema Illuſtriſſimi Archipræſulis, qui accepta Romani Pontificis Conſtitutione, cathedram ſtatim conſcendit, populo ſuo, a quo tenera caritate diligebatur, prohibuit, ne quis deinceps librum ſuum vel legeret, vel retineret apud ſe, coram multitudine in lacrymas, & ſingultus erumpente, librum eumdem eo prorſus modo reprobavit, quo ab Apoſtolica Sede reprobatus erat.

Syſtematis hujus errores ſunt duo præcipui, alter, quod *non poſſibilis ſolummodo ſit, ſed & de facto exiſtat habitualis ſtatus caritatis puræ, in quo nullam amplius partem habeant timor pœnarum, & deſiderium remunerationis; adeout anima nihil ſibi velit, nequidem perfectionem, & beatitudinem ſuam.* Alter, quod *anima invincibiliter perſuaſum eſſe poſſit perſuaſione reflexa ſe juſte reprobatam eſſe a Deo, unde ei tunc permittere poteſt Director, ut ſimpliciter acquieſcat juſtæ condemnationi, quam ſibi a Deo indictam credit.*

Primum caput ex profeſſo confutavimus, ubi *de Spe* ſect. 4. punct. 2. concl. 3. Secundi capitis error hinc patet, quod *perſuaſio reprobationis adverſatur ſpei; porro ſpes in ſtatu viæ prorſus neceſſaria eſt, eaque adveniente caritate perfectior redditur, quia de amicis maxime ſperamus,* ait S. Th. 2. 2. quæſt. 17. art. 8. Hinc juxta S. Doctorem quæſt. 23. de veritate ar. 8. ad 2. *Si alicui talis revelatio de futura ſui reprobatione fieret, deberet intelligi non ſecundum modum prophetiæ prædeſtinationis, vel præſcientiæ, ſed per modum prophetiæ comminationis, quæ intelligitur ſuppoſita conditione meritorum.* Non poſſet igitur Director animæ huic permittere, ut ſimpliciter acquieſceret *jacturæ ſui proprii intereſſe. & juſtæ condemnationi.* Et vero poſita hac in propriam reprobationem conſenſione, anima pro æterna ſua ſalute, nec deberet, nec poſſet orare: atque id falſum eſſe liquet ex iis, quæ contra Myſticos diximus Tom. 1. ubi *de Oratione cap.* 1. art. 7.

Plus adhuc erroris habet, quod ſtatuit Illuſtriſſimus Auctor prop. X. XIII. & XIV. ibi enim deſperatio nomine ſacrificii commendatur. Malæ involuntariæ perturbationes attribuuntur Chriſto, qui quantum voluit, & non ultra paſſus eſt, ut cum Scripturis docet S. Th. 3. p. qu. 47. art. 1. Male pars inferior a partis ſuperioris regimine quaſi avulſa exhibetur: ita ut actus partis inferioris *in anima probata* prorſus cæci ſint, & involuntarii. Certe ſi ſuperior pars non invigilet actibus potentiarum inferiorum, ii in peccatum animæ imputabuntur, ut docet S. Thom. 1. 2. qu. 174. ar. 5. ad 2., qui ſecus ſenſerit, viam ſterneret ſibi ad perieuloſiora quæque Molinioſi commenta, a quibus tamen procul abfuit piiſſimus Archipræſul Cameracenſis.

## CAPUT XXVIII.

*Recenſentur quinque Janſenii Propoſitiones cum Cenſura eiſdem affixa in Conſtitut. Innocentii X.*

1. JAnſenii propoſitio eſt: Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant. Hæc declaratur temeraria, impia, blaſphema, & hæretica.

2. Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur. Hæc declaratur hæretica.

3. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione. Hæc damnatur ut hæretica.

4. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc errant hæretici, quod vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare. Hæc quoque declaratur hæretica.

5. Semipelagianum eſt dicere; Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe. Hæc falſa, temeraria, ſcandaloſa, & intellecta eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute tantum prædeſtinatorum mortuus ſit, impia quoque, blaſphema, contumelioſa, divinæ pietati derogans, & hæretica declaratur.

CA-



## CAPUT XXIX.

*Recenſentur Queſnelii propoſitiones damnatæ a Clemente XI. in Conſt. Unigenitus.*

1. QUid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem & ad omne opus bonum?

2. Jeſu Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcumque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt.

3. In vanum, Domine, præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.

4. Ita, Domine, omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.

6. Diſcrimen inter fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia; in iſto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum ſua gratia purificando.

7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ vero felicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis?

8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

9. Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus; & cum qua nunquam illum abnegamus.

10. Gratia eſt operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.

11. Gratia non eſt aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet.

12. Quando Deus vult ſalvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.

14. Quantumcumque remotus a ſalute ſit peccator obſtinatus, quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet, ut ſe dedat, accurrat, ſe ſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.

15. Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui Spiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illam in corde obedientiam, quam petit.

16. Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.

17. Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum; quicumque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus a Patre.

18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.

19. Dei Gratia nihil aliud eſt, quam ejus omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis ſcripturis.

20. Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi a nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.

21. Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.

22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.

23. Deus ipſe nobis ideam tradit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua creaturas a nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

24. Juſta idea quam Centurio habuit de Omnipotentia Dei, & Jeſu Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia ſuæ Gratiæ in ſanandis animabus a cupiditate.

25. Deus illuminat animam, & eam ſanat æque ac corpus ſola ſua voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur.

26. Nullæ dantur gratiæ niſi per fidem.

27. Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.

29. Extra eccleſiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.

31. Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine Primogenitos, id eſt Electos, de manu Angeli exterminatoris.

33. Proh quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſis renunciaſſe, ad hoc, ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut fecit Sanctus Paulus dicens: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

34. Gratia Adami non prodiderat niſi merita humana.

35. Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.

36. Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatus Innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam, eſt, quod primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet; iſta vero non recipitur, niſi in perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.

37. Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata; Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt omnipotens, & digna Filio Dei.

38. Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum: Eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

40. Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire niſi a Deo, & ſine gratia non producit niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

42. Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei, ſine hoc nihil, niſi impuritas; nihil, niſi indignitas.

43. Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato; adeo ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44. Non ſunt, niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & Amor, quo nos ipſos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, eſt propter hoc ipſum ſit malus.

45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.

46. Cupiditas aut caritas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt caritas. Quando Dei Amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius; alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.

48. Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine Fidei lumine, & ſine Chriſto, & ſine caritate.

49. Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine Amore Dei.

50. Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi, ſi ſpiritus caritatis non eſt ille, qui clamat.

51. Fides juſtificat quando operatur, ſed ipſa non operatur niſi per caritatem.

52. Omnia alia ſalutis remedia continentur in fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine; ſed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.

53. Sola caritas chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum.

54. Sola caritas eſt, quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit.

55. Deus non coronat niſi caritatem; qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat niſi caritatem, quoniam caritas ſola Deum honorat.

57. Totum deeſt peccatori, quando ei deeſt ſpes; & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.

58. Nec Deus eſt, nec religio, ubi non eſt caritas.

59. Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.

60. Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem.

61. Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato adjicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur.

62. Qui a malo non abſtinet niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc eſt ſub lege, ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.

64. Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud nonniſi ob timorem evitando.

65. Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui ſunt, abſque eo quod ullum Deo dederint filium; cum non effecerint niſi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicut beſtiæ; ſed per fidem, & per amorem, ſicuti filii.

67. Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in fide, & precibus.

69. Fides, uſus, augmentum, & præmium Fidei totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.

70. Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71. Homo ob ſui conſervationem poteſt ſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72. Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod ſit Catholica; comprehendens & omnes Angelos cæli, & omnes electos, & juſtos terræ, omnium ſæculorum.

73. Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſæculi.

74. Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut caput; omnes vero Sanctos ut membra.

75. Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona: Unus ſolus Chriſtus compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator.

76. Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, quia omnes Electi, & Juſti omnium ſæculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro patre, & Chriſtum pro capite.

78. Separatur quis a populo Electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput eſt Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79. Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, pietatem, & Myſteria Sacræ Scripturæ.

80. Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.

81. Obſcuritas ſancti Verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.

83. Eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari feminis lectione Sacrorum librorum. Non ex feminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.

84. Abripere e Chriſtianorum manibus novum teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.

85. Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis.

86. Eripere ſimplici populo hoc ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.

87. Modus plenus ſapientia, lumine, & caritate eſt, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei antequam reconcilientur.

88. Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis illius ferre confuſionem.

89. Quartus decimus gradus converſionis peccatoris eſt, quod, cum ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi ſacrificio Eccleſiæ.

90. Eccleſia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius Corporis.

91. Excommunicationis injuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro. Nunquam exibimus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per caritatem affixi ſumus.

92. Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quam prodere veritatem, eſt imitari Sanctum Paulum: tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra auctoritatem, aut ſcindere unitatem.

93. Jeſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius mandato; Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato zelo reſcindunt.

94. Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95. Veritates eo devenerunt, ut ſint lingua peregrina quaſi pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum: adeo remotus eſt a ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium. Neque ſatis advertitur, quod hic defectus ſit unum ex ſignis maxime ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos.

96. Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit niſi Divinæ gratiæ.

97. Nimis ſæpe contingit, membra illa, quæ magis ſancte, ac magis ſtricte unita Eccleſiæ ſunt, reſpici atque tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata: ſed juſtus vivit ex Fide, & non ex opinione hominum.

98. Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam Hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto.

99. Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ, v. gr. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus in perſequendo veritatem ejuſque diſcipulos; Tempus hoc advenit... Haberi, & tractari a Religionis Miniſtris, tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flamma, ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus diabolo Dei ſervum.

101. Nihil ſpiritui Dei, & doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quam communia facere juramenta in Eccleſia: quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis & idiotis, & efficere ut nomen & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum.



## CAPUT XXX.

*Recenſetur Conſtitutio Benedicti XIV. qua damnantur quinque de Duello Propoſitiones, & nova pœna in duellantes decernuntur.*

## BENEDICTUS EPISCOPUS

### SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

*Deteſtabilem, ac Divina naturalique lege damnatum Duellorum abuſum, a barbaris gentibus atque ſuperſtitioſis, non ſine ingenti corporum, animarumque clade, in Chriſtianam Rempublicam auctore diaboli invectum, cum ſemper exſecrata ſit, atque improbarit Eccleſia, tum præcipua in eum cura, ſtudio, vigilantia, ac zelo incubuerunt Romani Pontifices, ut a Fidelium cœtu longiſſime arceretur. Nam ut antiquiora mittamus Prædeceſſorum Noſtrorum Nicolai I., Cæleſtini III., Innocentii II., Eugenii III., Alexandri III., Innocentii IV. adverſus ſingulares pugnas decreta, extant recentiores Apoſtolicæ Sedis Conſtitutiones, quibus Romani Pontifices Julius II., Leo X., Clemens VII., ac demum Pius IV. graviſſimas pœnas antea ſtatutas confirmarunt, aliaſque de novo addiderunt contra duellantes ex quacumque cauſa, etiam per ſæculares Regionum, aut Locorum leges forſan permiſſa, adjecta infamia, bonorumque proſcriptione etiam adverſus complices ac participes, & qualemcumque operam iiſdem præbentes.*

*Tridentina vero Synodus latam in eos excommunicationem extendit ad Imperatores, & reges, Duces, ac Principes, ceteroſque Dominos temporales, ſi locum ad Monomachiam in terris ſuis conceſſerint, ac juriſdictione, & dominio loci in quo duellum fieri permiſerint, quem ab Eccleſia obtinerant, eo ipſo privatos declaravit. Committentes vero pugnam, eorumque Patrinos, excommunicationis, ac omnium bonorum proſcriptionis, nec non perpetuæ infamiæ pœnam incurrere ſtatuit; & ſi in ipſo conflictu deceſſerint, Eccleſiaſtica ſepultura perpetuo carituros decrevit.*

*Cum vero præfatis ſaluberrimis legibus judicialia duntaxat, ac ſolemnia duella comprehenſa, ac proſcripta viderentur, piæ memoriæ Prædeceſſor noſter Gregorius Papa XIII. hujuſmodi pœnas adverſus eos omnes extendit, qui nedum publice, ſed etiam privatim ex condicto, ſtatuto tempore, & loco Monomachiam commiſerint, etiamſi nulli Patrini, ſociive ad id vocati fuerint, nec loci ſecuritas habita, nullave provocatoria littera, aut denuntiationis cartula præceſſerint.*

*Denique felicis recordationis Clemens Papa VIII. Prædeceſſor Noſter, Apoſtolicas Romanorum ante ſe Pontificum leges omnes, & pœnas in iis ſtatutas, ſua Conſtitutione, quæ incipit, Illius vices, data XVI. Kal. Septembris anno MDXCII. diſerte complexus, eaſdem extendit ad omnes non ſolum luctantes, ſed etiam provocantes, ſuadentes, equos, arma, commeatus præbentes, comitantes; chartulas, libellos, manifeſta mittentes, ſcribentes, vel divulgantes, aut quomodolibet circa ipſa cooperantes, ſocios, Patrinos, de induſtria ſpectatores, fautores, criminis demum participes, illudque permittentes, vel quantum in ipſis eſt, non prohibentes, ac delinquentibus veniam, & impunitatem concedentes, quique ſe prædictis quoquomodo immiſcuerint, etiamſi neque pugna effectus, neque acceſſus ad locum ſit ſubſequutus.*

*His tam ſapienter, tam aperte, atque perſpicue ab Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede conſtitutis, dubitari jam nullo modo poſſe videbatur, quin duella omnia, tam publica, quam privata, & naturali, & Divino, & Eccleſiaſtico jure prorſus illicita, vetita, atque damnata cenſeri deberent: ſed nonnulli earum Legum interpretes, per benignitatis ſpeciem humanis praviſque cupiditatibus plus æquo faventes, Apoſtolicas Sanctiones ad corrupta hominum judicia inflectentes ac temperantes,* licere decreverunt Viro Equeſtri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat: Fas eſſe defenſione occiſiva, vel ipſis Clericis, ac Religioſis, tueri honorem dum alia declinandæ calumniæ via non ſuppetit; propulſare damna, quæ ex iniqua judicis ſententia certo imminent, defendere non ſolum quæ poſſidemus, ſed etiam ea, ad quæ jus inchoatum habemus, dum alia via id aſſequi non valeamus: *Quas quidem aſſertiones duellis faventes, Apoſtolica Sedes cenſura notavit, rejecit, proſcripſit.*

*Et Nihilominus extiterunt quam proxime recentiores alii, qui etſi Duella, vel odii, vel vindictæ, vel honoris tuendi cauſa, vel leviſſimi momenti res fortunaſque ſervandi, fateantur illicita, aliis tamen in circumſtantiis, & caſibus, vel amittendi Officii, & ſuſtentationis, vel denegata ſibi a Magiſtratu juſtitia, defenſionis innoxiæ titulo, ea licere pronuntiant. Laxas, & periculi plenas opiniones hujuſmodi, ex vulgatis eorum libris ad Nos delatas, ubi primum accepimus, earum examen nonnullis ex venerabilibus fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, & quibuſdam Dilectis Filiis Sacræ Theologiæ Magiſtris ſpecialiter ad id per Nos deputatis, commiſimus, qui re mature diſcuſſa, ſatis eorum Nobis tum voce, tum ſcripto ſuffragiis, infraſcriptas Propoſitiones, cenſura, & proſcriptione dignas exiſtimarunt.*

1. Vir militaris, qui niſi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidoloſus, timidus, abjectus, & ad Officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo ſe ſuoſque ſuſtentat, privaretur; vel promotionis, alias ſibi debitæ ac promeritæ, ſpe perpetuo carere deberet, culpa & pœna vacaret, ſive offerat ſive acceptet duellum.

2. Excuſari poſſunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipenſionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo ſciunt pugnam non eſſe ſecututam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit in Eccleſiaſticas pœnas ab Eccleſia contra duellantes latas, Dux, vel Officialibus Militiæ, acceptans duellum, ex gravi metu amiſſionis famæ & officii.

4. Licitum eſt, in ſtatu hominis naturali, acceptare, & offerre duellum, ad ſervandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulſari nequit.

5. Aſſerta licentia pro ſtatu naturali, applicari etiam poteſt ſtatui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia Magiſtratus, juſtitia aperte denegatur.

*Auditis itaque, ſuper unaquaque earum Propoſitionum, dictorum Cardinalium, & Conſultorum judiciis, atque omnibus rite & mature conſideratis, Nos ipſas, præſentium litterarum tenore, & Apoſtolica auctoritate, tamquam falſas, ſcandaloſas, ac pernicioſas rejicimus, damnamus, ac prohibemus, ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam diſputandi gratia, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnandi, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in mortis articulo) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi ab exiſtente pro tempore Romano Pontifice abſolvi.*

*Inſuper diſtricte, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii, prohibemus omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum, ad praxim deducant.*

*Jam vero ut exitioſam duellorum licentiam, in Chriſtiana, ac præſertim militari Republica, non obſtantibus prædictis legibus a pleriſque etiam Sæcularibus Principibus, & Poteſtatibus ad eamdem extirpandam laudabiliter editis, adhuc gliſcentem, validiore manu coerceamus, graviſſimumque ſcelus Apoſtolicæ diſtrictionis gladio magis magiſque inſequamur; omnes & ſingulas dictorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutiones ſuperius enunciatas, quarum teno-*

tenore, ac ſi præſentibus de verbo ad verbum inſertæ forent, pro ſufficienter expreſſis haberi volumus; Apoſtolica auctoritate confirmantes & innovantes, ad hoc ut pœnarum gravitas & ſeveritas majorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, Noſtro motu proprio, ac de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, earumdem præſentium literarum ſerie, ſtatuimus atque decernimus, ut ſi quis in duello, ſive publice, ſive privatim indicto, hominem occiderit, ſive is mortuus fuerit in loco conflictus, ſive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujuſmodi homicida, tanquam interficiens proximum ſuum animo præmeditato ac deliberato, ad formam Conſtitutionis felicis recordationis Prædeceſſoris Noſtri Benedicti Papæ XIII. quæ incipit ex quo divina, data VI. Idus Junii Anno Domini MDCCXXV., ab Eccleſiaſticæ Immunitatis beneficio excluſus & repulſus omnino cenſeatur: ita ut a cujuſcumque Sacri aut Religioſi loci Aſylo, ad quod confugerit, ſervatis tamen de jure ſervandis, extrahi, & Judicis competentis Curiæ pro merito puniendus tradi poſſit & debeat; ſuper quo Nos Epiſcopis, aliiſque Superioribus Antiſtitibus, ad quos reſpective pertinet, & pertinebit impoſterum, neceſſarias & opportunas facultates præſentium quoque tenore impertimur. Quia etiam, vivente adhuc altero in ſingulari certamine graviter vulnerato, ſi percuſſor in locum immunem ſe receperit, ex quo eveniente illius morte fugam arripere, & legum ſeveritatem evadere poſſe proſpiciatur; Volumus, & reſpective permittimus, ut quatenus periti ad inſpiciendum vulnus acciti, grave vitæ periculum adeſſe retulerint, percuſſor ipſo prævie ſemper Decreto Epiſcopi, & cum aſſiſtentia perſonæ Eccleſiaſticæ ab eodem Epiſcopo deputatæ, ab hujuſmodi loco immuni extrahatur, ſive moræ carceribus mancipetur, ea tamen lege Judicibus indicta, ut illum Eccleſiæ reſtituere debeant, ſi vulneratus ſuperſtes vivat ultra tempus a legibus, quæ de homicidiis ſunt, conſtitutum, alioquin in eaſdem pœnas incidant, quæ in memoratis Benedicti XIII. literis conſtitutæ ſunt adverſus illos, qui delinquentem in aliquo ex caſibus ibidem expreſſis, ex indiciis ad id ſufficientibus ſibi traditum, reſtituere recuſant, poſtquam is in ſuis defenſionibus hujuſmodi indicia diluerit.

Præterea ſimili motu, & auctoritate decernimus ac declaramus ſepulturæ ſacræ privationem a Sacroſancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli & conflictus, incurrendam perpetuo fore etiam ante ſententiam Judicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, ſive duellum publice, ſive privatim indictum fuerit, ac etiam vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ ſigna dederit, atque a peccatis & cenſuris abſolutionem obtinuerit; ſublata Epiſcopis, & Ordinariis Locorum ſuper hac pœnæ interpretandi ac diſpenſandi facultate, quo ceteris documentum præbeatur fugiendi ſceleris ac debitam Eccleſiæ legibus obedientiam præſtandi.

In hujus demum ſollicitudinis noſtræ ſocietatem vocantes cariſſimos in Chriſto Filios Noſtros Imperatorem electum, cunctoſque Catholicos Reges, necnon Principes, Magiſtratus, Militiæ Duces, atque Præſules, eos omnes & ſingulos, pro ſua in Deum religione, ac pietate enixe obteſtamur in Domino, ut conjunctis ſtudiis & animis, exitioſa duellorum licentia, quæ Regnorum tranquillitas, populorum ſecuritas, atque incolumnitas, neque corporum ſolum, ſed, quæ nullo pretio æſtimari poteſt, æterna animarum vita certe periclitatur, omni niſu & conſtantia vehementer obſiſtant. Neque ſibi, ſuæque in Deum fidei, munerique ratiani feciſſe ſatis intelligant, quod optime conſtitutis legibus, indictiſque graviſſimis pœnis, horrendum facinus proſcriptum ſit, niſi accuratam ipſarum legum, pœnarumque executionem naviter urgeant ac promoveant, ſeque inexorabiles Dei vindices in eis, qui talia auſint, diligenter exhibeant; nam ſi delinquentes aut oſcitanter ferant, aut molliter puniant, aliena ſeſe crimine polluent, omniſque illius ſanguinis reos ſeſe conſtituent, quem ita crudeliter inultum effundi permiſerint. Vano enim falſoque honoris idolo humanas litari victimas non impune feret ſupremus omnium Judex Deus, rationem ab iis aliquando exacturus, quorum eſt divina, & humana jura tueri, ſibique creditorum hominum vitam ſervare, pro quibus ſanguinem ipſe ſuum Jeſus Chriſtus effudit.

Volumus autem ut præſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem ubique, etiam in judicio, fides habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi originaliter forent exhibitæ vel oſtenſæ; utque eadem præſentes in conſuetis locis publicis hujus almæ Urbis per Curſores noſtros, ut moris eſt, publicatæ & affixæ, omnes & ſingulos, quos concernunt ſeu concernent in futurum, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ & notificatæ fuiſſent.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum prohibitionis, damnationis, præcepti, ſtatuti declarationis, facultatum impertitionis, obteſtationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCLII., quarto Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertiodecimo.





# EPISTOLÆ ENCYCLICÆ

## *ATQUE DECRETA APOSTOLICA*

## FELICIS RECORDATIONIS

# BENEDICTI PAPÆ XIV.

*Ad Materiam Jejuniorum ſpectantia.*

### PROVIDETUR

*Abuſibus adverſus Jejunii Quadrageſimalis obſervantiam invectis.*

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis gratiam, & Communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus.

### BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

NON ambigimus, venerabiles Fratres, quin univerſis Catolicæ Religionis cultoribus notum ſit, a tota per Chriſtianum Orbem Eccleſia inter præcipua Orthodoxæ Diſciplinæ capita perpetuo adnumeratum retineri Quadrageſimale jejunium, quod olim in lege & Prophetis primitus adumbratum, ipſius D. N. Jeſu Chriſti exemplo veluti conſecratum, ab Apoſtolis traditum, a ſacris Canonibus utique præſcriptum, & ab univerſali Eccleſia, ab ipſo ſui primordio retentum & obſervatum eſt. Hoc nimirum, ut veteres tradidere Patres, nobis quotidie peccantibus communis pœnitentiæ conſtituto remedio per conſortium Crucis Chriſti, nos etiam aliquid in eo, quod ipſe propter nos præſtitit, agimus; ſimulque ad recolenda ſacratiora Redemptionis noſtræ myſteria, quæ per Dominicæ Paſſionis, ac reſurrectionis memoriam, quadrageſimali potiſſimum tempore, ſollemnius celebrantur, purificatis jejunio corporibus & animis dignius paramur. Hac veluti noſtræ militiæ teſſera ab inimicis Chriſti ſecernimur, flagella Divinæ ultionis avertimus, & cæleſti præſidio in dies adverſus Principes tenebrarum munimur. Hoc deſpectui habito, non contemnendum Divinæ gloriæ detrimentum, non leve Catholicæ Religioni dedecus, nec dubium animabus Chriſtifidelium periculum obtingit; nec aliunde populis calamitates, rebuſque publicis & privatis cladem exitiumque importatum eſſe conſtat. Ab hac vero inſita inhærentique in omnium Catholicorum hominum animis de ſacratiſſima Quadrageſima, aliiſque diebus jejunio conſecratis perſuaſione & reverentia, quam aliena, quam diſcors, quam abſona ſit hodierna jejunantium conſuetudo, quantum ab ipſa jejuniorum inſtitutione, & ſervata ſemper, ubique, & ab omnibus Diſciplina quam longiſſime diſtet; Vos Venerabiles Fratres, qui populorum curæ veſtræ commiſſorum mores, & uſus probe noſtis, pro ſingulari ſapientia veſtra præ ceteris clarius intelligitis. Nos ſane, quibus in hoc ſublimi Apoſtolicæ procurationis ſpecula conſtitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis ſatis deplorare non poſſumus, anguſtiſſimam Quadrageſimalis Jejunii obſervantiam, ob nimiam, nullis legitimis urgentibus cauſſis, ubique indiſcriminatim diſpenſandi facilitatem, plane ſublatam eſſe; ita ut Orthodoxæ quidem Religionis cultores merito querantur, hæreſum vero ſectatores illudant & exultent. Pernicioſæ huic corruptelæ pluriumorum inſuper licentiam adjunctam eſſe graviter dolemus, quæ uſque adeo invaluit, ut, nulla Apoſtolici inſtituti ſacratiſſimique præcepti habita ratione, jejuniorum tempore palam & impune ab iiſdem agitentur convivia & epulæ interdictæ promiſcue inferantur. Ea propter quemadmodum quibus curis, ſollicitudinibus & angoribus urgeamur, cum Fraternitatibus Veſtris communicamus, ita facere non poſſumus, quin pro injuncto Nobis ſupremo Sacroſancti Apoſtolatus officio, & ardentiſſimum Fraternitatum Veſtrarum zelum ad opportunum hiſce malis adhibendum remedium excitemus, & ad congruentes hujuſmodi abuſibus penitus extirpandis leges præſcribendas meditemur. Interea Venerabiles Fratres, gaudium & corona noſtra, nobiſcum conſiderantes, nihil Deo acceptius, nihil paſtorali miniſterio noſtro dignius, nihil gregibus curæ noſtræ commiſſis utilius, quam ut verbo & exemplo præeuntes, Chriſti fideles ad tam ſalutarem Chriſtianæ pœnitentiæ, & pietatis exercitationem alacrius ſuſcipiendam, conſtantiſſime retinendam, & ea, qua inſtituta fuit, diſciplina peragendam vehementius inflammemus, omni opera atque induſtria ſtudeamus, ut fideles in conſpectu Dei per auſteriorem Jejuniorum obſervantiam tales permaneant, quales in ipſo Paſchali feſto dignum eſt inveniri. Debitum igitur Paternæ uniuſcujuſque Veſtrum ſedulitatis & caritatis officium jure poſtulat, ut omnibus notum faciatis & annuncietis, nemini quidem ſine legitima cauſſa, & de utriuſque Medici conſilio, multitudini vero, veluti populo, aut civitati, aut indiſcriminatim integræ, nonniſi graviſſima & urgente neceſſitate, & in caſibus per ſacra Canonum Statuta præſcriptis cum debita Apoſtolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia a Quadrageſimali jejunio diſpenſationem toties quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque uſurpandam, nec ſuperbe & arroganter ab Eccleſia, uti alicubi in more poſitum eſſe accepimus, eſſe poſtulandam. Graviſſimam vero urgentemque neceſſitatem, etſi non eſt cur Vobis explicemus, nolumus tamen vos ignorare, cum hujuſmodi neceſſitate & ſervandam eſſe potiſſimum unicam comeſtionem, ſicut alias hic Romæ, ac Nos ipſi hoc anno urgentibus cauſſis diſpenſantes, expreſſe præſcripſimus; & licitas atque interdictas epulas promiſcue minime apponendas eſſe. Porro quemadmodum de ejuſmodi indulgentia tam caute impertienda, ſi ſecus fieret, Nos perſuaſum habemus diſtrictam ſupremo Divino Judici redditum iri rationem; ita conſcientiam uniuſcujuſque Veſtrum onerandam eſſe ducimus. Inſimul Fraternitates Veſtras rogamus, & in Domino exhortantes obſecramus, ut populos, qui communem omnium Chriſtifidelium pœnitentiam, ac diſciplinam ſervare nequeant, commonere ſatagatis, ne per alia pietatis opera, ut ſua cuique devotio ſuggeret, peccata ſua expiare, & Deo ſatisfacere negligant; quinimmo ſanandis vulneribus, quibus humana infirmitas ſauciatur, diligentem adhibere ſtudeant curationem, & culpas de mundano pulvere contractas, dum caſta jejunia decoquere non poſſunt, per pia opera, orationum ſuffragia, & eleemoſynæ munera redimant. Interim ſolatium & levamen non leve mœrori noſtro a paſtorali vigilantia, & caritate veſtra præſtolantes, ac certo Nobis pollicentes, Apoſtolicam benedictionem cum uberi cæleſtium chariſmatum copia conjunctam, in eoſdem populos veſtros redundaturam, Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, ſive exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica

*tenore, ac ſi præſentibus de verbo ad verbum inſerta forent, pro ſufficienter expreſſis haberi volumus; Apoſtolica auctoritate confirmantes & innovantes, ad hoc ut pœnarum gravitas & ſeveritas majorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, Noſtro motu proprio, ac de Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, earumdem præſentium literarum ſerie, ſtatuimus atque decernimus, ut ſi quis in duello, ſive publice, ſive privatim indicto, hominem occiderit, ſive is mortuus fuerit in loco conflictus, ſive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujuſmodi homicida, tanquam interficiens proximum ſuum animo præmeditato ac deliberato, ad formam Conſtitutionis felicis recordationis Prædeceſſoris Noſtri Benedicti Papæ XIII. quæ incipit* Ex quo divina, *data VI. Idus Junii Anno Domini MDCCXXV. ab Eccleſiaſticæ Immunitatis beneficio excluſus & repulſus omnino cenſeatur: ita ut a cujuſcumque Sacri aut Religioſi loci Aſylo, ad quod confugerit, ſervatis tamen de jure ſervandis, extrahi, & Judicis competentis Curiæ pro merito puniendus tradi poſſit & debeat; ſuper quo Nos Epiſcopis, aliiſque Superioribus Antiſtitibus, ad quos reſpective pertinet, & pertinebit impoſterum, neceſſarias & opportunas facultates præſentium quoque tenore impertimur. Quia etiam, vivente adhuc altero in ſingulari certamine graviter vulnerato, ſi percuſſor in locum immunem ſe receperit, ex quo evenicate illius morte fugam arripere, & legum ſeveritatem evadere poſſe proſpiciatur; Volumus, & reſpective permittimus, ut quatenus periti ad inſpiciendum vulnus acciti, grave vitæ periculum adeſſe retulerint, percuſſor ipſe prævio ſemper Decreto Epiſcopi, & cum aſſiſtentia perſonæ Eccleſiaſticæ ab eodem Epiſcopo deputatæ, ab hujuſmodi loco immuni extrahatur, ſive mox carceribus mancipetur, ea tamen lege Judicibus indicta, ut illum Eccleſiæ reſtituere debeant, ſi vulneratus ſuperſtes vivat ultra tempus a legibus quæ de homicidiis ſunt, conſtitutum, alioquin in eaſdem pœnas incidant, quæ in memoratis Benedicti XIII. literis conſtitutæ ſunt adverſus illos, qui delinquentem in aliquo ex caſibus ibidem expreſſis, ex indiciis ad id ſufficientibus ſibi traditum, reſtituere recuſant, poſtquam is in ſuis defenſionibus hujuſmodi indicia diluerit.*

*Præterea ſimili motu, & auctoritate decernimus ac declaramus ſepulturæ ſacræ privationem a Sacroſancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli & conflictus, incurrendam perpetuo fore etiam ante ſententiam Judicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, ſive duellum publice, ſive privatim indictum fuerit, ac etiam vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ ſigna dederit, atque a peccatis & cenſuris abſolutionem obtinuerit; ſublata Epiſcopis, & Ordinariis Locorum ſuper hac pœna interpretandi ac diſpenſandi facultate, quo ceteris documentum præbeatur fugiendi ſceleris ac debitam Eccleſiæ legibus obedientiam præſtandi.*

*In hujus demum ſollicitudinis noſtræ ſocietatem vocantes cariſſimos in Chriſto Filios Noſtros Imperatorem electum, cunctoſque Catholicos Reges, necnon Principes, Magiſtratus, Militiæ Duces, atque Præſules, eos omnes & ſingulos, pro ſua in Deum religione, ac pietate enixe obteſtamur in Domino, ut conjunctis ſtudiis & animis, exitioſæ duellorum licentiæ, qua Regnorum tranquillitas, populorum ſecuritas, atque incolumnitas, neque corporum ſolum, ſed, quæ nullo pretio æſtimari poteſt, æterna animarum vita certo periclitatur, omni niſu & conſtantia vehementer obſiſtant. Neque ſibi, ſuæque in Deum fidei, munerique rationi feciſſe ſatis intelligant, quod optimis conſtitutis legibus, indictiſque graviſſimis pœnis, horrendum ſcelus proſcriptum ſit, niſi accuratam ipſarum legum, pœnarumque executionem naviter urgeant ac promoveant, ſeque inexorabiles Dei vindices in eis, qui talia auſint, diligenter exhibeant; nam ſi delinquentes aut oſcitanter ferant, aut molliter puniant, aliena ſeſe crimine polluunt, omniſque illius ſanguinis rei ſeſe conſtituunt, quem ita crudeliter inultum effundi permiſerint. Vana enim falſique honoris idola humanas litare victimas non impune feret ſupremus omnium Judex Deus, rationem ab iis aliquando exacturus, quorum eſt divina, & humana jura tueri, ſibique creditorum hominum vitam ſervare, pro quibus ſanguinem ipſe ſuum Jeſus Chriſtus effudit.*

*Volumus autem ut præſentium literarum tranſumptis, etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem ubique, etiam in judicio, fides habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi originaliter forent exhibitæ vel oſtenſæ; utque eædem præſentes in conſuetis locis publicis hujus almæ Urbis per Curſores noſtros, ut moris eſt, publicatæ & affixæ, omnes & ſingulos, quos concernunt ſeu concernent in futurum, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ & notificatæ fuiſſent.*

*Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum prohibitionis, damnationis, præcepti, ſtatuti declarationis, facultatum impertitionis, obteſtationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.*

*Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCLII., quarto Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertiodecimo.*





# EPISTOLÆ ENCYCLICÆ

*ATQUE DECRETA APOSTOLICA*

FELICIS RECORDATIONIS

# BENEDICTI PAPÆ XIV.

*Ad Materiam Jejuniorum ſpectantia.*

## PROVIDETUR

*Abuſibus adverſus Jejunii Quadrageſimalis obſervantiam invectis.*

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis gratiam, & Communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.*

NON ambigimus, venerabiles Fratres, quin univerſis Catolicæ Religionis cultoribus notum ſit, a tota per Chriſtianum Orbem Eccleſia inter præcipua Orthodoxæ Diſciplinæ capita perpetuo adnumeratum retineri Quadrageſimale jejunium, quod olim in lege & Prophetis primitus adumbratum, ipſius D. N. Jeſu Chriſti exemplo veluti conſecratum, ab Apoſtolis traditum, a ſacris Canonibus utique præſcriptum, & ab univerſali Eccleſia, ab ipſo ſui primordio retentum & obſervatum eſt. Hoc nimirum, ut veteres tradidere Patres, nobis quotidie peccantibus communis pœnitentiæ conſtituto remedio per conſortium Crucis Chriſti, nos etiam aliquid in eo, quod ipſe propter nos præſtitit, agimus; ſimulque ad recolenda ſacratiora Redemptionis noſtræ myſteria, quæ per Dominicæ Paſſionis, ac reſurrectionis memoriam, quadrageſimali potiſſimum tempore, ſollemnius celebrantur, purificatis jejunio corporibus & animis dignius paramur. Hac veluti noſtræ militiæ teſſera ab inimicis Chriſti ſecernimur, flagella Divinæ ultionis avertimus, & cœleſti præſidio in dies adverſus Principes tenebrarum munimur. Hoc deſpectui habito, non contemnendum Divinæ gloriæ detrimentum, non leve Catholicæ Religioni dedecus, nec dubium animabus Chriſtifidelium periculum obvenit; nec aliunde populis calamitates, rebuſque publicis & privatis cladem exitiumque importatum eſſe conſtat. Ab hac vero inſita inhærentique in omnium Catholicorum hominum animis de ſacratiſſima Quadrageſima, aliiſque diebus jejunio conſecratis perſuaſione & reverentia, quam aliena, quam diſcors, quam abſona ſit hodierna jejunantium conſuetudo, quantum ab ipſa jejuniorum inſtitutione, & ſervata ſemper, ubique, & ab omnibus Diſciplina quam longiſſime diſtet; Vos Venerabiles Fratres, qui populorum curæ veſtræ commiſſorum mores, & uſus probe noſtis, pro ſingulari ſapientia veſtra præ ceteris clarius intelligitis. Nos ſane, quibus in hoc ſublimi Apoſtolicæ ſpeculationis ſpecula conſtitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis ſatis deplorare non poſſumus, anguſtiſſimam Quadrageſimalis Jejunii obſervantiam, ob nimiam, nullis legitimis urgentibus cauſſis, ubique indiſcriminatim diſpenſandi facilitatem, plane ſublatam eſſe; ita ut Orthodoxæ quidem Religionis cultores merito querantur, hæreſum vero ſectatores illudant & exultent. Pernicioſæ huic corruptelæ plurimorum inſuper licentiam adjunctam eſſe graviter dolemus, quæ uſque adeo invaluit, ut, nulla Apoſtolici inſtituti ſacratiſſimique præcepti habita ratione, jejuniorum tempore palam & impune ab iiſdem agitentur convivia & epulæ interdictæ promiſcue inferantur. Ea propter quemadmodum quibus curis, ſollicitudinibus & angoribus urgeamur, cum Fraternitatibus Veſtris communicamus, ita facere non poſſumus, quin pro injuncto Nobis ſupremo Sacroſancti Apoſtolatus officio, & ardentiſſimum Fraternitatum Veſtrarum zelum ad opportunum hiſce malis adhibendum remedium excitemus, & ad congruentes hujuſmodi abuſibus penitus extirpandis leges præſcribendas meditemur. Interea Venerabiles Fratres, gaudium & corona noſtra, nobiſcum conſiderantes, nihil Deo acceptius, nihil paſtorali miniſterio noſtro dignius, nihil gregibus curæ noſtræ commiſſis utilius, quam ut verbo & exemplo præeuntes, Chriſti fideles ad tam ſalutarem Chriſtianæ pœnitentiæ, & pietatis exercitationem alacrius ſuſcipiendam, conſtantiſſime retinendam, & ea, qua inſtituta fuit, diſciplina peragendam vehementius inflammemus, omni opera atque induſtria ſtudeamus, ut fideles in conſpectu Dei per auſteriorem Jejuniorum obſervantiam tales permaneant, quales in ipſo Paſchali feſto dignum eſt inveniri. Debitum igitur Paternæ uniuſcujuſque Veſtrum ſedulitatis & caritatis officium jure poſtulat, ut omnibus notum faciatis & annuncietis, nemini quidem ſine legitima cauſſa, & de utriuſque Medici conſilio, multitudini vero, veluti populo, aut civitati, aut indiſcriminatim integræ, nonniſi graviſſima & urgente neceſſitate, & in caſibus per ſacra Canonum Statuta præſcriptis cum debita Apoſtolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia a Quadrageſimali jejunio diſpenſationem toties quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque uſurpandam, nec ſuperbe & arroganter ab Eccleſia, uti alicubi in more poſitum eſſe accepimus, eſſe poſtulandam. Graviſſimam vero urgentemque neceſſitatem, etſi non eſt cur Vobis explicemus, nolumus tamen vos ignorare, cum hujuſmodi neceſſitate & ſervandam eſſe potiſſimum unicam comeſtionem, ſicut alias hic Romæ, ac Nos ipſi hoc anno urgentibus cauſſis diſpenſantes, expreſſe præſcripſimus; & licitas atque interdictas epulas promiſcue minime apponendas eſſe. Porro quemadmodum de ejuſmodi indulgentia tam caute impertienda, ſi ſecus fieret, Nos perſuaſum habemus diſtrictam ſupremo Divino Judici redditum iri rationem; ita conſcientiam uniuſcujuſque Veſtrum onerandam eſſe ducimus. Inſimul Fraternitates Veſtras rogamus, & in Domino exhortantes obſecramus, ut populos, qui communem omnium Chriſtifidelium pœnitentiam, ac diſciplinam ſervare nequeant, commonere ſatagatis, ne per alia pietatis opera, ut ſua cuique devotio ſuggeret, peccata ſua expiare, & Deo ſatisfacere negligant; quinimmo ſanandis vulneribus, quibus humana infirmitas ſauciatur, diligentem adhibere ſtudeant curationem, & culpas de mundano pulvere contractas, dum caſta jejunia decoquere non poſſunt, per pia opera, orationum ſuffragia, & eleemoſynæ munera rediment. Interim ſolatium & levamen non leve mœrori noſtro a paſtorali vigilantia, & caritate veſtra præſtolantes, ac certo Nobis pollicentes, Apoſtolicam benedictionem cum uberi cœleſtium chariſmatum copia conjunctam, in eoſdem populos veſtros redundaturam, Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, ſive exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica

conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, & adhiberi poſſet, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die trigeſima Menſis Maji milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, Pontificatus noſtri Anno primo.

*D. Cardinalis Paſſioneus.*

## DECLARATUR

*Unicam comeſtionem diebus Jejunii ab omnibus ſervandam eſſe, etiam ab iis, quibus ob peculiares cauſſas permittitur eſus carnium, ovorum, &c.*

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis gratiam, & Communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

IN ſuprema Univerſalis Eccleſiæ procuratione, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam ut Orthodoxæ Fidei aſſertores, ſic etiam Eccleſiaſticæ Diſciplinæ cuſtodes ac vindices conſtituti, Quadrageſimale præſertim Jejunium, quod *inter præcipua Orthodoxæ Diſciplinæ capita* ſemper & ubique ab ipſo Eccleſiæ exordio numeratum eſſe nemo ex Catholicis inficiatur, *ab hodierna Jejunantium corruptela vindicare, & in priſtinam*, quantum benedicente Domino fieri poſſet, *obſervantiam revocare cupientes*, per alias noſtras in ſimili forma Brevis literas ad Fraternitates veſtras die xxx. proximi elapſi Menſis Maji currentis anni datas eximium Fraternitatum veſtrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare ſtuderetis, ne hac in parte & optatum Apoſtolicæ noſtræ ſollicitudinis angoribus levamen & ſalutare *abolendæ ſacratiſſimi Jejunii corruptelæ* remedium deeſſet. Quoniam autem paternæ Pontificiæ caritatis, quæ novit imbecillitates infirmorum ſuſtinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum a Jejunio aliquando legitima cauſſa, aut graviſſima urgentique neceſſitate exigente diſpenſandum eſſe ex Apoſtolica benignitate cenſuimus; *ita inter cetera præſcripſimus Unicam Comeſtionem ſervandam*, & licitas atque interdictas Epulas minime eſſe apponendas. *Hinc factum eſſe accepimus, quod non defuerunt qui per humanas & hominibus a Chriſtiana pœnitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes ſibi aliiſque perſuaderent*, unicam potiſſimum Comeſtionem ſervari, atque Epulas licitas & interdictas minime apponi debere; cum multitudini quidem indiſcriminatim ob urgentem graviſſimamque neceſſitatem, non vero ſingulis ob legitimam cauſſam & de utriuſque Medici conſilio diſpenſatur. *Quam ſane perſuaſionem a ſententia noſtra alienam* ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos quibuſcumque quacumque occaſione ſive multitudini indiſcriminatim ob urgentem graviſſimamque neceſſitatem, ſive ſingulis ob legitimam cauſſam de utriuſque Medici conſilio, dummodo nulla certa & periculoſa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri neceſſario exigat, in Quadrageſima, aliiſque anni Temporibus & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum eſus eſt prohibitus, diſpenſari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, *Unicam Comeſtionem ſervandam*, & licitas atque interdictas Epulas minime eſſe apponendas tenore præſentium *declaramus & edicimus*: quemadmodum per ſingulas noſtras in pari forma Brevis literas ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in ſacratiſſima Quadrageſima aliiſque Jejunio conſecratis diebus facultatem veſcendi prohibitis dantes, unicuique *expreſſe præſcribimus atque præcipimus*. Ea propter Fraternitates veſtras rogamus, atque in Domino obſecramus, ut populos veſtræ curæ commiſſos ad tam opportunum ſanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quiſque ſauciatur, ſanctiſſimi Jejunii remedium alacriter adhibendum cohortantes ſedulo ac paterne moneatis rem agi non quidem exiguam, ſed longe graviſſimam de obſervando ſuſtinendoque Jejunio, purificandis animis corporibuſque ſalutari. In ſpem igitur illos erigite cæleſtium præmiorum, quibus aſſequendis non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis; immo leve ac momentaneum non tribulationis, ſed modicæ abſtinentiæ noſtræ incommodum, magnum gloriæ pondus operatur in Cælis. Ab omnibus ſe abſtinent, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant: pudeat tam imbelles ac delicatos chriſtianæ militiæ milites refugientes a conſortio Crucis Chriſti, qui coronam legitime certantibus propoſitam ſperare præcipit incorruptam; ad cujus auſpicium & pignus Fraternitatibus veſtris Apoſtolicam benedictionem iiſdem etiam populis veſtris noſtro nomine impertiendam peramanter elargimus. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, ſive exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, & adhiberi poſſet, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. M. Maj. ſub Annulo Piſcatoris, die vigeſima ſecunda menſis Auguſti milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

*D. Cardinalis Paſſioneus.*

## DE JEJUNII DISCIPLINA

*Conſervanda, vel redintegranda. De diſpenſationibus generalibus pro Oppidis aut Diœceſibus integris, non niſi certa ratione, & juſta de cauſſa petendis, & concedendis.*

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis gratiam, & Communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

LIbentiſſime quidem amplectimur, quæ Nobis offeruntur occaſiones ad veſtros animos excitandos, ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ reparandæ ſedulam curam conferatis. Etenim Summi Pontificatus dignitati, ad quam Nos, licet immerentes, evecti fuimus, conjunctam eſſe intelligimus ſollicitudinem aliarum Eccleſiarum, Nobiſque commendatam; qui plane tenuitatem virium noſtrarum non ignoramus.

Cum itaque præſentium literarum argumentum totum ſit de jejunio, quod tempore Quadrageſimæ, veteri Eccleſiæ inſtituto, ac lege Fidelibus indicitur; ſupervacaneum duximus longam orationem conficere de Quadrageſimæ Inſtitutione, & Patrum, & Conciliorum omnes ſuper hac re in medium proferre auctoritates. Difficile id quidem Nobis parum videretur, ſed potius alienum, & nullo modo conſentaneum Vobis, quos doctrinæ laude, Canonum, & Sacræ hiſtoriæ cognitione præſtantes arbitramur. Porro adſcribendas has literas adducti fuimus graviſſimis illis verbis Tridentinæ Synodi quæ *ſeſſ. 25. de Reform.* præcipit Epiſcopis omne ſtudium impendere, ut Fideles ipſorum curæ traditi magna religione perficiant ea, quæ a Sacris Canonibus præſcribuntur = *Ut illis omnibus & iis præcipue ſint obſequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia.*

Ubi primum Bononienſem Eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepimus (ad quam beneficio Clementis XII. felic. record. ab Sede Anconitana tranſlati fuimus) Mandatum evulgavimus (quod Libro primo Inſtitutionum Noſtrarum pro Viris Eccleſiaſticis decimoquinto loco continetur): In illo plures difficultates indicavimus, ob quas minime ſolvendos Jejunii legibus putabamus illos, qui ob legitimam cauſſam, & legitima prius auctoritate interpoſita, Quadrageſimæ abſtinentiam non obſervarent, minime, inquam, ſolvendos a jejunio, itaut liceat ipſis quolibet die menſam bis inſtituere, non unica vice, veſpertina ſuperaddita Refectione, quæ permitti jejunantibus conſuevit. Tandem in hac Pontificia Sede collocati, rem totam in examen iterum revocavimus, & præſtantiſſimis quoque Viris demandavimus ipſam diligenter, accurateque perpendere, ac ſuas deinde opiniones Nobis exponere. His peractis hujuſmodi controverſiæ finem tribuere conſtituimus; illudque decrevimus, ne nulla inpoſterum, ſive peculiaris, ſive generalis pro aliqua Civitate, vel Oppido concedatur facultas adhibendi carnes ad menſam tempore jejunii, vel Quadrageſimæ, niſi conditio ſervandi jejunii, ſive unius comeſtionis interponatur; & aliud quoque monitum addatur, nequaquam licere menſam eamdem carne, & piſcibus inſtruere. Equidem declinatis hac ratione nimium implicatis quæſtionibus, exiſtimavimus unicam ſingulis diebus comeſtionem indicere illis etiam, qui carnibus uti, cum jejunium indicitur, ritè obtinuerant, & pravam illam conſuetudinem quæ apud multos jam nimis invaluerat, penitus evellere, aſſerendi nempe carnes in menſam cum piſcibus, poſtquam ipſi quadrageſimalis abſtinentiæ præcepto ſoluti fuerunt, ob eam potiſſimum cauſſam, quod grave detrimentum ſalutis ob uſu piſcium acciperent.

Hæc apertiſſime conſtant ex noſtris Apoſtolicis Literis quas in forma Brevis dedimus ad Omnes Epiſcopos Orbis Catholici anno 1741. quarum primæ incipiunt = *Non ambigimus* = alteræ vero = *In ſuprema* = Nos profecto nulli unquam elargiti ſumus veſci carnibus, cum tempus Quadrageſimæ ſive aliud jejunium præcipitur, niſi dicta, ſcriptaque conditione, quam ſuperius commemoravimus. Maximam pariter lætitiam percepimus, cum redditæ Nobis fuerunt plures Epiſtolæ, ac mandata veſtra Literis noſtris Apoſtolicis omnino conſentanea, quibus pro virili parte contendiſtis adducere populos vobis ſubjectos, ut poſitam in illis diſciplinam pie ſervarent.

Interim promulgatis iiſdem Apoſtolicis Literis quas paullo ante nominavimus, plures cavillationes excogitatæ ſunt a nonnullis, uti Nos antea facili conjectura ſuſpicati fuimus. Plures etiam quæſtiones propoſitæ Nobis fuerunt, exigui quidem ponderis, ac momenti, quemadmodum Nos opinamur; cum illæ vel ipſius Legis verbis vel ſenſu penitus corruant, ac diſſolvantur. Attamen Sacro Tribunali noſtræ Pœnitentiariæ rerum hujuſmodi conſcio ac peritiſſimo, eaſdem quæſtiones expendendas commiſimus, quibus omnino plene, cumulateque, quoties opus fuit, ſatisfecit.

Archiepiſcopus Compoſtellæ, in Hiſpaniarum Regnis Primus Inquiſitor, nuperrime vita functus, longam ad nos dedit Epiſtolam, qua plures recenſebat difficultates, quæ Literis noſtris Apoſtolicis adverſabantur, quominus executioni mandarentur, eo quod nonnulli Theologi in diverſas opiniones, ac ſententias abirent in ſolvendis quibuſdam quæſtionibus, quibus Literæ noſtræ Apoſtolicæ cauſſam & occaſionem præbebant; ac proinde de illis Judicium Noſtrum exquirebat. Equidem Archiepiſcopi Literæ Nos graviſſimis, ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt. Attamen, dum quæſtiones in ipſo expoſitas percurrimus, viſum Nobis eſt non quidem expeti, ut iis quæſtionibus reſponſum fieret, ipſiſque ſolutis nullum impedimentum, ſive obſtaculum noſtris Literis Apoſtolicis ſupereſſet, ſed potius ut objectis cavillationibus ad optatum finem ipſæ minime adducerentur. Accedit etiam, quod Epiſtola Archiepiſcopi multis argumentationibus, & obſcuris vocibus redundabat; quamobrem licet plures hortarentur, ne ullum Archiepiſcopo reſponſum redderemus, illi tamen ſatisfecimus, res præcipuas ex ejus literis delibantes, & quæſtiones omnes ad certum numerum redigentes. Primum Noſtris occupationibus tribuendum teſtati ſumus, quod tarde ipſi reſponſum daremus, ejus ſtudium commendavimus, & etiam magnopere probavimus, quod anceps, ac dubius ad hanc Sanctam Sedem confugerit; ut conſilium expoſceret. Deinde prolatis quæſtionibus ſatisfacere non prætermiſimus, illum tamen monentes de Inſtituto Summorum Pontificum, qui leges concedere ſolent, diſciplinam decernere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi cauſſas objiciunt, ut quæ conſtituta ſunt, perturbent, ac evertant.

Vix redditis Literis, Archiepiſcopus, paullo poſt vitæ curſum abſolvit: Itaque non immerito ſuſpicamur, reſponſa Noſtra, quæ literis continebantur, haud cognita fuiſſe, & perſpecta illis, qui quæſtiones excitaverant. Poſt hæc alii pariter ex Hiſpanis Epiſcopis nonnullas ex iiſdem quæſtionibus Nobis propoſuerunt: quare iiſdem reſponſis uſi ſumus, quæ tradita prius Archiepiſcopo Compoſtellæ a Nobis fuerunt. Non defuerunt etiam præſtantes inter Italos Theologi qui Literas noſtras Apoſtolicas datas anno 1741. egregiis commentariis illuſtrarunt. Idem contigit Reſponſo, quod fecimus Archiepiſcopo Compoſtellæ, *die 8. Julii anno 1744.* quod ſane integrum ſuis Libris præfigendum curaverunt. At quoniam Libri ejuſmodi ad Vos fortaſſe nondum pervenerunt, vel curis aliis diſtenti illos percurrere minime potuiſtis, his Literis Encyclicis adjungimus illas pariter, quas (uti dictum ſæpius eſt) ad Archiepiſcopum Compoſtellæ jam pridem ſcripſimus, ut quæ diſciplina Veſtris in Diœceſibus tenenda ſit, plane cognoſcatis, ac ne Vos deterreant difficultates, ſi quæ a captioſis hominibus concitentur.

## DECLARANTUR

*Quæſtiones circa Jejunii leges a Summo Pontifice inſtauratas propoſita.*

*Venerabili Fratri Archiepiſcopo Compoſtellæ*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SI *Fraternitas Tua ſecum reputabit, quot graviſſimis, & maximis curis propemodum obruamur, quantumque, hoc præſertim difficillimo tempore, prorſus Nos teneat impoſita ſcomitati Noſtræ ſollicitudo omnium Eccleſiarum, non ſane mirabitur, tamdiu ſibi procraſtinatum fuiſſe reſponſum ad eas Literas, quibus Apoſtolica auctoritate diſſolvendas rogaſti objecta Hiſpania diſputationes aliquas e duabus noſtris Epiſtolis ad omnes Epiſcopos ſuperioris anni 1741. 30. Maji, & 22. Auguſti, quibus intra legitimos fines coercuimus invaleſcentem Eccleſiaſtici Jejunii relaxationem. Potius tibi in mentem veniet cogitare de ſingulari noſtro in religioſiſſimam Hiſpanam Eccleſiam amore, unde Nos, immenſa licet rerum mole fatigatos, ad expediendum ſibi in omni ſua perplexitate ſalutis iter ope noſtra præſto habet. Quamquam igitur, dum pronuntiatas Conſtitutiones edidimus, non aliud propoſitum nobis fuerit, ac refrænare paucorum nimis ingenia fidentiam, Theologorum licentiam, qui opinionum novitatem gaudent: nec otium, nec animus Nobis fuerit definire quidquid ſubtili indagatione deduci poſſit, ex propoſita a nobis jejunandi regula; tamen eximia Paterna caritate complectimur adeo obſervantiſſimas Romanæ Sedis Hiſpanos, tantique facimus obſecutiones tuas, ut occurrere anxietati veſtræ libenter adjecerimus animum, & non ipſi quæſtiones abs te propoſitas dirimendas conſtituerimus. Sic autem ſe habent.*

I. *Utrum, quæ in antedictis noſtris Literis in forma Brevis de unica comeſtione, & de epulis non permiſcendis præſcribuntur, ſub gravi etiam præcepto prohibeantur.*

Reſpondemus: *Concedentes facultatem veſcendi carnibus tempore vetito, ſub gravi teneri eaſdem facultates non aliter, quam geminis hiſce adjectis conditionibus concedere, videlicet unica in diem comeſtionis, & non permiſcendarum epularum. Eos vero, qui hujuſmodi facultatibus utuntur, ſub gravi ad binas ipſas conditiones implendas obligari.*

II. *An iis, quibus conceſſum eſt veſci carnibus, liceat in veſpertina refectiuncula ea quantitate carnis veſci, quæ jejunantibus permittitur?*

Reſpondemus: *Non licere, ſed eos debere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes recta, meticuloſa conſcientiæ.*

III. *An qui jejunii tempore veſci carnibus permittuntur*

tur, & unica comeſtione uti debent, horam jejunantibus præſcriptam ſervare opus habeant? Edicimus, obſervandam iis eſſe.

IV. Quænam ſint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?

Reſpondemus: *Epulas licitas prædictis, quibus permiſſum eſt carnes comedere, eſſe carnes ipſas: epulas interdictas eſſe piſces, adeoque utrumque ſimul adhiberi non poſſe: Piſcibus tamen edendis non interdicuntur iis, quibus datur facultas adhibendi ova, & lacticinia.*

V. *An præceptum de utroque epularum genere non miſcendo dies quoque Dominicos Quadrageſimales complectatur?* Affirmatur, *complecti.*

VI. *Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere poſſunt, ova, & lacticinia.*

Reſcribimus. *Nihil in prænunciatis noſtris Apoſtolicis literis ſtatutum eſſe, quod reſpiciat gratioſum Cruciatæ Diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem ſtricte, & conſiderate perpendant, ex ejuſque ſententia ſe gerant. Caveant autem inani quapiam excuſatione ſeſe ſolutos eſſe arbitrentur præſcriptis ibi legibus.*

VII. *Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadrageſimam.*

Reſpondetur: *Urgere extra Quadrageſimam utrumque præceptum; illud ſcilicet unicæ comeſtioni cum reliquis legibus in ſecundo, & tertio ad hæc poſtulata reſponſo expreſſis, & alterum non permiſcendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto poſtulato definitum eſt.*

*Habes, Venerabilis Frater, penitus explicatum quidquid apud Vos ex noſtris ſæpius nuncupatis Apoſtolicis literis dubitationem attuliſſe ſcribis. Quo quidem in re laudavimus conſilium tuum interrogandæ Supremæ Romanæ Sedis, ut libere, & non vacillanti greſſu ad ejus ſanæ doctrinæ imbuendas incedere Paſtores queant; in iſtoque tuo ſuſcepto conſilio agnovimus Hiſpanam Religionem, nihil ſibi tutum, niſi a Divi Petri Cathedra acceptum, reputantem: quæ ſplendidiſſima gloria tantum nomen, & inconcuſſa Fidei ſtudium Hiſpaniæ ſibi peperit. Cavendum autem nobis eſt (idque plurimum ad te pertinet, qui illuſtris Archiepiſcopi, & Inquiſitoris geris præcipuum munus) ne in expendendis Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionibus pro nimia exhauriendi argumenti ſollicitudine nullus ſit differendi, ambigendique modus. Sedula deinde opera conferenda, ut iſtiuſmodi dubia, quæ facile pro ingeniorum varietate diſputando emergunt, penitus inter vos dirimantur, ne diuturna unquam diſceptatione ſluctuent animi, præſertim cum Conſtitutiones ipſæ Apoſtolicæ ſcopum, quo tendunt, aperte demonſtrent, & illuc prompte dirigi poteſt quidquid dubitando imperturbare videatur. Id ſi animadvertiſſent qui de præſenti negotio plura dubitarunt, nedum ſibi exſolviſſent. Patebat enim, nihil aliud nobis in animo fuiſſe quam cohibere vivida nonnullorum Theologorum ingenia, qui nimium ſaui jejunii fines prætergreſſi, & non parum oblati, illud ad retinendum in Officio corpus divinitus inſtitutum, beſti huic ſpiritus inſtiſſima blandiebantur. Statim ſiquidem comperiſſent quid in propoſitis quæſtionibus conſtituendum eſſet, non ſibi moleſtiam exhibuiſſent, nec Nobis, quos graviſſima undique circumſtant cura, non parum temporis occupaſſent, quod tamen pro ſingulari noſtro in veſtram gentem ſtudio, atque amore libenter impendimus ad rectum vobis iter monſtrandum: impoſterum ſimul præcaventes, quomodo in hujuſmodi quæſtionibus firmare greſſus veſtros in promptu ſit. Reliquum eſt, Venerabilis Frater, ut tibi, quod facimus ex animo, præcipuæ Benevolentiæ noſtræ pignus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertiamur.*

*Datum &c. 7. Julii 1754.*

Cum hæc ita ſe habeant, ſatis muneri noſtro feciſſe videmur ne illi (quibus licet edere), cum jejunium tempore Quadrageſimæ, vel extra Quadrageſimam Fidelibus præſcribitur, unius comeſtionis limites excedant, ac ne piſcibus ſimul, & carnibus parari ſibi menſam patiantur, neve cavillationes perſecutentur, ut legi tenebras offundant. Pauca tamen adhuc ſuperſunt, quæ remedium a nobis depoſcunt.

Siquidem advertimus jam multis ab hinc annis non ſolum plures in qualibet Italiæ Urbe veſtra auctoritate diſſolvi a Quadrageſimali abſtinentia, ſed etiam magno ſtudio contenditis, ut univerſam Civitatem, totamque Diœceſim eadem abſtinentia liberemus. Hinc factum eſt, ut in quibuſdam Civitatibus, ac Diœceſibus jam per multos annos Fideles univerſi abſque ullo diſcrimine carnibus per Quadrageſimam utantur. Id quidem maximam nobis affert ſollicitudinem, eo quod deprehendimus certis teſtimoniis in quibuſdam Regionibus Septentrionis toto Quadrageſimæ curſu lactis, & ovorum uſum libere permitti, quia in plures annos eamdem facultatem petierint, & a Sede Apoſtolica conſecuti fuerint; quamobrem illi populi ſibi in animum induxerunt, non eſſe rurſus ad Pontificem confugiendum pro hujuſmodi facultate impetranda, ſed priores conceſſiones ſingulis annis acceptas ſufficere, ut lactis, & ovorum conſuetudo per Quadrageſimam comprobetur. Præterea maximi facienda eſſe ducimus ea verba Trident. Conc. *ſeſſ. 25. c. 18. de Reform. Sicuti publice expedit, Legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus caſibus, & neceſſitatibus pro communi utilitate ſatisfiat, ſic frequentius Legem ſolvere, exemploque potius, quam certo perſonarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud eſt, quam unicuique ad Leges tranſgrediendas aditum aperire.*

In Literis noſtris Apoſtolicis, quas anno 1741. ad omnes Catholicos Epiſcopos dedimus, huic corruptelæ viam præcludere cogitavimus ea ratione, illiſque verbis, quæ rurſum huic ſubjicimus. *Debitum igitur Paternæ uniuſcujuſque veſtrum ſedulitatis, & caritatis officium jure poſtulat, ut omnibus notum faciatis, & annuncietis, nemini quidem ſine legitima cauſſa, & de utriuſque Medici conſilio; multitudini vero, veluti Populo, aut Civitati, aut Genti indiſcriminatim integræ, nonniſi graviſſima, & urgente neceſſitate, & in caſibus per Sacra Canonum Statuta præſcriptis, cum debita Apoſtolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia a Quadrageſimali jejunio diſpenſationem, toties quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque uſurpandam, nec ſuperbe, & arroganter ab Eccleſia, ſicuti alibi in more poſitum eſſe accepimus, eſſe poſtulandam.*

Porro Nos hanc normam ſecuti ſumus, cum multitudinem; veluti populum, aut Civitatem integram Quadrageſimali abſtinentia immunem declaravimus. In primis, loci Epiſcopus id poſtulare a nobis debuit, ac de graviſſima, urgentique neceſſitate ſuum teſtimonium interponere. Deinde carnes minime permiſſæ fuerunt, ſi lactis, & ovorum uſus ſatis eſſe videretur. Tum vero facultas edendi carnes tribui ſolum conſuevit, cum interpoſito Epiſcopi teſtimonio id omnino neceſſarium judicaretur; nec ſufficiens neceſſitati remedium afferri conſtaret, ſi ova ſolum, & lacticinia concederentur. Quoties autem abſtinentia Quadrageſimæ noſtra auctoritate ſoluta fuit, certos tamen dies præſcripſimus, quibus integra abſtinentia ſervaretur, nempe dies Cinerum, dies Quatuor Temporum, Vigilias præcepto obeundas, dies Majoris Hebdomadæ a Dominica Palmarum. Quandoque recenſuimus etiam totam Hebdomadam Cinerum. Aliquando etiam indiximus abſtinentiam Feriis Sextis, ac Sabbatis, etiamſi facultas a Nobis tradita lactis, & ovorum uſum ſolum complecteretur. Poſtremo eam conditionem ſemper addidimus, ne jejunii lex unius per diem comeſtionis ullo modo violaretur, ac ne ſimul in menſa carnes, & piſces apponerentur.

Dum rationem hujus conſilii noſtri ſerio perpendimus, haud plane acquieſcimus, ob eam ſollicitudinem, ac dubitationem, ne cauſſa ab Epiſcopo loci prolata, quam Nos legitimam credidimus ad ſolvendam Quadrageſimæ abſtinentiam, ejus naturæ fortaſſe non ſit, quæ veram, & urgentem neceſſitatem contineat. Quippe illud Nobis ſemper ante oculos propoſitum habuimus, ut nihil a ratione alienum, nihil inconſulto, ac temere faciamus. Hærent pariter animo defixa S. Bernardi verba ad Pontificem Eugenium *lib. 3. de Conſideratione c. 4.* = *Facitis hoc quia poteſtis: Sed utrumne debeatis, quæſtio eſt, & quomodo* = Attamen fidem præſtitimus iis, quibus præſtanda fuerat, Epiſcopis nempe locorum. Non enim alio pacto exerceri poteſt ſollicitudo peculiarium Eccleſiarum ac Diœceſum, niſi fides habeatur Epiſcopis, a quibus illæ adminiſtrantur. Sed impoſterum, ut graviſſimum hoc negotium tutius, quam fieri poſſit geratur, moleſtum vobis non ſit, animum iis advertere, quæ ſubjicimus.

Non ignoratis ab Innocentio III. Prædeceſſore Noſtro *Cap.*



*Cap. Conſilium, de obſervatione jejuniorum*, inter cauſſas legitimas ſolvendi abſtinentiam a carnibus, jejunii tempore, recenſeri veram, & exiſtentem reipſa ægritudinem = *Præterea de illis, qui in Quadrageſima, vel in aliis jejuniis ſollemnibus infirmantur, & petunt ſibi eſum carnium indulgeri, reſpondemus: quod cum non ſubjaceat legi neceſſitas, deſiderium infirmorum, cum urgens neceſſitas exigit, ſupportare potes, & debes, ut majus periculum in eis evitetur.* Inde ſtatuerunt multo ante Innocentium III. Patres octavi Concilii Toletani *Can. 5.* quod an. 653. celebratum fuit: = *Quiquis abſque inevitabili neceſſitate, atque fragilitate evidentis languoris, ſeu etiam ætatis impoſſibilitate, diebus Quadrageſimæ eſum Carnium præſumpſerit attentare, non ſolum erit reus Reſurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejuſdem diei Sancta Communione . . . . . Illi vero quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut neceſſitas artat, non ante prohibita violare præſumant, quam a Sacerdote permiſſum accipiant.*

Nemo eſt, qui non intelligat hujuſmodi cauſſas ſatis eſſe ut aliqui a Jejunii legibus, & abſtinentia immunes exiſtimentur; non autem ut populus; vel integra Civitas idem privilegium obtineat. Quis enim ſibi perſuadere poſſit, Cives univerſos alicujus Urbis, vel Diœceſis eodem tempore graviſſimo morbo teneri, vel in eodem diſcrimine verſari omnes, aut periculoſam ægritudinem contrahant? Niſi forte eos morbos intelligamus qui ab aeris intemperie, vel infectione promanant, de quibus paullo poſt verba faciemus. Quis credat unquam Populum univerſum alicujus Diœceſis, vel communi languore penitus extenuatum, vel extrema ſenectute confectum?

Neque vero cauſſa ſufficiens habenda eſt, ut aliqua Civitas, vel Populus abſtinentia Quadrageſimali liberetur, ipſiſque carnes permittantur; ſi forte piſces, vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim Urbes habent egenos Cives, ita etiam opulentos; e quibus etiam alii vitæ ſuſtentationem labore, ac ſudore ſibi comparant, alii vero patrimonio, ac divitiis ſatis ſuperque abundant. Itaque, ſi pro emendis piſcibus grave pretium ſolvendum ſit, id quidem egenis Civibus, non vero divitibus ſuffragatur. Id afferunt etiam nonnulli Theologi haud ſeverioris diſciplinæ, quorum ſententiam recenſuimus capite nono libri tertii noſtrarum Inſtitutionum, quas Bononiæ Typis impreſſimus.

Illud etiam inane commentum prorſus exiſtimari debet, ſolvendas eſſe abſtinentia Quadrageſimæ Civitates, vel Diœceſes, ubi exercitus verſantur, eo quod Milites in iis locis permanentes abſtinentiæ leges minime obſervant. Id potius animus Civium inflammare deberet ad Jejunium rite, religioſeque ſuſcipiendum: ut nempe Milites tanta virtute temperantiæ permoti ipſorum exemplum ſequantur. Illud ſolum pro legitima cauſſa in medium proferri poteſt, copias Militum tantam afferre Civitati penuriam herbarum, atque olei, licet Quadrageſimæ jejunio non obtemperent, ut harum rerum pretia ſummopere augeantur. Tunc autem eadem ſtatuenda ſunt, quæ paullo ante diximus, cum piſces, & ova cariori pretio comparantur. Igitur peculiares morbi, quamvis frequentes, impoſterum pro cauſſa ſolvendæ abſtinentiæ non adducantur, niſi forte Civibus univerſis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem: neque impoſterum herbarum, olei, piſcium, & ovorum pretia tanti ponderis eſſe cenſeantur, ut omnis Civitas, vel Diœceſis ab Inſtituto Quadrageſimæ Jejunio, ac temperantiæ liberari contendat. Quod ſi veras, ac legitimas a Nobis cauſſas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potiſſimum percenſebimus; quarum prima ex Jure Canonico, altera vero ab ipſa rerum magiſtra experientia deprompta eſt.

Innocentius III. quem ſuperius nominavimus, *eodem cap. Conſilium, de obſervatione jejuniorum*, Archiepiſcopo Bracarenſi poſtulanti, qua pœna plectendos judicaret illos, qui tempore Quadrageſimæ a carnibus non abſtinuerant ob ſummam rerum caritatem, & anguſtiam ita ut plures fame enecarentur, reſpondit his verbis = *Cum autem quæſieritis quæ ſit illis pœnitentia injungenda, qui diebus Quadrageſimalibus, tempore quo tanta famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam quæreba*-

*Antoine Theol. Moral. T. III. P. II.*

*periret, carnes comedere ſunt coacti; reſpondemus, quod in tali articulo illos non credimus puniendos. Proinde tamen Domino pro illis, & cum illis effundas, ne ipſis aliquatenus imputetur: quia bonarum mentium eſt, ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur.* Si quis hoc tempore Epiſcopus adductus exemplo Bracarenſis Antiſtitis idem conſilium peteret a Sede Apoſtolica, tamquam ineptus, ac ſimplex haberetur: ſed illo Eccleſiæ feliciſſimo ſæculo maximi pendebatur, uti æquum eſt, Quadrageſimæ præceptum. Hinc magna ſeveritate inquirebantur illi, qui minime paruiſſent, licet talis cauſſa intercederet, ut liberi ab eodem præcepto viderentur: nec ulla ratio habebatur Virorum Principum, licet ipſorum incolumitas cum Reipublicæ felicitate conjuncta putaretur, uti Nos fuſe oſtendimus in decima quinta noſtrarum Inſtitutionum libri primi. Sed iis omiſſis, & aliis bene multis, qui in hanc rem congeri a Nobis poſſent, illud primum delibabimus ex reſponſo Innocentii III. tunc Quadrageſimæ abſtinentia ſolvi poſſe integram Civitatem, vel Diœceſim, cum reipſa non ſuppetunt ea, ſine quibus præceptum Quadrageſimæ obſervari nequit. Itaque ſi revera in aliquo loco neque oleum, neque piſces comparari poſſint, tunc Incolis ejuſdem loci permitti fas eſt, ut lacte, & ovis utantur: ſi hæc autem revera deficiant, tunc carnis, ſalubris tamen, eden facultas concedetur, interpoſita ſemper jejunii ſervandi conditione.

Inſula Sancti Dominici in America Meridionali in temporalibus paret Cariſſimo in Chriſto Filio noſtro Ludovico Gallia cum Regi Chriſtianiſſimo, nec ei ullus præeſt Epiſcopus. Præfectus Patrum Societatis Jeſu an. 1742. a Nobis quæſivit, an conceſſione ſibi facta a Sede Apoſtolica diſpenſandi ſuper eſu carnium, ovorum, & lacticiniorum tempore jejuniorum, & Quadrageſimæ, dici poſſet ſibi etiam datam fuiſſe facultatem diſpenſandi nedum particulares perſonas, ſed etiam multitudinem hominum, & omnes ſui diſtrictus Incolas, quando coram Deo id expedire judicaſſet: habitoque reſponſo facultatem ei fuiſſe conceſſam diſpenſationem indulgendi particularibus hominibus, non autem multitudini hominum, & omnibus Incolis ſui diſtrictus, pro conceſſione exoravit. Pro cauſſa expoſuit veneficam piſcium qualitatem, exiguum piſcatorum numerum, qui longe ab Inſula piſcantes, piſces deferebant aut fœtentes, aut corruptos ob nimios calores, paupertatem autem petentium, quæ oleum emere non poterant pro cibis Quadrageſimalibus neceſſarium, deficientiam denique olerum, & leguminum, quæ in ea regione facile corrumpuntur, aut a vermibus conſumuntur. Re ſubinde mature diſcuſſa coram Nobis in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis *die 12. Aprilis anno 1741.* habita ratione regionis nimis remotæ, a qua quolibet anno impoſſibilis erat ad Sedem Apoſtolicam recurſus; indulgentes neceſſitati Fidelium degentium in Inſulis ditionis Gallicæ in America, facultatem conceſſimus Præfectis Miſſionum illarum partium ut in cauſſa veræ, & ineluctabilis neceſſitatis, & tantum de anno in annum, præfataque vera neceſſitate durante, & non aliter, nec alio modo, ut poſſent, & valerent cum fidelibus Populis ipſorum regimini commiſſis diſpenſare ſuper eſu ovorum, & lacticiniorum, & etiam carnium tempore Quadrageſimali, indicta ſimul cum hujuſmodi diſpenſatione obſervantia, ſi adamuſſim juxta præſcriptum conceſſa facultate uſi non fuiſſent.

Sed jam ad experientiam devenimus. Quindecim ab hinc annis per totam fere Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita tamen, ut ex una Civitate in aliam, & ex una Provincia in aliam hæc funeſta lues promanaret. Id contigit annis 1730. 1731. 1740. Licet autem morbus ejuſmodi, qui univerſos hominum ordines, atque ætates corripiebat, lentam ſolum in pectore inflammationem excitaret, tamen ſenibus matura jam ætate debilitatis extremam afferebat perniciem: nam ex ipſo febres acutiſſimæ, ac mortales ſequebantur. Idem morbus in periculum trahebat juniores etiam, qui paullulum infirmo pectore laborarent. Poſtremo multorum pectora adeo labefactavit, ut graviſſima deinde mala provenerint.

Alios quoque morbos hujus generis, pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, ægros in di-

ſcrimine vitæ adduxiſſe medicinæ Scriptores luculenter teſtantur. Itaque ſi medicinæ Profeſſores acciti, monitique graviter, ut nihil a veritate alienum reſpondeant, unanimi conſenſu fateantur ( uti nobis ipſis accidit, cum adhuc Bononiæ verſaremur ) morbum eſſe talis naturæ, qualem ſuperius commemoravimus, itaut nulla ætas libera, & incolumis eſſe queat; & aſſirment illis ipſis, qui inter Cives ſalvi, & integri numerantur, eamdem perniciem imminere: id præterea conjicere plurimum ad ejuſmodi luem depellendam aut evitandam, ſi tum ægrotantes, tum ſani a piſcibus, & oleo, & quandoque pariter a lacte, & ovis abſtineant; ſi, inquam, res ita ſe habet, tum procul dubio cauſſa ſufficiens judicanda eſt, quæ experientia innititur, & quæ ſemper probata, & in poſterum probanda videtur, ut nempe Populus ſeu Civitas integra a carnibus abſtinendi præcepto non teneatur.

Neque ulla difficultas removere vos debet a conſulendis Medicis, qui præſtantiores habentur. Cavendum pariter ut quidquid revera ſenſerint, ſcripto teſtari non prætermittant; qua conditio ſi deſit impoſterum, nullatenquam facultas Civitati, aut Diœceſi carnibus, aut lacticiniis veſcendi tempore Quadrageſimæ tribuetur: quippe id neceſſarium omnino videtur. Accedit etiam, quod Medici faciliate quadam incredibili peculiares quidem Cives a Quadrageſimæ præcepto liberos, & immunes decernere ſoleant ( de qua re graviſſime monendi a vobis ſunt, ne ſuas animas indulgendo nimis aggravent ). Cum vero univerſis Civibus idem ſtatuendum proponitur, tum ſe difficiles, anxios, ac ſollicitos præſtare Nos ipſi experti ſumus. Poſtremo ſi velint percurrere ea, quæ in Italia, & extra ipſam præclariſſimi Auctores Medici Typis evulgarunt, facile deprehendent, abſtinentiam ciborumque parſimoniam ab illis magnopere commendari, diſcrimen inter morbos conſtitui, & certis rationibus oſtendi, in curandis quibuſdam morbis nequaquam requiri, ut juſculum & carnes loco piſcium, olei, & herbarum ſubſtituantur: in aliis vero juvare plurimum, ſi ſublatis carnibus, cum indicitur jejunium, oleo, vel lacte ægrotantes utantur. Demum advertent, quam diligenter, accurateque ſcribant de pectoris incommodis, cum in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem morbo, qui adhuc incolumes a communi lue ſuperſunt.

Hæc vobis indicanda putavimus. Reliquum eſt ut Vos hortemur, ne tam facile ſuſcipiatis negotium petendæ facultatis utendi carnibus, & lacticiniis tempore Quadrageſimæ pro univerſa Civitate, vel Diœceſi. Quippe abrumpenda tandem eſt conſuetudo, ob quam jam per tot annos in quibuſdam locis hæ facultates tribui conſueverunt. Illud etiam experientia a Vobis compertum erit, delicatis quoque ac mollibus abſtinentiam Quadrageſimæ nullam inferre perniciem; neque plures ob hanc cauſſam inter ægrotos, vel mortuos recenſeri. Hanc rationem, & inſtitutum Nos ipſi ſecuti ſumus Romæ, ac Bononiæ ( cujus Sedem adhuc retinemus ) cum nuper Quadrageſimæ tempus ageretur. Si vos id quoque præſtabitis, neque facile a Nobis pro univerſa Civitate, vel Diœceſi facultatem ſolvendi Quadrageſimæ abſtinentiam poſtulabitis, vel ( ſi neceſſarium id arbitremini ) non aliter, quam ſervatis præmiſſis conditionibus Diſpenſationis inſtantia ad Nos deferretur, non ſolum ii fructus provenient, quos jam indicavimus, ſed etiam repulſæ pudorem evitabitis, Noſque pariter ea moleſtia vindicabitis, quam ferimus, dum votis veſtris minime obſecundamus. Poſtremo Vos omnes peramanter amplectimur, & Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Populiſque veſtris impertimur. Datum ex Arce Caſtri Gandulphi die 10. Junii 1745. Pontificatus Noſtri Anno quinto.



*Aliiſque injuſti quæſtus.*

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis gratiam, & Communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.*

VIX pervenit ad aures noſtras, ob novam controverſiam ( nempe, an quidam contractus validus judicari debeat ) nonnullas per Italiam diſſeminari ſententias, quæ ſanæ doctrinæ haud conſentaneæ viderentur; cum ſtatim noſtri Apoſtolici muneris partem eſſe duximus, opportunum afferre remedium, ne malum ejuſmodi, temporis diuturnitate, ac ſilentio, vires magis acquireret; aditumque ipſi intercluderet ne latius ſerperet, & incolumes adhuc Italiæ Civitates labefactaret.

Quapropter eam rationem, conſiliumque ſuſcepimus, quo Sedes Apoſtolica ſemper uti conſuevit. Quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui Sacræ Theologiæ ſcientia, & Canonicæ Diſciplinæ ſtudio ac peritia plurimum commendantur; accivimus etiam plures Regulares in utraque facultate præſtantes, quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis Regularibus ſelegimus; Præſulem quoque juris utriuſque laurea præditum, & in foro diu verſatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Julii, qui nuper præteriit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum, perſpectumque deprehendimus.

Poſt hæc præcepimus, ut omni partium ſtudio, omnique cupiditate ſoluti, rem totam accurate perpenderent, ſuaſque opiniones ſcripto exararent; non tamen expetivimus ab ipſis, ut judicium ferrent de contractu, qui controverſiæ cauſſam initio præbuerat, cum plura documenta non ſuppeterent, quæ neceſſario ad id requirebantur, ſed ut certam de uſuris doctrinam conſtituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus ſpargi cœperunt. Juſſa fecerunt univerſi; nam ſuas ſententias palam declararunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habita eſt die 18. Julii; altera vero die prima Auguſti, qui menſes nuper elapſi ſunt, ac demum eaſdem ſententias Congregationis Secretario ſcriptas tradiderunt.

Porro hæc unanimi conſenſu probaverunt.

I. Peccati genus illud, quod uſura vocatur, quodque in contractu mutui propriam ſuam ſedem, & locum habet in eo eſt repoſitum, quod quis ex ipſomet mutuo, quod ſuapte natura tantumdem dumtaxat reddi poſtulat, quantum receptum eſt, plus ſibi reddi velit, quam eſt receptum, ideoque ultra ſortem, lucrum aliquod, ipſius ratione mutui, ſibi deberi contendat. Omne propterea hujuſmodi lucrum, quod ſortem ſuperet, illicitum, & uſurarium eſt.

II. Neque vero ad iſtam labem purgandam, ullum arceſſiri ſubſidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens & nimium, ſed moderatum, non magnum, ſed exiguum ſit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum ſolius cauſſa mutui depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat; nec datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed fortunas ſuas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis agitandis negotiis, utiliſſime ſit impenſurus. Contra mutui ſiquidem legem, quæ neceſſario in dati atque redditi æqualitate verſatur, agere ille convincitur, quiſquis, eadem æqualitate ſemel poſita plus aliquid a quolibet vi mutui ipſius, cui per æquale jam ſatis eſt factum, exigere adhuc non veretur; proindeque ſi acceperit, reſtituendo erit obnoxius ex ejus obligatione juſtitiæ, quam commutativam appellant, & cujus eſt in humanis



manis contractibus æqualitatem cujuſque propriam & ſancte ſervare; & non ſervatam exacte reparare.

III. Per hæc autem nequaquam negatur, poſſe quandoque una cum mutui contractu quoſdam alios, ut ajunt, titulos, eoſdemque ipſimet univerſim naturæ mutui minime innatos, & intrinſecos, forte concurrere, ex quibus juſta omnino legitimaque cauſſa conſurgat quiddam amplius ſupra ſortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, poſſe multoties pecuniam ab unoquoque ſuam, per alios diverſæ prorſus naturæ a mutui natura contractus, recte collocari & impendi ſive ad proventus ſibi annuos conquirendos, ſive etiam ad licitam mercaturam, & negotiationem exercendam, honeſtaque indidem lucra percipienda.

IV. Quemadmodum vero in tot ejuſmodi diverſis contractuum generibus, ſi ſua cujuſque non ſervatur æqualitas, quidquid plus juſto recipitur, ſi minus ad uſuram, ( eo quod omne mutuum tam apertum, quam palliatum abſit ) at certe ad aliam veram injuſtitiam, reſtituendi onus pariter afferentem, ſpectare compertum eſt; ita ſi rite omnia peragantur, & ad juſtitiæ libram exigantur, dubitandum non eſt, quin multiplex in iiſdem contractibus licitus modus & ratio ſuppetat humana commercia, & fructuoſam ipſam negotiationem ad publicum commodum conſervandi, & frequentandi. Abſit enim a Chriſtianorum animis, ut per uſuras, aut ſimiles alienas injurias florere poſſe lucroſa commercia exiſtiment; cum contra ex ipſo Oraculo Divino diſcamus, quod *Juſtitia elevat gentem; miſeros autem facit populos peccatum*, Prov. 14. 34.

V. Sed illud diligenter animadvertendum eſt, falſo ſibi quemquam, & nonniſi temere perſuaſurum, reperiri ſemper, ac præſto ubique eſſe, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel ſecluſo etiam mutuo, contractus alios juſtos quorum vel titulorum, vel contractuum præſidio, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum ultra ſortem integram ſalvamque recipere. Ita ſi quis ſenſerit, non modo divinis Documentis, & Catholicæ Eccleſiæ de uſura judicio, ſed ipſi etiam humano communi ſenſui, ac naturali rationi proculdubio adverſabitur. Neminem enim id ſaltem latere poteſt, quod multis in caſibus tenetur homo ſimplici ac nudo mutuo alteri ſuccurrere, ipſo præſertim Chriſto Domino edocente: *Volenti mutuari a te, ne avertaris*. Matt. 5. 42. & quod ſimiliter multis in circumſtantiis, præter unum mutuum alteri nulli vero juſtoque contractui locus eſſe poſſit. Quiſquis igitur ſuæ conſcientiæ conſultum velit, inquirat prius diligenter oportet, vere ne cum mutuo juſtus alius titulus, vere ne juſtus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio quod quærit lucrum omnis labis expers & immune reddatur.

His verbis complectuntur, & explicant ſententias ſuas Cardinales, ac Theologi, & Viri Canonum periti ſſimi, quorum conſilium in hoc graviſſimo negotio poſtulavimus. Nos quoque privatum ſtudium noſtrum conferre in eamdem cauſſam non prætermiſimus, antequam Congregationes haberentur, & quo tempore habebantur, & ipſis etiam peractis; nam præſtantium Virorum ſuffragia, quæ modo commemoravimus, diligentiſſime percurrimus. Cum hæc ita ſint, adprobamus, & confirmamus quæcumque in Sententiis ſuperius expoſitis continentur; cum Scriptores plane omnes, Theologiæ & Canonum Profeſſores, plura Sacrarum Litterarum teſtimonia, Pontificum Deceſſorum noſtrorum Decreta, Conciliorum, & Patrum auctoritas, ad eaſdem Sententias comprobandas pene conſpirare videantur. Inſuper apertiſſime cognovimus Auctores, quibus contrariæ Sententiæ referri debent; & eos pariter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis anſam, ſeu occaſionem præbere videntur: neque ignoramus, quanta ſapientia, & gravitate defenſionem veritatis ſuſceperint Theologi finitimi illis regionibus, ubi controverſiæ ejuſmodi principium habuerant. Quare has Litteras Encyclicas dedimus univerſis Italiæ Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Ordinariis, ut hæc Tibi, Venerabilis Frater, & ceteris omnibus innoteſcerent, & quoties Synodos celebrare, ad Populum verba facere, eumque ſacris doctrinis inſtruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis Sententiis, quas ſuperius recenſuimus. Admonemus etiam vehementer omnem ſollicitudinem impendere, ne quis in veſtris Diœceſibus audeat Litteris, aut Sermonibus contrarium docere. Si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium, & ſubjectum declaramus pœnis per Sacros Canones in eos propoſitis, qui mandata Apoſtolica contempſerint ac violaverint.

De contractu autem, qui novas has controverſias excitavit, nihil in præſentia ſtatuimus: nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum Interpretes in diverſas abeunt ſententias; attamen pietatis veſtræ ſtudium ac Religionem inflammandam exiſtimamus, ut hæc, quæ ſubjicimus, executioni demandetis.

Secundo loco qui viribus ſuis, ac ſapientiæ ita confidunt; ut reſponſum ferre de iis quæſtionibus non dubitent ( quæ tamen haud exiguam Sacræ Theologiæ, & Canonum ſcientiam requirunt ) ab extremis, quæ ſemper vitioſa ſunt, longe ſe abſtineant. Etenim aliqui tanta ſeveritate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia deſumptam accuſent, tamquam illicitam, & cum uſura conjunctam, contra vero nonnulli indulgentes adeo remiſſique ſunt, ut quodcumque emolumentum ab uſuræ turpitudine liberum exiſtiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant, ſed priuſquam reſponſum reddant, plures ſcriptores examinent, qui magis inter ceteros prædicantur; deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod ſi diſputatio inſurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos confingantur, qui contrarium ſententiam ſequuntur; neque illam gravibus Cenſuris notandam aſſerant, ſi præſertim ratione, & præſtantium Virorum teſtimoniis minime careat; ſiquidem convicia, atque injuriæ vinculum Chriſtianæ caritatis infringunt, & graviſſimum populo offenſionem, & ſcandalum præſeferunt.

Tertio loco, qui ab omni uſuræ labe ſe immunes, & integros præſtare volunt ſuamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum ſolummodo percipiant, admonendi ſunt, ut contractum inſtituendum antea declarent, & conditiones inſerendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia poſtulent. Hæc magnopere conferunt non modo ad animi ſollicitudinem & ſcrupulos evitandos, ſed ad ipſum contractum in Foro externo comprobandum: hæc etiam aditum intercludunt diſputationibus, quæ non ſemel concitandæ ſunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quæ rite data alteri eſſe videtur, revera tamen palliatam uſuram contineat.

Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum ſermonibus, qui dictitant, de uſuris hoc tempore quæſtionem inſtitui, quæ ſolo nomine continetur, cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falſum id ſit, & a veritate alienum, plane deprehendimus, ſi perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorſus diverſam & ſejunctam eſſe; & ea pariter diſcrepare magnopere inter ſe, quæ a diverſis inter ſe contractibus conſequuntur. Revera diſcrimen apertiſſimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia deſumitur, ideoque poteſt in utroque Foro retineri, ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque Fori utriuſque judicio reſtituendus decernitur. Conſtat igitur haud inanem de uſuris quæſtionem hoc tempore proponi ob eam cauſſam, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

Hæc potiſſimum vobis indicanda cenſuimus, ſperantes fore, ut mandetis executioni quæcumque per has Litteras a nobis præſcribuntur. Opportunis quoque remediis conſuleteis, uti confidimus, ſi forte ob hanc novam de uſuris controverſiam in Diœceſi veſtra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefactandum ſanæ doctrinæ candorem & puritatem inducantur. Poſtremo vobis, & Gregi curæ veſtræ concredito Apoſtolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die prima Novembris 1745. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

## DE APPLICATIONE

*Miſſæ Parochialis pro Populo, Conventualis vero pro Benefactoribus Eccleſiæ.*

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis gratiam, & Communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus.

# BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

CUM ſemper oblatas nobis occaſiones Apoſtolica ſcripta dirigendi ad Fraternitates veſtras libenter amplectimur, ut ſinceræ noſtræ erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum vero majori animi alacritate idipſum præſtamus, quum ad excitandum Fraternitatum veſtrarum zelum pro conſervatione rectæ diſciplinæ in Clero regimini veſtro commiſſo, præſentibus rerum, aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impoſitum imbecillitati noſtræ omnium Eccleſiarum ſollicitudinis onus aliter ſuſtinere non poſſe confidimus, quam ſi Divini cultus augmentum, atque exactam Eccleſiaſticarum Sanctionum in ſingulis Diœceſibus cuſtodiam religioſæ vigilantiæ Paſtorum curæ, identidem inculcando, commendemus.

Hujus porro Epiſtolæ ad vos ſcribendæ occaſionem nobis atque argumentum in primis præbet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Miſſam Parochialem pro Populo ipſorum curæ commiſſo: tum etiam applicatio Miſſæ Conventualis, quæ pro Benefactoribus in genere facienda eſt ab iis, qui Miſſas canunt in Eccleſiis Patriarchalibus Metropolitanis, Cathedralibus & Collegiatis: tum denique debitum pſallendi, quo tenentur Canonici prædictarum Eccleſiarum Choro aſſiſtentes. Cujus quidem argumenti minime nova, ſed a ſcriptoribus frequenter habita tractatio eſt; cumque ea res in hujus Almæ Urbis noſtræ Congregationibus, & potiſſimum in Congregationibus Venerabilium FF. noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cujus Secretarii munere olim in minoribus conſtituti multos annos perfuncti ſumus, multoties diſcuſſa ac definita fuerit, quamvis earumdem Congregationum Decreta plerumque circa eam uniformia & ſibi conſona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum approbationem & confirmationem meruerint; minime tamen mirandum eſſet, eorum notitiam ad ſingulos quoſque veſtrum non adhuc perveniſſe. Quapropter non modo opportunum, verum etiam neceſſarium duximus, Encyclicam hanc Epiſtolam ad vos ſcribere, per quam, ſublata demum diverſarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate, conſtans hujus Apoſtolicæ Sedis ſententia prædictis de rebus cuilibet innoteſcat, & Fraternitatibus veſtris quædam veluti norma ac regula ſuppetat, juxta quam Synodales, aliaſque veſtras circa præmiſſas Conſtitutiones, Ordinationes, ſeu Edicta, quorum publicationem vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero executionem, dum, juxta ea, quæ in præſentibus tenenda atque ſervanda præſcribimus, omni qua decet ſollicitudine ac vigilantia urgere ſtudebitis, minime dubitandum Vobis erit, ne Statutorum veſtrorum implemento obicem aut moram afferre valeant recurſus ad hujus noſtræ Curiæ Tribunalia forſitan habendi: utpote quos omnino rejiciendos eſſe præcipimus ac jubemus; quamobrem has ipſas Litteras noſtras in ſingulorum Tribunalium Regeſtis aſſervari volumus, atque ad earum præſcriptum tam ipſorum Tribunalium reſolutiones, quam de veſtris decretis, quæ ipſi præſentibus inhærentes edituri eſtis, judicia exigi, & conferri mandamus.

Et quidem quod nuper enunciavimus, ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium a Paſtoribus animarum applicari debere pro populo ipſorum curæ commiſſo, id veluti ex Divino præcepto deſcendens, a Sacra Tridentina Synodo diſerte exprimitur *ſeſſ. 23. cap. 1. de Reform.* per hæc notabilia verba: *Cum præcepto Divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre.* Et quamvis minime defuerint, qui per inanes, & frivolas interpretationes hujuſmodi obligationem a Sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel ſaltem extenuare contenderint, quum tamen relata Concilii verba ſatis clara & perſpicua ſint, quumque prædicta Congregatio ejuſdem Concilii Interpretationi privative præpoſita, conſtanter edixerit, eos quibus animarum cura demandata eſt, non modo Sacrificium Miſſæ celebrare, ſed illius etiam fructum medium pro populo ſibi commiſſo applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujuſmodi applicatione eleemoſynam percipere poſſe, quodque magis intereſt, quum hæc intelligentia a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus approbata fuerit, & confirmata: nihil jam amplius alii veſtrum deſiderandum ſupereſt, ut eam amplecti, eidemque obſequi, nec non illius promptam executionem in veſtris reſpective Diœceſibus omni ſtudio procurare debeatis.

Neque nos tamen, qui ut ſuperius innuimus, in minoribus adhuc degentes, munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus, alioſque non paucos partim in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitanæ Bononienſis, Patriæ noſtræ dilectiſſimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione aſſidue tranſegimus, nos, inquam, non latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare ſatagunt, quibuſque proinde opportune a nobis eſt occurrendum.

Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne Animarum cura negligatur, non uno in loco Epiſcopis mandet, ut quotieſcumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum aſſignatione ad eamdem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre eſt in *ſeſſ. 6. c. 2. ſeſſ. 7. c. 5. & 7. ſeſſ. 21. c. 6. ſeſſ. 25. c. 16.* non raro autem eveniat, ut aliqua Eccleſia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujuſmodi Eccleſiæ onera, uſque ad novi Rectoris electionem, ab Epiſcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *ſeſſ. 24. c. 18. de Ref.* nonnulli ex hujuſmodi Vicariis nituntur ſeipſos a prædicta obligatione ſubtrahere, vel ex eo quod habituali cura penes alium ſeu alios reſidente, ipſi actualem dumtaxat exerceant, vel quod ipſi ſint ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus hujuſmodi curæ ſint addicti, ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a prædicta applicatione Miſſæ pro Populo nonnunquam alienos ſe oſtendunt. Itaque mens Noſtra & ſententia eſt, ſicut etiam pluries a prælaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes & ſinguli, qui actu animarum curam exercent, & non ſolum Parochi, aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes & ſinguli, de quibus ſupra dictum eſt, atque alii quicumque etiam ſpecifica, & individua mentione digni, æque teneantur Miſſam Parochialem applicare pro Populo, ut præfertur, ipſorum curæ commiſſo.

Nonnulli vero ad evitandum hujuſmodi obligationis implementum, allegare ſolent, congruos ſibi Parochiæ ſuæ reditus non ſuppetere; alii denique ad inveteratam conſuetudinem confugiunt, ſuſtinentes id neque ſibi, neque deceſſoribus ſuis, per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in uſu fuiſſe. Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii reſolutiones noſtram approbationem & confirmationem extendimus; & quatenus opus ſit, auctoritate Apoſtolica iterum tenore præſentium decernimus & declaramus, quod licet Parochi, ſeu alii, ut ſupra, animarum curam habentes, congruis præfinitis reditibus deſtituantur, & quamquis antiqua ſeu etiam immemorabili conſuetudine in ipſorum Diœceſibus ſeu Parochiis obtinuerit, ut Miſſa pro Populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino impoſterum ab ipſis debeat applicari.

Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes, Miſſæ Sacrificium pro populo ſibi commiſſo applicare debere, non ideo ſtatuere volumus, eoſdem aut quotidie, aut quotieſcumque celebraverint, ad prædictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem Sacroſancta Tridentina Synodus *ſeſſ. 24. cap. 14.* præcipit Epiſcopis cu-





rare, ut Sacerdotes ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus Miſſarum ſacra faciant, *ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut ſuo muneri ſatiſfaciant, Miſſas celebrent*: in pluribus autem Synodalibus Epiſcoporum Conſtitutionibus novimus provide conſtitutos ac deſignatos eſſe dies, quibus animarum Paſtores Miſſas celebrare debeant. At vero nos id unum in præſenti ſuſcepimus decernendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare & applicare teneantur, & quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii reſponſum fuit, Parochum nempe pinguiſſimis reditibus dotatum quotidie pro Populo celebrare & applicare debere; eum vero, qui uberioribus hujuſmodi reditibus non gaudeat, feſtivis tantum diebus id ipſum præſtare teneri; quum tamen pariter nobis perſpectæ ſint tum controverſiæ ſuper hoc ipſo exortæ, nimirum ad quam ſummam pertingere debeant Eccleſiæ Parochialis proventus, ut pingues, & uberes appellari poſſint; quoniam pingues minime habendi ſunt reditus, etiam copioſi, quibus tamen multiplicia & gravia ſint onera adnexa; tum etiam multorum querelæ adverſus hujuſmodi decretum, tamquam plus æquo rigidum, excitatæ nobis innoteſcant; Idcirco opportunum cenſemus Fraternitatibus veſtris declarare, nobis abunde ſatiſfactum fore, vobiſque proinde ſatis eſſe poſſe, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Miſſæ pro Populo celebrent atque applicent in Dominicis, aliiſque per annum diebus Feſtis de præcepto; quum prædicti Dominici, aliique Feſti dies ii ſint, in quibus juxta præceptum Concilii Tridentini *ſeſſ. 5. cap. 2.* & *ſeſſ. 24. cap. 4.* quilibet animarum curæ præpoſitus Populum ſibi commiſſum ſalutaribus verbis paſcere debet, docendo ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; iidemque ſint dies, de quibus eadem Sancta Synodus ſtatuit, ut *moneat Epiſcopus Populum diligenter teneri unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei*; & quibus Parochi Subditos ſuos in Doctrina Chriſtiana erudire debent, juxta id quod a prædicto Concilio in cit. *cap. 4.* Epiſcopis præcipitur, ut nempe *ſaltem Dominicis & aliis Feſtivis diebus pueros in ſingulis parochiis Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, doceri curent.*

Et quia in nonnullis Diœceſibus numerus dierum Feſtorum de præcepto, de Apoſtolica noſtra auctoritate, & conſenſu eatenus eſt imminutus, ut nempe in aliquibus Feſtis Chriſti fideles & Miſſam audire & ab operibus ſervilibus abſtinere debeant; in aliis vero Populo permiſſum ſit opera ſervilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Miſſæ Sacrificium; Nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis Miſſæ parochialis in hujuſmodi diebus Feſtis, penitus eliminentur, ſtatuimus & declaramus, quod etiam iiſdem Feſtis diebus, quibus Populus Miſſæ intereſſe debet, & ſervilibus operibus vacare poteſt, omnes animarum curam gerentes Miſſam pro Populo celebrare & applicare teneantur.

Quia vero nonnunquam experientia ſatis agnovimus, aliquos eſſe Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemoſynis, quas a Fidelibus pro Miſſarum celebratione accipiunt, vivere cogantur: eos vero, qui Eccleſia Parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, ſub Vicarii, ſeu Œconomi nomine, deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui reditus ipſis conſtituti, & pauca incerta emolumenta eiſdem obvenientia, ægre ad eorum vitæ neceſſaria ſufficiant; quod iis quoque non raro evenire ſolet, qui in aliquibus Eccleſiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio ſunt addicti, proindeque cum iſtis ſevere nimis agi videretur, ſi diebus feſtis, quibus potiſſimum hujuſmodi occaſio ſe offert, eiſdem vetitum eſſet eleemoſynam pro applicatione Miſſæ recipere: Idcirco nos tum iſtorum, quam illorum inopiam ſummopere miſerantes, iiſdemque, quantum nobis integrum eſt, conſulere volentes, quamvis, ut ſupra dictum eſt, omnes & ſinguli prædicti teneantur diebus feſtis Miſſam pro Populo celebrare & applicare, attamen, quod pertinet ad prædictos Parochos egentes, unicuique veſtrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales eſſe noveritis, opportune diſpenſandi, ad hoc ut etiam diebus Feſtis hujuſmodi eleemoſynam ab aliquo pio offerente recipere, & pro ipſo Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere & licite poſſint, valeant, dummodo ad neceſſariam Populi commoditatem, in ipſa Eccleſia Parochiali Miſſam celebrent: ea tamen adjecta conditione, ut tot Miſſas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus Feſtis, infra eamdem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.

Quod autem ſpectat ad Vicarios, ſive Œconomos Eccleſiarum vacantium, quum a Sacro Tridentino Concilio *cit. ſeſſ. 24. c. 18.* cuilibet Epiſcopo tribuatur facultas eos deputandi, & conſtituendi, *cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis aſſignatione*, veſtrum erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui vacantis Eccleſiæ fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua hujuſmodi certorum fructuum aſſignatione, pauciſque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum præbeatur pro onere celebrandi, & applicandi Miſſam pro Populo diebus Feſtis. Quapropter pro iis locis, in quibus Eccleſiarum vacantium fructus ad commodum Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ exiguntur, opportuna Theſaurario noſtro Generali mandata dirigimus, quæ iis denunciare non prætermitteret peculiaribus dictorum locorum Collectoribus, cum quibus Epiſcopi eccleſiaſticæ noſtræ ditionis, ceterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, Eccleſiarum vacantium fructus ad Cameram prædictam pertinent, officii ſui partes in eum finem, de quo ſupra diximus, interponere debebunt.

Ac demum, quoad illos, qui tamquam Vicarii, ſive perpetui, ſive ad tempus conſtituti, animarum curam adminiſtrant, quæ apud alios habitu reſidet, ratione alicujus Eccleſiæ Parochialis ipſorum Eccleſiis, ſeu Monaſteriis, Collegiis, aut Locis Piis olim unitæ, quamvis a recol. mem. Prædeceſſore Noſtro S. Pio Papa V. præfinita fuerit certa pars fructuum hujuſmodi Vicariis aſſignanda, prout in ipſius Conſtitutione, quæ incipit *Ad exequendum*, data Kalendis Novembris anni 1567. diſtincte ſtatuitur; nihilominus ubi præſcripta fructuum portio, vel nullo modo, vel non integre Vicariis prædictis aſſignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ Conſtitutionis eiſdem fuerit attributa, minime ſufficiens a vobis reperietur, propter temporum circumſtantias, & ſignanter pro implendo onere celebrandi & applicandi Miſſam pro Populo diebus feſtis de præcepto; utendum vobis erit poteſtate, quam fecit Epiſcopis Synodus Tridentina *ſeſſ. 7. c. 7.* dum illorum arbitrio permiſit, juxta temporum atque injunctorum onerum rationem, congruam prædictis Vicariis fructuum portionem aſſignare, quam ob cauſſam nos etiam Fraternitatibus veſtris, quatenus opus ſit, neceſſarias omnes & opportunas facultates impertimur; quibuſcumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio ſancitur, adverſus ea, quæ ſalubriter a vobis conſtituta fuerint, minime ſuffragantibus.

Hæc igitur circa Miſſam Parochialem ſtatuenda, & Fraternitatibus veſtris denuncianda judicavimus, indeque gradum facientes ad ea quæ pertinent ad Miſſam Conventualem, neminem veſtrum latere putamus Sacrorum Canonum ſanctiones, quibus præcipitur, ut ſingulis diebus in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus & Collegiatis tum Horæ canonicæ debitis modo, & forma recitentur, tum etiam Miſſa Conventualis celebretur; quæ adeo clara ſunt, ut nulla ſuper iis oriri poſſit dubitatio. Eaque de re perſpicuæ pariter, & per omnia uniformes exiſtunt Reſolutiones ab hac Congregatione Venerab. Fratrum noſtrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes Apoſtolica Auctoritate noſtra confirmamus & approbamus, earum executionem Vobis enixe inculcantes: ut ſcilicet Miſſa Conventualis, quæ ſingulis diebus canitur a Clero prædictarum Eccleſiarum, pro earumdem Benefactoribus in genere quotidie applicetur, eodem prorſus modo, quo Miſſam Parochialem ab iis qui curam Animarum gerunt, pro Populo ſibi commiſſo, ſingulis ſaltem diebus Feſtis de præcepto, applicari debere ſuperius declaravimus. Itaque date operam, ut ſaltem quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus Eccleſiis ejuſmodi, ſive dolo malo, ſive per errorem invectam eſſe novimus: quod nempe dum Miſſa Conventualis pro certo aliquo Eccleſiæ Benefactore,

vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impoſiti celebratur, & applicatur, ſatis impletum cenſeatur debitum applicationis Miſſæ Conventualis. Etenim hujuſmodi debitum non quidem reſpicit ſingulares aliquos Benefactores, ſed Benefactores in genere cujuslibet Eccleſiæ, cujus ſervitio addicti ſunt quicunque in eadem ſive Dignitates, ſive Canonicatus, ſive Manſionariatus, ſive Beneficia Choralia obtinent, & Miſſam Conventualem ſuis reſpectivo vicibus celebrant.

Neque minus improbandam noveritis aliorum ſententiam, qui ſatis putant ſupradictam obligationem impletam eſſe, dum in eorum Eccleſiis pro Benefactoribus in genere aliquæ interdum preces fiunt, vel anniverſaria ſtatis diebus Sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id ſibi arrogare debet, ut impoſitæ obligationi alia ratione ſatisfacere poſſit, quam ea, quæ a Lege Eccleſiaſtica multoties præſcripta fuit; nimirum Miſſam Conventualem ſingulis diebus pro Benefactoribus celebrando, eandemque pro illis in genere applicando.

Profecto non ſolum prioribus Eccleſiæ ſæculis, verum etiam temporibus haud longe a noſtra ætate remotis, (quod Vos ex hiſtoria Eccleſiæ didiciſſe non dubitamus) ſervabatur olim in ſingulis Eccleſiis ſeries accurata omnium & ſingulorum, quorum liberalitate unaquæque aucta fuerat, eorumque nomina Sacris Diptychis, ſic enim vocabantur, adeo conſignata erant, ut eorumdem recordatio nunquam intercideret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Miſſæ Sacrificium offerretur; quam ob cauſſam etiam prædictus Catalogus in pleriſque Eccleſiis ob oculos presbyteri Celebrantis apponi conſuevit, licet iidem pii Benefactores in ſuis donationibus nihil penitus pro ſe pacti eſſent, ſed tantummodo pro peccatorum ſuorum remiſſione ſe bona ſua Deo offerre declaraſſent. Eccleſiarum ſiquidem præſules pro iis impetrandum eſſe duxerunt: quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re feciſſent. Sacrorum hujuſmodi Diptychorum uſum ſenſim deſerit; ob idque in oblivione jacent alicubi complurium Benefactorum nomina. At non idcirco deſerere fas eſt uſum & diſciplinam orandi pro iis, & Sacrificium Miſſæ pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere, originem atque rationem deſumit.

Quemadmodum vero, loquendo de Miſſa Parochiali, ſuperius dictum eſt, varias excuſationes afferri ſolere, ad declinandam illius applicationem pro populo diebus Feſtis de præcepto: ita pariter uſuvenit quoad applicationem quotidianam Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere. Ut autem ſuperiores illæ, ſic etiam hæ poſteriores, provide e medio ſublatæ fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini reſolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate Noſtra approbamus & confirmamus.

Nonnulli ſiquidem obtentu contrariæ conſuetudinis, etiam immemorabilis, in propria Eccleſia vigentis, ſe ab hujuſmodi onere eximi poſſe ſibi perſuaſerunt. Verum jam pluries reſponſum fuit, hujuſmodi conſuetudinem, licet immemorabilem, quæ potius abuſus & corruptela dicenda eſt, nemini ſuffragari. Alii a Miſſa pro Benefactoribus in genere applicanda ſe excuſatos voluiſſent, ex eo quod alio quopiam Miſſarum onere obſtricti inveniantur, vel ratione proprii Canonicatus, aut alterius Beneficii Eccleſiaſtici, quod ſimul cum canonicali præbenda obtinent, vel quia præter munus Canonici, ſeu Beneficiati, aut Manſionarii in Eccleſia Cathedrali ſeu Collegiata, etiam in eadem, vel in alia Eccleſia Parochialem curam exercent, dum Miſſam Conventualem canunt diebus feſtis de præcepto, debent pro Populo ſibi commiſſo eam applicare: ac proinde nequeunt eamdem pro Eccleſiæ Benefactoribus ſpecialiter offerre. Sed his quoque obviam itum eſt, jubendo ſingulis prædictis, ut Miſſam Conventualem, quam canunt, pro Eccleſiæ Benefactoribus in genere applicent, pro aliis vero, pro quibus ipſi peculiariter Miſſam applicare tenentur, alterum ſubſtituant, qui ipſorum loco Miſſam hujuſmodi celebret, applicetque.

Aliorum pariter exceptio fuit, quod Miſſa Conventualis non ſemper a Canonicis aut Dignitatibus celebretur, ſed aliquando etiam Beneficiatis aut Manſionariis, quos minus æquum videtur pro Miſſæ celebratione omni eleemoſyna carere, quæ unde deſumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter conſultum eſt, demandando, ut ea deſumatur ex maſſa diſtributionum.

Alii denique obtenderunt exiguitatem hujuſmodi diſtributionum, quæ ob detractam eleemoſynam quotidianam pro Miſſa Conventuali, ad nihilum fere redactæ, vix fore, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento ſervitii Eccleſiæ præſtandi. Tridentina quidem Synodus *Seſſ.* 24. *c.* 15. opportunas rationes oſtendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopia valeat provideri. Si vero deſignatam a Concilio viam, ut fere evenire ſolet, nequaquam iniri poſſe contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recurſum habere, cujus erit, perſpecto ex veſtris relationibus rerum ſtatu, auctoritate Apoſtolica a Prædeceſſoribus noſtris eidem impertita, & a nobis etiam præſentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad Feſtos tantummodo dies reducere.

Non modo Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Miſſa Conventualis in iiſdem canatur, ſed etiam in Rubricis Generalibus, quarum exactiſſimam Fraternitatibus veſtris cuſtodiam commendamus, præſcribitur, ut certis diebus non una, ſed binæ, atque etiam aliquando tres Miſſæ Conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper a nobis dictum fuerit, primam Miſſam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam & applicandam eſſe; nunc expendendum ſupereſt, an earumdem Eccleſiarum Capitula Juriſdictioni veſtræ reſpective ſubjecta adigere debeatis, ut alias quoque Miſſas, ſi plures, ut præfertur, celebrari contigerit, pro Benefactoribus in genere ſimiliter applicent.

Hujuſmodi quæſtio ab aliquibus ex vobis Eccleſiaſtico zelo flagrantibus ſupradictæ Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum Concilii Tridentini Interpretum propoſita eſt. Itaque ante illius propoſitionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione reſponſum fuiſſe, concedendam eſſe exemptionem ab onere applicandi ſecundam & tertiam Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere, attenta Canonicatuum & Beneficiorum tenuitate, ex quo inferri poterat, hujuſmodi applicationis debitum manere, ubi de Eccleſiis pauperibus non ageretur. Verum quum hanc definiendæ quæſtionis regulam apud prædictam Congregationem non admodum veteri obſervantia firmatam probe noverimus, cumque hujuſce dubii ſolutionem eadem Congregatio nuper judicio Noſtro remittendam eſſe cenſuerit; Nos ita judicamus, idque Vobis tenendum indicimus; laudandos nempe, & confirmandos eſſe, quotquot ſponte ſua ſecundam, aut tertiam Conventualem Miſſam pro Benefactoribus in genere applicant: qui vero idem agunt ex vi conſuetudinis in ipſorum Eccleſiis vigentis, iis impetrandum ut in ea conſuetudine perſeverent. Ubi vero in uſu receptum non invenitur, liberam omnino ſecundæ, tertiæque Miſſæ Conventualis applicationem celebrantibus relinquendum eſſe; dummodo in commemoratione pro Defunctis Eccleſiæ Benefactorum in genere non obliviſcantur.

Huic demum Epiſtolæ noſtræ finem imponentes, Fraternitates Veſtras enixe hortamur, ut maximam curam & vigilantiam in id conferatis, ut in Eccleſiarum veſtrarum Choris, præter devotam celebrationem, debitamque applicationem Miſſæ Conventualis, Horæ Canonicæ non præpropere, ſed exacte, pauſa nempe interpoſita, & maxima, qua decet reverentia, ac religione canantur. Equidem ſcimus, in aliquibus Metropolitanis & Cathedralibus Eccleſiis, inter Canonicos eam opinionem invaluiſſe, ut ſe munus ſuum ſatis implere contendant, dum Choro præſentes aſſiſtunt, licet ipſi ſibi ſilentium imperent, neque pſallentibus Beneficiatis, aut Manſionariis in cantu ſe adjungant. In hujuſce vero opinionis confirmationem, adduci ab iiſdem ſolent inveteratæ conſuetudines, ſtatuta peculiaria, aut etiam prætenſa Eccleſiarum ſuarum Privilegia. Ac quum Synodus Tridentina *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. loquens de Dignitatibus & Canonicis, qui Choro intereſſe debent, unum ex eorum officiis eſſe dicat, *in Choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare*, quumque pauca omnino ſint Capitula, in quibus eo modo a Canonicis in Choro aſſiſtitur, hincque receptæ in univerſa Eccleſia diſciplinæ paucos illos adverſari dignoſcatur; quum inſuper opinio illi numquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi propoſita examinata ſit, quin ſtatim exploſa fuerit, & improbata; quamvis præſumptis conſuetudinibus, aliiſque fundamentis & rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Eccleſiarum Patriarchalium hujus noſtræ Urbis ſuper hoc inſtantibus; quum denique idem judicium prolatum reperiatur a pluribus Conciliis Provincialibus ab hac etiam Apoſtolica Sede approbatis & confirmatis; nihil jam reliquum eſſe videtur, quominus pauciores univerſorum legi ſe accommodent. Equidem minime nobis compertum eſt, quo peculiari titulo ſuffulti perſuaſum habeant unius vel alterius Eccleſiæ Canonici, ſe muneri ſuo ſatisfacere per ſimplicem in Choro aſſiſtentiam, abſque Divinæ Pſalmodiæ cantu. Verum niſi illis præſto ſit Apoſtolicum non præſumptum vel abrogatum; ſed legitimum ac vigens Privilegium ſive Indultum, jure ac merito verendum eſt, ne illi, dum ita ſe gerunt, Præbendarum ac diſtributionum fructus minime ſuos faciant, & conſequenter ne ad eorum reſtitutionem teneantur. Quapropter veſtrum erit, Venerabiles Fratres, hæc omnia illis aperire, ut neque nobis, neque vobis apud Divinum Judicem fraudi ſit, ſi in hujuſmodi re, quæ tanti eſt momenti, utpote quæ ad ipſius Dei cultum proxime ſpectat, abuſus & corruptelas, quas arguendo & increpando evellere debebamus, diſſimulatione ac ſilentio noſtro foviſſe & confirmaſſe inveniamur. Interea Fraternitatibus veſtris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apoſtolicam Benedictionem amantiſſime impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die XIX. Auguſti 1744. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

## DECRETUM

Juſſu Sanctiſſimi Domini Noſtri

## BENEDICTI XIV.

*Editum circa celebrationem Miſſæ in Oratoriis Privatis, Die ſeptima Januarii.*

CUm duo Nobiles Conjuges Diœceſis Marſicen. obtinuiſſent a Sede Apoſtolica Indultum pro celebratione Miſſæ in privato ſuæ Domus Oratorio ſic conceptum: *Dilecte Fili & dilecta in Chriſto Filia ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Spirituali conſolationi veſtræ, quantum cum Domino poſſumus, benigne conſulere, Voſque ſpiritualibus favoribus, & gratiis proſequi volentes; & Veſtrum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, & ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, Cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus veſtro nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Vobis, qui (ut aſſeritis) locorum Gallichii, & Meſſanelli, Marſicen. ſeu alterius Diœceſis Juriſdictionem temporalem in illis, ſeu eorum altero exercentes Baro, & Baroniſſa reſpective exiſtitis, ut in privatis Domorum veſtræ habitationis in Civitate, & Diœceſi Marſicen. exiſten. Oratoriis ad hoc decenter muro extructis, & ornatis: ſeu extruendis, & ornandis, ab omnibus domeſticis uſibus liberis per Ordinarium Loci prius viſitandis, & approbandis, ac de ipſius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam Miſſam pro unoquoque die, dummodo in eiſdem Domibus celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit, quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum Sæcularem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem, ſine tamen quorumcumque Jurium Parochialium præjudicio, ac Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, aliiſque ſollemnioribus anni feſtis diebus exceptis, in Veſtra, ac Veſtrorum Conſanguineorum, & Affinium in eadem Domo vobiſcum inſimul habitantium, Familiæque & quoad Oratoria Ruri exiſtentia, etiam in Hoſpitum Nobilium, Veſtrorumque præſentia celebrari facere libere, & licite poſſitis, & valeatis, ac Veſtrum quilibet poſſit & valeat, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus; Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod Familiares ſervitiis veſtris tempore dictæ Miſſæ actu non neceſſariis ibidem Miſſæ hujuſmodi intereſſentes ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus feſtis de præcepto minime liberi cenſeantur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 12. Februarii 1735.* Cumque exorta eſſet dubitatio, an ex vi hujuſmodi indulti liceret Miſſam celebrari in privato Oratorio, etiam ſine præſentia alterutrius ex dictis conjugibus, in quos Indulti conceſſio directa erat, cui quidem dubitationi locum dedit opinio nonnullorum Doctorum pro affirmativa, & negativa reſpective ſententia inter ſe certantium, Sacr. Congregatio Concilii, ad quam hujus quæſtionis reſolutio delata fuit die 3. Decembris 1740. cenſuit: NON LICERE. Deinde vero Sanctiſſimus Dominus Noſter, reprobata contraria Doctorum ſententia, prædictam Sanctæ Congregationis reſolutionem nedum approbavit, verum etiam præſenti Decreto publice evulgando voluit omnibus notum fieri, non poſſe vigore ſimilis Indulti celebrari Miſſam in privatis Oratoriis, quando eidem Miſſæ actu non interſit aliquis ex iis, quibus principaliter Indultum conceſſum eſt. Indultum vero principaliter conceſſum intelligi iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum Perſonis illis, quæ a tergo ejuſdem Brevis proprio nomine nuncupantur, adeo ut ſine præſentia alicujus ex dictis Perſonis minime liceat Miſſæ Sacrificium peragi, etiam ſi præſens ſit aliquis ſive ex Filiis, ſive ex Conſanguineis, ſive ex Affinibus, ſive ex Familiaribus, ſive demum ex Hoſpitibus Nobilibus in eodem Brevi memoratis, quippe quibus nil aliud per ejuſmodi Brevia conceditur, quam quod unuſquiſque eorum (dummodo, quod attinet ad Familiares, juxta clauſulam in iiſdem Brevibus inſertam, non ſit ex illis actu non neceſſariis) aſſiſtens Miſſæ, quæ celebratur in Oratorio privato in præſentia alicujus ex Perſonis a tergo Brevis proprio nomine nuncupatis, ſatisfaciat obligationi audiendi Miſſam diebus Feſtis de præcepto. Sublata igitur, & proſcripta quacumque minus germana interpretatione ejuſmodi Brevium, & Indultorum in contrarium haſtenus facta, SANCTITAS SUA ita declaravit, & ſervari omnino mandavit, diſtricte præcipiens, ut omnes Epiſcopi, aliique locorum Ordinarii, etiam tamquam a Sede Apoſtolica Delegati executioni, & obſervantiæ hujus Decreti diligenter incumbant per Canonicas pœnas contra inobedientes eorum arbitrio conſtituendas.

A. Card. Gentili Præfectus.

*C. A. Archiepiſcopus Philippen. Secretarius.*

## MERCIMONIA

*Super Eleemoſynis Miſſarum vetatur ſub pœna Cenſurarum quarum abſolutio Summo Pontifici reſervatur.*

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis gratiam, & Communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

QUanta cura adhibenda ſit, ut ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium non ſolum omni Religionis cultu ac veneratione celebretur, verum etiam ut a tanti Sacrificii dignitate cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, importunæ atque illiberales eleemoſynarum exactiones, potius quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, e medio tollantur, nemo eſt ex Catholicæ Fidei cultoribus, qui ignoret. Verum eoſque tandem progreſſa eſt, ſicut non ſine ingenti cordis noſtri mœrore undique accepimus, nonnullorum ſive Eccleſiaſticorum, ſive Laicorum Virorum avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, ut eleemoſynas quidem ſeu ſtipendia propter Miſſarum celebra-

brationem juxta locorum conſuetudines, vel Diœceſanarum Synodorum Sanctiones in ſubſidium alimentorum uniuſcujuſque Sacerdotis dumtaxat pro regionum opportunitatibus præſcripta colligant, Miſſas vero celebrari curent alibi, ubi eleemoſynæ ſeu ſtipendia vel conſuetudine vel Synodali lege pro ſingulis Miſſis attributa ſunt minoris pretii, quam illic ubi accipiuntur, darentur. Id quam abſonum ſit atque alienum ab ipſa ſive expreſſa, ſive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt, nec aliter exiſtimandum eſt; in illa enim potius Miſſas eſſe celebrandas quiſque vult, ad quam religionis & pietatis ſtimulis ductus eleemoſynas confert, aut in qua quiſpiam fortaſſe tumulatus eſt, quam in alia Eccleſia ſibi prorſus ignota. Quod ſane veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum non ſolum ab avaritiæ ſuſpicione & vitio, verum etiam a furti crimine, unde reſtitutioni ſubjacet, haud immune, in cauſſa eſt, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujuſmodi venit, graviter offenſi, ab eleemoſynis ad celebrandas Miſſas amplius offerendis ſeſe abſtineant. Execrabilem hujuſmodi abuſum alicubi ſenſim irrepentem deteſtantes Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, de conſilio tum Congr. S. R. E. Cardinalium Univerſalis Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congreg. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote ſtipendio ſeu eleemoſyna majoris pretii pro celebratione Miſſæ a quocumque accepta non poſſe alteri Sacerdoti Miſſam hujuſmodi celebraturo ſtipendium ſeu eleemoſynam minoris pretii, etſi eidem Sacerdoti Miſſam celebranti & conſentienti ſe majoris pretii ſtipendium ſeu eleemoſynam accepiſſe indicaſſet. Propterea Vos Venerabiles Fratres, in Apoſtolici Miniſterii, & ſollicitudinis noſtræ partem adſcitos rogamus, & maximopere in Domino hortamur, ut cuſtodientes vigilias ſuper gregibus veſtris, enitamini, ne ea peſtis amplius pervagetur, ſed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tamquam a radice, mala omnia germinant: quam quidam appetentes erraverant a Fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes Sacerdotalis dignitatis perfectioniſque opinionem magis inficiat evellatque. Avaritia opibus Deum poſthabere, ac ſervire mammonæ docens, efficit, ut Avari hæreditatem non habeant in Regno Chriſti & Dei: Quod ſi hæc in Laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coercenda: quid in Eccleſiaſticis viris qui terrenis rebus nuntium miſerunt, quia ſortem Domini vocati, qui Deo mancipati ſunt? Quid, quod non per mundana lucra, ſed per altaris miniſterium tam ſordide, & cum ſanctiſſimarum legum contemptu, & cum Sacerdotalis characteris dedecore in avaritiam præcipiti animo rapiuntur? Contendite igitur, Venerab. Fratres, quibus Chriſti ovium cura demandata eſt, non ſolum ut verbo & exemplo præeuntes, Chriſti ſitis bonus odor in omni loco, unde populi veſtigia veſtra ſequantur, verum etiam ut Eccleſiaſticos primum, deinde Laicos viros ab infectis vitiorum paſcuis evertentes, per viam mandatorum Dei ad cæleſte Ovile currere doceatis. Quoniam autem ita comparatum eſt, ut præſentis pœnæ metu ſalutaribus monitis facilius obtemperetur, per Edictum in veſtris Diœceſibus proponendum affigendumque, Univerſis notum facite, quemcumque qui eleemoſynas ſeu ſtipendia majoris precii pro Miſſis celebrandis, quemadmodum locorum conſuetudines, vel Synodalia Statuta exigunt, colligens, Miſſas, retenta ſibi parte earumdem eleemoſynarum ſeu ſtipendiorum acceptorum, ſive ibidem ſive alibi, ubi pro Miſſis celebrandis, minora ſtipendia ſeu eleemoſynæ tribuuntur, celebrari fecerit: Laicum quidem ſeu ſæcularem, præter alias arbitrio veſtro irrogandas pœnas, Excommunicationis pœnam: Clericum vero, ſive quemcumque Sacerdotem, pœnam Suſpenſionis ipſo facto incurrere; a quibus nullus per alium, quam per Nos ipſos, ſeu Rom. Pontificem pro tempore exiſtentem, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolvi poſſit. Fore autem in Domino confidimus, ut unuſquiſque memor conditionis ſuæ poſthac bene conſultum velit animæ ſuæ, nec tam ſalutares leges cenſuraſque Eccleſiaſticas parvipendat. Interea Fraternitatibus Veſtris Apoſtolicam Benedictionem in populos etiam curæ veſtræ commiſſos redundaturam peramanter impertimur. Volumus autem, ut præſentium litterarum tranſumptis ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die trigeſima menſis Junii milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo. Pontificatus noſtri Anno Primo.

*D. Cardinalis Paſſioneus.*

## DECLARATIO

*SS. D. N. BENEDICTI PP. XIV. cum inſtructione ſuper Dubiis reſpicientibus Matrimonia in Hollandia & Belgio contracta, & contrahenda, edita die quarta Novembris Anni 1742.*

MAtrimonia, quæ in locis fœderatorum Ordinum dominio in Belgio ſubjectis iniri ſolent ſive inter Hæreticos ex utraque parte, ſive inter Hæreticum ex una parte Virum, & Catholicam Feminam ex alia, aut viceverſa, non ſervata forma a Sacro Tridentino Concilio præſcripta, utrum valida habenda ſint, nec ne, diu multumque diſceptatum eſt, animis hominum, ac ſententiis in diverſa diſtractis: Id quod ſatis uberem anxietatis, ac periculorum ſementem, per multos annos ſubminiſtravit, quum præſertim Epiſcopi, Parochi, atque illarum Regionum Manſionarii, nihil certi hac ſuper re haberent, nihil vero inconſulta Sancta Sede auderent ſtatuere, ac declarare. Cum autem proxime evolutis annis in tam ancipiti, gravique cauſſa Apoſtolicæ Sedis judicium vehementius expoſceretur, urgeretque id in primis vigilantiſſimus Iprenſis Epiſcopus, dum pro debito Officii ſui, & ſua erga Beati Petri Cathedram obſervantia de Eccleſiæ ſibi concreditæ ſtatu ad Romanum Pontificem referebat, ponendumque omnino eſſe tam prolixæ dubitationi finem graviſſimis verbis, ac rationibus perſuaderet, Clemens XII. id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravitatem, quanti oportebat, æſtimaret, Sacræ Congregationi Eminentiſs. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum in mandatis dedit, ut de tota controverſia diligenter more ſuo cognoſceret. In re itaque tanti momenti volens eadem Sacra Congregatio quam accuratiſſime procedere, commiſſæ ſibi cognitionis initium ab exquiſitis aliorum quoque Belgii Epiſcoporum relationibus, atque ſententiis, quas deſuper explorari ſategit, petendum duxit, eodemque tempore audire voluit præſtantes aliquot hujus Almæ Urbis Theologos, quibus injunxit ut rem totam ea, qua decet maturitate diſcuterent, ſuamque opinionem proferrent. At, dum hæc maxime agerentur ſuperſedendum per aliquot Menſes fuit ab iſtiuſmodi Cauſſæ expeditione propter viduitatem, quæ intercidit Romanæ Eccleſiæ, donec ad Summum Pontificatum feliciter evectus Sanctiſſ. D. N. BENEDICTUS XIV. Inter primas Regiminis ſui curas, Cauſæ hujus cognitionem repeti juſſit a memorata Sacra Congregatione Concilii, quam voluit coram ſe haberi, ut auditis Eminentiſſimorum Patrum Sententiis, ipſe demum, quid hac in re tenendum foret, ſupremo ſuo pronuntiaret oraculo. Cum igitur Congregatio præfata ſub die 13. Maji currentis anni 1741. coram Sanctitate ſua fuerit habita, id Sanctiſſimus D. N. ſpatio aliquo temporis ad rem ſecum expendendam accepto, hanc nuper declarationem, & inſtructionem exarari præcepit, qua veluti certa regula, ac norma, omnes Belgii Antiſtites, Parochi, earumque Regionum Manſionarii, & Vicarii Apoſtolici deinceps in hujuſmodi negotiis uti debeant.

Primo ſcilicet, quod attinet ad Matrimonia ab Hæreticis inter ſe in locis fœderatorum Ordinum dominio ſubjectis celebrata, non ſervata forma per Tridentinum præſcripta, licet Sanctitas Sua ignoret, alias in caſibus quibuſdam particularibus, & attentis tunc expoſitis circumſtantiis, Sacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate reſpondiſſe; neque tamen compertum habens nihil adhuc generatim, & univerſe ſuper ejuſmodi Matrimoniis fuiſſe Apoſtolica Sede definitum, & alioquin oportere omnino ad conſulendum univerſis Fidelibus in iis locis degentibus, & plura evertenda graviſſima incommoda, quid generaliter de hiſce Matrimoniis ſentiendum ſit, declarare, negotio mature perpenſo, omnibuſque rationum momentis hinc inde ſedulo libratis, declaravit, ſtatuitque Matrimonia in dictis fœderatis Belgii Provinciis inter Hæreticos uſque modo contracta, quæque impoſterum contrahentur, etiamſi forma a Tridentino præſcripta non fuerit in iis celebrandis ſervata, dummodo aliud non obſtiterit canonicum impedimentum; pro validis habenda eſſe; adeoque ſi contingat, utrumque Conjugem ad Catholicæ Eccleſiæ ſinum ſe recipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo ipſos omnino teneri, etiamſi mutuus conſenſus coram Parocho Catholico ab eis non renovetur. Sin autem unus tantum ex Conjugibus ſive maſculus, ſive Femina convertatur, neutrum poſſe, quamdiu alter ſuperſtes erit, ad alias nuptias tranſire.



Quod vero ſpectat ad ea conjugia, quæ pariter in iiſdem fœderatis Belgii Provinciis, abſque forma a Tridentino ſtatuta contrahuntur a Catholicis cum Hæreticis ſive Catholicus Vir Hæreticam Fœminam in Matrimonium ducat, ſive Catholica Fœmina Hæretico Viro nubat, dolens in primis quam maxime Sanctitas Sua, eos eſſe inter Catholicos, qui inſano amore turpiter dementati ab hiſce deteſtabilibus connubiis; quæ Sancta Mater Eccleſia perpetuo damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, & prorſus ſibi abſtinendum non ducunt, laudanſque magnopere zelum illorum Antiſtitum, qui ſeverioribus propoſitis ſpiritualibus pœnis catholicos coercere ſtudent, ne ſacrilego hoc vinculo ſe hæreticis conjungat, Epiſcopos omnes, Vicarios Apoſtolicos, Parochos, Miſſionarios, & alios quocumque Dei, & Eccleſiæ fideles Miniſtros in iis partibus degentes ſerio, graviterque hortatur, & monet ut Catholicos utriuſque ſexus ab hujuſmodi nuptiis in propriarum Animarum perniciem ineundis, quantum poſſint, abſterreant; eaſdemque Nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire ſatagant. At, ſi forte aliquod hujus generis Matrimonium, Tridentini formæ non ſervata, ibidem contractum jam ſit, ut impoſterum (quo Deus avertat) contrahi contingat, declarat Sanctitas Sua, Matrimonium hujuſmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum eſſe, & neutrum ex Conjugibus, donec alter eorum ſupervixerit, ullatenus poſſe ſub prætextu dictæ formæ non ſervatæ novum Matrimonium inire. Id vero debere ſibi potiſſime in animum inducere Conjugem Catholicum ſive Virum Fœminam, ut pro graviſſimo ſcelere, quod admiſit, pœnitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum Conjugem a vera Fide deerrantem ad gremium Catholicæ Eccleſiæ pertrahere, ejuſque animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportuniſſimum foret, ſciens de cetero, ut mox dictum eſt, ſe iſtius Matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

Ad hæc declarat Sanctitas Sua, ut quidquid hactenus ſancitum, dictumque eſt de Matrimoniis ſive ab hæreticis inter ſe, ſive inter Catholicos, & Hæreticos initis in locis fœderatorum Ordinum Dominio in Belgio ſubjectis, ſancitum, dictumque intelligatur etiam de ſimilibus Matrimoniis extra fines Dominii eorumdem fœderatorum Ordinum contractis ab iis, qui addicti ſunt Legionibus, ſeu militaribus copiis, quæ ab iiſdem fœderatis Ordinibus tranſmitti ſolent ad cuſtodiendas, muniendaſque arces conterminas, vulgo dictas *di Barriera*; Ita quidem, ut Matrimonia ibi præter Tridentini formam, ſive inter Hæreticos utrinque, ſive inter Catholicos, & Hæreticos inita valorem ſuum obtineant, dummodo uterque Conjux ad eaſdem Copias, ſive Legiones pertineant. Et hanc declarationem vult Sanctitas Sua complecti etiam Civitatem Moſæ Trajectenſis a Republica fœderatorum Ordinum, quamvis non jure dominii, ſed tantum oppignorationis, ut ajunt, nomine poſſeſſum.

Tandem circa conjugia, quæ contrahuntur, vel in Regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Provinciis fœderatis domicilium habent, vel in fœderatis Provinciis ab habentibus domicilium in Regionibus Catholicorum Principum, nihil Sanctitas Sua de novo decernendum, aut declarandum eſſe duxit volens, ut de iis, juxta canonica Juris communis principia, probataſque in ſimilibus caſibus alias editas a Sacra Congregatione Concilii reſolutiones, ubi diſputatio contigat, decidatur, & ita declaravit, ſtatuitque ac ab omnibus impoſterum ſervari præcipit. Die 4. Novembris 1745.

A. Card. Gentili S. C. Concilii Præfectus.

*C. A. Archiepiſcopus Philippen. Secretarius.*

At quoniam in conſuetudinem venit, nonnulla recondita, & occulta Matrimonia, *Conſcientiæ* vulgo nuncupata, interdum fieri: quandoque pariter Filios familias conjugii nexu copulari contra Patris juſte diſſentientis voluntatem, denunciationibus omiſſis, ſolaque duorum Teſtium ac Parochi adhibita præſentia, de cautela, quare permittenda ſunt, Prælatos Eccleſiæ monet; proſpicienſque tum temporali ſuſpiciendæ Proli, peculiari libro ea regerenda matrimonia præcipit; quam prolem naſci contigerit, nomina parentum baptizati infantis exprimenda in libro decernit; aliter in lucem proferri occultum conjugium, in pœnam contumaciæ mandat, uti legitur in ſequenti conſtitut. vid.

## MATRIMONIA

*Occulta quibus, & quomodo ſint permittenda: quibuſque cautelis celebranda, & in acta deſcribenda: quomodo conſulendum educationi & indemnitati Prolis.*

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

SAtis Vobis compertum eſſe non dubitamus, *Venerabiles Fratres*, eam ſemper fuiſſe piæ Matris Eccleſiæ vigilem curam, ut Sacramentum Matrimonii, *Magnum* ab Apoſtolo nuncupatum, publice, & palam a fidelibus celebretur. Quod quidem ut diligentius, quam antea factum fuerat, impoſterum ab omnibus obſervaretur, Sancta Trid. Synod. Lateran. Concilii ſub Innocentio III. celebrati veſtigiis inhærendo, præcipit, ut impoſterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio Contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſollemnia publice denuncietur; deindeque, nullo legitime concurrente impedimento, ad illius celebrationem in facie Eccleſiæ coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Teſtibus præſentibus rite procedatur. Voluit etiam eadem S. Synodus apud Parochum diligenter Librum cuſtodiri, in quo Conjugium, & Teſtium nomina, dieſque, & locus Matrimonii deſcribantur.

Providæ tamen hujuſmodi leges, tanta auctoritate ſaluberrime inſtitutæ, prava horum temporum conditione ſenſim prolabi viſæ ſunt, & enerves propemodum reddi, ob Matrimonia uſu nimis recepta, quæ occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri poteſt, oblitteretur, & in tenebris ignorantiæ perpetuo jaceat conſepulta. In more etenim poſitum eſt illa celebrari nullis præviis factis denunciationibus, coram ſolo Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia, adhibita præſentia tantum duorum Teſtium appoſite a Contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum eſt ſuſpecta, remque peragi ſæpe extra Eccleſiam, quandoque etiam intra illam, januis tamen occluſis, vel eo temporis momento, quo ſemota alterius cujuſvis præſentia, ſcientia initi Matrimonii, præter Parochi, Contrahentium, Teſtiumque perſonas, alios penitus effugiat.

Quantum a Sacramenti dignitate, & Eccleſiaſticarum legum præſcriptio occulta hæc Matrimonia, *Conſcientiæ* vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, ſatis ſuperque conjicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitioſos illorum effectus converterit. Hinc enim gravia ortum ha-

[1] *Antoine Theol. Moral.* T. III. P. II.

habent peccata, præſertim vero eorum, qui Divini Judicii interminatione poſthabita, priore Uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia ſpe futuri Matrimonii decepta, & in turpem ſecum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorumdam vero mentem ita pravæ cupiditates, excæcant, ut novum contrahere ſecretum Matrimonium audeant poſt alterum ſecreto itidem contractum, & nondum prioris conjugis morte ſolutum, ſeſeque magno ſcelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiæ devenere, ut in hujus magni Sacramenti contemptum, poſt primas ſecreto initas, alteras aut publice, aut privatim nuptias contrahendo, ſeſe audacius polygamia pariter innodare non perhorreſcant. Age vero, quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his Matrimoniis mala oriantur. Si enim ad quamcumque Matrimonii ſuſpicionem ſummovendam, virum ſeorſim a muliere vivere contingat, ſublata eſt illico individuæ vitæ conſuetudo, & contemptum eſt verbum Domini: *Adhærebit Homo Uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*. Si hæc vitæ conſuetudo ſervetur, nemo eſt, qui illam criminis non arguat, & utpote deteſtabilem, in ſcandali materiam non traducat. Neque illata per ſcandalum diſpendia rependit ſubſecuta celebratio occulti Matrimonii, quod in tenebris deliteſcit, & ab omnibus ignoratur.

Leviora quoque damna non ſunt, quæ ſuſceptæ Proli irrogantur. Sæpe enim contingit, illam a Parentibus, & a Matre præſertim amotam, nec pie, nec liberaliter inſtitui; ſed incertis fortunæ caſibus objectam relinqui; niſi etiam Parentes ipſi, contra naturæ leges auſu nefario illius vitæ inſidientur. Ubi vero tam immane facinus Parentes deterreat, illoſque ad ſobolem alendam, inſtituendamque humanitas ipſa compellat, alia imminet Liberis ſuſceptis ex occulto Matrimonio lugenda avitarum facultatum, & bonorum jactura, pro quorum poſſeſſione aſſequenda quamvis clament jura ſanguinis, illis tamen careant neceſſe eſt propter occulta Parentum Matrimonia, & ademptam legitimitatis, & filiationis probationem. Huic etiam malorum origini ſunt referenda ipſa quoque ſecreta Matrimonia contracta a filiisfamilias contra Patris juſte diſſentientis voluntatem, ex quibus quam gravia incommoda exoriri ſoleant, neminem latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut quandoque in Minoribus conſtituti Penſiones, & Beneficia, ad Divinum Cultum, & Eccleſiaſtica munia inſtituta, etiam poſt initum clam Matrimonium retinuerint, ſibique de mammona iniquitatis loculos miſerrime comparaverint.

Deflenda hæc igitur potius uberibus lacrimis quam latiore calamo explicanda malorum congeries. Cum autem ex hac Apoſtolicæ Sedis ſpecula omnes ſibi vindicet noſtræ vigilantiæ curas, temperare non poſſumus, quin Vos ipſos, Vener. Fratres, in partem noſtræ ſollicitudinis evocantes, veſtram pietatem, & zelum excitemus ad cuſtodiendas vigilias noctis ſuper Grege Vobis credito, quem luctuoſa horum temporum conditio in diſcrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occaſio Vos reddat difficiliores ad remittendum Publicationes, a quibus contracturi Matrimonium ſæpe per malitioſam ſuggeſtionem petunt diſpenſari. Quam caute, ſoletterque oporteat ea in re Epiſcopos verſari, non obſcura Vobis a Concil. Tridentino exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem Sancta Synodus) probabilis fuerit ſuſpicio, Matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi præceſſerint Denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus teſtibus præſentibus Matrimonium celebretur, & deinde ante illius conſummationem Denunciationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur. Præterea licet Epiſcopo relictum ſit omnimode ſuper Denunciationibus diſpenſare, hæc tamen facultas, non a ſola Diſpenſantis voluntate pendet, ſeu a Trident. coercetur arctis prudentiæ, diſcretique arbitrii legibus; quod idem eſt, ac legitimam cauſſam diſpenſationis requirere.

Parem quoque, immo fortaſſe majorem vigilantiam neceſſe eſt a Vobis adhiberi, ne poſt remiſſas Denunciationes celebretur Matrimonium coram Parocho, vel alio Sacerdote ab ipſo Parocho, vel a Vobis deputato, præſentibus duobus, vel tribus Teſtibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriatur. Id enim, ut ad præſcriptum Sacrorum Canonum licet fieri poſſit, non ſatis eſt obvia quævis, & vulgaris cauſſa, ſed gravis, urgens, & urgentiſſima requiritur. A Sacro Noſtræ Pœnitentiariæ Tribunali, eo potiſſimum caſu fit poteſtas ita celebrandi Matrimonium, quo vir, & femina in figura Matrimonii publice degentes, & de quibus nulla viget criminis ſuſpicio, in occulto tamen concubinatu perſeverent: Facile enim quiſque conjiciet, quam abſonum eſſet, eos, a ſtatu damnationis per gratiam Sacramenti revocando, ad publice contrahendum Matrimonium præviis Denunciationibus compelli. Hanc vero praxim Vobis duximus proponendam, non quia Diſpenſatio præmiſſo caſui ſolum congruat, cum alii ſimiles, & fortaſſe urgentiores eſſe poſſint, in quibus diſpenſari expediat; ſed quia Veſtri paſtoralis Officii partes verſari debent in ſedulo inveſtiganda legitima, & urgenti cauſſa diſpenſationis, ne Matrimonia occulte celebrata luctuoſos habeant exitus, quos intimo cordis mœrore recenſuimus.

Hunc porro in ſcopum Vos hortamur, & impenſe admonemus, ut perſonarum Matrimonium ſecreto contrahere petentium diligens fiat a Vobis inquiſitio: An ſcilicet ejus qualitatis, & gradus, & conditionis ſint, quæ id probe expoſcant; An ſint ſui, vel alieni juris; An Filiifamilias, quorum nuptiæ Patri juſte diſſentienti ſint inviſæ; ab Epiſcopali etenim, quod geritis, munere nimium eſſet alienum, facilem præberi Filio inobedientiæ occaſionem: An res ſit de Perſonis Eccleſiaſticis, licet in Minoribus Ordinibus conſtitutis, Penſiones, & Beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, ut deteſtabilis illorum retentio in ſtatu Uxorato congruis remediis poſtea compeſcatur. Potiſſimam vero curet Veſtra ſollicitudo, antequam ſecreti Matrimonii licentia concedatur, quod Contrahentes clara, & indubia a quavis immunia fraude exhibeant documenta ſtatus liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi ſunt ingenii, poligamiæ periculum.

Quod attinet ad Miniſtrum ſecreti Matrimonii, volumus ad id munus deputari Parochus alterius ex Contrahentibus, quem notitia Perſonarum, experientia, & diuturnus rerum uſus quovis Sacerdote extraneo peritiorem effeciſſe præſumuntur. Si quæ tamen Vobis occurrant circumſtantiæ, quæ alium Sacerdotem loco Parochi expoſcere videantur, gravi impellente cauſſa, is Sacerdos a Vobis eligatur, qui probitate, & doctrina, & obeundi muneris peritia commendetur. Uni tamen, aut alteri Sacramenti Miniſtro a Vobis deputando diſtricte præcipiatur, ne Matrimonio interſit, niſi prius paterna caritate Conjuges in Domino monuerit, Sobolem procreandam regenerari quamprimum oportere Sacro Baptiſmatis lavacro, ac Chriſto Judici diſtinctam redditurus eſſe rationem, niſi Filios ut legitimos agnoverint, eoſque pietate, boniſque moribus imbuerint, & frui patiantur bonis temporalibus a Majoribus in ſupremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

Celebrato autem Matrimonio, indilate a Parocho, vel alio Sacerdote, coram quo initum eſt, exhibeatur Epiſcopo illius ſcriptum documentum, cum nota loci, & temporis, Teſtiumque, qui celebrationi interfuerunt. Veſtrum erit poſtea diligenter incumbere, quod ad perennem geſtæ rei memoriam præfatum documentum fideliter tranſcribatur in Libro prorſus diſtincto ab altero, in quo Matrimonia publice contracta de more adnotantur. Hujuſmodi Liber pro Matrimoniis ſecretis appoſite compactus, clauſus, & ſigillis obſignatus in veſtra Epiſcopali Cancellaria caute erit cuſtodiendus: Et eo tantum caſu reſignari, & aperiri veſtra accedente licentia patiemini, quo alia id genus Matrimonia deſcribi oporteat, vel id ſibi vindicet juſtitiæ adminiſtrandæ neceſſitas, vel domum aliquod documentum ab eo expoſcant verum intereſſe habentes, quibus probationum aliunde petendarum non ſuppetit copia: Sedulo tamen animadvertentes, quod, re abſoluta, denuo claudatur, & ſigillis, ut antea, obſignetur. Fides ſeu Atteſtationes clam celebrati Matrimonii a Parocho, vel Sacerdote, qui vices Parochi geſſit, exarandæ, Vobiſque exhibendæ, tranſcribantur in dicto Libro, prout jacent de verbo ad verbum a Perſona a Vobis deputanda, quæ apud omnes integritatis, probatique nominis luculentum habeat teſtimonium. Fides vero, & Atteſtationes ipſæ in ſecretiori loco ſartæ, tectæque a Vobis ſerventur.

Quod



Quod ſi ex occulto hujuſmodi Matrimonio Prolem naſci contingat, eadem mundetur ſalutari aqua Baptiſmi in Eccleſia, in qua aliis infantibus hoc Sacramentum indiſtincte confertur. Et quia ad operiendum clam initum Matrimonium, facile eſt in Libro baptizatorum nullam fieri mentionem Parentum, & eorum Nomina conſulto reticeri: Volumus, ac expreſſe mandamus, quod a Patre Baptizati, eoque defuncto, ab illius Matre ſuſcepta Proles vobis denuncietur; dictaque Denunciatio fiat vel immediate, per Parentes ipſos, vel per literas eorum characteres exaratas, vel per fide dignam Perſonam ab ipſis Parentibus deſignatam, ut certo, & clare Vobis conſtet, quod Proles tali loco, & tempore, vel reticitis, vel falſo expreſſis nominibus Parentum, baptizata, eſt legitima, licet occulti Matrimonii fœdere procreata. Quæ ſane omnia cum Vobis innotuerint, ne illorum excidat memoriam, in Libro fideliter deſcribentur ab eo, cui facta a Vobis eſt poteſtas adnotandi Matrimonia occulte celebrata. Liber, in quem Baptizatorum, ac utriuſque Parentis nomina referuntur, quamvis diſtingui debeat ab altero Matrimoniorum, eadem tamen diligentia, iiſdemque cautelis in Cancellaria Epiſcopali clauſus, & ſigillis obſignatus, erit cuſtodiendus, prout Librum Matrimoniorum caute cuſtodiri ſupra mandavimus.

Quia vero nonnulli deeſſe non poſſunt, qui propriæ conſcientiæ vocibus obſurdeſcant, & a noſtris hiſce mandatis parere negligant; debita pœnarum diſtrictione pro modo culpæ a Vobis puniantur. Quinimmo cum ſatis Nobis experientia compertum ſit, in hujuſmodi negotiis homines, in terram oculos declinantes, ob humanos reſpectus tardiores effici, & a recte agendi ſemita revocari; Mandamus idcirco, Matrimonia occulta Vobis evulgari, & nota fieri, ſi certo Vobis conſtiterit, ex aliquo Matrimonio occulto procreatam fuiſſe ſobolem, & baptizatam ſuppreſſis Parentum nominibus, nulla præſtita Vobis notizia, ut par erat ab illius Parentibus intra triginta dies a Nativitate numerandos.

Ne autem contumaces, & inobedientes violatæ fidei, proditique ſecreti Paſtores ſuos inſimulent, ſedulo a Vobis curandum eſt, ut a Parocho, vel alio Sacerdote pro ſecreta celebratione Matrimonii a Vobis deputando, Conjuges clare & aperte moneantur, ea lege, & pacto illis permitti ſecreti Matrimonii celebrationem, ut Soboles inde procreanda non ſolum regeneretur Sacro Baptiſmate, ſed poſt Baptiſma denuntietur Epiſcopo cum nota loci, & temporis admminiſtrati Sacramenti, ac ſincera indicatione Parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum ſupra præmiſſum eſt: alioquin Matrimonium licet contractum data per Epiſcopum ſecreti fide, in lucem proferetur in gratiam filiorum, & ad propulſandam ab illis gravem, nulloque pacto ferendam jacturam. Volumus denique, ac mandamus, Fides, ſeu Atteſtationes Matrimonii clam initi, & ſobolis ex eo procreatæ, exceptas ex dictis Libris, tanmodo, quo dictum eſt, apud Vos caute cuſtodiendis, tantum promereri fidem, quantam ſibi alii Libri Parochiales Baptiſmatis, & Matrimonii vindicare conſueverunt.

Hæc a Vobis, Ven. Fratres, in hac temporum calamitate obſervari enixe præcipimus ad communem animarum ſalutem, & ad præſidium Eccleſiaſticæ diſciplinæ, propter invaleſcentem hominum malitiam nova ſemper detrimenta vel patientis, vel reformidantis. Ceterum noſtris hiſce literis ſublata nolumus ea validiora remedia, quæ huic malo, in diem ingruenti, conſona dignoſcet prudentia veſtra; ad Paſtorale officium cumulate obeundum. Vobis interea paternæ caritatis, & benevolentiæ teſtem, Apoſtolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 17. Novemb. 1741. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

## CONSTITUTIO.

*Qua confirmantur Literæ jam editæ adverſus Confeſſarios exquirentes a Pœnitentibus complicum nomina, & pœnæ in delinquentes ſtatuuntur, cum præſcriptione ordinis procedendi in hujuſmodi cauſſis.*

## BENEDICTUS EPISCOPUS

### SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

UBI primum de perverſa quadam, & abſurda praxi in Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando apud nonnullos Confeſſarios in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis introduci cœpta, non ſine animi noſtri dolore, nuntium accepimus non levi aliquo incertoque rumore ad Nos perlatum, ſed ita gravibus, ſolidiſque fundamentum innixum, ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate, tum magnitudine facerent, prætermittere non potuimus, quin continuo datis ad Venerabiles Fratres eorumdem Regnorum ac Ditionum Archiepiſcopos Apoſtolicis Noſtris Literis, remedium naſcenti malo quam promptiſſime adhiberemus. Earum vero Literarum die ſeptima menſis Julii ſuperioris anni 1745. editarum, quas præſenti huic noſtræ Conſtitutionis inſerendas exiſtimamus, hic tenor erat.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

*SUprema omnium Eccleſiarum ſollicitudo, & Divina Jeſu Chriſti omnium Paſtorum Principis cujus vices plane immerenti gerimus, caritas aſſidue urget Nos, ut præcommiſſa divinitus imbecillitati Noſtræ univerſi Dominici gregis cura ſemper advigilantes, periculis animarum, ſicubi forte ſuperimpenderint, per omnes Chriſtiani Orbis Populos ac Nationes opportune, quantum cum Domino poſſumus, occurramus; atque iis præcipue Regnis, & Locis peculiari quadam Apoſtolicæ Noſtræ caritatis ſtudio, auctoritatiſque providentia conſulamus, in quibus, cum Fides, Religio, Pietas quam maxime floreant, callidus humani generis hoſtis nocere Fidelibus dum aperto bello deſperat, per inſidias molitur, in Angelum ſcilicet ſeſe lucis transfigurans, & ementita boni ſpecie incautis illudens; quæ ex arte non minora ſæpe animarum detrimenta, quam ex aggreſſione manifeſta, eſſe proventura nequiſſimus veterator confidit. In harum autem fraudum numero computamus, quod in florentiſſimis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & Ditionibus, quibus vos Antiſtites ſumma cum Sacerdotalis virtutis veſtræ commendatione præſidetis, & quibus pro ſinguli erga Catholicam Eccleſiam, atque Apoſtolicam hanc Sanctam Sedem obſervantia merita debentur laudes, nuper eveniſſe non ſine ingenti animi noſtri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures Noſtras, nonnullos iſtarum partium Confeſſarios falſa zeli imagine ſeduci ſe paſſos, ſed a zelo ſecundum ſcientiam longe aberrantes, perverſam quamdam, & perniciſiam praxim in audiendis Chriſti-fidelium confeſſionibus, & in ſaluberrimo Pœnitentiæ Sacramento adminiſtrando, invehere atque introducere cœpiſſe; ut videlicet, ſi forte in pœnitentes incidiſſent ſocium criminis habentes, ab iiſdem pœnitentibus ſocii hujuſmodi, ſeu complicis nomen paſſim exquirerent, atque ad illud ſibi revelandum non inducere modo ſuadendo conarentur; ſed, quod deteſtabilius eſt, denuntiata quoque, niſi revelarent, abſolutionis ſacramentalis negatione, prorſus adigerent, atque compellerent, immo etiam complicis ejuſdem nedum nomen, ſed habitationis inſuper locum ſibi exigerent deſignari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procuranda complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum ſpecioſo prætextu celare, tum emendicatis quibuſdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujuſmodi vel falſas, & erroneas ſequendo*



vel

*vel veras, & ſanas male applicando, perniciem tam ſuis, quam pœnitentium animabus conſciſcerent; ac ſeſe præterea plurium gravium damnorum, quæ inde facile conſecutura fore providere debuerant, reos coram Deo æterno Judice conſtituerent &c. verum jam ſecuta fuiſſe multa ejuſmodi damna felici experientia compertum eſt: nec fieri potuit quin eadem cauſſa & oblocutiones, & ſcandala, & non Miniſtrorum tantum ſed ſacri etiam ipſius miniſterii odium, & animorum ingens conturbatio in Populo fideli exorta ſint. Triſtia Nos hæc nuntia cum accepimus, ſimul audivimus, contra exitialem hujuſmodi abuſum pretinus juſta indignatione promovere ſuo commotos fuiſſe dilectos Filios Noſtros S. R. E. Cardinales Nunum a Cunha in iiſdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Generalem Inquiſitorem, & Thomam de Almeyda Patriarcham Liſbonenſem; atque utrumque ſollicite gliſcenti malo compeſcendo, atque etiam eradicando adlaboraſſe. Nos autem ut in tam gravi animarum diſcrimine nulla ex Parte Apoſtolici Noſtro Miniſterio deeſſe videamur, neve mentem hac ſuper re Noſtram apud Vos obſcuram, & ambiguam eſſe ſinamus, notum Vobis eſſe volumus memoratam ſuperius praxim penitus reprobandam eſſe, eamdemque a Nobis per præſentes Noſtras in forma Brevis Literas reprobari, atque damnari, tamquam ſcandaloſam, & pernicioſam, ac tam famæ proximorum, quam ipſi etiam Sacramento injurioſam, tendentemque ad ſacroſancti ſigilli ſacramentalis violationem, atque ab ejuſdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo, & neceſſario uſu Fideles abalienantem. Ea propter, Venerabiles Fratres, quemquam de Paſtorali veſtra Vigilantia nihil eſt, quod dubitemus, Supremi tamen Officii quoque Noſtri eſſe cenſemus, alacritatem ipſam veſtram hac mentis Noſtræ aperta ſignificatione, & Apoſtolicis inſuper hortationibus noſtris intentius acuere, & excitare, ut pro ſe quiſque veſtrum opportunioribus, quaſcumque prudentia ſuggeſſerit, initis rationibus, & efficacioribus quibuſque Juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes Miniſtros adhibitis, noxiam hujuſmodi novitatem ſtrenue inſectemini, ac pene naſcentem opprimatis, atque patiamini traditis cura veſtra ovibus ibi offendiculum parari, ubi ſalus a Chriſto poſita eſt, ab eoque divinæ miſericordiæ fonte illas averti, ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore Noſtro ad abluendas, dealbandaſque in Sanguine ſuo animae amantiſſime invitantur. Interea, dum a zelo veſtro, ac prudentia luculentiora Nobis certo pollicemur veſtræ pietatis & obſervantiæ argumenta, Apoſtolicam Benedictionem cum uberrima cæleſtium chariſmatum copia conjunctam Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimur. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, & adhiberi poſſet, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII. Menſis Julii 1745. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

*Cajetanus Amatus.*

Has porro Noſtras Literas forma Brevis tunc datas iterum præſentibus Noſtris confirmamus, & roboramus, eaſque ab omnibus, & ſingulis fideliter, exacteque obſervari injungimus, atque præcipimus.

Statuentes inſuper, ac decernentes, ut quicumque cujuſvis ſtatus, gradus, conditionis, dignitatis, & ordinis, etiam ſpeciali & individua, ad effectum ut hiſce Noſtris præſentibus comprehendantur, mentione & expreſſione digni, auſus impoſterum fuerit docere licitam eſſe hujuſmodi praxim; prout ea in relato Noſtro Brevi exponitur ac reprobatur, vel ſcribere, aut loqui præſumpſerit in ejuſdem damnatæ praxis defenſionem, vel ea, quæ in dicto Brevi contra eamdem praxim decreta ſunt impugnare, aut in alienos ſenſus temere detorquere, ſeu interpretari, incidat ipſo facto excommunicationem, a qua non poſſit, præterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente vel auctoritate ſuffulto, niſi a Nobis, vel a pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Et quia non modo cavendum eſt, ut, quæ ſunt a Nobis in præinſertis Literis decreta, ab omni impugnatione, contradictione, pravaque interpretatione ſalva ſint, & immunia, verum etiam ne quis in Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione ab eorum omnimoda obſervantia unquam recedat; idcirco omnibus & ſingulis Confeſſariis utriuſque Cleri tam Sæcularis, quam Regularis, quantumvis exempti, & quacumque ſpeciali, & expreſſa mentione alias fortaſſe nominandi, graviter & diſtricte, Divini interminatione judicii, atque in virtute ſanctæ obedientiæ, prohibemus, ne conformiter ad prædictam reprobatam praxim, pœnitentes, qui peccatum, ſeu crimen aliquod, cujus ſocium aut ſocios habuerit, ipſis in Tribunali Pœnitentiæ confiteantur, interrogare præſumant de nomine ſocii, ſeu complicis, loco habitationis, vel aliis hujuſmodi adjunctis, ſive circumſtantiis, expreſſionem magiſque individuam ejuſdem complicis manifeſtationem concernentibus, eidem pœnitenti, ſi manifeſtare renuerit, ſacramentalem abſolutionem denegando; alioquin noverint ſeſe, ultra peccati lethalis incurſum, ſuſpenſioni ab officio audiendarum confeſſionum, aliiſque etiam gravioribus pœnis fore ſubjiciendos.

Præterea quoniam contra damnatum hujuſmodi exitialem abuſum, ne cum animarum pernicie radices agat, neceſſe ducimus modum, ac formam etiam in foro externo procedendi, & ultrices adverſus reos pœnas imponendi, ſtatuere, atque ordinare, omneſque ſuper hoc exorituras, vel etiam jam exortas diſſentiones componere, & penitus amputare volumus: decernimus, ac declaramus, quod docentes, ut ſupra, licitam eſſe praxim a Nobis jam reprobatam, vel in ejuſdem praxis defenſionem ſcribentes, aut loquentes, vel ejuſdem reprobationem in memorato Noſtro Brevi contentam impugnantes, aut perverſe interpretantes, in Officio Sanctæ Inquiſitionis prædictorum Regnorum atque Ditionum ſevere puniantur, & contra eos, & eorum quemlibet in eodem Officio procedatur, non minus ac contra illos ibidem procedi ſolet, qui aſſerunt, tradunt, tuentur opiniones ſcandaloſas, pernicioſas, & uti tales a Sede Apoſtolica rejectas, & condemnatas.

Similiter in eodem Officio procedendum erit, & procedi volumus ac ſtatuimus contra Confeſſarios quoque, ut ſupra delinquentes, ac nomine complicis pœnitentem interrogantes, eidemque pœnitenti, niſi illud ſibi manifeſtet, abſolutionem denegantes. Dummodo tamen hujuſmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumſtantiis conjunctus ſit, ac conveſtitus, quæ ſic agentem Confeſſarium de adhæſione ad prædictam reprobatam praxim, tamquam ad licitum, vel alio quovis modo de prava credulitate ſuſpectum reddant.

Itaque contra prædictos omnes, & ſingulos delinquentes tam ſæculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cujuſcumque dignitatis, ac præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti exiſtant, quorum ſpecialis, & nominatim mentio facienda ſit, prædictorum Regnorum ac Ditionum Inquiſitores, poteſtate a Nobis tradita, & quatenus opus ſit, præſentium tenore de novo conceſſa, prout in cauſſis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, necnon Sancti Officii inquiſitionis hujuſmodi conſtitutiones, privilegia, conſuetudines, & decreta, inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex ejuſmodi exceſſibus culpabiles repererint, in eos, pro criminum qualitate & circumſtantiis, ſuſpenſionis ab officio confeſſiones audiendi, vel etiam ab executione Ordinum, privationis Beneficiorum, Dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis activæ ac paſſivæ, ſi Regulares fuerint, aliaſque pœnas decernant, omnes etiam vel earum tantum aliquas, in perpetuum, vel ad tempus infligendo.

Quicumque vero alium quemlibet aliquo ex ſupradictis modis deliquiſſe cognoverint, eum, intra terminum dierum, in Edictis Sancti Officii ejuſmodi Inquiſitionis præfigi ſolitum, eidem Sancto Officio denunciare teneantur: alioquin pœnas non denunciantibus per eadem edicta infligi conſuetas incurrant. Veruntamen ab hujuſmodi onere denunciandi juſtis de cauſſis eximi volumus, & eximimus perſonam ipſam pœnitentem dumtaxat in cauſſa propria, ideſt in caſu, quando ſuum peccatum confitens, a Confeſſario adigitur



ad ſibi manifeſtandum nomen complicis de eodem peccato: tunc enim pœnitentem hujuſmodi ab obligatione eumdem Confeſſarium denunciandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum eſt, confeſſione, noverit Confeſſarium aliquo ex ſuperius enumeratis, & Sancto Officio denunciandis modis deliquiſſe, tunc eum & ipſe denunciare, ex iſta aliunde habita notitia, teneatur.

Quod ſi Confeſſarii de complicis nomine perperam interrogantis, abſolutionemque, ni ſibi detegatur, denegantis, actum contingat ejuſmodi eſſe, ut, quamvis imprudens, & malus, ſimplex tamen quidam, & nudus actus fuerit, ideſt iis circumſtantiis deſtitutus, quæ de prava credulitate, vel de mala adhæſione ad praxim in ſæpedicto Noſtro Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eumdem Confeſſarium ſuſpectum non reddat; tunc iſtiuſmodi delictum, neque denunciationis oneri, neque Sancti Officii prædicti cognitioni ſubjectum erit: ſed illud cognoſcere, atque in delinquentem Confeſſarium, vel ſuſpenſionem ab audiendis confeſſionibus, vel alias canonicas, & legitimas pœnas pro delicti modo animadvertere, ad locorum Ordinarios in ſua cujuſque Diœceſi omnino ſpectabit.

His igitur circa ordinem, formam, modumque contra ejuſmodi delinquentes procedendi, ut præfertur, conſtitutis, ac ſuis unicuique Judici Eccleſiaſtico juribus aſſignatis, & diſtributis, hanc Nos deinceps regulam ab omnibus obſervari ac cuſtodiri volumus, & mandamus, ſi quando talia delicta deprehendi contigerit; quæ tamen haud unquam poſthac eventura in Domino confidimus, accedente inſuper præclara inclytæ Luſitaniæ Nationis univerſæ erga Sedem Apoſtolicam obſervantia, & obedientia, necnon eximia tum iſtius Sanctæ Inquiſitionis Officii, tum cujuſque loci Ordinariorum nunquam defutura vigilantia. Quapropter quæcumque aliter, quam præſentibus Noſtris decrevimus, & conſtituimus, ſive in Edictis præfati Officii Inquiſitionis, ſive in quibuslibet quorumvis Ordinariorum Mandatis, aut Paſtoralibus Literis, vel Decretis antehac ſtatuta prodierint, ea Nos, quoniam poſt Apoſtolicam hanc a Nobis propoſitam agendi, ſeu judicandi normam minus neceſſaria fore cenſemus, deſinere jam, & ceſſare, ac veluti nunquam emanaſſent, omnem obligandi vim amittere, Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declaramus, ſtatuimus, atque ſancimus.

Decernentes eaſdem præinſertas, necnon præſentes noſtras Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, exiſtant, ſeu alias ſpeciali, & individua mentione, & expreſſione digni, in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis non conſenſerint; nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſſæ, propter quas tum præinſertæ, tum præſentes emanaverint, ſufficienter adductæ, juſtificatæ fuerint, aut ex alia qualibet etiam privilegiata cauſſa, colore, prætextu, & capite, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſu, aliove quolibet defectu, notari, impugnari, aut in controverſiam vocari poſſe; ſed ipſas præſentes, eaſdemque præfatas in forma Brevis Literas, firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus, & ſingulis præmiſſis, ad quos ſpectat, ſeu pro tempore ſpectabit, exacte & inviolabiliter obſervari.

Sicque & non aliter in præmiſſis cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, Legatos quoque de Latere, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, alioſve quoſlibet quacumque auctoritate, poteſtate, & præeminentia fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam ſcienter, & ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, & in univerſalibus, ſive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, ſive ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, Edictis quoque prædicti Inquiſitionis Officii, quorumcumque Ordinariorum, etiam Epiſcoporum, & Metropolitanorum Mandatis, Literis Paſtoralibus, ſive Decretis, necnon ejuſdem Officii, & quarumcumque Eccleſiarum etiam Epiſcopalium, & Metropolitanarum, & quorumcumque Ordinum, Congregationum, Religionum, & inſtitutorum, etiam Societatis JESU, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis eidem Inquiſitionis Officio, illiuſque Inquiſitoribus, Commiſſariis, aliiſque Officialibus, tum etiam Eccleſiis, eorumque Prælatis, Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, Societatibus, illorumque Superioribus, & perſonis quibuslibet, ſub quibuſvis verborum tenoribus & formis, & cum quibuſcumque etiam efficaciſſimis, & inſolitis derogationibus, clauſulis, atque decretis, etiam Motu, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu ad quarumcumque perſonarum, etiam Regia, aliave qualibet mundana, ſeu Eccleſiaſtica poteſtate fulgentium inſtantiam, vel alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis.

Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda; aut alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores prædictos pro ſufficienter, & de verbo ad verbum expreſſis, & inſertis, formaſque hujuſmodi pro plene, & exacte obſervatis habentes, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus.

Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſumptis, ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtram condemnationis, reprobationis, confirmationis, ſanctionis, prohibitionis, ordinationis, abrogationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum in Arce Gandulphi Albanenſis Diœceſis Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, Quarto Nonas Junii, Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

*D. Cardinalis Paſſioneus.*

I. Datarius.

Viſa de Curia

I. C. Boſchi.

Loco ✠ Plumbi.

L. Eugenius.

*Regiſtrata in Secretaria Brevium.*

## CONSTITUTIO

*Contra Clericos Sæcularibus Negotiis ſe immiſcentes.*

## BENEDICTUS EPISCOPUS

Apoſtolicæ ſervitutis commiſſum Nobis divinitus officium aſſidue vigilare Nos admonet, ut ex prava hominum cupiditate ſuborientia mala, quantum in Nobis eſt, provida ſollicitudine coercentes, Dominici Ovilis gregem, Superna opitulante gratia, ad æternam patriam dirigamus. Sed præcipua cura conſtringit de iis, qui Eccleſiaſtico Ordini adſcripti, & ad ſanctioris vitæ genus electi aliis in via ſalutis actuum ſuorum exem-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ritate prælucere debent. Vehementer enim timidi, ac ſolliciti ſumus, ne ceteros Chriſti-fideles, quos pro gradus ſui Sanctitate verbis, & exemplo ædificare debent, morum ſuorum pravitate a cæleſtium rerum amore ad terrena deſideria avertant.

Cum itaque, non ſine gravi animi noſtri mœrore acceperimus, veſana humanarum ſerum cupiditas ita nonnullorum Clericorum invaſerit animos, ut illicitam Eccleſiaſticis negotiationem ad evitandas pœnas adverſus illam exercentes a Sacris Canonibus, & Apoſtolicis Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus ſancitas ſub alieni nominis velamine, Dei timore, Eccleſiaſtici nominis decore, & æterno ſuarum animarum periculo poſthabitis, temere nulliterque exercere non dubitent; & quod palam temporalium pœnarum metu aggredi non audent, quæſitis deinde coloribus, & vanis inanium rationum prætextibus clam efficere non timeant, quaſi vel Dei oculos, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum & manifeſtabit conſilia cordium, latere, vel Supremi judicis, qui non fallitur, examen effugere poſſint: Nos attendentes quod Clericus, qui tantopere mundanis divitiis parandis inhiat, cæleſtia deſpicere, & pro nihilo putare convincitur, & quod Clericus negotiator exinde dives, ex ignobili glorioſus, tamquam peſtis, ut Beatus Hieronymus docet, fugiendus eſt, ad exitioſam hujuſmodi labem ab Eccleſiaſtico cœtu eliminandam, & ut Sancto Eccleſiæ Dei famulatui addicti ab omni turpis lucri cupiditate abhorrentes ſtudeant bene agere, & divites fieri in bonis operibus, theſaurizantes ſibi fundamentum bonum in futurum, omnes, & ſingulas Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum prædictorum Conſtitutiones, illarumque quamlibet contra quoſcumque Clericos illicitos negotiatores deſuper, quomodolibet reſpective cum omnibus, & ſingulis pœnis contra eoſdem Clericos illicite negotiantes editas, quas Conſtitutiones hujuſmodi ac earum quamlibet præſentibus de verbo ad verbum nihilo penitus omiſſo pro inſertis haberi volumus, Motu proprio, & ex certa ſcientia, meraque deliberatione, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Noſtris innovamus, confirmamus, & approbamus, eiſque, & earum cuilibet novum Apoſtolicæ firmitatis, & inviolabilis obſervantiæ robur adjicimus, illaſque ſic innovatas, & confirmatas, & approbatas cum omnibus, & ſingulis pœnis in eis, & earum qualibet adverſus Clericos illicitos negotiatores hujuſmodi contentis, ad Clericos illicite ſub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac ſi per ſe ipſos, ac proprio eorum nomine negotia ipſa illicita exercerent, omneſque, & ſingulas Conſtitutiones, earumque qualibet adverſus eas deſuper editæ fuiſſent, & in eis, & earum qualibet expreſſi, & denominati reperirentur, Motu, & poteſtatis plenitudine præfatis perpetuo extendimus, & ampliamus, illorumque omnia, & ſingula bona ſic ab eis alieno nomine illicite acquiſita ſub inevitabili ſpolii pœna ad formam Conſtitutionis fel. rec. Pii Papæ IV. ſimiliter Prædeceſſoris Noſtri, quæ incipit *Decens eſſe*, ſubjicimus, & ſubjecta eſſe volumus & declaramus.

Inſuper ut in ſortem Domini vocati, depoſitis quocumque mundanarum curarum onere, & humanarum cupiditatum impedimentis Chriſtum Dominum, qui propter nos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia nos divites eſſemus, per calcatas mundi opes liberius, & expeditius ſequamur, memores ſalutaris illius Beati Apoſtoli moniti, qui clamat, & dicit, *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus: ut ei placeat, cui ſe probavit*; per eaſdem noſtras præſentes perpetuo valituras motu, & poteſtatis plenitudine præfatis decernimus, ac pariter declaramus, quod ſi aliquod negotium Eccleſiaſticis illicitum perſonis, licet ab eis minime inſtitutum ſed a laica perſona inchoatum, & ad eoſdem Clericos ſive hæreditario jure, aut quocumque alio titulo ſive ſingulariter, ſive communiter, ſive ſeparatim, ſive conjunctim cum aliis bonis, & aliis cohæredibus, aut ſociis conſequuti ſint, illud ſtatim dimittere teneantur. Si vero negotium hujuſmodi ſine ipſius Clerici temporali detrimento ſtatim dimitti nequeat, tunc ſi intra Italiam, Inſulaſque adjacentes exiſtat Clericus, a Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium decretorum Concilii Tridentini interpretum Congregatione, ſi vero extra Italiam ab eadem Congregatione, vel ab Ordinario loci licentiam illud ad aliquod tempus retinendi, proviſo interim quod negotium hujuſmodi a laico adminiſtretur, impetrare teneatur, dictaque Congregatio, aut Ordinarius loci perpenſis ſingulorum caſuum circumſtantiis, licentiam impertiatur, tempuſque in eo ad idem negotium dimittendum præſcribat; & ſi Clericus negotium præfatum, licet a laico, ut præfertur inſtitutum abſque licentia hujuſmodi, gratis ſemper ſibi impertinenda, aut illud ultra tempus ſibi permiſſum retinuerit, vel etiam intra tempus prædictum negotium per ſe ipſum adminiſtraverit, pro negotiatore illicito haberi, illumque omnibus, & ſingulis etiam ſpolii pœnis præfatis ſubjectum eſſe motu, & poteſtatis plenitudine dictis perpetuo volumus, & definimus.

Ac demum eo quod fel. rec. Prædeceſſor Noſter Pius Papa IV. per ſuas literas, quarum initium eſt *Romanus Pontifex*, declaravit præfata Conſtitutione ſuper ſpoliis Clericorum ob illicitam negotiationem a ſe edita, Prælatores, Officiales, ac alios Sæculares, & cujoſvis Ordinis Regulares Clericos, alioſque cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ in Urbe, & Curia ejuſque diſtrictu decedentes, teſtandi tamen, codicillandi, & alias de bonis ſuis quibuſcumque quomodolibet diſponendi, vel ad ipſorum proximiores, decedentibus illis ab inteſtato, tranſmittendi facultatem ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ Indulto, vel ſuorum officiorum privilegio, vel alio quovis titulo obtinentes nullatenus comprehendi, & quod Paulus Papa V. pariter Prædeceſſor Noſter per ſuas Literas, quæ incipiunt *In conſueta*, Clericos Cives, & Curiales ſive Incolas hujus noſtræ Almæ Urbis, tunc ſuæ, exemit a ſpolio, quoad bona in eadem Urbe, ejuſque diſtrictu intra decem milliaria conſiſtentia, etiam ex reditibus Eccleſiaſticis per eos acquiſita, unde dubitari contigit, an ſuffragetur quoque ad evitandum ſpolium Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ competens pro bonis ex illicita negotiatione provenientibus: nos Conſtitutiones Pii, & Pauli Prædeceſſorum noſtrorum præfatas, quoad bona ex illicita negotiatione hujuſmodi a Civibus, & Curialibus, ſive Incolis Clericis cujuſcumque Ordinis, ac Dignitatis, quibuſcumque indultis, ac privilegiis munitis comparata, & in Urbe, ejuſque diſtrictu præfatis, & ubicumque exiſtentia minime ad præmiſſorum effectum ſuffragari, ſed illa ſic provenientia Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ vero jure ſpolii deberi, perinde ac Conſtitutiones Pii, & Pauli Prædeceſſorum hujuſmodi ad præmiſſorum omnium, & ſingulorum effectum impediendum minime emanatæ fuiſſent, Motu ſimili pariter declaramus, & ſtatuimus, dictaſque Pii, & Pauli Prædeceſſorum Conſtitutiones quoad præmiſſorum effectum ſortiendum plenarie abrogamus, & abolemus.

Decernentes ſic in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque judices, & commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri noſtro Annibali S. R. E. Cardinali Epiſcopo Sabinen. Albani nuncupato, Camerario noſtro, & ejus in Camerariatus Officio Succeſſoribus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſpolia ipſa ex bonis ex illicita negotiatione provenientibus, uti vero ſpolia prout alia ipſius Cameræ jura exigi, & recuperari, ac præſentes noſtras literas inviolabiliter obſervari faciat, nec permittat, Cameram ipſam, vel pro ea agentes deſuper modo aliquo moleſtari, perturbari, ac inquietari, contra ductores quoslibet & rebelles per cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravandos, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus prædictis Pii, & Pauli Prædeceſſorum, aliiſque Apoſtolicis ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac quibuſvis facultatibus teſtandi, aliiſque privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis conceſſis, approbatis & innovatis, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa mentio facienda eſſet, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, illis in reliquis in ſuo robore permanentibus; ceteriſque contrariis quibuſcumque etiam ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non



non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientis plenam, & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem, & quia difficile foret præſentes noſtras literas ad ſingula quæque loca deferri, volumus, & declaramus, quod earum tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & alicujus Prælati ſigillo munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri Decreti, approbationis, confirmationis, innovationis, declarationis, ſtatuti, ordinationis, conceſſionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, Kalendis Martii, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

*D. Cardinalis Paſſoneus.*

*X. Sub-Datarius.*

Viſa de Curia.

N. Antonelius.

Loco ✠ Plumbi.

I. B. Eugenius.

*Regiſtrata in Secretaria Brevium.*

Anno a Nativitate D. N. J. C. milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, Indictione quarta, die vero octava Martii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Noſtri Domini BENEDICTI Divina providentia, Papæ XIV. anno primo, ſupradictæ Conſtitutiones affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Joſephum Maſſimilianum Apoſt. Curſ.

*Antonius Pellicia Mag. Curſ.*

## CESSIONES

Commodi exigendi fructus Beneficiorum prohibentur, ſub pœna excommunicationis, & nullitatis contractus.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

### SERVUS SERVORUM DEI

*Ad perpetuam rei memoriam.*

UNiverſalis Eccleſiæ cura, quam inſcrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque Bonitatis altitudo humilitati noſtræ committere dignata eſt, inter ceteras ſollicitudines exigit etiam ac poſtulat, ut diligenter invigilemus ne Clerici Eccleſiaſticis Beneficiis, quæ e liberali Eccleſiæ manu acceperunt, abutentes, eorum reditus: non ſine aliorum fidelium ſcandalo, inconſulta prodigalitate diſperdant, ſed tamquam boni diſpenſatores ita adminiſtrent, ut & vitæ ſuæ neceſſaria provideant, & pauperum inopiæ, & Eccleſiarum neceſſitatibus ſuccurrant.

§. 1. Relatum eſt ad aures noſtras, quoſdam Clericos Eccleſiaſticis Beneficiis cum onere, vel ſine onere reſidentiæ proviſos, turpibus ut plurimum ex cauſis impulſos, annuos eorumdem Beneficiorum reditus, quos, donec viverent, percipere poſſent, unico actu alienare ſub nomine cedendi commodum, ſeu utilitate percipiendi fructus eorumdem Beneficiorum, quos alteri, quoad vixerint, vendunt, recepta pecunia ad eam ſummam, & quantitatem, quam ipſi habita ratione eorum ætatis, & corporis valetudinis, durante vita, veriſimiliter conſequi potuiſſent. Cum autem iſti improvidi Clerici inſtar illius prodigi filiifamilias, de quo in Evangelio ſcriptum eſt: *cum ſubſtantiam ſuam a Patre recepiſſet, totam ſtatim conſumpſiſſe luxurioſe vivendo, & deinde, facta fame valida, coactum eſſe vivere de ſiliquis immundorum animalium*, pia Eccleſiæ ſubſidia, & Eccleſiaſticos proventus in ſuas explendas cupiditates improbo hujuſmodi contractu profundant, multa hinc, & gravia mala, ut experientia ipſa compertum eſt, evenire ſolent. Nam primum non leve dedecus Eccleſiaſtico Ordini inuritur, & grave reliquis fidelibus ſcandalum generatur, dum vident, Eccleſiaſticas pecunias, quæ ſunt vota fidelium, bona pauperum, patrimonium Chriſti in pravos uſus inſumi, vel improvida profuſione diſſipari, quæ ab Eccleſiaſticis, tamquam probis diſpenſatoribus, in ſolamen pauperum, & Eccleſiarum reſtaurationem impendi deberent. Præterea ſæpe hujuſmodi Clerici ad ſummam rediguntur egeſtatem, & ut ſe ſuſtentare poſſint, vel indecore, non ſine infamia Clericalis gradus, mendicant, vel indignis quæſtibus, & negotiis operam præbent, Eccleſiam autem, & Eccleſiaſticas res quodammodo averſantur, quaſi fraudati mercede, vel ſtipendiis ſuis, quæ nullius culpa, ſed ſolum vitio, & flagitiis ſuis amiſerunt: ideo Eccleſiaſtica munera, vel nunquam, vel negligenter obeunt, Divinam Pſalmodiam, ſi ad eam in publicis Eccleſiis ratione ſuorum Beneficiorum teneantur, frequenter omittunt, vel oſcitanter perſolvunt, Eccleſiaſticos cœtus non frequentant, animarum ſalutem non curant, Divina faſtidiunt, mundana ſectantur.

§. 2. Volentes igitur hanc improbam conſuetudinem & non ferendam pravitatem, qua non mediocriter Clericalis ordinis fama minuitur, & honor conculcatur, Eccleſiæ autem debito ſervitio, pauperes opportunis ſubſidiis, & ſacræ ædes neceſſariis reparationibus, & ornamentis fraudantur, penitus abolere, Motu proprio, ac certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnibus Clericis quacumque dignitate, præeminentia, honore, & privilegio inſignitis interdicimus, & prohibemus, ne impoſterum audeant ſub nomine alienandi utilitatem, & commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, prætextu, & colore vendere, ac diſtrahere ſuorum reſpective Beneficiorum reditus, & proventus, vel ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab emptore, per unam, vel plures ſolutiones pecuniarum, quantitate, quam ipſi Beneficiati per ejuſdem temporis, vel vitæ ſpatium probabiliter conſequi potuiſſent: ſub pœna excommunicationis, & nullitatis actus, ſeu contractus, & omnium inde conſecutorum, aliiſque pœnis inflictis, proſcriptis, & ſtatutis contra alienantes bona Eccleſiæ, quas rurſus hic contra eoſdem Clericos ſic contrahentes renovare, decernere, ac ſtatuere intendimus, & volumus. Et inſuper ad uberiorem cautelam & quatenus opus ſit, omnes hujuſmodi contractus, quos in futurum fieri contigerit, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtate ſimili damnamus, reprobamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, eoſque nullos, caſſos, ac irritos decernimus, & declaramus, illoſque ſuis auctoribus tamquam invalidos, caſſos, irritos, atque inanes, viribuſque, & effectu ab initio vacuos, neque in judicio, neque extra, ad ullum effectum ſuffragari debere, neminemque ad eorum obſervantiam obligari, etiamſi pluries juramento firmati, & vallati ſint, ſed nullum inde jus cuicumque, aut actionem, vel titulum etiam coloratum poſſidendi, aut præſcribendi per quodvis longiſſimum temporis ſpatium acquiri unquam poſſe pariter præcipimus, & jubemus.

§. 3. Decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore impugnari, aut retractari poſſe, ſed ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari. Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ præfatæ Nuncios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, & ſublata ei, & eorum cuilibet quavis aliter

aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, & judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, indultis, conceſſionibus, & gratiis Apoſtolicis tam generalibus, quam particularibus, quantumvis ſpeciali mentione, & nota dignis, quibuſcumque Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Superioribus, & Inferioribus Eccleſiarum Prælatis, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac eorum, & noſtris familiaribus continuis commenſalibus, necnon literarum Apoſtolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, ceteriſque Romanæ Curiæ Officialibus, conceſſis, & confirmatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 4. Ut autem facilius præſentes literæ omnibus innoteſcant, & nemo prætextu illarum ignorantiæ excuſari poſſit, jubemus, eaſdem ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, aliiſque locis ſolitis, & conſuetis, ut moris eſt, publicari, earumque exempla affigi: Volumuſque, eas ſic publicatas, omnes, & ſingulos perinde afficere, & obligare, ac ſi illis ipſis fuiſſent ſingulariter intimatæ: Exemplis quoque prædictis etiam impreſſis manuque Notarii publici, & Sigillo Prælati Eccleſiaſtici, vel ejus Curiæ obſignatis, eamdem prorſus fidem adhiberi, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri decreti, conſtitutionis, declarationis, annullationis, infirmationis, prohibitionis, interdicti, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLI. IV. Kalendas Septembris, Pontificatus Noſtri Anno II.

*D. Cardinalis Paſſeneus.*

*X. Sub-Datarius.*

Viſa de Curia.

N. Antonellus.

Loco ✠ Plumbi.

I. B. Eugenius.

*Publicata die 3. Octobris ejuſdem Anni.*

## RESIGNATIONES

Beneficiorum cum reſervatione Penſionis, & pacto eam caſſandi prohibentur, & annullantur; adjecta pœna privationis Beneficii, inhabitationis ad alia aſſequenda, reſtitutionis pecuniæ, &c. & irritantur caſſationes, & extinctiones penſionum, intra ſex menſes a capta poſſeſſione Beneficii obtentæ.

## BENEDICTUS EPISCOPUS

### SERVUS SERVORUM DEI

*Ad perpetuam rei memoriam.*

IN ſublimi Beati Petri Cathedra, Divina diſpenſatione, licet immerentes, collocati, gravi dolore conſtringimur, quoties conſiderationis noſtræ oculos convertimus ad præſtantiorem Dominici gregis partem, hoc eſt ad Eccleſiaſticum cœtum, eumque conſpicimus, vel pravis moribus, vel indecoris actibus dehoneſtari; non enim ignari ſumus, quanta ſit inde in populis corruptionis timenda pernicies, ſi ſal, unde cetera condiri debent, evanuerit.

§. 1. Pervenit quidem ad aures ſollicitudinis noſtræ, non raro contingere ſolere, ut quidam Clerici in minoribus, vel majoribus ordinibus conſtituti, aut ſola Eccleſiaſtica tonſura decorati, Beneficia, ſeu Officia ſimplicia, vel cum onere reſidentiæ poſſidentes, aliis reſignent, annua ſibi penſione ſub Apoſtolico beneplacito reſervata, initio eodem tempore pacto cum Reſignatario, caſſandi, & abolendi dictam penſionem, repræſentata pecunia, nempe factis quibuſdam anticipatis ſolutionibus pecuniarum ad eam ſummam, quæ ad abolitionem, & extinctionem prædictæ penſionis, vel potius ad palliatam ipſius beneficii venditionem nefarie perficiendam, expreſſa inter partes conventione, ſtabilita fuit. Et quoniam profani iſti Beneficiorum diſtractores non ignorant, quod ſi hujuſmodi improba pacta Datariæ Apoſtolicæ noſtræ Miniſtris, aut Nobis innoteſcerent, nunquam reſignationes hujuſmodi a Datario vel Prodatario Noſtro, vel a Nobis, aliiſque Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus admitterentur; ut circumſpectam eorumdem Datariæ Apoſtolicæ Officialium, & Noſtram, aliorumque Pontificum vigilantiam fallerent, callida malorum hominum improbitas hanc perditionis viam, & rationem excogitavit: arcano, & clandeſtino pacto inter Reſignantem, & Reſignatarium, ad penſionem caſſandam, & extinguendam, conventa pecuniæ quantitate, eaque quandoque etiam depoſita apud publicum mercatorem, ſeu menſam argentariam, unitim, ac ſimul expedire curant Bullam reſignationis Beneficii, & alteram Penſionis reſervatæ ſuper eodem Beneficio favore Reſignantis: ita tamen, ut prope eodem, vel non multo poſt tempore, quo Supplicationi pro reſervatione Penſionis ſolita Data apponitur, alia Supplicatio ſubſcribatur, ſeu ſignetur pro caſſatione atque extinctione ejuſdem Penſionis per anticipatas, ſeu anticipandas ſolutiones faciendæ, nulla mentione facta de præcedenti abominanda conventione, & ſimoniacam labem redolente pacto, quo Beneficii reſignatio in occultam ipſius Beneficii venditionem execrabili transformatione commutatur.

§. 2. Cum autem hujus generis pacta improba, reprobata, ac damnata ſint, & gratiæ hujuſmodi caſſationis, ſeu extinctionis Penſionis, tamquam ſubreptitiæ, & doloſa calliditate obtentæ, & quæ rei veritate, & totius negotii ſerie expreſſa, nunquam a Sede Apoſtolica conceſſæ fuiſſent, nullæ, irritæ, ac inanes ſint, & in maximum animarum eas fraudulenter impetrantium damnum, ac detrimentum tendant, & præterea ſcandalum ſimplicibus, & bonis abominationi, & pluribus æterno exitio ſint: Siquidem gratiarum hujuſmodi impetratores, qui Eccleſiaſtica Beneficia tali infami mercatu negotiantur potius, quam reſignant, non ſolum graviſſimo peccato, quod præ oculis habere deberent, animas ſuas illaqueant, ſed inſuper palam apud omnes in populo, non ſine infamia Eccleſiaſtici ordinis, exſecrantur, & contemnuntur. Et ſi pro aliis Beneficiis obtinendis ad Datariam Apoſtolicam accedere auſi fuerint, tamquam Beneficiorum Venditores male audiunt, & publice redarguuntur; cum ſtatim ipſis ab eorum competitoribus opponatur Reſignatio facta, cum caſſatione Penſionis per anticipatas, ſeu anticipandas ſolutiones, hoc eſt, indignus Beneficii jam antea obtenti negotiatio, & clandeſtina ſub ambagibus, & fraudulentis conventionibus deteſtanda venditio.

§. 3. Nos igitur hoc execrabile malum, quo non leve Eccleſiaſtico Ordini dedecus, & infamiæ nota inuritur, prout neceſſitas, & paſtorale munus poſtulat, coercere in futurum volentes, & longe a Sanctuario Dei profanam hujuſmodi abominationem removere, motu proprio, ac certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus, & declaramus, omnia hujuſmodi pacta, & conventiones pro caſſatione, ſeu abolitione Penſionum per anticipatas vel anticipandas ſolutiones contemporanee ad Reſignationes Beneficiorum, cum reſervatione Penſionis, per quaſcumque perſonas quavis dignitate, honore, & præeminentia inſignitas inita, tamquam a Sacris Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus improbata, & ſimoniacam labem redolentia, nulla, caſſa, ac irrita eſſe, & omnes caſſationes, abolitiones, & extinctiones Penſionum hujuſmodi, quas in poſterum intra ſex menſes a die captæ poſſeſſionis Beneficii per Reſignatarium computandos, fieri contigerit, etiam ſi nullum præcedens pactum interveniſſe inter partes probari poſſit, & caſſatio prædicta ſecuta ſit vigore Supplicationis manu noſtra vel Ro-



Romani Pontificis pro tempore ſignatæ, quam nullatenus, tamquam per ſubreptionem, & fraudes obtentam, neque in judicio, neque extra ad ullum effectum ei ſuffragari volumus, irritas, nullas, & inanes eſſe, ac omnibus viribus, ac effectu vacuas, & quatenus opus ſit, motu, ſcientia, & deliberatione ſimili, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine; tenore præſentium damnamus, revocamus, annullamus, caſſamus, & abolemus, & inſuper tam Reſignantem, quam Reſignatarium ab omni jure Beneficii cecidiſſe, eoſque ipſo facto, abſque ulla declaratione, vel Judicis ſententia, privatos, & ad alia obtinenda inhabiles eſſe, ac fore, & a quocumque Beneficium hujuſmodi tamquam de jure, & de facto vacans, impetrari poſſe; & præterea Reſignantem ad reſtituendas pecunias pro caſſatione Penſionis hujuſmodi indebite, & ſimoniace perceptas, quæ arbitrio Ordinarii erunt piis locis applicandæ, vel pauperibus perſonis diſtribuendæ, ſub peccato gravi teneri, & Eccleſiaſticis remediis, ac pœnis, ſi renuat, ipſo jure, abſque alia ſententia, & declaratione, cogi poſſe, motu, ſcientia, & poteſtate pari decernimus & declaramus.

§. 4. Et quoniam multa malitia hominum eſt in terra, ut omnis aditus fraudibus, & dolis, quos perverſa nonnullorum calliditas, & in exitium ſui ingenioſa excogitare conſuevit, quod fieri poteſt, intercludatur, volumus, præcipimus, & declaramus, ſub hac Noſtra voluntate, conſtitutione, & diſpoſitione comprehendi omnes, & ſingulas ceſſiones, ſeu translationes in ipſum Reſignatarium, aut in aliam perſonam, commodi ſeu utilitatis percipiendi fructus penſionum hujuſmodi, necnon alias quaſcumque ceſſiones, translationes, reſignationes, extinctiones, abolitiones, quovis modo, titulo, nomine, colore & auctoritate, per anticipatas ſolutiones, ſeu repræſentata pecunia factas intra dictum tempus ſex menſium, & etiam ultra id temporis ſpatium, dummodo reprobum illud, & deteſtabile pactum præceſſiſſe conſtiterit.

§. 5. Mandamus præterea, & jubemus, eaſdem præſentes literas perpetuo firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſi ullo unquam tempore ſub quovis colore, & prætextu, etiam defectus noſtræ intentionis impugnari poſſet: Sicque, & non alias, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac prædictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ præfatæ Nuncios aliosque quoslibet, quacumque præminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Reſignantium, ſeu Cedentium voluntatibus, conditionibus, proteſtationibus, & clauſulis in ipſiſmet reſignationibus, & ceſſionibus, ſeu Procuratorum Conſtitutionibus, ac Mandatis, ac alias, etiam ac præſervationem ſuorum jurium, & ſignificationem, quod non aliter, nec alio modo reſignant, ſeu cedunt, appoſitis, & quacumque verborum vi, formula, & multiplicatione, & amplitudine expreſſis, necnon quibuſvis indultis, privilegiis, & gratiis Apoſtolicis tam generalibus, quam particularibus, quantumvis ſpeciali mentione, & nota dignis, quibuſcumque Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis ſuperioribus, & inferioribus Eccleſiarum Prælatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac eorum, & noſtris familiaribus continuis commenſalibus, nec non Literarum Apoſtolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, ceteriſque Romanæ Curiæ Officialibus conceſſis, & confirmatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 6. Ceterum, ut facilius præſentes Literæ omnibus innoteſcant, & nemo prætextu illarum ignorantiæ excuſari poſſit, jubemus, eaſdem ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, aliiſque locis ſolitis, & conſuetis, ut moris eſt, publicari, eorumque exempla affigi; Volumuſque, eas ſic publicatas, omnes, & ſingulos perinde afficere, & obligare, ac ſi illis ipſis fuiſſent ſingulariter intimatæ. Exemplis quoque prædictis etiam impreſſis, manuque Notarii publici, & ſigillo Prælati Eccleſiaſtici: vel ejus Curiæ obſignatis, eamdem prorſus fidem adhiberi, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Noſtri decreti, conſtitutionis, declarationis, annullationis, infirmationis, prohibitionis, interdicti, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. M. Maj. Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLI., IV. Kalendas Septembris Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

*D. Cardinalis Paſſeneus.*

*X. Sub-Datarius*

Viſa de Curia.

N. Antonellus.

Loco ✠ Plumbi.

I. B. Eugenius.

*Regiſtrata in Secretaria Brevium.*

*Publicata die 3. Octobris ejuſdem Anni.*

---

## CASUS EPISCOPALE

### IN SYNODO DIOCESANA

Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Card. Archiep. Neap. Reſervati.

*Caſus Reſervati, quibus adnexa eſt Excommunicatio ipſo facto.*

I. OMnes utriuſque ſexus, & cujuſvis ſtatus, aut dignitatis perſonæ, quæ Hæreticorum cujuſcumque ſectæ cœtus adeunt, in quibus conciones, & catechiſmi, aut quicumque eorum ritus, præſertim a S. Catholica Romana Eccleſia damnati exercentur, quoties hujuſmodi exercitiis, quovis prætextu, & occaſione, etiam ſimplicis curioſitatis, aſſiſtunt.

II. Omnes perſonæ utriuſque ſexus, quæ vel per ſe vel per alium, SS. Altaris Sacramento, Chriſmate, Oleo Sancto, ſive quacumque alia re conſecrata, ad Veneficia, Divinationes, Sacrilegia, aut ad alium, uſum, quam fuerint ordinata, vel inſtituta, quomodolibet abutantur: Omneſque utriuſque ſexus, qui de prædictis ad prædictos fines aliquid ſumpſerint, vel alicui dederint, aut datum acceperint, etiam abuſu minime ſubſecuto.

III. Omnes utriuſque ſexus perſonæ, quæ Dæmoni ſpondent obſequium, Thus, & Sacrificia offerunt, quamvis abſque errore intellectus. Inſuper quæcumque, ſive ſuo, ſive alterius nomine, condunt, aut condere faciunt imagines, annulos, aut quovis aliud artefactum, in quo Dæmonem conſtringant.

IV. Venefici, & Veneficæ omnes, Necromantes, Divinatores, Sortilegi, Lamiæ, Striges, ſive quovis alio nomine nuncupentur, ex utroque ſexu, qui cum expreſſa Dæmonis invocatione, ad captandam dilectionem, vel odium concitandum, ſive ad inveniendos theſauros, aut ad alium finem quemcumque, utuntur incantationibus aliiſque maleficiis, ſive etiam ligaturis, ut a naturali, & legitimo Matrimonii uſu Conjuges avertant, aut ſcienter in præfatis cooperantes, aut quovis modo conſentientes.

Declaramus autem ex prædictis criminibus, in ſupradictis II. III. & IV. Caſibus contentis, excommunicationem Nobis reſervatam ipſo facto incurrere non ſolum eos, qui ſæpe, & ex arte hujuſmodi criminibus operam dant, ſed etiam eos, qui quomodocumque, etiam ſemel, ea perpetraverint.

V. Loquentes ſine noſtra, vel Vicarii noſtri Monialium licentia cum Monialibus, in Monaſteriis etiam exemptis, vel cum aliqua, aut aliquibus earum, etiam ſi ſit Converſa, aut Novitia, ſive educationis, ſive alterius rei cauſſa ibidem commoretur: conjunctis in primo, vel ſecundo Conſanguinitatis gradu dumtaxat exceptis. Declaramus quod qui facultatem obtinuerit loquendi cum aliqua prædictarum, non poſſit data opera, & ex profeſſo cum aliis loqui.

Inſuper ii præſertim, qui cum aliqua ex prædictis, aut eorum ipſis, tam in Monaſteriis, quam Conſervatoriis, ſeu Collegiis commorantibus, de rebus obſcœnis, per verba, aut actus impudicos, præſentes egerint, abſentes vero per literas, aut internuncios, nec non viri, aut mulieres, ſive intra, ſive extra Monaſterii, vel Conſervatorii, aut collegii clauſtra, ac ſepta, qui prædictas literas, vel mandata detulerint.

VI. Omnes in cauſſa Criminali, aut Civili cum gravi damno alterius falſum deponentes, aut deponendum curantes; necnon inducentes ad falſum deponendum, falſiſque teſtibus, depoſitionibus, inſtrumentis, ſcripturis, tam publicis quam privatis, quomodocumque utentes, directe, vel indirecte, in quavis Curia Civitatis & Diœceſis Neapolitanæ. Item quicumque falſum aliquod impedimentum Matrimonii doloſe objecerint, necnon conſilium, vel auxilium ad illud doloſe objiciendum dantes. Falſificantes, etiam cum gravi damno alterius, vel corrumpentes, falſo, aut quæ falſum continent, conficientes Apochas, Syngraphas, vulgo *Fedi di credito*, *o Polizze notate in Fede*, ſive Inſtrumenta, Proceſſus, aut Scripturas publicas, & authenticas; aut ſcienter his utentes, necnon mandantes, aut cooperantes.

Similiter præſentantes falſum, fictum, aut fiduciarum Patrimonium, aut quomodolibet fraudulentum pro Ordinibus ſuſcipiendis, etiam pro prima Clericali Tonſura: necnon conſtituentes, conſulentes, aut quomodolibet concurrentes, ſive cooperantes. Declaramus autem, quod Clerici præſentantes, quando ab excommunicatione abſolvuntur, remaneant ab exercitio ſuſceptorum Ordinum ſuſpenſi: quam ſuſpenſionem nullus, niſi nos perſonaliter, conſtituto reali Patrimonio, & cauſſa diſcuſſa, relaxare valeat.

Præter hos, Actuarii, Subactuarii, Notarii, Scribæ, qui cum alterius Partis offenſione, aut cum Reipublicæ, aut legalis juſtitiæ detrimento, doloſe auctam, vel diminutam informationem capiunt, & ſic dicta Teſtium ſcribunt, ac Nuncii, Curſores, aut alias nuncupati, qui in grave Tertii præjudicium falſum in acta referunt.

VII. Confeſſarii omnes, etiam Parochi, ad inhoneſta perſonam quamcumque, ſive in actu Confeſſionis, ſive ante, vel poſt immediate, aut prætextu, vel occaſione Confeſſionis, etiam Confeſſione non ſecuta, vel extra Confeſſionem in Confeſſionalibus, ſollicitantes, aut quomodolibet cum iiſdem impudice tractantes: Reſpectu Regularium vero Cenſuram ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus, quam ipſo facto incurrunt, Nobis tantummodo reſervamus.

VIII. Pariter Confeſſarii omnes, etiam Parochi, attentantes prædictas perſonas, & quaſcumque alias, cum quibus, extra ante dictos caſus, quomodolibet impudice verſati fuerint, a peccatis, quorum ipſi complices ſint, nulliter abſolvere: Qui omnes, etiam Regulares, in Cenſuram ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus ipſo facto incidunt, Nobis tantummodo reſervatam.

IX. Inceſtus cum conjunctis in primo, vel ſecundo gradu Conſanguinitatis, vel Affinitatis. Mulieres autem ſi vere ſint pœnitentes, a quocumque Confeſſario a Nobis approbato abſolvi poſſunt, gravi tamen impoſita pœnitentia ſalutari; & dummodo occaſio proxima facta ſit ſalutaribus mediis moraliter remota.

X. Qui contra diſpoſitionem Sacr. Canon. Clericos, quos noverint, ad Forum ſæculare traxerint, etiam conſentiente eo: extra caſus hoc in ſe cum in Bull. Cœn. Domini ex Martini V. Conſtit. *Ad reprimendas*, Summo Pontifici reſervatos.

XI. Homicidia, vel mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, Cœmeteriis, aut Sacriſtiis, aut publicis Oratoriis patrantes.

XII. Conficientes cujuſcumque generis venena in hominum perniciem, eadem ſcienter dantes, apponentes, vel quomodolibet propinantes; ſive ad hoc qualitercumque cooperantes, vel conſulentes, etiam non ſecuto effectu.

XIII. Cujuſvis conditionis perſonæ, quæ libros in Civ. vel Diœc. introducunt, vel ſcienter introductos tradunt aut traditos recipiunt, ſive etiam de ead. Civ. & Diœc. extrahunt, priuſquam a Deputatis noſtris fuerint recogniti. Similiter Bibliopolæ, qui Bibliothecas emunt, non exhibito prius prædictis Deputatis emptorum librorum catalogo. Tranſgreſſores autem etiam de noſtra licentia numquam abſolvantur, quouſque libros ſine prædictis requiſitis introductos, aut emptos, recognitioni ſubjecerint. Typographi ſimiliter, & eorum Operarii, qui ſine noſtra, vel Vicarii noſtri licentia libros, aut cujuſcumque generis folia imprimunt, præterea Auctores eorum, ſi typis mandent, vel quicumque mandari faciunt.

XIV. Qui in Paſchate non communicantes ab aliis doloſe accipiunt ſchedulas, ſeu chartulas, quæ eo tempore diſtribui ſolent in Metrop., vel in Parochiis, ut eidem Parocho exhibeant de peracta Communionem. Item illi, qui eaſdem non communicantibus quomodocumque accommodant in fraudem, aut utcumque cooperantes.

XV. Falſarii monetarum, videlicet ii, qui monetas quomodocumque vitiant, nimirum vel eas diminuendo, vel fundendo, aut imprimendo cum deteriori lege, aut ſine legitimo Principis ſigillo.

XVI. Sponſi, & Sponſæ poſt contracta ſponſalia etiam privata inter ſe, & ante matrimonium legitime celebratum, carnalem inter ſe copulam habentes; necnon parentes conſanguinei, & affines omnes aut quicumque, domum eorum habentes, eadem carnalem copulam, vel Sponſorum cohabitationem, vel pernoctationem, etiam pro una vice, permittentes.

*Caſus Reſervati, quibus non eſt adnexa Excommunicatio.*

I. Blaſphemantes Deus, vel B. Virginem ex perverſa conſuetudine coram pluribus ſupra quatuor.

II. Exercentes peccatum Sodomiæ, vel cum Brutis coeuntes: ita tamen ut in his luxuriæ caſibus tantum maſculi comprehendantur.

III. Confeſſarii omnes, etiam Curati, ad obſcœna quaſlibet Perſonas ſibi frequenter confitentes, licet non immediate poſt, vel ante Confeſſionem inducentes, ſeu ſollicitantes, vel cum iis quomodolibet impudice tractantes.

IV. Medici, qui viſitantes in lecto infirmos, poſt tres dies a viſitatione, non curaverint ut prædicti infirmi peccata ſua idonea Confeſſario confiteantur, aut aliis non deſeruerint, ſecundum terminos Conſtitutionum S. Pii V. & Innoc. XI.

V. Debitores quorumlibet piorum locorum, ſive eorumdem debitorum Adminiſtratores, ſi intra menſem, etiam extrajudicialiter, requiſiti a Rectoribus, Procuratoribus, ſeu Adminiſtratoribus dictorum locorum, reditus, & cenſus non ſolverint.

VI. Non abſolvantur Concubinarii, & Concubinæ, etiamſi excommunicationis ſententia in eos lata non fuerit, niſi facta reali ſeparatione, & tori, & domus, per duos menſes ſe continuerint: vel niſi certo, aut valde probabiliter conſtet factos phyſice, vel moraliter impotentes ad reincidendum, aut paullo poſt eſſe inter matrimonium contracturos.

VII. Omnes utriuſque ſexus, qui a Dominica Palmarum, uſque ad diem Aſcenſionis Domini incluſive, Paſchalis

Com-



Communionis præcepto in Cathedrali, vel propria Parochia non ſatisfecerint, interdicti pœnam ex cap. *Omnis utriuſque ſexus de Pœnit. & remiſſ.* ipſo facto incurrunt, a Nobis, ſive facultatem a reſervatis abſolvendi a Nobis, vel Vicario noſtro Generali habentibus, tantummodo relaxandam, dummodo non fuerint nominatim denuntiati.

*Nota* 1. Ante decimum quartum ætatis annum completum neminem Cenſuris hiſce, & Caſibus comprehendi voluit Synodus, uti expreſſe habetur in Synodo Pignatelliana part. 2. cap. 6.

*Nota* 2. Quando conceditur facultas abſolvendi ab omnibus Cenſuris, & Caſibus Archiepiſcopo reſervatis; nunquam intelligitur conceſſa facultas abſolvendi ab infraſcriptis, niſi de iis facta fuerit expreſſa mentio, ex Synod. Diœceſ. Cardin. Pignatell. part. 2. cap. 6.

I. Locutio cum Monialibus, ſive aliis, in Monaſteriis degentibus, de rebus obſcœnis, aliiſque, ut dictum eſt, actibus impudicis.

II. Caſus *Invitationum ad Eccleſias* Monialium, & Regularium quomodolibet exemptorum; occaſione quarumcumque functionum & ſollemnitatum, cui Summus Pontifex voluit adnexam eſſe excommunicationem *Sibi*, & *Nobis tantum* reſervatam (a).

III. Caſus *expenſarum* factarum a Monialibus, aliiſque in Monaſteriis, Conſervatoriis, Collegiis, Domibuſque oblatarum degentibus, *ratione officii*, in quibuſcumque functionibus, aut feſtivitatibus, cujus abſolutionem præcipit etiam Summus Pontifex eſſe *Nobis tantummodo* reſervatam (b).

IV. Caſus omnes, quibus eſt adnexa excommunicatio Summo Pontifici, & *Nobis* reſervata (c).

(a) Ex Reſcript. S. C. Epiſc. de mandato Innoc. XI. 22. Jan. 1677.
(b) Ex Reſcript. de ſpeciali mandato Clem. XI. per lit. encycl. S. C Epiſc. 28. Jul. 1707. & denuo 26. Jan. 1710
(c) In Reſcript. ſup. cit. S. C. de mand. Innoc. XI. 22. Jan. 1677.

INSTRUCTIO PRO CONFESSARIIS

# IN FARFENSI SYNODO
## EDITA.

TAntæ molis eſt ac gravitatis Sanctum Pœnitentiæ Sacramentum rite adminiſtrare, ut quantacumque præſtantiſſimus ingenio ac pietate viris accurate copioſeque tradita ac præcepta ſint, nulla tamen acceſſio vel ſupervacanea haberi unquam, vel ut inutilis damnari jure merito poſſit. Equidem Synodus plura ad calcem capitis *de Sacramento Pœnitentiæ* gravia, & utilia, & ex Canonicis conſtitutionibus ſancita Decreta attulit, in quibus colendis ſita Confeſſariorum eſt laus omnis, & in negligendis turpitudo, & culpa: non abs re tamen conſuit, brevem hanc, ſed eo utiliorem inſtructionem edere, quam qui ſæpe legent, ſeduloque perpendent, non parum ſe fatebuntur adipiſci ad difficile, ſalebroſumque munus rite obeundum.

1. Nullus itaque in primis Sacerdos in Confeſſariorum numerum cooptari poſſit, niſi maturus ætate, aptaque præditus ſcientia poſtulet, nec niſi ad trutinam revocatus, periculoque facto, approbatione ac facultate donetur; nec ante obtentam adhibeat, quam toto animo cogitet quo efficiatur honore, quam provinciam ſuſcipiat, cui ſupponat humeros ponderi, & qua eximia virtute, quæ ſupra candelabrum poſita bonis animum, tacitam impiis objurgationem, omnibus ſanctum præbeat exemplum, pulcherrime ornari ac florere debeat. Ita ſuis admonitionibus, conſiliiſque uberiorem fructum percipiet.

2. Prius autem quam ſuſcepturus Confeſſiones aſſideat, probe aſſueſcat preſſa obſecratione Paracliti Spiritus opem, lumenque depoſcere, quo criminum naturam, atrocitatem variaſque ſpecies dignoſcens, aptas ægentibus medicinas adhibeat, dignis abſolutionem elargiatur, neget aut differat indignis, indeſque ad omne officii munus inſtruat. Illud potiſſimum caveat, ne lethali ipſe irretiatur peccato: vel certe antea confeſſus, aut deficiente Confeſſario, efficacem Contritionis actum eliciens, veniam ſibi humiliter precetur & comparet.

3. Si Parochus erit, vel ſæcularis Sacerdos, locum Confeſſionibus audiendis aſſignatum ſemper, diebus vero præſertim feſtis, ac in populi frequentia, ſuperpelliceo, ſtolaque indutus adibit. Regularis autem ea veſte, qua uti in Choro ſolet.

4. Citra neceſſitatem præſtitutum a Synodo tempus, locuſque religioſe ſervetur, nec ante ſolis ortum, vel poſt ejus occaſum confeſſiones excipiantur; nec quiſquam, potiſſimum autem mulieres, extra exedram patenter in Eccleſia collocatam, ferreaque inſtructam lamina cum exiguis foraminibus, nec non parva tabula, qua Sacerdotis facies tegatur, confitentes audiantur. Immo præcipitur, ut picto aliquo ſigno exedra exterius decoretur, unde accedentes ad pios motus affectuſque excitentur: intus vero caſus Bullæ *in Cœna Domini*; ceteroſque Eminentiſſimo Antiſtiti reſervatos affixa ſcheda exhibeat.

5. Ubi vero infirmitatis cauſſa, vel alia urgente neceſſitate feminæ domi ſuæ confitentes audiendæ ſint, cubiculi oſtium ſemiclaudatur, ita ut extra illud videri, non audiri queant. Meminerit porro quilibet Confeſſarius ad ægrotantem adductus (aliter ſciat ſe ſuſpenſionis pœna irretiri) Parocho teſtimonium perhibere illo ipſo die & confeſſionis auditæ, & abſolutionis impertitæ: vel ſyngrapham hac ſuper re manu ſua ſignatam in infirmi domo relinquere, ut Parochus poſſit cetera deinceps Sacramenta, prout oportuerit, fidentius miniſtrare.

6. Hilari comique facie pœnitens excipiatur, ut ad ſua libere aperienda crimina animos ſumat, Confeſſionis exordium a Sanctiſſimo Crucis ſigno ducatur, & niſi impediat concurrentium frequentia, recitetur *Confiteor*, ſuggerente inſciis Confeſſarios. Illud autem etiam atque etiam cura ſit Pœnitenti ut quem dolorem corde gerit, vocis vultuſque modeſtia ad ſubmiſſione exterius quoque præſeferat.

7. Principio quiſque interrogetur, quampridem ſua peccata ultimo confeſſus fuerit, ut & temporis impendendi, & judicii inſtituendi ratio deprehendatur. Caveant tamen Confeſſarii, ne quemquam repellant, licet jamdiu Sacramentis abſtinentem, niſi temporis anguſtiæ, & pœnitentium frequentia urgeant, & illic opportuniori tempore reverti contentus ſit, quod ſine ſcandalo fieri queat.

8. Deinde inquirendum eſt an poſtremæ Confeſſionis pœnitentia peracta ſit. Negligens efficacius verbis moneatur ut ſatis muneri ſuo cumulate faciat. Qui vero difficultatem in ea exequenda pateretur, commutationem in aliud pium opus obtineat, pro Confeſſarii prudentia, & pœnitentis conditione, ac perpenſo pœnitentiæ commutandæ genere, num medicinalis ſit, an tantum ſatisfactoria. Quare præſtabit vel ultimam confeſſionem repeti, vel certe cauſſam recenſere, cur illa imperata fuerit. Satius tamen erit, ſi commode fieri poſſit, commutationem ab illo ipſo quærere, qui priorem impoſuit.

9. In id autem a Confeſſario præcipua conferatur cura, & ſollicitudo, ut Pœnitens omnibus, quibus par eſt, diſpoſitionibus dignum ſe Sacramenti fructibus reddat, ideoque primum interrogetur, an debito examine in memoriam peccata redegerit; nec vero, ubi omiſerit, ſtatim rejiciatur, ſed patienter comiterque ad illud faciendum juvetur interrogationibus ætati, generi, profeſſioni congruis. Ita etiam, cum opus ſit, ceteras eſſentiales ejus confeſſiones ſacrilegas vel invalidas fuiſſe Sacerdos percipiat; operam det, ut omnes, quotquot vitio laborarunt, probe iterentur.

10. Cum ad culparum accuſationem deventum fuerit, moneatur Pœnitens, ut cunctas, quarum meminit, diſtincte, humiliterque exponat, opem ferente, ubi oporteat, Confeſſarios ſuis circa Divina, Eccleſiaſticaque præcepta, ac peccata capitalia ex pœnitentis conditione & captu inquiſitionibus. Caveat porro prudens piuſque Sacerdos, ne interrogans, quæ latent, malitiam edoceat præſertim mulieres, ac ſimplices; verbiſque audientium aures offendentibus utatur.

11. Numerus mortalium peccatorum ſtudioſe inveſtigetur, & cum præciſe determinari nequeat, veroſimilior quæratur. Sin ne hic quidem haberi poſſit, certe Pœnitens interrogetur, quamdiu prava imbuatur conſuetudine, & quoties per dies, vel hebdomadam, vel menſem labi ſolitus fuerit.

12. Species, ſpeciemque mutantes, aut aggravantes circumſtantiæ diligenter perquirantur, quæ notiſſimo verſo recenſentur.

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

13. Si Pœnitens in excommunicationem, vel caſum Sedi Apoſtolicæ, aut Eminentiſſimo Abbati reſervatum ſe incidiſſe ſignificet, abrupta illico extra mortis articulum conceſſione dimittatur, niſi tamen Confeſſarius vel debita fungatur facultate, vel illius comparandæ onus aſſumat, abſolutionem interea differens. Monitus hoc loco ſit quilibet tam Sæcularis, quam Regularis Sacerdos, ut probe animadvertat, vetitum omnino ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, aliorumque gravium ſuppliciorum per Synodalia Decreta conſtitutorum, omnibus eſſe, quovis privilegio præditis, abſolvere a caſibus tum Apoſtolicæ Sedi tum Ordinario reſervatis. Immo ſi quis etiam ab Apoſtolica Sede auctoritatem quoad reſervata obtinuerit, adhuc tamen ea caret, qua reſervata Ordinario remittere poſſit.



14. Nemo pariter ex ejuſdem Synodi ſanctione poteſt recenſitorum in ipſa criminum complicem proprium abſolvere; proindeque ad aliud tribunal erit hic complex remittendus.

15. Accuratiſſime caveat Sacerdos, ne confeſſiones excipiens motu geſtuque aliquo & atrocitatem auditi ſceleris circumſtantibus indicet, & pœnitenti metum terroremque incutiat, quo fractus graviores ſilentio culpas obvolvat. Timidum atque erubeſcentem benigne erige, fractumque accuſatione ad dolorem & propoſitum efficacibus verbis, declarataque fœditate peccati æternarum pœnarum atrocitate, beatæ vitæ amœnitate, ac præſertim Dei bonitate, magnitudine, atque amabilitate, diligenter excitare ſtudeat. Poſt hæc autem ſatisfactio imponatur, quæ ſit & in præteritorum ſcelerum vindictam, & in novæ vitæ cuſtodiam, ac infirmitatis medicamentum.

16. Qui in Deum fœtido ore blaſphemias evomere auſi ſunt, ſevere objurgentur, gravibuſque abſolvendi mulctentur pœnis. Verum animadvertatur, inter caſus reſervatos blaſphemiam recenſeri, qua ſupremum Numen, Beataque Virgo impetitur. Ii porro, qui alios hæreticalibus blaſphemiis in Deum, Deique Matrem, & Sanctos per ſummam contumeliam irruentes audierunt, de onere denunciandi admoneantur, nec, cum renuant, abſolutione donentur: idque præſtabitur etiam cum quibuſcumque deferre negantibus ceteros enumeratos in Edicto S. Officii inter promulgationes edito pag. 567.

17. Ne petat Confeſſarius, ut ſibi, vel familiæ, vel Cœnobio eleemoſyna erogetur, potiſſimum quam pœnitentiæ nomine ipſe impoſuit; neque pecuniam pro Miſſis celebrandis, præſertim ſi ex imperata ſatisfactione debeantur, flagitet; nec ultro oblatam niſi extra ſacram exedram recipiat.

18. Reſtitutionem certo cuidam a Pœnitente debitam Sacerdos exoratus facere non renuat; id tamen curet, ut ſibi fiat apocha ſcripto; quod Pœnitenti reddat. Si incertis, ideoque pauperibus debeatur reſtitutio, omnino hæc pœnitentis arbitrio relinquatur.

19. Hortetur Pœnitentem, quod plurimum ad ſpiritualem ejus profectum conferet, ut probum, ſtabilemque ſibi eligat Confeſſarium: verum niſi gravis peculiaris cauſſa urgeat, id haud ex pœnitentia imperetur.

20. Satisfactione impoſita atque accepta, eſt impertienda abſolutio, & niſi temporis anguſtiæ vetent, integra communis forma adhibeatur, nempe: *Miſereatur* &c. *Indulgentiam* &c. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus* &c. *Paſſio Domini noſtri* &c. In Laicorum abſolutione animadvertatur omittendum eſſe vocabulum *Suſpenſionis*, quod habetur in prædicto verſu *Dominus noſter* &c.

21. Incapax neutiquam abſolvatur ſive quod excommunicatione, vel aliquo ex caſibus reſervatis obſtringatur, quos omnis Sacerdos ad excipiendarum confeſſionum dignitatem evectus, optime callere, & memoria complecti debet; ſive quod non intermiſſis polluatur peccatis, nec ullam emendationis ſpem afferat, aliquorum ſaltem dierum experimento; ſive quod in proximæ lethalis culpæ occaſione verſetur, ut ſi male audientem feminam domi ſuæ aleret, vel ludo blaſphemandi ſibi occaſionem præbenti indulgeret, datamque alias correctionis fidem non liberaverit, de qua proinde erit interrogandus? nec, niſi ſublato ad vetita incitamento, abſolvendus.

22. Pari modo agatur cum iis, qui avidas in rem alienam manus inferre, debitumque proximo honorem, famamque detrahere per ſummam injuriam auſi ſunt. Niſi ſe reſtituturos recipiant, immo niſi reſtituant, ubi datam antea fidem fregiſſe interrogati fateantur, abſolutione non donentur.

23. Sæpe probus Confeſſarius a Pœnitentibus adultis, maxime rudioribus, percontetur, num Apoſtolicum Symbolum, Decalogi, Eccleſiæque præcepta, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam didicerint, & calleant, prout chriſtianum hominem decet. Imperiti de ediſcendi obligatione moneantur; immo ab ipſomet Confeſſario benevole patienterque omnia edoceantur, præſertim vero principalia fidei myſteria *neceſſitate medii*, ut ajunt, facienda atque credenda; quibus ignoratis abſolutio & ſalus obtineri nequit. Cum autem iteratæ admonitiones atque induſtriæ in laterem lavandum collatæ videantur, & neceſſariam ſcientiam comparare homines negligant, ad id onere pœnitentiæ adigentur, ubi prudentes judicatum fuerit expedire, vel etiam abſolution carebunt, donec certam aliquam partem tempore dicto perceperint. Quod ſi adhuc non mentis imbecillitate & hebetudine, ſed ſocordia incuriaque nil proficiant, omnem conſequendæ remiſſionis ſpem ſibi præcidi ſentiant.

24. Patres, matreſque familias & domini, qui ſuam a liberis, famulis, ceteriſque ſubditis cogitationem abduxerunt, nihil ſolliciti ut rebus fidei imbuantur, & rectam inſiſtant viam, quæ ducit ad vitam, gravi objurgatione digni ſunt, ac ſi admoniti ad meliorem frugem ſe recipere, damnaque reſarcire negligant, aut procraſta, aut etiam negata abſolutione dimittantur.

25. Optime etiam noverint quotquot ad Confeſſiones excipiendas conſtituti ſunt, quid a ſan. recor. Pontifice Gregorio XV. contra ſollicitantes ſancitum ſit. Jubet enim ipſe, quotieſcumque Sacerdotes tum ſæculares, tum regulares, quavis dignitate, honore, aut privilegio donatos, qui in actu ſacramentalis Confeſſionis, vel ante vel immediate poſt confeſſionem, vel occaſione aut prætextu confeſſionis, vel etiam extra occaſionem confeſſionis in Confeſſionali, ſive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato aut electo cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſionem, ad inhoneſta & turpia ſollicitare vel provocare ſive verbis, ſive ſignis, ſive tactu, ſive per ſcripturam aut tunc, aut poſt legendam tentaverint, aut cum eis illicitos & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint, pro criminum gravitate & circumſtantiis ſevere plecti; necnon ab Ordinis exercitio ſuſpendi; beneficiis, honoribus, officiis perpetuo privari; exilio etiam, triremi perenni, carcere damnari; aut, ſi atrociori pœna digni videantur, degradatos ſæculari foro tradi. Atque ne tam immane monſtrum, tamque Deo & Eccleſiæ injurioſum crimen impune unquam abeat, omnibus hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, & Locorum Ordinariis, facultatem Summus Pontifex tribuit inſtituendi, promovendique judicii cum Teſtibus etiam ſingularibus, dummodo præſumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant; Confeſſariis vero præcipit, ut Pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis ſollicitatos, ſedulo moneant de obligatione denunciandi Inquiſitoribus, ſeu Locorum Ordinariis eum, qui ſollicitationis reus eſt; nec aut abſolvant, quam vel mandatum curaverint, vel curaturos eſſe quamprimum peccatum ſpondeant ac promittant.

26. Præterea certiores Pœnitentes fiant, Synodali ſanctione edita inter promulgationes pag. 464. prohiberi ſub pœna excommunicationis, aliiſque ad arbitrium, quominus mas tredecim annos natus, & femina undecimum agens poſſint una decumbere cum affine carnali vel ſpirituali diverſi ſexus, decennioque majore; parentes afficiendos eſſe gravibus arbitrariis ſuppliciis, ſi filios diverſi ſexus expleto ſeptennio idem cubile ſinant habere commune; eos omnes excommunicatione *ipſo facto*, irretiri, qui idem contubernium faciunt cum natis, aliiſque adoleſcentibus ſexu diſſimilibus, ſeptennioque majoribus.

27. Tandem, quoniam longum eſſet omnia ſingillatim perſequi ac compleri quæ Confeſſario ſcienda ſunt; vehementer etiam atque etiam quiſque rogatur, ut aſſiduo præ manibus habeat electam aliquam Theologiæ Moralis epitomem, & Catechiſmum Romanum, doctorum virorum cœtus libenter obeat, hanc inſtructionem attente legat, ex quibus omnibus non mediocrem fructum percipiet.

28. Pa-

19. *Variæ formulæ actus contritionis, quem ut Pœnitentes eliciant ante receptionem ſacramentalis abſolutionis, Confeſſarii tam ſæculares, quam Regulares curare omnino tenentur.*

DOmine Deus meus, ſpes ſalutis animæ meæ, intimo cordis dolore pœnitet me peccaſſe, & cupio emendare quidquid contra te commiſi: ideo abominor & deteſtor omnia & ſingula peccata mea propter te Deum meum ſummum bonum: & immenſam clementiam tuam humiliter deprecor, ut des mihi contritionem cordis, & lacrymas oculis meis, quibus defleam negligentias ac ſcelera mea, ut te auxiliante ad veram pœnitentiam, & dignam ſatisfactionem omnium delictorum meorum merear pervenire.

*Actus Contritionis a Pœnitente eliciendus priuſquam Sacramentaliter abſolvatur.*

DEus meus ex toto corde doleo, & ſuper omnia me pœnitet deliquiſſe in infinitam tuam bonitatem, tum per ſe dignam quæ unice obedientia, amore, obſequio afficiatur, tum etiam quia me creaſti, redemiſti, ſervaſti, & tot tantiſque beneficiis haud intermiſſe cumulaſti. Quapropter omnia & ſingula peccata mea abominor, indignum me noſcens ſempiterno beatæ vitæ præmio, dignum cruciatibus æternis: fretus tamen magna miſericordia tua per merita Jeſu Chriſti Redemptoris mei, & B. Virginis interceſſionem ſpero me obtenturum veniam delictorum meorum, quæ rurſus clavibus ſubjicio & deteſtor; firmam gerens voluntatem nuſpiam, tua opitulante gratia, lædendi Divinam Majeſtatem tuam; & ſpondeo me fideliter imponendam pœnitentiam impleturum. Rogo te ut me adjuves, tuoque auxilio erigas, ut omni prorſus culpa, ejuſque occaſione abſtinere, tuaque ſemper mandata facere valeam. Amen.

*Alius Actus.*

DEus meus deteſtor ac abominor omnia & ſingula peccata mea, quia injurioſus fui Divinæ Majeſtati ac bonitati tuæ. Statutum habeo ea confiteri, debitaque pœnitentia plectere, & me ad meliorem frugem recipere.

*Alius Actus ſimilis.*

PEccavi, mi Deus: ſuper omnia & intimo cordis affectu doleo, omniaque patrata peccata odio ac abominatione proſequor, quia iis Te ſummum bonum meum, ac infinito amore dignum offendi. Parce, clementiſſime Domine, & miſerere mei, nam propono culpas meas fateri, impoſitam pœnitentiam exequi, & Te poſthac nulla amplius injuria impetere, tua auxiliante gratia. Amen.

*Actus Contritionis in tentationibus utilis, dumque confitemur, & cubitum imus, ac ubique.*

MIſerere mei Deus: me pœnitet ex toto corde contra Te deliquiſſe, quia Te ſuper omnia amo propter ſummam Bonitatem tuam per ſe ſuper omnia amabilem, & tua ſuppetias præſtante gratia nunquam relapſurum propono.

In Præclaro Synodo Perusina congregata ab Eminentiſſimo quondam Cardinali de Torres, inſerta fuerunt utiliſſima monita pro Confeſſariis Monialium, quæ hic attexere operæ pretium putavi, quum in ejuſmodi arduo officio bene multa obſervanda ſint in praxi.

*Monita pro Confeſſariis ordinariis Monialium.*

1. SAcerdos ad confeſſiones Monialium excipiendas deſignatus, commiſſam ſibi provinciam ex obedientia, non turpis lucri gratia ſuſcipiat & adeat.

2. Qua vitæ ratione, quibuſque conſtitutionibus Cœnobium inſtitutum ſit, ſedulo percontetur; aptos etiam ſibi libros comparet, ut ad omne officii munus inſtruere, omnemque virtutem, quæ ſenſus externos cohibeat & componat, animum autem informet & ornet, ut patientiam, ſilentium, ſolitudinis amorem, clauſuram, manuumque ſuarum laborem, Moniales docere poſſit, pro loci inſtituto, Superiorisque mandato.

3. Chriſtianæ perfectionis ſtudio unice indulgeat: & vanitatem omnem, ſuperfluumque ornatum declinet.

4. Gravium doctorum, expertorumque hominum conſuetudinem colat, eoſque in conſilium adhibeat.

5. Probo ac prudenti viro animæ ſuæ curam committat, ipſumque frequenter adeat.

6. Scite & caute ſuam aliorumque ſalutem operetur. Nuſquam nimium ſibi aſſumat: ſuperbos enim odio habet Deus.

7. Caveat ne quovis prætextu nimis familiariter Monialibus utatur: ſed quoties locum excipiendis confeſſionibus ſtatutum adibit, comitate conditam gravitatem præſeferat, unde Pœnitentes ad divinum veluti tribunal accedere concipiant.

8. Studioſe caveat, ne cui ſe nimium dedat, & fidat, arcanaque committat: qua in re non ſolum dignitati inſerviet, ſed etiam tranquillitati, cum & ſuſpiciones eliminum, & anxietates vitaverit.

9. Nullam ſibi peculiariter conciliari cupiat & curet: immo ſiquam nimis ſui ſtudioſam cupidamque experiatur, gravibus atque efficacibus verbis admoneat, a propoſito deterreat, ad bonam frugem revocet.

10. Ut Moniales omnes ad humilitatem, chriſtianæ virtutis & perfectionis fundamentum, inſtruat & ducat, nunquam eas, earumque opera laudibus afficiet ac efferet.

11. Extra aſſignatum locum, ſeu feneſtellam ferrea tranſenna immobilique velo tectam, nuſquam confeſſiones excipiat.

12. Niſi caritas vel neceſſitas urgeat, nullam ſpeciatim advocet, nec extra confeſſionale, nec diutius, nec de rebus a ſpirituali ſalute alienis alloquatur. Superiorem tamen de monaſticæ rei procuratione locuturam libenter audiat, optimiſque quibus poterit conſiliis juvabit.

13. Omnibus æquabiliter confeſſionum tempus dividet: ſi cui autem longius impendendum erit, magna ſibi opus eſſe prudentia & cautione intelligat, ne ceteræ fraudentur, aut in ſuſpicionem malarum rerum inducantur.

14. Publicas ne imperet pœnitentias, niſi ex publicis criminibus, Monialeſque de rebus in confeſſione auditis, ac de propriis culpis verba facere prohibebit.

15. Nullam diutius ſine neceſſaria cauſſa detineat, aut ad generalem confeſſionem hortetur.

16. Antequam publico æris pulſu ad Beatam Virginem Angelica Salutatione colendam mane Chriſtifideles excitentur, citra neceſſitatem confeſſionale non ingrediatur: eodem etiam ſigno veſperæ audito promptus relinquat.

17. In id omnem induſtriam conferat ſuam ut Moniales, dum proprias culpas confitentur, ineptam loquacitatem ſtudioſe devitent, preſſis aptiſque verbis utantur. Ad quod multum conferet, ſi quotidie, priuſquam cubitum deſcendant, probe aſſueſcant, totius diei cogitationes, ſermones, opera, omiſſiones ad trutinam examenque ſedulo revocare.

18. Excipiens confeſſiones Sacerdos caveat, ne ſe tædio vel indignatione affectum præſeferat; ſed gravitatem & de animarum ſalute ſollicitudinem ſemper oſtendat, in quærenda exiſtimatione, ac etiam pœnitentium ſatisfactione alienus.

19. Omnino in rebus omnibus ita ſe cum Monialibus ſemper gerat, ut nulli diffidentiam incutere poſſit.

20. In more poſitum habeat nullam apud ceteras laudibus efferre, multoque minus vituperationibus proſequi.

21. Si quam debitum Sorori honorem detrahere, aut ejus defectus aperire incipientem audiat, ne longius progredi, aptaque objurgatione catere ſinat.

22. Quæ veniales culpas confeſſas minus ex animo doleat, nec reſpicere ſtatutum habeat, efficaciterque edoceatur tum illatæ Deo injuriæ tum pœnarum, quæ in Purgatorio luendæ manent gravitatem; ac etiam caritatis imminutionem, plurium donorum beneficiorumque privationem, necnon alia mala & detrimenta, quibus venialia peccata in hac quoque vita afficiuntur, atque mulctantur. Uno verbo, ſollicite & accurate ad dolorem, propoſitumque excitetur.

23. Præ ceteris votorum obſervationem ob oculos gerat Confeſſarius Monialium; nec eas abſolvat, quæ pecuniam aliaſve res tenent præter conceſſas ad uſum a Conſtitutionibus & a Superiore. Si qui objicientur prætextus, ſcite prudenterque refutentur.

24. Bullæ a Clemente VII. editæ de muneribus executionem obnixe curet: idemque noverit, probeque calleat quid in ipſa præcipiatur. Debitam negantes obedientiam non abſolvantur.

25. Viderit ne quæ animum inducat ſuum ne moriens quidem, ut pro arbitrio diſponat de rebus ſibi uſui commiſſis, multoque minus de cella.

26. Multus in eo ſit ut Moniales nimio erga conſanguineos, atque etiam erga ſorores amore dimoveat.

27. Commune eſſe idem duabus cubile, aut duo in eadem cella cubilia collocari, citra neceſſitatem, vel Superioris mandatum non permittat.

28. Operam det ut a cancellis pro habendo cum exteris ſermone, facie quamplurimum abſtineatur, præſertim divinorum officiorum, menſæque tempore, ac quoties ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ab omnibus generaliter ſumitur. Ubi autem aliqua congruis temporibus, & facultate obtenta, ad illos vocata accedat, meminerit, nec ſine teſte, nec de rebus futilibus, quæque ſtatum ſuum dedeceant, nec diutius loquendum eſſe.

29. Comœdias vel etiam pias repræſentationes legi in Cœnobio, aut agi, niſi cum bona Epiſcopi venia, Sacerdos prohibeat: nullo vero pacto ſinat, ut perſonatæ Moniales bacchanalium tempore incedant, viriles induant veſtes, aliiſque ſæcularibus jocis indulgeant: honeſta enim, ac religioſa uti recitatione, nunquam depoſito habitu, eaque contentæ eſſe debent.

30. Prophanæ multoque minus laſcivæ muſicæ libros in Monaſterio eſſe ne patiatur.

31. Etſi muſicam pulchre calleat, nullo tamen pacto Moniales ſuas ipſe docere inſtituat.

32. Quoniam feminarum eſt facile ſuſpicari; dum communes omnibus ſermones atque adhortationes Confeſſarius habet, caveat ne peculiares res attingat, vel defectus vitoperet: poterit namque in audientium diffidentiam incidere.

33. Sacram Communionem miniſtraturus videat, ut cum debita animi diſpoſitione, non ex conſuetudine ſumatur. Eam extraordinarie petentibus, niſi ad virtutes, defectuumque emendationem proficiat, aut non tribuat, aut aliquando differat. Illud ſane curet, ne ab alio Sacerdote niſi ex Ordinarii licentia diſtribuatur.

34. Mentalis oratio debeter eſſe quotidianus animarum cibus proinde a Monialibus potiſſimum diligenda ac colenda eſt, ſtatutis præſertim horis. Ab illuſionibus tamen dæmonis, doliſque caveant, & cum revelationes atque extaſes, quibus dignatas fuiſſe opinantur, Confeſſario aperire ordiantur, inauditæ dimittentur.

35. Veram mortificationem non in multis abſtinentiis, pœnitentiis, vigiliis ſitam eſſe intelligatur; ſed in interiori voluntatis, propenſionum, cupiditatum abnegatione, ac cohibitione. Ad hanc igitur etiam atque etiam mulieres Deo dicatæ hortentur; in hac exerceantur.

36. Quoniam plures Moniales, præſertim vero quæ præſunt, eo animum inducunt ſuum, ut pravas in Cœnobium irreptas conſuetudines evellere, aliiſque mederi malis nolint, ea uſæ excuſatione, hæc jam tum in more fuiſſe cum ipſæ vel ſacra clauſtra, vel officium inierunt; accuratiſſime ad omne munus inſtruantur; admoneanturque patratæ culpæ pœnam eſſe, perſpicere quid cuique faciendum ſit, ex ignavia tamen, vel imbecillitate omittere; majorem autem pœnam majoris culpæ duci, ne capere quidem aut videre obligationes ſuas.

37. Totus ſit Confeſſarius ut feminas ſuæ curæ commiſſas & creditas ad religioſam atque evangelicam perfectionem inſtruat & ducat; multoque magis cavebit ne ſuis aut exemplis, aut conſiliis iter ad illam quam expeditiſſimum impediat, & delinquendi præbeat occaſionem.

38. Viderit, ne quam peculiari complecti benevolentia credatur.

39. Qui ſibi ſanguine neceſſitudine, aliiſque cauſſis devincti ſunt, quoad poteſt & licet, Monaſterio diligenter prohibeat.

40. A conſanguineis Monialium frequentandis abſtineat.

41. Nihil dono unquam Monialibus det, ne ſacras quidem imagines, nec ab illis accipiat.

42. A literis mittendis accipiendiſque, niſi ſtatim Epiſcopo oſtendendis, abhorreat.

43. Ne mutuos Cœnobio nummos det, nec ab illo ſine Epiſcopi facultate mutuetur.

44. Inſcia Superiora, & abſque ejus mandato, nihil unquam emat, ne ſpirituales quidem libros.

45. Pecuniam a nulla accipiat ad Miſſas celebrandas, niſi ab ea, quæ præeſt, rogatus.

46. Lintea, mappas, omniaque ſuo uſui inſervitura nunquam Monialibus ſuenda, aut abluenda, agendave committet.

47. Quoties divina in exteriori templo celebrantur officia, ipſe ſuperpelliceo indutus interſit, nec ante diſcedat, quam ceteri Sacerdotes omnes abierint. Idem plane præſtabit, ubi aliqua ſacrum Cœnobii habitum induat; niſi enim conſanguinei, aliique egreſſi ſint, depoſito ſuperpelliceo ipſe exibit.

48. Clericus Eccleſiæ tantum miniſtret: cum Monialibus nihil ſibi rei habendum eſſe ſciat.

49. Si nullus monaſticæ rei curam Syndicus habeat, ſed ſolum per procuratores Epiſcopo & Superiori ſubjectos adminiſtretur: poterit prudens Confeſſarius Moniales, quæ præſunt, ſuis conſiliis juvare, ac etiam videre, ne miniſter, ac famuli omnes Monaſterio addicti rem male gerant, dilapident, damnove aliquo afficiant; atque cum opus erit, ordinarium adibit, certiorem de omnibus reddet, & remedium rogabit.

50. Quæ clauſuram ſpectant, quam rigidiſſime tueatur; datas ingrediendi facultates probe perpendat, quibuſque circumſtantiis & conditionibus afficiantur ſedulo animadvertat.

51. Sine peculiari Epiſcopi licentia ſacra ipſe clauſtra non ingrediatur, niſi ægrotis Sacramenta miniſtraturus, vel morienti opem laturus: & tunc ſuperpelliceo ſtolaque indutus recta cellam petat & nuſquam alibi conſiſtat. Solus in cubiculo non maneat, niſi cum cubantium confeſſiones excipit, quo tempore janua patefacta ſit, ut optime videri, non audiri poſſit.

52. Ægrotantes non tangat, ne ut morbi quidem gravitatem cognoſcat, niſi in certo periculo & articulo mortis miniſtrans extremam Unctionem.

53. Cum officia diſtribuenda erunt, nihil ſe huic rei immiſceat præter quam ex Epiſcopi mandato, ad quem etiam deferet, ſi quid eum ſcire, optimum reatur. Cum electa Superiora cæremonias, ut ajunt non inſtituat, ſed gravitatem ſemper religioſe tueatur.

54. Ad puellas quod attinet quæ Monaſterium ingrediuntur, vel jam ingreſſæ ſunt: obnixe curet, ut quæ in Pontificio libello, cujus proinde exemplar apud ſe habebit, præcipiuntur, executioni mandentur. Specula, prophanos libros, aliaſque vanitates in ſacra clauſtra afferri non permittat, nec intra illa immodeſtas veſtes, vagaſque crinium compoſitiones adhiberi concedat.

55. A Profeſſarum Monialium conſuetudine illas arceat, & ſolum cum Magiſtris eſſe ſinat. Legendi, canendi, muſicaque inſtrumenta pulſandi artem ne ab exteris diſcant, choreis, ac prophanis cantionibus ne indulgeant cautum erit: organa ſolam & clavicymbalum pulſare permittentur.

56. Id multo magis a Novitiis expetetur & exigetur.

57. Cum puella aliqua extra Monaſterium exiſtens, religioſum habitum ſumptura accedit, admoneatur, poſitis vanitatibus veſtium, anulorum, calamiſtratorum crinium Eccleſiam adeundam eſſe, nec ſericæ cycladi, aut alio colore imbutæ quam nigro aut albo, aut fulvo, monaſticam tunicam ſuperimponi debere ex Epiſcopi mandato, de quo etiam puellæ parentes certiores fient.

58. Nulla habeatur in exteriori templo muſica, cum aliqua Cœnobio nomen datura eſt: nec a parentibus facienda oblatio, in limine clauſuræ ſiat: nec Moniales apertis foribus, Sæcularibuſque conſpicientibus, honeſtas licet repræſentationes unquam agant.

59. Sa-

59. Sacra clauſtra ingrediente puella, vel religioſum habitum induente, vel ſollemnia profeſſionis vota emittente, caveat Confeſſarius ne invito & inſcio Epiſcopo oblata ultro, ac de more ab illius parentibus munera accipiat, vel ne Moniales eſculenta poculentaque ſupra quam par ſit a conſanguineis petant, ut ſibi dono dent.

60. Ubi comperiatur, puellam aliquam in Monaſterio degentem, vel matrimonio collocatam, vel collocandam eſſe denunciationibus factis, illico Epiſcopus adeatur, ut illa domum ad parentes remittatur, priuſquam a ſponſo viſitetur, arrhiſque conſuetis donetur.

*Monita pro Confeſſariis Monialium extraordinariis.*

1. CONfeſſarius extraordinarius bis aut ter quotannis Monialibus adhibendus, plerumque peti ſolet vel curioſitatis gratia; vel quia Ordinarius limis oculis aſpiciunt; idcirco ſi qui mittitur, religioſo ſpiritu ac prudentia careat, cito evertet diuturni temporis ædificium; quare

2. Prius quam Sacerdos provinciam ſibi concreditam ſuſcipiat adminiſtrandam, Epiſcopum adibit, ut de Monaſterio cognoſcat, apuſque inſtruatur admonitionibus & conſiliis, unde abuſus divellere, animaſque ad veræ perfectionis ſtudium excitare poſſit.

3. Niſi eo ingenio polleat, ut accomodum poſſit communiter habere ſermonem, expedit e loco non exire, niſi auditis omnium confeſſionibus, & tunc Miſſam poterit celebrare.

4. Apud eam, quæ præeſt, aget, ut Moniales omnes Confeſſionale adeant, ne aliter cognoſcatur quæ extraordinario Confeſſario indiguerint. Ipſe vero nullam de ſuo nomine interroget, nec utetur tabella aliqua, in qua ſingula deſcripta ſint.

5. Caveat, ne a quapiam ceterarum imperfectiones percontetur; poterit tamen a Superiora quærere quid de regulari diſciplina ſentiat, ut ipſam quibus poteſt conſiliis omnibus adjuvet.

6. Nunquam ſe ordinarii Confeſſarii familiarem ſignificet, ne Moniales aliquam capiant diffidentiam: viderit tamen ne quod illius factum vel dictum vituperet, aut certe, ſi aliud nequeat, excuſſet, dicens non recte intellectum fuiſſe.

7. Ne remittat, quod alter contraxit, & ſi moderatione opus ſit, Epiſcopum certiorem reddat.

8. Si quam de Superiora, ejuſque mandatis querentem audiat, quaſo ne obſecundet, ſed vel juſſum, vel jubentis animum tueatur, aut excuſet, ac obedientiæ votum commendet.

9. Quo tempore confeſſiones excipiet, ab habendis cum ea, quæ præeſt, & cum ordinario Confeſſario ſermonibus quamplurimum poterit, abſtinebit.

10. Confeſſionum curſum non intermittet, ut jam confeſſam rurſus audiat: quaque generalem confeſſionem recenſere cupient, niſi poſtquam omnes ſe ſtiterint, audiantur.

11. Ne ſe tædio moleſtiaque affectum præbeat; ſed cunctas accurate juvet, non tamen plus æquo immoretur.

12. De ſpectantibus ad ſalutem, atque de confeſſionali ſolum ſibi cum Monialibus agendum eſſe ſciat. Nunquam ſe apud Epiſcopum verba facturum pro aliqua ægro animo affecta ſpondeat; nec comitiis electionibuſque ſe immiſceat.

13. Si, quid ipſe de aliquo Epiſcopi mandato ſentiat, interrogetur, ubi probare non poſſit, improbare non audeat. Rem totam Legislatori aperiat, eique curandam relinquat.

14. Perturbatis rebus, quæ ad Superioris aurem perventura non ſint, ſcite & commode, quoad poteſt medebitur: quas autem ſine damno ad illum remittere poteſt, prudenter & caute remittet.

15. Trium votorum, præſertim vero paupertatis, obſervationem vehementer etiam atque etiam exhibit juxta ea quæ jam præcepta ſunt, nec Bellam de muneribus laxiori interpretatione remittet: ipſe vero nihil unquam dono aut accipiet, aut tribuet.

16. Religioſi ſtatus opera obnixe imprimere in animos ſtudeat. Ad perfectiorem efficaciſſimis verbis hortetur, ad eamque unum iter eſſe mortificationis mundique contemptum doceat, a quo potiſſimum cancellorum frequentatio avertit.

17. Qui ſpirituales ſermones facere velit, raros, multaque affectos prudentia & cautione habebit.





# APPENDIX.

*SUperioribus hiſce Annis circa uſum* Opinionis Probabilis *tria edita ſunt Decreta: Primum a Celſiſſimo, ac Reverendiſs. Principe, ac Epiſcopo Tridentino: alterum a Sacroſancta Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Congregatione: utrumque autem occaſione quarundam Theſium quas publicæ, licet in ædibus Parochialibus, concertationi quidam Theologus expoſuerat Aviſii in Tribentina Diœceſi. Tertium denique a Capitulo Generali Mantuano totius Ordinis FF. Minorum Seſſ. XV. habita die 8. Junii 1762. Ut votis aliquorum fieret ſatis, neve præfata Decreta auro, cedroque digna eruditorum aliquem laterent, ea evulgare conſultum duxi, una cum brevi elucidatione primi, & ſecundi Decreti.*

## DECRETUM I.

Franciſcus Felix Dei gratia Epiſcopus, & S. R. I. Princeps Tridenti, Marchio Caſtellarii, Sacris Cæſareis Regiis Majeſtatibus a Conſiliis ſecretis, ex Comitibus de Albertis de Enno &c.

*Perilluſtribus, Nobilibus, admodum Reverendis, & Venerabilibus reſpective Parochis, & Curatis Noſtræ Tridentinæ Diœceſis ſalutem in Domino ſempiternam.*

DOlenti equidem animo percepimus, proxime elapſo Menſe Junio in loco Aviſii Tridentinæ hujuſce noſtræ Diœceſeos quoſdam Articulos, quos infra notabimus, manuſcriptos ad diſceptandum privatim domi fuiſſe propoſitos, ac diſcuſſos, ubi nullæ ſunt ſcholæ; quod quidem tunc diſſimulandum duximus, minime neſcii, privatam ejuſmodi exercitationem probro dedecorique ceſſiſſe Auctori, qui ab Oppugnatoribus in arctum ita adductus eſt, ut cauſſa illum palam cecidiſſe adſtantes omnes facile intellexerint. Cum vero noviſſime harum Theſium exemplar extra hanc Diœceſim typis editum in manus noſtras pervenerit, muneris noſtri ratio flagitat, ut confeſtim gliſcenti malo obiam eamus, ne Populus noſtræ curæ concreditus nimia opinandi licentia a recta ſalutis ſemita deducatur. Noveritis itaque a nobis Articulos, quos infra ſubjiciemus, acervatim ſumptos omnino rejici, improbarique, prout harum literarum tenore rejicimus, atque improbamus, prohibentes, ne ſub pœnis Canonicis, ac aliis arbitrio Noſtro iidem Articuli acervatim ſumpti in diſceptationem, uſumque deducantur. Officii porro veſtri partes in eo eſſe debent, ut Populum, cum ex ſacro ſuggeſtu, tum in Pœnitentiæ Tribunali dexterrime eo inducatis, ut ea ſequatur dogmata, quibus tum ratio ſolidior, tum gravior Auctoritas ſuffragatur. Quod cum a vobis ſancte obſervandum confidimus, Epiſcopalem vobis Benedictionem impertimur.

Datum Tridenti ex Arce Noſtræ reſidentiæ hac die tertia Januarii 1761.

Franciſcus Felix Epiſcopus.

Ad Mandatum Celſiſſimi, & Reverendiſſimi D. D. proprium Presbyt. Joſeph Antonius Bertinali Cancellarius.

Hic recitantur Theſes damnatæ, quæ legi poterunt in ſequenti Decreto.

## DECRETUM II.

S. Rom. & Univerſ. Inquiſitionis confirmatum a SS. D. N. Clemente Papa XIII. quo prohibentur Theſes circa Probabiliſmum expoſitæ publicæ diſputationi anno præterito 1760. Aviſii in Diœceſi Tridentina.

*Feria V. die 26. Februarii 1761.*

PER ſuas literas ad Congregationem S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis, labente ſuperiori Anno datas, dolenter nimium conqueſtus eſt Antonius Ceſchi Tridentinæ Eccleſiæ Canonicus Decanus, Theſes quaſdam de Probabiliſmo a Parocho Aviſienſi Diœceſis Tridentinæ in Ædibus canonicalibus jampridem propugnatas, poſtmodum ſine nota loci, & Auctoris obſcuro prælo fuiſſe cauſas, & vulgatas non ſine Religionis detrimento, & bonorum offenſione, præſertim Eccleſiaſticorum, quorum pars ſuo eſt regimini, & vigilantiæ concredita. Poſtulante itaque eodem Decano congruum adhiberi remedium ingruenti malo, ne latius ſerpat, Theologicæ cenſuræ de more ſubjectæ fuerunt prædictæ Theſes unico contentæ folio impreſſo, cujus tenor ita ſe habet.

### PROBABILISMUS

*Publicæ diſputationi Vener. Cleri Aviſienſ. exercitii gratia expoſitus contra Probabilioriſmum ſtricte talem, utpote negotium perambulans in tenebris.*

Pro die 10. Junii 1760. in Ædibus Canonicalibus Aviſii.

Utinam obſervaremus mandata Domini certa! Quid nobis tanta ſollicitudo de dubiis! *Celeberrimus P. Conſ., Roncaglia lib. 1. c. 4.*

I.

Probabiliſmus noſter verſatur circa hæc tria.

Licet ſequi probabiliorem pro libertate, relicta minus probabili pro Lege.

Licet ſequi probabilem æque pro libertate, relicta æque probabili pro Lege.

Licet ſequi minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro Lege.

*Ex iis deducuntur ſequentia Paradoxa.*

II.

Uſus Probabiliſmi maxime tutus. Uſus Probabilioriſmi maxime periculoſus.

III.

Uſus genuini Probabiliſmi minime in laxitatem degenerare poteſt.

Uſus Probabilioriſmi ſtricte talis in Rigoriſmum excurrere debet.

IV.

Probabilioriſtas qua tales, qui ex conſilio probabiliora ſequuntur, laudabiliſſime operari affirmamus.

V.

Probabilioriſtis ſtricte talibus, qui ex præcepto, quod nunquam clare probant, ſe ipſos, & alios ad probabiliora impellunt, merito Rigoriſtarum nomen imponimus.

VI.

Qui nullatenus ad Chriſtianam perfectionem tendere poſſunt, niſi ſequendo probabiliſſima.

VII.

Abuſus Probabilioriſmi ſtricte talis non ſolum licentiæ frænum, ſed licentiæ calcar eſt, quod Gallorum teſtimonio comprobamus.

VIII.

Genuinus itaque noſter Probabiliſmum, qui nec morum corruptelam inducit, nec a S. Sede unquam male fuit notatus origine ſua Thomiſticus, progreſſu ætatis Jeſuiticus, utpote a quo arctatus, emendatus, & contra Janſenianos furores propugnatus fuit.

IX.

Qui ergo habitat in adjutorio fundatiſſimi Probabiliſmi, ſua protectione plurimorum ex omnibus orbis Chriſtiani



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ſationibus præſtantiſſimorum Theologorum commorabitur ſecutus.

*Ex Hiſtoria Critica.*

X

Hic ſine ulla laxiſmi nota Benigniſmum etiam vocamus, ſed legitimum, quem ſuadent utraque lex Cæſarea, & Pontificia; ſed Dominicanum, quem illuſtris Dominicanorum Ordo jam a primis temporibus eſt amplexus; ſed Pium qui Chriſtianam pietatem fovet; ſed Thomiſticum, quem S. Thomas in amoribus habuit, qui ducentas, & plures opiniones libertati faventes in ſuis ſententiarum libris docet; ſed Chriſtianum, qui Chriſto Domino ſumme familiaris fuit.

O. A. M. D. & V. G.

Pro coronide. Probabiliſmus noſter ſtans pro libertate, eſt notabiliter probabilior ipſo Probabilioriſmo ſtante pro Lege.

Cum vero Theſes hujuſmodi notæque Theologiæ expenſæ fuerint in Congregatione Generali habita in Palatio Apoſtolico Quirinali coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Papa XIII. Sanctitas ſua auditis Eminentiſſimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatorum ſuffragiis, folium prædictum, & Theſes in illo expoſitas prohibendas, ac damnandas eſſe cenſuit, prout præſenti Decreto damnat, & prohibet tanquam continentia propoſitiones, quarum aliquæ ſunt reſpective falſæ, temerariæ, & piarum aurium offenſivæ. Illam vero exceptam a numero X. nempe *Probabiliſmum, qui Chriſto Domino ſumme familiaris fuit*, proſcribendam uti erroneam, & hæreſi proximam. Præfatum itaque folium ſive Theſes ut ſupra exſcriptas ſic damnatas, & prohibitas Sanctiſs. D. N. vetat ne quis cujuſque ſit ſtatus, & conditionis ullo modo ſub quocumque prætextu, quovis idiomate imprimere, ac imprimi facere, vel tranſcribere, aut jam impreſſum ſive impreſſas apud ſe retinere & legere, ſive privatim, ſive publice propugnare audeat; ſed illud, vel illas Ordinariis locorum, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere, & conſignare teneatur ſub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis.

Benedictus Veterani Aſſeſſor.

DECRETUM III.

In Capitulo Gener. Mantuano Ord. FF. Minor. Seſſ. 13. habita die 6. Jun. 1762. promulgatum.

Cupiens Generale Capitulum ea ſcandala ab Ordine removere, quæ ex nimia opinandi licentia, in doctrinis præcipue ad mores pertinentibus oriri, & ſuſcitari poſſent; renovat, & confirmat eas omnes Conſtitutiones, quæ in aliis præcedentibus Generalibus Capitulis de Doctrinis in noſtris ſcholis, & a noſtratibus ſeligendis decretæ ſunt. Et ad hunc effectum mandat, & præcipit Sacræ Theologiæ Lectoribus, aliiſque omnibus, quatenus doctrinas tutiores, & probabiliores doceant, & amplectantur.

Hoc autem Decretum datis ad ſuos ſubditos Encyclicis literis evulgarunt, & illius obſervantiam quanta pollebant auctoritate præceperunt Reverendiſs. P. Petrus Joannetius de Molina Generalis totius Ordinis FF. Min. S. Franciſci iterato Miniſter die 4. Octobris 1762. Romæ ex Ara Cœli, necnon Reverendiſſimus P. Paſchalis a Variſio Commiſſarius Generalis Ciſmontanus ex Ara Cœli ad menſem Martium proxime ſuperioris anni 1763.

Porro quanti faciendum ſit hujuſmodi Decretum velinde licet arguere, quod a graviſſimis Patribus longe ampliſſimi Ordinis manarit, ſitque oppido conſentaneum aliis antiquioribus ejuſdem Ordinis Conſtitutionibus, neque ullus illi auſus fuerit contraire, ſed plenum, ut aſſerunt, deinceps in Franciſcanorum Scholis effectum habuerit; acta quoque prædicti Capituli a Summo Regnante Pontifice ultimum obtinuere roboris firmamentum.

Si plura cupis quæ prodant quænam ſit hac de re Apoſt. Sedis mens, atque ſententia Pontificum Max. vide P. Ferraris Prompt. Biblioth. Tom. V. voce *Opinio probabilis*, & Tom. II. voce *Conſcientia*.

*F I N I S.*

INDEX



# INDEX ALPHABETICUS
## NOMINUM, AC RERUM.

*Majori dilucidationi ſequentis Indicis conſulentibus nobis viſum eſt Lectores admonere de iis omnibus, quæ paſſim occurrunt. Duplici conſtat typorum forma; prior, quæ vulgo dicitur tondo, complectitur tum Antoinii, tum Carbonæani doctrinam, in eaque numerus Romanus exhibet volumina, littera* p *Partes, & arabicus pagellas reperiendas. Poſterior, quam dicimus vernaculo ſermone* corſivo, *complectitur P. Staidel noviſſima additamenta; & in ea obſervandus pariter Romanus numerus ad volumina reperienda accommodatus; item arabicus, qui pagellas, & alter arabicus, qui columnas exhibet. Quum vero occurrit littera* n *ante numerum arabicum, recurrendum eſt ad Volumen Primum, in quo marginalibus numeri reperiuntur indicati Paragraphi.*

A


Abiſſini, eorumque errores, & diſciplina, II. p. II. 162.
Abortus. V. *Fœtus*.
Abſolutio Sacramentalis, ejuſque verba. III. p. I. 64. ad eam repetendam nova confeſſio requiritur. 105. ſub conditione, quando valet. ib. data abſenti invalida. ibid.
Abſtinentia quid. II. p. I. 123.
Accuſator & denunciator inter ſe differunt. II. p. II. 124. Denunciare quis teneatur, & quando ab accuſatione deſiſtere. ibid. & ſeq.
Accedia, ejus filiæ, ac remedia. I. p. II. 139.
Actio omnis, vel omiſſio, quæ non eſt ex dictamine conſcientiæ, peccatum eſt. I. p. II. 32.
Actus ut ſit honeſtus & bonus quid requiritur. I. p. II. 27. Actus internos, externoſque Eccleſia præcipere poteſt. 54. Actus habens objectum malum, & finem malum pejor eſt, quam ſi eſſet ſolum malus ex alterutro. 102.
Actus ex genere ſuo venialis, vel indifferens ſit mortalis per accidens. I. p. II. 107. Actus omnis, qui eſt cauſa, finis, vel occaſio omiſſionis malæ, contrahit ejus malitiam. 112. Actus venialis ex objecto indifferens ſit mortalis interdum ratione ſcandali. 107.
Actus voluntatis diviſio. I. p. II. 2. Actus externus per ſe non auget bonitatem, vel malitiam formalem volitionis efficacis: auget tamen ſæpiſſime per accidens bonitatem, vel malitiam actus interni, a quo imperatur. I. p. II. 118.
Adjuratio quid, & qua ratione differat a juramento. II. p. I. 81.
Adoratio, ac multiplex ipſius diviſio. II. p. I. 58.
Advena quis dicitur. I. p. II. 68.
Advertentia, ejus diviſio, ac proprietates. I. p. II. 104. & ſeq.
Adulator quis, & ad quid teneatur. II. p. I. 152.
Adulterium, ejuſdemque diviſio. I. p. II. 128.
Adulteri ad quid teneantur. II. p. I. 173.
Adulterum in adulterio deprehenſum non licet occidere. II. p. I. 162.
Adulti non ſunt baptizandi, niſi prius inſtruantur. III. p. I. 29.
Adulti, qui a Chriſtiana Fide receſſerint, ac ad eamdem inde revertentes non tenentur Apoſtaſiam coram infidelibus publice cum periculo vitæ retractare. II. p. I. 27.
Advocatus, ad quæ ex juſtitia teneatur. II. p. II. 129.
Aerius, ac error ipſius. II. p. II. 248.
Agapæ quid, & cur ab Eccleſia ſublatæ. II. p. II. 140.
Aggreſſorem, qua lege liceat occidere. II. p. I. 164.
*Agnus Dei* ex quibus confecti, quidque ſignificent. II. p. II. 154.
Albaneſibus in Italia, vel alibi ſub Epiſcopis Latinis degentibus in proprio ritu manere permiſſum eſt. II. p. II. 176.
Altare unicum antiquitus in qualibet Eccleſia, ac ſemel in eo celebrabatur in die. II. p. II. 166.
Altarium per Epiſcopos conſecratio a primis Eccleſiæ ſeculis. 165.
Amare Deum ſuper omnia intenſive non tenemur. II. p. I. 14.
Ambitio quid, & qualis culpa. I. p. II. 134.
Amoris definitio, atque diviſio. II. p. I. 31. Amoris Dei ſpeciale quod extat præceptum, ad quid obligat, & qualis amor hic eſſe debeat. 13.
Amor ſpei, ſeu concupiſcentiæ. 32.
Amplexus, tactus, oſcula etiam in partibus honeſtis interdum mortalia. I. p. II. 135.
Ancillarum officia erga dominas. II. p. II. 120.
Animalium dominium quomodo acquiritur. II. p. I. 125. Quid de feris, & Silveſtribus animalibus; quid vero de manſuetis ac domeſticis. 125.
*Animerſion*. II. p. II. 165.
Antyſipa quid. III. p. I. 71.
Apoſtaſia a fide, quid, & quotuplex. II. p. I. 27.
Apoſtatæ in articulo mortis conſtituti rogantes ſecreto Confeſſarium, ut ſecreto ipſos abſolvat, quomodo ille ſe gerere debeat. ibid.
Apoſtoli cur miſſi per univerſum Orbem. II. p. II. 145. conſtituebant ubi opus erat Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, 149. & ſeq.
Apparitor, ejuſque obligationes. II. p. II. 131.
Appollinariſtæ, eorum errores, & nomina. II. p. II. 161.
Approbatio Confeſſarii. III. p. I. 106.
Arcanum: qua cautione liceat aperire. II. p. I. 10. Arcanum, ſecretum conſilium, & his ſimilia explorantes, quando graviter peccant, & ad remiſſionem tenentur. ib.
Archiepiſcopi nulla poteſtas ordinaria diſpenſandi in legibus Epiſcoporum ſuæ Provinciæ. I. p. II. 71.
Armeni; eorum Patriarcha, Archiepiſcopi, & Epiſcopi. II. p. II. 253. errores, ſectæ, & damnatio. 160. cogendi ad miſcendam cum vino aquam in Miſſ. & quare? 183. quare ob azymorum uſum damnantur. III. p. I. 18.
Ars notoria quid. II. p. II. 138.
Aſpectus partium pudendarum alterius, vel ejuſdem ſexus quando eſt mortale. I. p. II. 135.
Aſperſio quæ luſtralis, ejus ſignificatio. II. p. II. 153.
Aſſecuratio, ac ad ejus juſtitiam requiſita. II. p. II. 44.
Aſtrologia quid, & quotuplex. II. p. II. 138.
Attentio quæ, & quotuplex, quæque ad ſatisfaciendum præcepto requiratur. II. p. I. 62.
Attritio. III. p. I. 81. eadem ex metu gehennæ. 85.
Avaritia quid, quando culpa lethalis, quæ filiæ, & remedia. I. p. II. 125.
Auctarium ut juſte exigi poſſit ob lucrum ceſſans, quæ conditiones requirantur. II. p. II. 21.
Azymorum doctrina. III. p. I. 72.


*A X I O M A T A.*


*Acceſſorium ſequitur naturam principalis*, non valet in omnibus. I. p. II. 65. ejus limitationes. ibid.
*Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum*, quando verum. I. p. II. 62.




UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rationibus præſtantiſſimorum Theologorum commorabitur ſecurus.

*Ex Hiſtoria Critica.*

X

Hic ſine ulla laxiſmi nota Benigniſmum etiam vocamus; ſed legitimum, quem ſuadent utræque lex Cæſarea, & Pontificia; ſed Dominicanum, quem illuſtris Dominicanorum Ordo jam a primis temporibus eſt amplexus; ſed Pium qui Chriſtianam pietatem fovet; ſed Thomiſticum, quem S. Thomas in amoribus habuit, qui ducentas, & plures opiniones libertati faventes in ſuis ſententiarum libris docet; ſed Chriſtianum, qui Chriſto Domino ſumme familiaris fuit.

O. A. M. D. & V. G.

Pro coronide. Probabiliſmus noſter ſtans pro libertate, eſt notabiliter probabilior ipſo Probabilioriſmo ſtante pro Lege.

Cum vero Theſes hujuſmodi notæque Theologicæ expenſæ fuerint in Congregatione Generali habita in Palatio Apoſtolico Quirinali coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Papa XIII, Sanctitas ſua auditis Eminentiſſimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatorum ſuffragiis, folium prædictum, & Theſes in illo expoſitas prohibendas, ac damnandas eſſe cenſuit, prout præſenti Decreto damnat, & prohibet tanquam continentia propoſitiones, quarum aliquæ ſunt reſpective falſæ, temerariæ, & piarum aurium offenſivæ. Illam vero exceptam a numero X. nempe *Probabiliſmum, qui Chriſto Domino ſumme familiaris fuit*, proſcribendam uti erroneam, & hæreſi proximam. Præfatum itaque folium ſive Theſes ut ſupra exſcriptas ſic damnatas, & prohibitas Sanctiſs. D. N. vetat ne quis cujuſque ſit ſtatus, & conditionis ullo modo ſub quocumque prætextu, quovis idiomate imprimere, ac imprimi facere, vel tranſcribere, aut jam impreſſum ſive impreſſas apud ſe retinere & legere, ſive privatim, ſive publice propugnare audeat; ſed illud, vel illas Ordinariis locorum, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere, & conſignare teneatur ſub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis.

Benedictus Veterani Aſſeſſor.

DECRETUM III.

In Capitulo Gener. Mantuano Ord. FF. Minor. Seſſ. 13. habita die 6. Jun. 1762. promulgatum.

CUpiens Generale Capitulum ea ſcandala ab Ordine removere, quæ ex nimia opinandi licentia, in doctrinis præcipue ad mores pertinentibus oriri, & ſuſcitari poſſent; renovat, & confirmat eas omnes Conſtitutiones, quæ in aliis præcedentibus Generalibus Capitulis de Doctrinis in noſtris ſcholis, & a noſtratibus ſeligendis decretæ ſunt. Et ad hunc effectum mandat, & præcipit Sacræ Theologiæ Lectoribus, aliiſque omnibus, quatenus doctrinas tutiores, & probabiliores doceant, & amplectantur.

Hoc autem Decretum datis ad ſuos ſubditos Encyclicis literis evulgarunt, & illius obſervantiam quanta pollebant auctoritate præceperunt Reverendiſs. P. Petrus Joannetius de Molina Generalis totius Ordinis FF. Min. S. Franciſci iterato Miniſter die 4. Octobris 1762. Romæ ex Ara Cæli, necnon Reverendiſſimus P. Paſchalis a Variſio Commiſſarius Generalis Ciſmontanus ex Ara Cæli ad menſem Martium proxime ſuperioris anni 1763.

Porro quanti faciendum ſit hujuſmodi Decretum vel inde licet arguere, quod a graviſſimis Patribus longe ampliſſimi Ordinis manarit, ſitque oppido conſentaneum aliis antiquioribus ejuſdem Ordinis Conſtitutionibus, neque ullus illi auſus fuerit contraire, ſed plenum, ut aſſerunt, deinceps in Franciſcanorum Scholis effectum habuerit; acta quoque prædicti Capituli a Summo Regnante Pontifice ultimum obtinuere roboris firmamentum.

Si plura cupis quæ prodant quænam ſit hac de re Apoſt. Sedis mens, atque ſententia Pontificum Max. vide P. Ferraris Prompt. Biblioth. Tom. V. voce *Opinio probabilis*, & Tom. II. voce *Conſcientia*.

*F I N I S.*

INDEX



# INDEX ALPHABETICUS NOMINUM, AC RERUM.

*Majori dilucidationi ſequentis Indicis conſulentibus nobis viſum eſt Lectores admonere de iis omnibus, quæ paſſim occurrunt. Duplici conſtat typorum forma; prior, quæ vulgo dicitur tondo, complectitur tum Antoinii, tum Carboneani doctrinam, in eaque numerus Romanus exhibet volumina, littera p Partes, & arabicus pagellas reperiendas. Poſterior, quam dicimus vernaculo ſermone* corſivo, *complectitur P. Staidel noviſſima additamenta; & in ea obſervandus pariter Romanus numerus ad volumina reperienda accommodatus; item arabicus, qui pagellas, & alter arabicus, qui columnas exhibet. Quum vero occurrit littera* n *ante numerum arabicum, recurrendum eſt ad Volumen Primum, in quo marginalibus numeri reperiuntur indicati Paragraphi.*

A

ABiſſini, eorumque errores, & diſciplina, II. p. II. 162.
Abortus. V. *Fœtus*.
Abſolutio Sacramentalis, ejuſque verba. III. p. I. 64. ad eam repetendam nova confeſſio requiritur. 105. ſub conditione, quando valet. *ib.* data abſenti invalida. *ibid.*
Abſtinentia quid. II. p. I. 123.
Accuſator & denunciator inter ſe differunt. II. p. II. 124. Denunciare quis tenetur, & quando ab accuſatione deſiſtere. *ibid. & ſeq.*
Accedia, ejus filiæ, ac remedia. I. p. II. 139.
Actio omnis, vel omiſſio, quæ non eſt ex dictamine conſcientiæ, peccatum eſt. I. p. II. 32.
Actus ut ſit honeſtus & bonus quid requiritur. I. p. II. 27. Actus internos, externoſque Eccleſia præcipere poteſt. 54. Actus habens objectum malum, & finem malum pejor eſt, quam ſi eſſet ſolum malus ex alterutro. 102.
Actus ex genere ſuo venialis, vel indifferens fit mortalis per accidens. I. p. II. 107. Actus omnis, qui eſt cauſſa, finis, vel occaſio omiſſionis malæ, contrahit ejus malitiam. 112. Actus venialis ex objecto indifferens fit mortalis interdum ratione ſcandali. 107.
Actus voluntatis diviſio. I. p. II. 2. Actus externus per ſe non auget bonitatem, vel malitiam formalem volitionis efficacis: auget tamen ſæpiſſime per accidens bonitatem, vel malitiam actus interni, a quo imperatur. I. p. II. 118.
Adjuratio quid, & qua ratione differat a juramento. II. p. I. 81.
Adoratio, ac multiplex ipſius diviſio. II. p. I. 58.
Advena quis dicitur. I. p. II. 68.
Advertentia, ejus diviſio, ac proprietates. I. p. II. 104. & ſeq.
Adulator quis, & ad quid teneatur. II. p. I. 152.
Adulterium, ejuſdemque diviſio. I. p. II. 128.
Adulteri ad quid teneantur. II. p. I. 173.
Adulterum in adulterio deprehenſum non licet occidere. II. p. I. 162.
Adulti non ſunt baptizandi, niſi prius inſtruantur. III. p. I. 29.
Adulti, qui a Chriſtiana Fide receſſerint, ac ad eamdem inde revertentes non tenentur Apoſtaſiam coram infidelibus publice cum periculo vitæ retractare. II. p. I. 27.
Advocatus, ad quæ ex juſtitia teneatur. II. p. II. 129.
Aerius, ac error ipſius. II. p. II. 248.
Agapæ quid, & cur ab Eccleſia ſublatæ. II. p. II. 140.
Aggreſſorem, qua lege liceat occidere. II. p. I. 164.
*Agnus Dei* ex quibus confecti, quidque ſignificent. II. p. II. 154.
Albaneſibus in Italia, vel alibi ſub Epiſcopis Latinis degentibus in proprio ritu manere permiſſum eſt. II. p. II. 176.
Altare unicum antiquitus in qualibet Eccleſia, ac ſemel in eo celebrabatur in die. II. p. II. 166.
Altarium per Epiſcopos conſecratio a primis Eccleſiæ ſæculis. 165.
Amare Deum ſuper omnia intenſive non tenemur. II. p. I. 14.
Ambitio quid, & qualis culpa. I. p. II. 134.
Amoris definitio, atque diviſio. II. p. I. 11. Amoris Dei ſpeciale quod extat præceptum, ad quid obligat, & qualis amor hic eſſe debeat. 13.
Amor ſpei, ſeu concupiſcentiæ. 32.
Amplexus, tactus, oſcula etiam in partibus honeſtis interdum mortalia. I. p. II. 135.
Ancillarum officia erga dominas. II. p. II. 120.
Animalium dominium quomodo acquiritur. II. p. I. 125. Quid de feris, & ſilveſtribus animalibus; quid vero de manſuetis ac domeſticis. 125.
*Animerſſen*. II. p. II. 165.
Antyſipa quid. III. p. I. 71.
Apoſtaſia a fide, quid, & quotuplex. II. p. I. 27.
Apoſtatæ in articulo mortis conſtituti rogantes ſecreto Confeſſarium, ut ſecreto ipſos abſolvat, quomodo ille ſe gerere debeat. *ibid.*
Apoſtoli cur miſſi per univerſum Orbem. II. p. II. 145. conſtituebant ubi opus erat Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, 149. & ſeq.
Apparitor, ejuſque obligationes. II. p. II. 131.
Appollinariſtæ, eorum errores, & nomina. II. p. II. 161.
Approbatio Confeſſarii. III. p. I. 106.
Arcanum: qua cautione liceat aperire. II. p. I. 10. Arcanum, ſecretum conſilium, & his ſimilia explorantes, quando graviter peccant, & ad remiſſionem tenentur. *ib.*
Archiepiſcopi nulla poteſtas ordinaria diſpenſandi in legibus Epiſcoporum ſuæ Provinciæ. I. p. II. 71.
Armeni; eorum Patriarcha, Archiepiſcopi, & Epiſcopi. II. p. II. 258. errores, ſectæ, & damnatio. 160. cogendi ad miſcendam cum vino aquam in Miſſis. & quare! 183. quare ob azymorum uſum damnantur. III. p. I. 18.
Ars notoria quid. II. p. II. 138.
Aſpectus partium pudendarum alterius, vel ejuſdem ſexus quando eſt mortale. I. p. II. 135.
Aſperſio quæ luſtralis, ejus ſignificatio. II. p. II. 153.
Aſſecuratio, ac ad ejus juſtitiam requiſita. II. p. II. 44.
Aſtrologia quid, & quotuplex. II. p. II. 138.
Attentio quæ, & quotuplex, quæque ad ſatisfaciendum præcepto requiratur. II. p. I. 62.
Attritio. III. p. I. 81. eadem ex metu gehennæ. 85.
Avaritia quid, quando culpa lethalis, quæ filiæ, & remedia. I. p. II. 125.
Auctarium ut juſte exigi poſſit ob lucrum ceſſans, quæ conditiones requirantur. II. p. II. 21.
Azymorum doctrinæ. III. p. I. 72.

*A X I O M A T A.*

*Acceſſorium ſequitur naturam principalis*, non valet in omnibus. I. p. II. 65. ejus limitationes. *ibid.*
*Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum*, quando verum. I. p. II. 62.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*In dubio tutior pars eſt eligenda*. I. p. II. 45. *In dubio melior eſt conditio poſſidentis* quando hæc valent. ib.

A

*Abimelechi Regis Saram poſſidentis qualis ignorantia* n. 209. 271.
*Abraha connubium quomodo æqui paretur cælibatui Baptiſtæ Joannis*. n. 305.
*Acetum, acidumque vinum, an apta Euchariſtiæ materia*. Vid. Euchariſtia.
*Actionis nomen quid ſonet*. n. 86. *Definitio actionis humanæ*. n. 96.
*Actiones hominis interiores, & exteriores*. n. 88. *Spirituales, & materiales*. n. 89. *Naturales, & Morales ſeu humanæ* n. 93. 94. *Actionum moralitas potiſſime dignoſcenda ex diſpoſitione agentis*. n. 91. 95. *Morales elicita, & imperata*. n. 98. & ſeq. n. 377. & ſeq.
*Actionum eſſentia phyſica, & moralis*. n. 248. *Principia efficientia, dirigentia, allicientia*. 63. *Actiones prodeuntes ex ignorantia invincibili an dici queant honeſta & meritoria*. n. 226. *Actionum intellectus, & voluntatis ſeries, & coordinatio*. n. 117. 118.
*Actioni uni eidemque an bonitas ſimul, & malitia poſſit ineſſe*. n. 254. & ſeq. *Interna, externaque bonitas vel malitia unica ſit unica*. n. 382. 383. *Externa an bonitatem vel malitiam addat internæ*. n. 384. & ſeq. *Externa varias ob cauſas aperienda in Confeſſione*. n. 389.
*Ægyptiacæ obſtetrices haud remuneratæ ob mendacium*. n. 397.
*Agere juſta, & juſte, differunt*. n. 287.
*Aguirius Card. Columen Benedictinæ Scholæ*. II. p. I. 2.
*Albertus de Albertis inſectator ſtrenuus laxiorum TT*. n. 59.
*S. Ambroſii opus* de Offic. *eximium*. n. 27. & ſeq. II. p. II. *Sollicitudo de exteriori Clericorum modeſtia*. 79. *De vitando mulierum conſortio*. 78.
*Amor concupiſcentiæ non eſt actus ſpei*. III. p. I. 80. *Poteſt dici mercenarius vel ſimpliciter, vel ſerviliter*. Ibid. *Mercenarius ſimpliciter a S. Franc. Saleſio pulchre deſcribitur*. Ibid.
*Arbitrium liberum an cogi poſſit*. n. 179. *Vide* Libertam Libertas.
*Attritio orta ex ſolo metu pœnarum non eſt ex ſe mala*. n. 386. *Non videtur tamen excludere affectum peccati*. num. 384. I. p. II. 4. *Hoc dolorem parare de offenſa Dei*. III. p. I. 80. *Debet idcirco informari aliquo Dei amore*. ib.

B

BAptiſmus quid. III. p. I. 22. ejus cæremoniæ, & ſignificationes. 29. *& ſeq.* quæ, & quotuplex eſt ejus materia. 12. materia proxima, ſeu ablutio quomodo exercenda pro caſuum varietate. ib. ad ejus valorem ſufficit unica infuſio, ſeu immerſio. 13.
Baptiſmi forma quæ eſt. *ib.* ad Baptiſmi valorem exprimi debet ablutio actualis, & perſona baptizanda. *ib.* item diſtincte trium Divinarum Perſonarum expreſſio, 14. quæ ſunt invalidæ, ac dubiæ formulæ. *ib.*
Baptiſmus valide ſuſceptus nunquam iterari poteſt. *ibid.* Baptiſmus ſub conditione quando eſt iterandus. *ib.*
Baptiſmus in re, vel in voto omnibus eſt neceſſarius neceſſitate medii ad ſalutem. 18.
Baptiſmus non eſt conferendus ubi periculum adeſt perverſionis. 23. in caſibus illicitis collatus validus eſt. 24. extra neceſſitatis caſum conferri nequit abſque cæremoniis. 25. ejus differentia quoad cæremonias inter Orientales, & Occidentales. *ib.* item quoad uſus plurimos Orientalium adminiſtrandi Parvulis poſt Baptiſma, Confirmationem, & Euchariſtiam. 30. & quid hac ſuper re Sedes Apoſtolica decreverit. *ib.*
Baptiſmi Miniſter apud Latinos. 28. Græcos, aliosque Orientales, eorumque errores, & abuſus hac de re. 28. & circa Baptiſmi ſubjectum. *ib.*
Baptiſmi materia, ac forma apud Græcos, aliosque Orientales, eorumque diſſenſus circa modum adminiſtrandi. 25. *& ſeq.*
Baptiſmi effectus, ejuſque diſpoſitiones. 22. *& ſeq.* quid de Baptiſmo recepto ob bonum aliquod temporale. 23.
Baptizari a pluribus unus, idemque nequit. 19. Infans nondum natus, vel monſtrum natum, & quando baptizari poſſit. *ib.* quid de filiis Infidelium parentibus invitis. *ib.*
Bartholomæus Parvus Ordinis Prædicatorum Orthodoxam fidem ſtabilivit in Naxivanienſi Majoris Armeniæ Provincia. II. p. II. 271.
Bartholomæus Medina auctor Probabiliſmi. I. p. II. 44.
Bellarmini Judicium de opinione probabili. I. p. II. *ib.*
Bellum quando, & quibus conditionibus licitum. II. p. I. 50.
Benedictiones, & Preces Eccleſiæ quomodo ſervandæ. II. p. II. 153. Benedictiones variæ, variæque Preces in Eccleſia. *ib. & ſeq.*
Benedictiones, & Preces feminarum. Vid. *Femina*.
Beneficium Eccleſiaſticum quid. II. p. II. 49. quotuplex. 50. quot modis acquiritur. *ib.*
Beneficii ut capax aliquis ſit quas dotes debet habere. II. p. II. 53.
Beneficia curata ex SS. D. N. Benedicti XIV. conſt. conferri nequeunt Presbyteris, aut Clericis Congregationis Miſſionis, nec beneficia ſæcularia Eccleſiaſtica Canonicis Regularibus Lateranenſibus, aut SS. Salvatoris abſque Indulto Apoſtolico. II. p. II. 54.
Beneficia plura etiam ſimplicia non licet habere ubi unum ad ſuſtentationem ſufficiat. *ib.*
Beneficium quodvis etiam ſimplex mortale eſt conferre indigno, eumque præſentare, eligere &c. dum haberi poteſt dignus. 55. Beneficium ſimplex dare minus digno, cum id caritas, vel quid ſimile poſtulat, nulla eſt culpa. *ib. & ſeq.*
*ad* Beneficium annexam habens curam animarum vel quid ſimile magni momenti, eligere, poſtulare, proponere, aut præſentare dignum omiſſo digniore mortale eſt. 56.
Beneficia quot modis amittantur. 58.
Beneficiatorum obligationes. 80.
Beneficiatus ſi privetur omnibus beneficii fructibus reſpondentibus iis diebus, quibus non recitavit, ſi objecit alia Miniſteria officio adnexa, ad quid tenetur. 82.
Beneficium poſſidens, & nullos ex illo fructus percipiens multis in caſibus tenetur horas recitare, in multis non tenetur. *ib.*
Beneficiati Choro addicti ad quid tenentur. 83. quando excuſantur a præſentia Chori, & a reſidentia. *ibid.* in Choro tenentur canere. 85. quid circa Beneficiatos Choro addictos ſtatuit Benedictus XIV. *ib.*
Beneficiati tenentur juxta communem opinionem partem fructuum beneficii ſuperfluam honeſtæ ſuſtentationi impendere in pauperes, vel alios pios uſus. *ib.*
Benedictus XIV. Conſtitutionem ſancivit qua præſcribit methodum in examine, & proſcriptione Librorum ſervandam. II. p. I. 10. Ad eliminandum Blaſphemiæ ſcelus per Breve quid ſtatuit. 94. Regulas pro reſtaurando, ac ſarta tecta ſervanda jejunii diſciplina conſtituit, & methodum in diſpenſationibus ſervandam præſcripſit. 117. Idem Eccleſiæ Orientalis diſciplinam quoad jejunium ſtatuit. 120. Multa etiam ſtatuit circa Clericos negotiatores per ſe vel alieno nomine. II. p. II. 71. Item de Comis ſuppoſititiis. 78. item quoad Clericos beneficiatos Choro addictos. 86. Et circa uſuræ prohibitionem per Encyclicam Epiſtolam ad omnes Italiæ Epiſcopos. 17. *& ſeq.*
Blaſphemia quid eſt. II. p. I. 92. triplex eſt, & ſpecie diverſa. *ib.* ad Blaſphemiam revocantur alia ſigna contra Deum licet verba non adſint. *ib.*
Blaſphemia eſt maledicere Creaturis irrationabilibus quatenus ſunt Creaturæ Dei. 93. Omnis blaſphemia per ſe mortale peccatum eſt, nec admittit levitatem materiæ. *ibid.* nec ad mortalem blaſphemiam acquiritur intentio expreſſa ac formalis Deum inhonorandi. *ibid. & ſeq.* Blaſphemia hæreticalis, & imprecativa debet declarari, ut plura peccata ſpecie diverſa. 104. Conſuetus proferre blaſphemias, vel ſibi vel aliis Dæmonem, vel grave malum imprecari, tenetur ſub mortali efficaciter proponere, & ſerio conari eam evellere. *ibid.* ad blaſphemiæ ſcelus eliminandum quid per Breve præſcripſit Benedictus XIV. *ib.*
Bona triplicis ſunt generis. II. p. I. 41.

Bona



Bona quæ debemus Deo. II. p. I. 33. alia intrinſeca, alia extrinſeca. *ib.* Bona ſpiritualia alia naturalia, alia ſupernaturalia. II. p. I. 260.
Bona filiifamilias. Vide *Filiifamilias*.
Bona vacantia derelicta, quæ dicuntur, cui, & quando reſtituenda ſunt. II. p. I. 245.
Bona, ac debita incerta quæ dicuntur, quæ bona aliena inventa, quando & cui reſtituenda. 157.
Bruta animalia licite occidi in uſus hominum de fide eſt. II. p. I. 261.

B

*Bachonus Joan. Theologus & Canoniſta inſignis Carmelitarum*. n. 313.
*Baius putavit non neceſſarium ſtatum gratiæ ad promerendam gloriam cæleſtem*. n. 396. *Alios ſeuit palmares errores*. Vid. Novatores.
*Beatitudo ſuprema homini propoſita inſtar finis ultimi*. n. 13. *Objectiva, & formalis*. III. p. I. 63. *Debet comparari laudabilis actionibus*. n. 2. 4. *Variæ de illa Philoſophorum ſententiæ*. Vid. Philoſophi.
*Benedictus XIV. a rigore æque ac laxitate in moralibus alienus*. n. 75. 82. *Hinc eum rigidas, tum laxas quorumdam Scriptorum ſententias repudiavit*. n. 76. 80. 81. *Probabiliſmi uſum in æquilibrio contrariarum opinionum nequaquam probavit*.
*Beneficiorum Eccleſiaſticorum pluralitas quonam ſenſu mala*. II. p. II. 53. *Quinam de ea ſcripſerunt*. ib. *Quænam debent concurrere, ut horum collatio facta minus dignis ſit grave peccatum acceptationis perſonarum*. ib.
*Beneficialium fructuum dominium an Clericis competat*. Vid. Clerici.
*Beneficiarius ante poſſeſſionem beneficii ordinario non tenetur recitare Officium Divinum*. 82. *Omittens recitationem ſpatio ſex priorum menſium conſequentium poſſeſſionem ac fructus reſtituere debet*. Ib. *Poſtquam non eſſe a reſtitutione immunem ob quamlibet culpabilem omiſſionem recitationis, certum eſt*. 82. *Nunc privatur* omnibus *fructibus beneficii ob omiſſionem* ſolius *Officii*. Ib. & ſeq.
*Beneficiarii abſentis a Choro quale peccatum*. 83. & ſeq. *Chorum frequentans ob diſtributiones quotidianas an Simoniacus*. 84. *Diſtributionem rite perceptarum gaudet dominio*. Ib.
*Bettini Joan. imprudenter & inepte contendit, voluntatem cogi poſſe*. n. 154.
*S. Bonaventura mere Seraphicus*. n. 330. *Diſcipulus Alexandri Alenſis*. n. 144. *Amicus D. Thomæ Aquin. eique compar in erudienda Eccleſia*, n. 19. *Vid.* Sixti IV. & V. Conſtit. *Salvator Probabilioriſmi*. I. p. II. 39. *Redactus ſolim ad incitas a cacodæmone*. 137. *Dominica Paſſionis recordatione mox liberatus*. ib.
*Bonitas formalis humanarum actionum requirit, ut agens ipſam cognoſcat, & appetat*. n. 319. & ſeq. *Secus dicendum de formali illarum malitia*. n. 321. *Ad eam bonitatem haud neceſſarium apponere directe finem ultimum*. n. 313.
*Bonum morale quid*. n. 353. *Videri boni nomenclatione excidit, ubi ab honeſtate ſeparatur, quidquid contra ſentiant Pſeudo-Politici*. n. 257. 258.

C

CAbaſilæ, aliarumque opinio circa Euchariſtiæ formam. III. p. I. 85.
Calix, & Patena pro Miſſæ Sacrificio præter conſecrationem quid requirant. III. p. I. 53.
Calicis uſus Laicis interdictus. II. p. II. 140.
*de* Calicis conſecratione Thomiſtarum opinio. III. p. I. 85.
Calumnia, quid, & quale peccatum. II. p. I. 127. ejus falſitate detecta ad quid teneatur. 130.
Cambium quid, quotuplex, quando licitum. II. p. II. 42.
Canones Apoſtolici. II. p. II. 144. Canones quoad juriſdictionem Eccleſiaſticam. Ib. Canones pœnitentiales, eorum origo, & uſus. III. p. I. 101.
Cardinalis de Torres plures damnavit Græcorum abuſus. II. p. II. 113.
Caſtitas quid, & quotuplex. II. p. I. 13.
Caritas quid eſt, ejus diviſio, ac objectum. II. p. I. 32. differt ab amore Spei; ſeu Concupiſcentiæ. 32. eſt virtus omnium excellentiſſima. 33.
Caritatis actus proprii, & eliciti. *ib.* ex Caritatis præcepto tenemur omnes actiones noſtras ad Deum referre. 30. Actus Caritatis formula. *ib.*
Caritati omnia peccata generaliter adverſantur. 47. aliqua tamen ſpecialiter. *ib.*
Caritatis objectum formale erga Proximum. 36.
Caritatis præceptum erga Proximum obligat etiam erga inimicos, ac ſi non eſſent tales. 38. ex Caritate ad quid erga inimicos obligamur. *ib. & ſeq.*
In Charitate ordo ſervandus eſt. 40. alter in perſonis alter in bonis. *ib.* Ordo dilectionis in ſe ipſum, & in proximum. 41. cetera vide *Amor*, *Dilectio*, *Inimicus*, *Proximus*; *Caritas in Deum &c.*
Caſus reſervati; ab iis qui abſolvere poſſunt. III. p. I. 110.
Catholicus a quovis interrogatus de ſua Religione graviter peccat contra fidem negando ſe eſſe Catholicum. II. p. I. 7.
Catholico tranſeunti per loca Hæreticorum, num & quando liceat comedere carnes die vetito. I. p. II. 59.
Cauſſæ excuſantes ab obligatione omittendi opus ſervile, vel forenſe, aut contractum. II. p. I. 69.
Cæleſtinus III. in cap. laudabilem de frigidis quid declarat. I. p. II. 43.
Cenſura quid, & quotuplex. III. p. II. 58. quæ culpa ad eam contrahendam requiritur. 59. a gravi cenſura quæ excuſent. *ib.* quando cenſenda invalida. 60. Quinam ea poſſint ligari. 62. Cenſuras qui ferre poſſunt. 65. ab eis abſolvere. *ib.* quæ notanda quoad illarum abſolutionem. 67.
Cenſus quid & quotuplex, quando licitus. II. p. II. 39.
Cereorum uſus & ſignificatio. II. p. II. 153.
Ceremoniæ veteris legis cur infima elementa vocentur ab Apoſtolo. II. p. II. 143. quid exprimerent. *ib.* quæ in Sacramentis adhibentur, ſimplicitati Chriſtianæ Religionis haud adverſantur. 142.
Certitudo importat duo, prudentiam, & firmitatem adhæſionis. I. p. II. 35.
Ceſſatio a divinis quid. III. p. II. 73.
Ceſſio bonorum facta a Creditoribus libera a reſtitutione. II. p. I. 157.
Chirurgus in extrema, vel gravi neceſſitate pauperum tenetur curare gratis ſub mortali. II. p. II. 133. Chirurgi obligationes. *ib.* Chirurgiæ exercitium Clericis prohibitum. 77.
Choreæ, Saltationes, & Theatrici Ludi diebus feſtis quando ſint mortale. II. p. I. 68.
Chriſtus ſeptem inſtituit Sacramenta. III. p. I. 2. conſecravit in azymo. III. p. I. 60.
Circumſpectio quid. II. p. I. 116.
Clementia quid. II. p. I. 114.
Cleri Gallicani de opinione probabili judicium. I. p. II. 65.
Clerici qui dicuntur. II. p. II. 62.
Clerici in Conſcientia obligantur legibus, quæ SS. Canonibus, vel officio Clericali non repugnant. II. p. II. 62. Sunt Cives, & partes ſeu membra Communitatis politicæ. *ib. & ſeq.*
Clericis quæ ſunt ſpecialiter prohibita. II. p. II. 62. quæ ſpecialiter præcepta. 78.
Clericis eſt prohibita cohabitatio cum feminis ubi ſuſpicio eſſe poteſt. 78. item ipſis prohibitus eſt Comæ ſuppoſititiæ uſus. 78.
Clerici qui penſionem Clericalem accipiunt, tenentur ſuperflua in pia opera impendere. 39. quid de bonis quæ ex miniſterio ſpirituali recipiunt. *ib.*
Clericus habens bona patrimonialia, & Eccleſiaſtica, quid de bonis Eccleſiaſticis facere debet. *ib.*
Clerici Orientalis obligationes. 276. item privilegia *ib. & ſeq.* Clericorum percuſſores. III. p. II. 72.
Codicillus quid eſt. II. p. II. 48. ad ejus valorem quinque teſtes ſufficiunt. *ib.*
Cogitatio de venereis rebus cum plena advertentia; ſi adſit venerea delectatio, quæ non reprimatur, mortale eſt. I. p. II. 132.

Co-

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cognatio dirimens Matrimonium quotuplex. III. p. II. 18
Collatio libera quid eſt. II. p. II. 50.
Commodantis, & Commodatarii obligationes. II. p. 28.
Communicatio cum Schiſmaticis, & Hæreticis in quibus caſibus, quibus, quando, & quomodo ſit prohibita. II. p. I. 28. varia hac ſuper re decreta edita a Sac. Congr. Inquiſ. 29.
Communio Paſchalis in propria Parochia peragenda. III. p. I. 46. quale tempus Paſchale ib. quid de vagabundis. ib. prævenienda ab eo, qui tempore Paſchalis impedimentum timet. 47. qui arcendi a communione. 52. ſemel tantum eadem die communionem recipere licet. 47.
Compenſatio occulta quid eſt. II. p. I. 191. cauſa minoris ſtipendii quibuſdam uti non licet. ib. certis concurrentibus conditionibus licita eſt. ib. quæ, & quot ſunt hæ conditiones. ib. & ſeq.
Me a Complacentia de actu ſeu objecto mortali contra juſtitiam, eſt mortale contra juſtitiam. I. p. II. 120. mortale tamen non eſt gaudere precise de objecto ex ſe non malo, ſed ſola lege poſitiva vetito, quatenus non eſt de ſe malum. ib.
Concionatores quam ſcientiam habere debent, ac aliis explicare. II. p. I. 4.
Concionatores in Regno Syrarum de Chriſto Crucifixo. II. p. I. 5.
Conditio pro varietate objecti, ac circumſtantiarum tollit malitiam mortalem. I. p. II. 118. aliquando tamen non tollit. ib.
Conductio quid eſt. II. p. II. 37. Vid. *Locatio*.
Conductus ad quid teneatur. ib. & ſeq.
Confeſſio Sacramentalis ejuſque Dotes. III. p. I. 86. quando obligat. 97. ejus circumſtantiæ. 88. actus externus, ac effectus in ea exprimendi. 89. ejus integritas quoad valorem. 93. Examen præmittendum. 94. invalida reiteranda eſt cum cæteris poſtea peractis. ibid. ejus materia ſufficiens, venialia & peccata quævis jam remiſſa. 95.
Confeſſio non eſt de Sacramenti eſſentia ut voce fiat, ſed abſque neceſſitate non licet aliter quam voce. 95. nec eſt de jure divino neceſſarium ut publice fiat, ſed ſufficit ſecreta, & auricularis. ibid. ex vi præcepti num ſit obligatio confitendi per interpretem, quomodo, & quando. ib. & ſeq. fieri debet Sacerdoti præſenti. 96. obligat omnes fideles adultos ſemel in anno. ib. eamque omittens toto anno tenetur primo die ſequentis anni, aut prima data opportunitate. ib. & eſt anticipanda ex prævisione impedimenti. ib. tempus pro annua confeſſione ab Eccleſia præſcriptum & pœna in eam omittentes. ib.
Confeſſionis ſecretum quomodo violatur. 125. extra confeſſionem quomodo, & quando licet uti notitia per confeſſionem acquiſita. 127. Vide *Pœnitentia*, *Satisfactio*, *Confeſſarius*, *Contritio*.
Confeſſarius, ejuſque juriſdictio, & approbatio. 106. ejus obligationes, & ſcientia. 113. ejus cautio in examinando, & interrogando pœnitentem. 115. item modus in admonendo, & inſtruendo. 116. quando ſe debet conformare pœnitentis opinioni. ib. cui debet negare abſolutionem. ib. cui, & quando differre tenetur abſolutionem. ib. & ſeq. quid quoad occaſionarios, conſuetudinarios, inimicitias inveteratas foventes, ſcandaloſos, negligentes in conſcientiæ examine, vitam otioſam agentes. 119. quoad complices. 81.
Confeſſarius tenetur abſolvere eum quem prudenter judicat eſſe contritum, & rite diſpoſitum, niſi aliunde ſit juſta cauſſa differendi abſolutionem. 122. quomodo ſe gerere debet erga moribundos. ib. ad quid tenetur propter defectum in Sacramentum admiſſum. 124. ad quid propter defectum circa reſtitutionem. ib. interrogatus de cognitis in confeſſione quid, & quomodo reſpondere debet. 128. quando tenetur confeſſiones audire. ibid. extra confeſſionem ipſi non licet loqui de auditis in confeſſione ſine expreſſa Pœnitentis licentia. 125. extra confeſſionem quomodo, & quando ipſi licet uti notitia ex confeſſione acquiſita. ib.
nfeſſarius pœnitentem ad inhoneſta ſollicitans, ut hæCo
reticos ſuſpectus Inquiſitoribus denunciandus. 132.
Confeſſarius quoad ſollicitatos ab alio Confeſſore quomodo ſe gerere debet. 136. Confeſſario prohibetur abſolvere ſocios proprii criminis circa ea quæ ſunt contra ſextum Decalogi præceptum. 120.
Confeſſarius Regularis approbatus in una Diœceſi in ea poteſt abſolvere ſubditos alterius Diœceſis. 108. approbatus pro confeſſionibus Regularium non cenſetur approbatus pro confeſſionibus Monialium. ib.
Confeſſarius ut licite, & valide exequatur Sac. Pœnitentiariæ reſcripta. 108.
Confeſſarii Græci quomodo pœnitentibus Pœnitentiam injugere poſſunt juxta Canones, & num pœnitens teneatur acceptare Pœnitentiam, & acceptatam exequi. 141.
Confeſſarius dubitans an prolata a pœnitente ſint peccata etiam venialia, nequit illum abſolvere. 91.
Confeſſarius quomodo erga Apoſtatas in articulo mortis conſtitutos, cum ab illis ſecreto accerſitur ut ſecreto eos abſolvat, ſe gerere debeat. II. p. I. 27. quomodo cum ſcrupuloſis. I. II. 40. quam ſcientiam habere debet. III. p. I. 113.
Confirmatio in beneficiis quid? II. p. II. 51.
Confirmatio. Confirmationis Sacramentum. III. p. I. 35. ejus materia, forma, miniſter, & effectus. ib. confirmationis qui ſunt capaces. ib. eam recipere tenetur quilibet adultus data opportunitate. ib. ejus miniſter ordinarius Epiſcopus. 32. ex Pontificis delegatione ſimplex Sacerdos. 38. non vero ex Epiſcopi delegatione. ib. confirmationis ſubjectum homo baptizatus. 40. quando contemporanee cum Baptiſmo conferri poteſt. 41.
Confirmationis diſciplina apud Orientales. III. p. I. 32.
Congruæ ſuſtentationis nomine quid venit. II. p. II. 38.
Conjuges ad quid obligentur. II. p. II. 110. quibus in caſibus ipſis debitum petere non licet. 111. quibus in caſibus petenti non reddere. 112. Conjuges num aliquando tenentur petere debitum. ib. licet exigere uſum conjugii præcise ad vitandam in ſe incontinentiam. ibid. non tenentur abſtinere ab uſu conjugii dum mulier hactenus mortuos edidit filios. 114. Conjuges plures peccare poſſunt conjugii uſu. ib. tactibus, & aſpectibus obſcœnis inter ſe peccare poſſunt. ib.
Conjux, ſi in abſentia compartis ſecluſo periculo pollutionis capiat delectationem veneream vel ſe libidinoſe tangat, peccat mortaliter. 113. Vide *Tactus*, *Aſpectus*, &c.
Conſanguinitas quoad Matrimonium. III. p. II. 18.
Conſcientia quid eſt. I. p. II. 30. differt a Synderesi. ib. Conſcientiæ diviſio. ib. Conſcientia vera, ſeu recta quæ dicitur, quæ erronea, ſeu falſa. 32. Erronea alia eſt vincibiliter, alia invincibiliter. ib. Conſcientiam rectam, & veram ſequi tenemur. ib. Conſcientia recta, & vera num eſt regula proxima actuum humanorum. ib. contra Conſcientiam erroneam agere peccatum eſt. ib. qui agit contra conſcientiam erroneam perinde peccat ac qui contra rectam, non tamen incurrit eaſdem humanas pœnas atque cenſuras. 33. Secundum conſcientiam erroneam quando licet agere. 34. quando non. ib. & ſeq.
Conſcientia perplexa quæ dicitur, quæ dubia, quæ certa. 35. quæ laxa, & ſcrupuloſa. 40.
Conſcientia recta eſt actus prudentiæ. 35. dubia non eſt proprie conſcientia. ib.
Conſcientia in dubiis quomodo formanda. 36.
Conſcientiam minus probabilem, & minus tutam quomodo ſequi licet. 41. & ſeq.
Conſecrationis verba eſſentialia. III. p. I. 72.
Conſenſus plenus, & perfectus ad peccatum qualis dicitur. I. p. II. 103. conſenſus ſufficiens ad mortale qualis eſt. ib. Conſentiens qui dicitur, & quando obligatur ad reſtitutionem. II. p. I. 151. Conſenſus ad valorem contractus requiſitus. II. p. II. 5.
Conſtantini obſequium in Eccleſiaſticos. II. p. II. 146.
Conſtitutio Benedicti XIV. de methodo ſervanda in examine, & proſcriptione librorum. II. p. I. 19.
Conſtitutio *Omnium ſollicitudinum* interdicit Chriſtifidelibus in Regno Madurienſi, aliiſque finitimis Regionibus legere, vel retinere libros Gentilium. II. p. I. 22.
Conſuetudo eſt optima legum interpres. I. p. II. 85.
Conſuetudo quando poteſt abrogare legem jam obligantem. 88.





*Caritas ſola cur virtutis nomine ab Auguſtino donetur.* n. 420. *Quonam ſenſu dicatur* perfectus amor. III. p. I. 82. *Dilectum, cui fungitur,* vehementiſſimum *efficit.* ib. *In quovis gradu ſufficit ad peccatorum remiſſionem.* ib. *Illius frequenter eliciendæ extat ſpeciale mandatum divinum* 326. 341. 373. *Influxus ejuſdem generatim ad ſervandam legem non requiritur.* n. 330. & ſeq. *Eſt tamen neceſſarius ad meritum æternæ vitæ.* n. 325. 335.
*Choreæ univerſim illicitæ, & Clericis prorſus vetitæ.* II. p. II. 78.
*Chriſtus an, & quomodo potuerit mereri in hac vita.* n. 399.
*Circumſtantia in moralibus quid.* n. 288. *Septem circumſtantiæ numerantur, & explicantur.* n. 289. & ſeq. *Actionibus moralitatem dant ſuo modo.* n. 286. 287. *Duplex earum effectus,* n. 293. & ſeq. *Dividuntur in aggravantes, & mutantes ſpeciem.* n. 296. *In aggravantes notabiliter, & leviter.* n. 298. *Mere aggravantium confeſſio an neceſſaria in Sacramento.* n. 296. 298. *Impertinentes eliminandæ a Sacramentali Confeſſione.* n. 288. *Hujus generis circumſtantiæ ſex recenſentur.* ib. *Circumſtantia alicujus ad agendum neceſſaria defectus reddit actionem vitioſam, nedum culpabilem agentem.* n. 357. 358.
*CLEMENTIS XIII. SS. D. N. Epiſtola Encyclica adverſus Clericos negotiatores, & mercatores.* II. p. II. 73. *Decretum ſapientiſſimum de Indulgentiis.* III. p. I. 39. *Conſilium vere pium de non dimittendis egenis, & peregrinis ob annonæ caritatem.* II. p. II. 67. *Iteratis ejuſdem præceptionibus jubentur Clerici, & Adminiſtri Sacri haurire ex Theologicis fontibus puram morum doctrinam.* n. 60. 63.
*Clerici, & Optimates Romanæ Curiæ utiliter legent Opus S. Bernardi* de Conſideratione ad Eugenium. II. p. II. 98. *Ex privilegio Apoſtolico poſſunt diſponere de bonis beneficialibus ad cauſſas profanas.* 97.
*Clerici debent ſibi parare ſanam doctrinam.* n. 62. & ſeq. n. 66. *Abſtinere a Choreis, & Comœdiis.* 80. *A negotiatione, curiſque Sæcularibus.* Vid. Negotiatio.
*A mulierum conſortio.* II. p. II. 76. *Obſcœnas Comœdias adire etiam curioſitatis cauſſa, prohibentur.* n. 81. *Non deferentes habitum, & tonſuram amittunt ſolum privilegium fori.* I. p. II. 82. *Ob quænam delicta degradandi.* ib. *Arma geſtantium & comam nutrientium pœna antiqua.* 91.
*Clericorum* peculium *quot ſpecies bonorum complectatur.* II. p. II. 89. & ſeq. *Sunt domini bonorum patrimonialium.* 90. *Habentes patrimonium congruum poſſunt ſuſtentari beneficio.* ib. *Sunt domini bonorum induſtrialium.* 91. *Ea non veniunt inter ſpolia Apoſtolicæ Cameræ.* 92. *Acquiſita ab ipſis* conſideratione Eccleſiæ *quænam cenſeantur.* ib. *Horum dominium poſſunt habere ſine facultate de iiſdem teſtandi.* ib. *Sunt domini diſtributionum choralium,* ibid. *Bonorum etiam beneficialium tum ſuſtentationi neceſſariorum, tum parſimonialium.* ib. & 93. *Beneficialium ſuperfluorum num dominio gaudeant, acris controverſia.* ib. & ſeq. *Non definita ſeu a Concil. Trid. ſeu a Bened. XIV.* ib. *Ingens ſeries gravium DD. tribuentium Clericis tale dominium.* ib. *Eorum ſententia perperam ſugillata variis nominibus.* 94. *Canones juxta variam temporum diſciplinam diverſimode loquuntur hac de re.* ib. & 95. *Quomodo potuerit Eccleſia Clericis dominium dare.* ib. *Ut ut ſit, extra dubium peccare graviter inſumentes ſuperflua vel male, vel non pie.* ib. & ſeq. *In congrua ſuſtentatione rite determinanda frequens hallucinatio.* ib.
*Coactio quid* n. 154. *Nequit cadere in voluntatem humanam.* ibid.
*Cœlibatus a Latinæ Eccleſiæ Miniſtris ſervandus ex ſtatuto ſimul, & voto.* II. p. II. 79. *Scriptores illius vindices contra Græcos, & Heterodoxos.* ib.
*Comœdia non prorſus illicita.* III. p. I. 117.
*Communitas perfecta quænam ſit.* I. p. II. 87. *Ejus latentia neceſſaria, ut obliget conſuetudo inducta frequentatis actibus.* 88.
*Conceptionis immaculatæ Beatiſſimæ Virginis Mariæ feſtum decoratum inſigni Indulgentia a Sixto IV. S. P.* n. 306.
*Concionatores ſacri an poſſint appetere ſalarium.* I. p. II. 89. *Tempore concionum ubinam debeant hoſpitari.* II. p. II. 78. *Quomodo excipiendi a Parochis.* ib. *Ipſorum munia.* ib.
*Concupiſcentia, ſive ſpei amor poteſt eſſe ordinatus, & ſufficiens diſpoſitio in Sacramento Pœnitentiæ.* III. p. I. 53.
*A quibuſdam TT. minus recte apprehenditur, & deſcribitur.* ib. *Vid.* Amor.
*Concupiſcentia, ſive paſſio quid?* n. 265. *Antecedentes, & conſequens.* n. 227. *Antecedens auget, minuitque voluntarium ſub vario reſpectu.* n. 299. & ſeq. *Liberum extenuat.* n. 233. 234. *Conſequens auget voluntarium, & liberum.* n. 238. *Huic concupiſcentiæ æquivalet habitus malus, voluntarie inductus, ac retentus.* n. 240. ſeq. *Non item idem habitus pro viribus retractatus.* n. 245. 248.
*Concupiſcentia vehementia interdum tolerari uſus rationis.* n. 235. *Non perit idcirco liberum arbitrium.* n. 236. *Quomodo culpabiles actionis prodeuntes ex tali concupiſcentia.* n. 140. *Motus concupiſcentiæ primo, & ſecundo primi.* 133. *Prorſus indeliberati culpa vacant.* n. 128. *Contraria ſententia perperam adſcribitur tribus Eccleſiæ Doctoribus.* n. 129. & ſeq.
*Concupiſcentia rerum alienarum quomodo prohibita.* II. p. II. 77.
*Confeſſarios oportet imbutos eſſe Phyſiologia.* n. 85. *Scriptura, & Patribus neutiquam abutantur, ut carni & ſanguini patrocinentur.* n. 56. *Non ſint muti, & conniventes in Sacro Tribunali.* n. 246. III. p. I. 116. *Cauti ſint in Pœnitentibus interrogandis.* III. p. I. 114. *in abſolvendi mulieribus inverecunde ornatis.* 117. *Haud facile crepant implicatis conſuetudine peccandi.* n. 242.
*Confeſſionis Sacramentalis qualis neceſſitas.* III. p. I. 87. *Hæc minime negata ab antiqui Scholaſticis.* ib. *Ejuſdem Confeſſionis ſecretum quam exacte ſervandum.* 126.
*Conjuges conſenſus ipſorum mutuus eſt cauſſa efficiens matrimonii.* III. p. II. 5. *Sunt miniſtri Sacramenti matrimonii.* ib.
*Conſcientia quid.* I. p. II. 30. *Ejuſdem a Synderesi diſcrimen.* ib. *Eſt norma agendi.* ib. *Antecedens, conſequens, præcipiens, prohibens, conſulens, permittens.* 33. *Recta, & erronea.* ib.
*Conſcientia erronea obligat ad non agendum contra ipſam.* 34. *Item ad ſe deponendam, ubi vincibilis eſt.* ib. *eidem voluntaris peccat, concurrentibus ſolum quibuſdam conditionibus.* 32.
*Conſcientia dubia non eſt proprie conſcientia.* 38. *Cum ea agere eſt peccatum.* 39. *Quandonam quis cenſeatur ſic agere.* ibid. *Ejuſdem deſcriptio, & diſcrimen a certa.* 38. *Dubia ſeu nulla conſcientia hominis conſtituti in æquilibrio contrariarum opinionum.* ib. *Tunc debet homo abſtinere ab agendo, vel tutiorem partem ſequi.* 39.
*Conſcientia certa.* Vid. Certitudo.
*Conſenſus communis magna vis.* 71.
*Conſuetudo peccandi non inducit abſolutam neceſſitatem.* n. 143. 244.
*Conſuetudinis materia Canonico-Moralis, eaque graviſſima.* I. p. II. 85. *Definitio, diviſio, dotes.* ib. *Effectus.* ib. *Quænam cenſetur* rationabilis. 87. Et legitimo præſcripta. ib. *Inducitur via conniventiæ, & præſcriptionis.* ib. *Illam inducentes contra legem an peccant.* Ibid. *Nequit convaleſcere, niſi multiplicentur actus animo inducendæ obligationis.* 88. *Nunquam derogare poteſt juri naturali, & divino.* 89. *Quænam præciſe tempore deroget legi humanæ.* ib. *Ad hanc derogationem neceſſarius Legiſlatoris conſenſus vel perſonalis, vel legalis.* 88. *Conſuetudinem localium habenda ratio a Theologis, & conſcientiarum Arbitris.* 92. *Conſuetudines ex mera devotione ſervata non obligant.* 88.
*Contemptus legum materialis, & formalis.* I. p. II. 109. *Formalis vel explicitus, vel implicitus.* ib. *Ex contemptu quis proprie peccet.* ib. *Formalis eſt mortalis ex ſuo genere toto.* ib. *Implicitus ſeu interpretativus an deducatur ex diuturnitate peccandi.* ib.
*Contritio perfecta quæ.* III. p. I. 80. *Differt, non gradu, ſed ſpecie ab imperfecta.* ib. *Haud neceſſaria in Sacramento Pœnitentiæ.* ib. *Ordinarie vim habet juſtificandi.* ib.
*Correptio fraterna quando facienda.* II. p. I. 45. *Ordo in ea ſervandus.* 46. *Delinquentem denuntiare ante ſecretam monitionem quando liceat nec ne.* ib. & ſeq.
*Curati ebrioſi valde culpandi.* I. p. II. 120. *Morale ſtudium deſerentes perſtringuntur.* III. p. I. 103. *Ipſorum ignorantiæ aut deſidiæ ſæpe adjudicanda inepta Pœnitentium Confeſſiones.* ib.
*S. Cyprianus excuſandus ob errorem rebaptiſmi.* n. 134.

Conſuetudo alia eſt facti, alia juris. 85. quæ conſuetudo habet vim legis. 86. quas conditiones habere debet ut obliget. 87. quando aſcenda inducta animo obligandi ſe, & revera obligare. 88. nulla conſuetudo poteſt abrogare legem naturalem. ib. ubi vero ſit rationabilis, & legitime præſcripta, habet vim abrogandi legem humanam. 89. ut ſit rationabilis, quæ requiruntur. ib. Conſuetudo contra legem præſcribit, licet ignoretur a Principe. 90.
Conſuetudo immemorabilis poteſt abrogari per legem contrariam ſubſequentem. 91. Conſuetudo particularis unius Provinciæ non abrogatur per legem generalem totius Eccleſiæ vel Regni. ib.
Conſuetudine peccandi mortaliter implicatus tenetur ſub mortali illam efficaciter retractare & emendare. 117.
Conſulens quis dicitur, & quando tenetur ad reſtitutionem. II. p. I. 147.
Contentio quid eſt. II. p. I. 49. ex ſuo genere eſt culpa gravis. ib. quando eſt venialis. ib.
Contractus quid, & quotuplex. II. p. II. 1. ad ejus valorem quæ requiruntur. ib. ejus materia. 2. effectus contractus eſt obbligatio. ib. Contractus ſolemnitates. ib.
Contractus ſolubilis poteſt ex mutuo contrahentium conſenſu diſſolvi. 2. Qui habuit animum contrahendi, ſed cum voluntate expreſſa non ſe obligandi, ſi voluntas contrahendi prævalent voluntati non ſe obligandi, ſitque magis efficax & abſoluta, tunc vere obligatur. ib. Contractus defectus ſollemnitatis jure poſitivo invalidus non obligat in conſcientia, & nullus eſt in utroque foro. ib. Proinde ex hujuſmodi Contractibus nullum jus competit Poſſeſſoribus. 3.
Contractus, vi, metu injuſto vel dolo extortus, vel injuriam continens ex parte illius cui juratur non firmatur juramento, ita ut reſcindi non poſſit. 3. Contractus jure naturali invalidi non firmantur juramento. ib. Contractus ſolo jure poſitivo irritus non firmatur juramento, ſi irritatio facta ſit immediate, & principaliter propter bonum commune. ib. Si vero propter utilitatem privatam contrahentium, contractus juxta multos juramento firmatur, modo abſit injuſtitia ex parte illius, cui juratur. ib. Si vero legiſlator ita irritet Contractum, ut nullam vim habere velit in conſcientia, quantumvis contrahentes velint, tunc non firmabitur juramento. 4.
Contractus ad diem, ſub modo, ad cauſſam, & ad demonſtrationem quando, & quomodo obligant. ib. Contractus alternativus, ſed ſub disjunctione ad quid obligat. ib. Contractus ſeu diſpoſitio ſub conditione de præſenti vel præterito valet, & obligat ſtatim, ſi conditio extat, vel extitit. ib. Si conditio honeſta, & poſſibilis ſit de futuro contingenti libero, contractus non obligat ad præſtandam rem promiſſam ante impletam conditionem. ib. Conditio impoſſibilis invalidat contractum, & diſpoſitionem, exceptis matrimonio, & diſpoſitionibus ultimæ voluntatis. 5. In ultimis voluntatibus pro non adjecta habetur hæc conditio *Si non nupſerit*. *ibid.* Ad valorem contractus qualis conſenſus requiritur. ib.
Contractus motivum duplex, intrinſecum, & ſubſtantiale, & extrinſecum. 6.
Contractus ſtricte ſumptus ex metu gravi injuſte ad extorquendum conſenſum incuſſo factus, validus eſt. 7. Qui contrahere poſſunt. 8. Qui non poſſunt. ib.
Contractus ſocietatis quid eſt. II. p. II. 40. eſt licitus. 41. quæ ad ejus juſtitiam requiruntur. ib.
Contractus Societatis triplex quid eſt. 42. videtur jure naturali illicitus. ib.
Contritio quid ejus neceſſitas, ac præceptum. III. p. I. 80. elicienda eſt abſolutionem. 85. pro nova abſolutione in praxi nova contritio. ib.
Contumelia quid eſt. II. p. I. 177. eſt ex genere ſuo mortale. ib. Contumelia per ſe levis poteſt eſſe gravis reſpectu perſonæ cui infertur. ib. & ſeq. Vide *Detractio*.
Contumeliam illatam quomodo repellere licet. II. p. I. 183.
Cooperantes ad damnum tenentur ad reſtitutionem. II. p. I. 147. Novem modis cooperari poteſt ad damnum alterius. ib. Num omnes cooperantes ad damnum tenentur ſinguli in ſolidum. 143. quo ordine tenentur ad reſtitutionem, & quis primo loco. ib. quis ordine ſucceſſivo. ib. & ſeq. quid ubi cauſſæ plures ſunt æque principales. 149.
Cooperantes negative ad damnum qui dicuntur, & ad quid tenentur. II. p. I. ib. & ſeq.
Corporale pro miſſæ Sacrificio. III. p. I. 53.
Correctio fraterna quid? II. p. I. 45. differt a correctione judiciali, & a paterna. ib. Correctionis fraternæ extat præceptum obligans ſub mortali. ib. & quidem omnes, & ſingulos, æquales, ſuperiores, inferiores, laicos, & peccatores. ib. magis tamen Parentes, & Superiores. 46. ut hoc præceptum obliget quæ requiruntur. ib. Correctio num aliquando omittenda. ib. qui ordo in ea ſervandus. 47.
Correctio legum, ſi poteſt, eſt vitanda. I. p. II. 72.
Corruptor Virginis ad quid tenetur. p. I. 171. quid de Muliere non Virgine. 173.
Crimen tripliciter dicitur publicum, ſeu notorium. II. p. I. 180.
Crimen alicubi notum per Sententiam Judicis publice denunciatam, in qua nominatur reus, non eſt contra juſtitiam revelare in quovis loco. II. p. I. 183. Eſt tamen mortale contra Caritatem crimen alterius alicubi publicum etiam per Sententiam Judicis publicam detegere ſine juſta cauſſa in eo loco, quo fama non erat illud perlatura, ſi auctor criminis erat ibi bonæ famæ. ib. Crimen quantumvis publicum, ſi non ſit verum, eſt mortale contra juſtitiam illud neſcienti aperire. ib. Eſt mortale contra juſtitiam crimen verum, & ſolum notum per confeſſione rei in judicio, vel teſtium teſtimonium, divulgare ubi nondum de eo publice infamatus eſt. ib. Crimen verum in uno loco publicum ſola publicitate facti, vel famæ juxta multos eſt mortale contra juſtitiam divulgare in alio loco, quo fama non erat illud perlatura. ib. quid ſi crimen factum ſit injuſte publicum. ibid. Mortale eſt contra Caritatem crimina olim infamis, & qui deinde honeſte vivendo famam recuperavit, neſcientibus narrare, vel in memoriam revocare. ib. & ſeq. Item mortale eſt contra juſtitiam crimine alterius, quod facto, vel fama dumtaxat publicum fuit, ſed jam ſola oblivione deletum, narrare neſcientibus, vel reducere in memoriam. 182. Num quando is qui uno, aut altero crimine eſt infamis, licet de aliis infamare. ib.
Crimen occultum alterius quando licet revelare. ib. Criminis occulti alterius manifeſtatio non eſt detractio. ib.
Crimen falſum alteri imponens, vel verum ſed occultum injuſte detegens, tenetur omnia alia damna ſive in corpore, ſive in aliis bonis inde ſecuta reſarcire. II. p. I. 184. Qui falſo, ſed bona fide putat crimen eſſe verum, & publicum ad quid tenetur, ſi illud narravit. ib. Quid ſi narrantes de uno infamante, auditores de alio intelligant. 185.
Crucifixus in altari ubi Miſſa celebratur. III. p. I. 54.
Crucis ſignum, ejus origo. II. p. II. 143. Crucis delatio. ib.
Culpa alia Theologica, alia juridica, ſeu civilis. II. p. I. 46. ex qua culpa juridica in contractu oritur obligatio reſtituendi. 136.
Cultus ſuperſtitioſus, cultus ſuperfluus. Vide *Adoratio*.
Curator quis dicitur. II. p. II. 129. ejus obligationes. ib. & ſeq.
Curioſitas quid eſt. II. p. I. 114. opponitur ſtudioſitati. 115. eſt mortalis pluribus de cauſſis. ib. Curioſitas qua non læditur graviter Caritas, nec juſtitia, eſt per ſe ſolum venialis ſecluſo periculo graviter peccandi, vel prohibitione gravi. ibid.
Cuſtodes agrorum, vinearum &c. ad quid teneantur. II. p. I. 172.

*CAntoribus Pontificia Capellæ ſapienter proviſum a Sixto V. P. M. I. p. II. 64.*
*S. Carolus Borromæus reſtaurator Cleri Sæcularis Clericis minime adjudicavit dominium bonorum beneficialium. n. 67. Quidnam ſanxit de Antepaſchali Mediolanenſium Jejunio. Vid.* Mediolanenſes.
*Caſus reſervati Pontifici, & Epiſcopi plerumque cum cenſura, quandoque ſine cenſura. n. 225. A caſibus reſervatis non excuſat ignorantia reſervationis. n. 225.*
*Certitudo quid, & quotuplex.* I. p. II. 37. *Moralis vel eſt omnimoda, vel ſecundum quid*, ib. *Omnimoda non requiritur ad agendum*, ib.





D

DAmnificator ad quid tenetur. II. p. I. 139. Damnificator injuſtus ante Judicis Sententiam non tenetur aliquid inſuper ſolvere pro culpa in pœnam. 140.
Damnum emergens quid. II. p. II. 21. ut juſte aliquid ultra ſortem exigi poſſit ob damnum emergens quinque requiruntur. 22.
Debitor quo ordine ſolvere debet. II. p. I. 155. quando excuſatur a reſtitutione. 156. & ſeq. Debitor qui fuit ex culpa in mora ſolvendi tempore debito tenetur compenſare. 160. verum juxta multos non tenetur ex contractu juſto, niſi fuerit culpabiliter in mora. ib.
Debitum aliud ſimplicis honeſtatis, aliud ex jure ſeu rigoroſum. II. p. I. 125.
Decimæ ſolvi debent ex juſtitia, & religione. II. p. I. 196.
Decreta Congregationis generalis de Propaganda Fide a Præfecto ejuſdem firmata, & a Secretario ſubſcripta habent vim & valorem Conſtitutionis Apoſtolicæ. I. p. II. 94.
Decreta quibus Romæ prohibentur libri obligant omnes omnino fideles. II. p. I. 25.
Delectatio appetitus ſenſitivi de objecto graviter malo etiam ſub conditione, ſub qua eſt licitum, eſt mortalis culpa. I. p. II. 119.
Delectatio moroſa, ſeu deliberata admiſſa de quolibet objecto, vel opere mortaliter malo, eſt mortale etiam ſecluſo omni deſiderio, propoſito, conatu, & periculo illud efficiendi. ib.
Delectatio deliberata de ſolo modo artificioſo patrandi malum, quod ex ſe malum non eſt, vel de aliqua circumſtantia inſolita, ſed non mala per ſe loquendo non eſt mortalis. 120. poteſt tamen eſſe venialis. ib.
Delectatio de ſola cogitatione, ſeu cognitione rei graviter illicitæ non eſt mortalis, modo abſit periculum conſenſus in objectum. 122. licet proinde gaudere de ſcientia rei obſcœnæ ob finem bonum. ibid. ſicuti & de effectu bono ſequuto ex peccato 121.
Delectatio moroſa, ejuſque diviſio. 132. quæcumque venerea deliberata delectatio extra Conjugium quaſita aut admiſſa, mortale eſt. ib. eamque neque approbans, neque reprimens poſt ſufficientem advertentiam, & ſi negative ſe habeat ad delectationem veneream reus eſt gravis culpæ. 133. Unde aſpectus, oſcula, tactus impudici in non conjugatis ſunt culpa gravis. 135.
Delectatio venerea, & quis luxuriæ actus in Sponſis, & viduis ſunt mortales. 136.
Delictum in una Religione publicum etiam per Sententiam Judicis Regularis injuſte extra illam revelatur. II. p. I. 181.
Denunciator differt ab Accuſatore. II. p. II. 124.
Denunciare. Vide *Accuſare*.
Depoſitio & degradatio quomodo differunt a ſuſpenſione. III. p. II. 75.
Depoſitum quid. II. p. II. 25.
Depoſitarii obligationes. ib.
Deſiderium quolibet rei, vel actionis malæ etiam inefficax illicitum eſt, & habet malitiam vel mortalem, vel venialem pro diverſitate rei, vel actionis. I. p. II. 117. & ſeq.
Deſiderium conditionatum rei vetitæ per ſe loquendo non eſt mortale, ſi conditio appoſita aufert totam, vel ſaltem gravem operis malitiam. 118. Secus ſi inducet periculum probabile conſenſus abſoluti. ib.
Deſperatio quid eſt. II. p. I. 31.
Detractio quid eſt. II. p. I. 176. ex genere ſuo mortale eſt. 177. octo modis fieri poteſt. ib.
Detractio omnis etſi fiat, ex quadam levitate vel loquacitate, & ſine intentione lædendi proximum, ex ſuo genere mortalis culpa eſt contra juſtitiam. ib.
Detractio quæ fit per libellum famoſum, pejor eſt cæteris paribus, quam quæ voce fit. 178.
Detractio, & Contumelia quando ſunt culpa gravis, quando levis. ib.
Detractio, & Contumelia differunt ſpecie. II. p. I. 179.
Hortari, vel incitare alterum ad inchoandam, vel continuandam gravem detractionem vel occaſionem detrahendi præbere, mortale eſt contra caritatem, & juſtitiam. ib.
Auditor qui lætatur detractione gravi, licet non inducat ad detrahendum, nec incitet ad continuandum, neque exterius ſibi placere ſignificet, peccat mortaliter contra caritatem, & juſtitiam. ib. Item Auditor detractionis gravis licet ad eam non inducat, nec ea lætetur, nec libenter audiat ex curioſitate, peccat mortaliter contra caritatem non impediendo dum impedire poteſt. ib. Et ſi ei reſiſtere nequit, tenetur ſi commode poteſt diſcedere, vel ſermonem alio vertere, vel faciem triſtiorem oſtendere. ib. & ſeq.
Superior Subditum detrahentem famæ alterius etiam non Subditi non impediens, nec coercens peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem famæ in defectum ſubditi. 180. Item Prælatus tenetur impedire detractiones. ib. Non eſt detractio criminis occulti alterius manifeſtatio. 182. Detrahere Defuncto in re gravi mortale eſt. 183.
Detractoris heredes non tenentur ad reſtitutionem famæ a Defuncto violatæ, 185.
Deo debemus bona intrinſeca, & extrinſeca. II. p. I. 33.
Deus Creaturæ quid præcipere, quid prohibere poteſt. I. p. II. 51.
Deus in ullo legis naturalis præcepto directe, & proprie diſpenſare nequit. ib. poteſt tamen in quibuſdam legis naturalis præceptis improprie diſpenſare. 53.
Diaconus munus ſuum exercens in lethali lethaliter peccat. III. p. I. 7.
Diaconatu initiantur etiam pueri apud Jacobitas. II. p. II. 171.
Diſcipuli ad quid obligantur. II. p. II. 120. in quibus peccant. ib.
Diſcordia quid. II. p. I. 49. Opponitur concordiæ, & eſt gravis culpa. ib.
Diſpenſatio quid eſt. I. p. II. 72. differt ab interpretatione, & privilegio. ib. item a licentia, ſeu permiſſione. ib.
Diſpenſatio ſine juſta cauſſa ſcienter data valida eſt ſed illicita. 75. Data ab inferiore, & delegato eſt invalida. 76.
Diſpenſatione valida ſine juſta cauſſa obtenta uti non licet. ib. Sed qui ea utitur cenſuras, & pœnas minime incurrit. ib.
Diſpenſatio obreptitia, & ſubreptitia nulla eſt. 77. quæ dicitur ſubreptitia, quæ obreptitia. ib.
Diſpenſatio quando eſt invalida. ib.
Diſpenſatio ex defectu Cauſſæ finalis nulla eſt. ib.
Diſpenſatio voti quid eſt. II. p. I. 79.
Diſpenſandi poteſtas alia ordinaria, alia delegata. I. p. II. 74.
Diſpenſandi poteſtatem in legibus divinis etiam mere poſitivis nemo habet. ib. Secus in lege humana. ib.
Diſpenſans in propria lege ſine juſta cauſſa peccat. 75.
Diſpenſandi juſta cauſſa eſt triplex. 76. Inter diſpenſatum cum juſta, & diſpenſatum ſine juſta cauſſa diſcrimen intercedit. 76. & ſeq.
Diſpenſatio in Matrimoniis. III. p. II. 35. ad diſpenſationem quid requiritur. 37. unde & quomodo obtinenda diſpenſatio. 39.
Pro Diſpenſationibus Matrimonialibus duplex Romæ adeſt tribunal, Pœnitentiaria videlicet, & Dataria. ib. a Pœnitentiaria petitur, & conceditur diſpenſatio pro ſolo foro interiori, pro omnibus, & ſolis impedimentis occultis. ib. quid in mixtis. ibid. Dataria pro foro externo. ib. diſpenſatio num a pœnitentiaria, vel Dataria ſit petenda, plura ſunt obſervanda. ibid. & quæ ſervanda a Confeſſariis in ea petenda. 47. formula pro petenda diſpenſatione a Pœnitentiaria, & Dataria. 42. & ſeq.
Diſpenſationis reſcripta, & clauſula. 44.
Diſplicentia deliberata de opere bono eſt peccatum. I. p. II. 129.
Diſputatio de fide alia publica, alia privata. II. p. I. 12. quibus privata, quibus publica licet. ib.
Diſputationibus publicis cum Hæreticis Miſſionarii ſe abſtinere debent. ib.
Diſputare de fide quid importat. ib.
Diſtinctio ſpecifica peccatorum unde petatur. I. p. II. 98.
Divinatio quid, & quotuplex. II. p. I. 89. Eſt de ſe

ſemper mortale peccatum, a quo ſola ignorantia invincibilis excuſat. 91.
Divinatores non ſunt abſolvendi niſi omne pactum cum dæmone, & commercium abjurent, ac diſſolvant, aliaque dæmoniacæ artis deſtruant. 92.
Divites tempore caritatis annonæ pauperibus non ſubvenientes quando peccant. II. p. I. 43.
Divortium quando licitum. III. p. II. 11.
Doctores circa opinionem probabilem quid docuerint, I. p. II. 43. *& ſeq.*
Dolus contractus. Vide *Error*, *Donatio*.
Domicilium quando acquiritur. I. p. II. 69.
Domini ad quid tenentur. II. p. II. 119.
Dominium quid eſt. II. p. I. 127. ejus diviſiones. *ib. & ſeq.*
Dominium ut acquiratur, quid requiritur. 128.
Dominio hominis quæ ſubjiciuntur. 127. Homo non habet jure naturæ dominium in alterum hominem. *ib.*
Dominium vitæ ſuæ homo non habet. 128. nec Reſpublica, ſeu Princeps Dominium habet ſuorum Subditorum. *ibid.*
Dominium in Servos, ſeu mancipia quatuor modis acquiritur. *ib.*
Dominium Animalium quomodo acquiritur. *ib.*
Dominii acquirendi ſpecies. 130.
Dominii qui ſunt capaces. *ib.*
Donatio quid, & quotuplex eſt, II. p. II. 12. Ut valeat quid requiritur. *ibid.* a quo valide fieri poteſt: & a quo non. *ibid.* Quæ Donationes ſunt jure civili invalidæ. 13.
Donatio excedens quinquaginta libras in Gallia non valet ex Edicto Henrici II. niſi Auctoritate publica inſinuata ſit. *ib.*
Donationis nomine venit remiſſio debiti liquidi. *ib.*
Donatio omnium bonorum tam futurorum quam præſentium inter vivos invalida eſt. *ib.* ſecus mortis cauſſa. *ib.*
Donationes Conjugum inter ſe jure communi non ſunt validæ ſaltem irrevocabiliter, adeoque ad arbitrium donantis revocari poſſunt exceptis quibuſdam caſibus. *ib.*
Donatio Patris facta filio nondum emancipato, quæ jure Digeſt. erat nulla, jure Codicis eſt tantum revocabilis, exceptis nonnullis caſibus. *Ib.* In allatis, & ſimilibus caſibus ſpectandæ, & ſervandæ ſunt leges, ac conſuetudines ſpeciales locorum, quæ ſæpe a jure communi Cæſareo diſcrepant. *ib.*
Donatio facta mortis cauſſa in tribus caſibus revocatur *ib.* inter vivos quatuor ob cauſſas. *ib.* Donatio inter vivos acceptata nequit revocari niſi ob aliquas cauſſas. *ib.*
Donans ob certum finem ſi non intendat ad illum obbligare, valida eſt donatio, etſi finis non ſequatur, *ib.* Secus ſi donator intendat obligare Donatarium ad certum finem. 14.
Dubium quid eſt, & quotuplex, I. p. II. 35. negativum num ſit proprie dubium. *ib.* Dubium differt ab opinione, *ib.* Ex dubio facti ſæpe oritur dubium juris. *ib.*
In Dubio agere, vel omittere aliquid eſt peccatum ejuſdem ſpeciei, & gravitatis, cujus eſt peccatum de quo dubitatur, etſi ſecundum ſe ſit licitum. *ib.* In Dubiis Conſcientia, quomodo formanda. 36.
Dubitatio, Vide *Judicium*. *Suſpicio*.
Dubitans num ſolverit debitum tenetur adhuc illud integre ſolvere, ſi certo ſcire nequeat ſe ſolviſſe. II. p. I. 198.
Duces Belli quando contra juſtitiam graviter peccant, & ad reſtitutionem tenentur. II. p. II. 132.
Duellum quid, & quando licitum. II. p. I. 168.
Duellum quod ſit auctoritate privata, ſemper eſt mortale, & intrinſece malum, nec unquam licet illud offerre, vel acceptare, *ib.* Duelli pœnæ quæ ſunt. 169.

D*Alleus Calviniſta impugnator acerrimus Confeſſionis Sacramentalis*, III. p. I. 86. *Falſo putat, veteres Scholaſticos dubitaſſe de illius neceſſitate*, ib.
*Damni alieni circumſtantiam facit, ut veniale peccatum dat*, I. p. II. 107.
*Delectatio appetitus ſenſitivi abſoluta, & conditionata*, I. p. II. 129. *Moroſa quænam eſt*, ibid. *Hæc vel efficacis voluntatis, vel ſimplicis delectationis*, 120. *Unde moralem ſpeciem trahat*, 121. *De ipſa quomodo judicandum*, ibid. *Ejuſdem objectum vel res prava, vel apprehenſio rei prava*. ib.
*Delectationes pravæ advertens, & negative ſe habens ad illas, an peccet*, I. p. II. 133. *Multiplex & ingens periculum illis aſſentiendi*, ib. *Quomodo efficaciter iiſdem reſiſtitur*, 134. *Quid faciens obnoxii delectationibus manantibus ex cauſa non peccaminoſa*, ib.
*Deſuetudo quid*, I. p. II. 87.
*Diſparitas cultus dirimit matrimonium ex jure tantum Eccleſiaſtico*, I. p. II. 86.
*Diſpenſatio legum quid*, I. p. II. 73. *Facta ſine legitima cauſſa eſt illicita*, 76. *Non tamen invalida*, ib. *Ordinarie eſt ſtricte interpretationis*. 75. *Intelligentia clauſularum occurrentium in diſpenſationum Reſcriptis*, ib.
*Diſpenſatio Pontificia*. *Vide* Pontifex.
*Diſpenſare nequit inferior in lege Superioris*, 75. *Poteſt vel in caſu neceſſitatis*, 92.
*Diſtributionum choralium origo, & notio*, II. p. II. 83. *Ex quonam maſſa deſumantur*, 84. *Non veniunt nomine fructuum beneficiorum*, 85. *Ordinarie non debentur abſentibus a Choro*, ib. *Affertur quintuplex exceptio*, ib. *Cedunt dominio Clericorum*, 86. *An poſſunt exigi abſque ſimonia*, ibid.
*Doctores quinam proprie cenſendi*, n. 50. & ſeq. *Eorum diſſidia in moralibus non efficiunt dubiam viam ſalutis*, I. p. II. 38.
*Dubium morale quid*. I. p. II. 38. *Ille implicatus bono peccat agendo, niſi tutiorem ſequatur partem*, 39. *Dubius ſpeculative an etiam dubius practice*, ib.
*Dubia Conſcientia*. *Vide* Conſcientia.

E

EBrietas quid, & qualis culpa, I. p. II. 126. mala in ebrietate commiſſa imputantur ad culpam ſi ſint prævia, 127. ad evitandam mortem ab altero intentatam non licet ſe inebriare. 126.
Eccleſia ejuſque poteſtas, & jura a Chriſto. I. p. II. 55.
Eccleſiæ poteſtas quoad Rituum inſtitutionem. II. p. II. 144. ejuſque forma nunquam variata. 148.
Eccleſiæ diviſio in Latinam, & Græcam, earumque differentia in Ritibus, & diſciplina, I. p. II. 162.
Eccleſiam Ægyptii nonniſi ſine calceis ingredi fas eſſe credunt, eamque pollui cenſent Neſtoriani ſi cum calceis quis ingrediatur, 167.
Eccleſia quando polluitur, & quæ cum ipſa polluta dicuntur, & quando pollutio tollitur. III. p. I. 58.
Eccleſia quomodo execratur, 59. in Eccleſia polluta, vel execrata, & interdicta, divina peragere mortale eſt 58.
Eccleſia Orientalis orthodoxam fidem ſervat, quoad Pœnitentia virtutem, & Sacramentum, III. p. I. 140. Eccleſia Armena, II. p. II. 162.
Effectus malus, vel noxius Proximo ex peccato ſecutus imputatur peccanti, & dat novam malitiam peccato, ſi effectus fuerit prævifus, vel prævideri potuerit. I. p. II. 102.
Electio quid, quot modis fieri poſſit, quæque ad ipſam requirantur, ut valeat, II. p. II. 51.
Eleemoſyna quid, & quale ejuſdem faciendæ exter præceptum, quaque ratione ſit facienda. II. p. I. 42.
Emphytheuſis quid, II. p. II. 40. Emphytheuta ad quid tenetur. *ib.*
Emptio quid, II. p. II. 29. Emptio agri pretio, communi num liceat ſcienti latere Theſaurum, quidque de venis metalliciis, aliiſque mineralibus, 32. inducens aliam ad emendum majori pretio, quam alias emiſſet etſi non excedente ſummum, peccat, & tenetur ad reſtitutionem. 30.
Emere cenſus, credita, & chirographa minoris, quam continent, num & quando liceat. 32.
Emptoris obligationes, II. p. II. 37.
Epicheja quid, & quando ea uti licet, I. p. II. 72.
Epiſcopus, Epiſcopi nomen, origo, ac poteſtas. II. p. II. 148. ejus munus, *ib.*
Epiſcopi ſucceſſores Apoſtolorum, *ib.* ſunt ſuperiores Presbyteris, & Diaconis ex jure divino, *ib. & ſeq.*
Epiſcopus præter ſuos ſubditos ordinare poteſt habentes Dimiſſorias, vel ſpeciale privilegium. III. p. I. 158. ſimpliciter quis Epiſcopi ſubditus eſſe poteſt, *ib.* Vide *Ordo*.
Epiſcopus poteſt valide limitare approbationem Confeſſariis quoad locum, tempus, & perſonas, III. p. I. 108. Vide *Confeſſarius*, *Pœnitentia*.
Epiſcopus in mortali conficiens chriſma, ſeu oleum Infirmorum mortaliter peccat. III. p. I. 8. in reliquis ſacramentalibus peccat ſaltem venialiter. *ib.*
Epiſcopi Græci, Syri, Armeni, Cophti, Abyſſini, aliique Occidentis, Schiſmata ſectantes, eorumque poteſta, dogmata, II. p. II. 156. *& ſeq.*
Epiſcopi poteſtas quoad impedimenta matrimonii, III. p. II. 50.
Epiſcopi neque in Synodis poſſunt derogare privilegiis Regularibus a Sede Apoſtolica conceſſis, I. p. II. 66. poſſunt tamen plura decernere, quibus Regulares obligantur. *ib.* imo & eos punire ſi contra Decretalem Innocentii III. delinquant, *ib.*
Epiſcopi aliique Prælati Papa inferiores non habent poteſtatem ordinariam diſpenſandi in jure communi & legibus Papæ, I. p. II. 75. Habent tamen delegatam in quibuſdam caſibus, *ib.*
Epiſcopi de jure divino reſidere tenentur, & ad quid aliud tenentur. II. p. II. 96.
Epiſcopus, & archiepiſcopus non habent poteſtatem diſpenſandi in legibus Concilii Provincialis, aut Nationalis niſi ex conceſſione ejuſdem Concilii, vel Papæ. I. p. II. 75. Secus de Synodo Diœceſana. *ib.*
Epiſcopus juſta cauſſa deficiente invalide diſpenſat in lege jejunii, abſtinentia &c. I. p. II. 76.
Epiſcopus ab excommunicatione, in quam quis incidit ob hæreſim occultam, num abſolvere poſſit. II. p. I. 14.
Æquivocatio, quid. & quotuplex eſt. II. p. I. 124. Æquivocatione indeterminabili exterius nunquam uti licet, neque determinabili *ib.* Quid in caſu, ubi adſit obligatio, vel gravis cauſſa occultandi veritatem, 125.
Error quid. II. p. II. 5. Poteſt eſſe circa ſubſtantiam rei, & circa accidens. ſeu accidentalem qualitatem rei, *ib.* Item antecedens, vel concomitans. *ib.*
Error quilibet, circa ſubſtantiam rei, vel naturam contractus, vel motivum intrinſecum ac ſubſtantiale invalidat contractum jure naturæ. 6. Si error ſit circa qualitatem, & non det cauſſam contractui, non irritat contractum. *ib.* Error circa qualitatem invalidat contractum, quando contrahens expreſſe vel implicite non vult contrahere, niſi objectum ſit tali qualitate affectum. *ib.*
Error quoties circa qualitatem dantem cauſſam contractui provenit a parte contrahente, contractus etſi validus poteſt reſcindi pro voluntate decepti, ſi ſit ſolubilis. *ibid.*
Error vincibilis quando a peccato excuſat. I. p. II. 34.
Euchariſtia quid. III. p. I. 41. eſt verum ſacrificium, 52. ejus materia, 41. ut valide perficiatur, quomodo debet eſſe moraliter præſens conſecranti, 43. una materia ſine altera valide, ſed illicite conſecratur. 44.
Euchariſtiæ forma quæ eſt, & quomodo proferenda, *ibid.* & quomodo Chriſtus peregit. 68.
Euchariſtiæ effectus, & diſpoſitio ad ipſam recipiendam ex parte animæ, 44. & corporis, 50. quibus eam diſpenſare permiſſum eſt, & quomodo diſpenſanda, & adminiſtranda, 52. eam ſub utraque ſpecie dare mortale eſt. *ibid.* aliquando ſumenda eſt ex præcepto, 45. quibus in caſibus non obligat, 50. qui ſunt ab ea arcendi, 52. qua reverentia eſt aſſervanda, 73. quomodo peragenda, & recipienda. 75. Variatio inter Orientales, & Latinos quoad formam, materiam, adminiſtrationem, aſſervationem, diſtributionem, errores, aliaque. 59. *& ſeq.*
Euchariſtiam conficere aliud eſt ac miniſtrare. 51.
Euchariſtiam peccatori publico non licet dare, niſi ſufficientia veræ converſionis ſigna dederit, 52. aliter dicendum de peccatore occulto. *ib.*
Euchariſtia a nonnullis, præſertim Orientalibus, pueris ſtatim poſt baptiſma diſtribuitur. 76.
Eulogiæ. II. p. II. 153.
Eutrapelia quid. II. p. I. 116.
Excommunicatio quid, & quotuplex, III. p. II. 61. ejus effectus. 69.
Excommunicationes reſervatæ Papæ. 71. Epiſcopis. *ib.*
Excommunicati vitandi, 68. communicare cum illis quando eſt mortale. 70.
Extrema unctio ejuſque materia, & forma. III. p. I. 148. unctiones quinque ſenſuum multi cum Sancto Thoma eſſentiales volunt. 149. pleriquæ tamen ad Sacramenti valorem unicam adſtruunt in quacumque corporis parte. *ib.* ex præcepto tamen ſunt quinque corporis partes inungendæ, & quæ ſunt hæ partes, *ib.* & quid ubi quis aliqua ex his partibus careat. *ib.* Ritus ſervandus in ungendo. 150.
Extrema unctio quomodo dicitur ſecundario Sacramentum mortuorum & peccata remittere. 151. eſt Sacramentum reiterabile, & quando reiterandum, 152. confertur ſolis verſantibus in mortis periculo orto ex aliqua corporis infirmitate. *ib.* quando confertur. *ib.* hoc Sacramentum omittere cum ſcandalo, ſive ex contemptu, grave eſt. *ib.* immo juxta multos eſt præcepti divini illud recipere. *ibid.* ejus effectus qui ſunt, & ut valide, & cum fructu recipiatur quid neceſſarium. 152.
Extremæ unctionis ſubjectum. 155.
Extremæ unctionis miniſter eſt ſolus Sacerdos, 150. & unicus ſufficit, etſi Græci plures expoſcant, *ib.* & Parochus ubi non urgeat neceſſitas, eſt miniſter proprius, niſi de ejus licentia alius eligatur. 151. & tenetur ex juſtitia ſub gravi, illam adminiſtrare ſuis Parochianis; idem dicendum de ſuperiore Regulari quoad ſuos ſubditos. *ibidem*.
Extremæ unctionis materia, forma, ritus; quoad Orientales. 153.

E*Brietas perfecta, vel imperfecta*, II. p. II. 126. *Prior magnum peccatum, præſertim in Sacerdotibus*. 127.
Elegantiæ latini ſermonis, *titulus eſt libri obſcæni, & execrandi*. I. p. II. 136.
*Epicheja quandoque utendum neceſſario*. I. p. II. 72. *Nunquam tantum abutendum*. ib.
*Epiſcoporum officia*. II. p. II. 98. *Cenſentur nunc tacite annuere, ut Parochi excipiant Confeſſiones hominum aliena Parocia*. III. p. I. 108. *Facultatem audiendi confeſſiones Secularium, ſemel conceſſam Religioſis ſine limitatione temporis, revocare nequeunt*. ibid. *Ad talem revocationem devenire ſolum licet ob gravem cauſſam, pertinentem ad ipſum Sacramentum Confeſſionis*. ib. *Non poſſunt ab audiendis Secularium confeſſionibus ſuſpendere omnes ſimul Confeſſarios Religioſos unius Monaſterii*. ib. *Graviſſima cauſſa interveniente id poſſunt in Regionibus dumtaxat a Sede Apoſtolica remotiſſimis*. ib.
*Eſtius Gullil. docuit, hominis juſtificati nulla eſſe opera tantum moraliter bona*. n. 559. *Contritionem perfectam non ſemper juſtificare*. III. p. I. 81.
*Euchariſtia materia an poſſit eſſe omphacium, acetum, vinum acidum*. III. p. I. 42. *Quænam præſertim venialia peccata per ipſam delentur*. 48. *An per accidens etiam mortalia*. ib. *Homo in ſtatu peccati lethalis eamdem ſumens poteſt ſpectari ſub vario adſpectu*. 49. *Plurimum obeſt defectus actualis devotionis in ea percipienda*. ib. Vid. *Miſſa*.

F

FAllacia ſive dolus quid eſt, I. p. II. 225.
Fama quid eſt. II. p. I. 177. differt ab honore. 176. *& ſeq.* graviter, vel leviter læditur pro gravitate, vel levitate materiæ. 178. quomodo eſt reſtituenda. 182. A famæ reſtitutione, quæ excuſant. 185. Compenſatio in famæ reſtitutione num, & quomodo facienda. *ib.*
Famuli aliis Subditi extra neceſſitatem extremam nequeunt Eleemoſynas facere ex rebus dominorum abſque eorum expreſſo conſenſu. II. p. I. 45.
Famuli ad quid erga dominos ſuos tenentur. II. p. II. 120.
Feminis Domos Religioſorum ingredi non licet niſi in quibuſdam caſibus. 107. Quid hac ſuper re conſtituit Benedictus XIV. 108.
Feminarum Carminatricum benedictiones ad depellendos morbos immunes haud ſunt a ſuperſtitione, II. p. II. 138. idem de unctionibus ungueuto armarii, *ib.*
Fermenti nomen apud SS. Patres quid, III. p. I. 62. Fermentati

tati pro Miſſæ Sacrificio myſtica ſignificatio, ejuſque uſus apud Græcos. *ib.*
Feſti dies multi ſuam ducunt originem ab Apoſtolis. II. p. II. 146.
Feſtis diebus, quæ prohibentur. II. p. I. 66. Eorum violatio quæ, & quando eſt gravis, vel levis culpa. 67. Choreæ, ſaltationes, aliique Theatrici ludi quando diebus feſtis ſunt mortale, 68. Violatio præcepti de feſtis obſervandis quale peccatum, & quomodo in confeſſione circumſtantiæ ſunt exprimendæ. 70. Quæ opera diebus feſtis exercenda ſunt. *ib.*
Fœtus humanus. II. p. I. 163. Per ſe ſemper mortale eſt directe impedire ne fœtus humanus concipiatur, aut conceptus animetur, vel ipſum fœtum ejicere, *ibid.* Animato fœtui abortum procurans, vere & proprie homicidium committit. *ib.* Non licet præbere Matri, nec ipſi ſumere remedium ex vi ſua ordinatum ad expulſionem fœtus ſive animati, ſive inanimati, etiamſi certa ſit utriuſque mors, ſi non adhibeatur, & probabile ſit Matrem ſervandam eſſe illo adhibito. 164. Matri ratione fœtus quid licet ſumere, vel præbere, & quid non licet. *ibid.* Quid ſi proles ſit animata, vel dubitetur. *ibid.*
Feudum quid eſt. II. p. II. 40. differt ab Emphyteuſi. *ib.*
Feudatarius ad quid tenetur. *ib.*
Fideicommiſſum quid eſt. II. p. II. 43. aliud eſt univerſale, aliud particulare. *ib.* Quid de fideicommiſſo facto in favorem ejus, qui per leges non poteſt hæres, vel Legatarius inſtitui. *ib.*
Fidejuſſio quid eſt. II. p. II. 44. quæ circa ipſam obſervanda. *ib.* pro fidejuſſione poſſe exigi pretium a debitore affirmant multi. *ib.*
Fidelitas quid eſt. II. p. II. 11.
Fides quid eſt, ejus diviſio, ac objectum. II. p. I. 2. Fidei actus neceſſarius neceſſitate medii qualis & quando requiritur. *ib.* Fides explicita incarnationis, paſſionis, mortis, ac Reſurrectionis Chriſti Salvatoris ab Evangelii promulgatione omnibus adultis neceſſaria eſt neceſſitate medii. 3. idem Fides explicita SS. Trinitatis. *ib.* Fidei ſpeciale præceptum de rebus explicite credendis. *ibid.* & quæ explicite credenda, *ib.* quæ addiſcere tenentur Fueri. *ib.* & *ſeq.*
Fidei divinæ præceptum aliud affirmativum, aliud negativum. 5. Fidei præceptum quando *per ſe* obligat ad fidei actum eliciendum. 6. quando per accidens. *ib.* Formula actus fidei. *ib.* extat præceptum confitendi exterius fidem ſuo tempore. *ib.* contra fidem, & Religionem ubi fieri poteſt quiſque tenetur impedire peccata. 7. item veritates practicas, ac ſpeculativas a Chriſto traditas facto, & dicto profiteri & tueri. *ibid.* fidem nunquam licet negare ne exterius quidem ad mortem vitandam, & dira ſupplicia. *ib.* nec falſam Religionem verbis, vel facto ſimulare. *ib.* Eidem veram non licet occultare, quoties præceptum confitendi exterius fidem obligat, & urget. 8. num aliquando occultare. *ibidem.* Fidei publica confeſſio quibus in caſibus illicita ſit. *ib.* Fidem facto negare quando dicitur. 9. referuntur hac ſuper re plures caſus ad Miſſionariorum uſus circa cæremonias, obſequia, contumelias, aliaque. *ibid.* & *ſeq.* Peccata fidei oppoſita. 10. diſputare de fide quid importat. 11. & *ſeq.*
Filiam in adulterio deprehenſam occidere non licet. II. p. I. 162.
Filii erga Parentes ad quid tenentur. II. p. II. 127.
Filii extra neceſſitatem extremam nequeunt ex bonis Parentum Eleemoſynas facere abſque expreſſo eorum conſenſu, II. p. I. 45.
Filius cupiens ingredi Religionem, tenetur in Sæculo permanere, ut Parentum neceſſitati ſubveniat. II. p. II. 128. Quid ſi Parentes in tali non ſint neceſſitate ut multum filio indigeant. *ib.* num profeſſione emiſſa egredi teneatur ut Parentibus ſuccurrat. *ib.*
Filius familias quis dicitur. II. p. I. 130. ejus bona quadruplicia ſunt. *ibid.* In quæ bona habet plenum dominium. 131.
Filius familias quoad res mutuatas. Vide *Mutuum.*
Formido alia logica, alia moralis. I. p. II. 47.
Fornicatio ſimplex quid eſt. I. p. II. 128. Aliæ fornicationis ſpecies. *ib.*
Fortitudo quid eſt, II. p. I. 111. Fortitudinis actus, 112. Vitia Fortitudini oppoſita. *ib.* virtutes fortitudini annexæ, & vitia his oppoſita. *ib.* & *ſeq.*
Frigidis in Matrimonio conjunctis triennium conceditur ad dignoſcendam impotentiam. I. p. II. 43.
Fructus alii mere naturales, alii mere induſtriales, alii mixti, alii civiles. II. p. I. 139.
Fur ad quid tenetur. *ib.* & *ſeq.*
Fur non acquirit Dominium rei furtivæ, ſi ea diſcerni poſſit a rebus propriis. II. p. I. 190. quid ubi mixtio bona, vel mala fide ſit facta. *ib.*
Qui rem furtivam emit mala fide ſciens, vel dubitans eſſe furtivam, tenetur eam reſtituere ſi habeat, vel ejus pretium in defectum furis ſi non habeat, nec poſſit recuperare. II. p. I. 194.
Qui rem furtivam emit bona fide neſciens, nec dubitans eſſe furtivam, tenetur eam reſtituere domino etiam non repetenti. *ibid.* Emptor bonæ fidei rei furtivæ eamque conſumens, vel revendens ad quid tenetur. *ib.*
Furtum tripliciter ſumitur. II. p. I. 187. Furti diviſio. 188. Ex genere ſuo Furtum peccatum mortale eſt. *ibid.* Furtum rei levis, per accidens mortale eſſe poteſt. *ibid.* Quantitas requiſita, ut ſit mortale. *ibidem* quando, & quomodo per minuta furta peccatur mortaliter. 189. Ubi plures uni per levia furta grave inferant damnum quomodo ſinguli peccant mortaliter, & tenentur ad reſtitutionem. 190.

F*Agnanus Proſp. celebris, & exercitatiſſimus Romanæ Curia Præſul. num. 58. Peculiari Opuſculo refutavit Probabiliſmum.* I. p. II. 36.
*Finis quid.* n. 299. *Extrinſecus, & intrinſecus.* ib. *A fine extrinſeco moralitas derivatur in actiones tum ex objecto indifferentes.* n. 301. *tum bonas,* n. 302. & ſeq. *tum malas.* n. 327.
*Finis bonus nequit honeſtare actiones per ſe malas,* n. 309. & ſeq. *An, & quando manifeſtandus in Confeſſione malus finis prava actionis,* n. 307. 308.
*Finis ultimus.* n. 324. *Honeſte agens quomodo cenſeatur agere ob finem ultimum.* ibidem. *An præceptum extet cunctas actiones ad hunc explicite referendi.* *Vid.* Relatio operum.

G

G*Emmæ.* Vid. *Lapidicina.*
Geomantia. II. p. II. 136.
Gradus conſanguinitatis, ac regulæ pro eorum cognitione III. p. II. 17. & *ſeq.*
Gratitudo quid, quæ ejus officia. II. p. I. 123.
Gratiani verba ad *can. 4. diſt. 4. Leges inſtituuntur &c.* cujus ſunt, & quid ſignificant, I. p. II. 61.
Gratulationes feſtivæ pro prima puellarum purgatione in Regno Madurenſi, aliiſque in locis a Sede Apoſtolica reprobatæ. II. p. II. 180.
Gravitas peccati quid, & unde petatur. I. p. II. 111.
Græci abſtinendum putant a ſuffocato & ſanguine. II. p. II. 170. nequeunt ad Maronitieum ritum tranſire. 175. Græcis in Italia, vel alibi ſub Latinis Epiſcopis degentibus in proprio ritu manere permiſſum eſt. 176. eorum ritus quoad Miſſæ Sacrificium. III. p. I. 65. & *ſeq.* Eorum abuſus ab Eccleſia proſcripti. II. p. II. 176.
Greg. Magnus trinam immerſionem apud Hiſpanos auferri permiſit. II. p. II. 140.
Gula quid, quale peccatum, quot modis committatur, quæ remedia, quæ filiæ. I. p. II. 125.
Gulielmus Pariſienſis docuit hominem ſtatim ac peccavit teneri ad confeſſionem. I. p. II. 47.

G*iraldus Ubald. utilium librorum perditus Auctor.* II. p. II. 64.





*Græci Miniſtri poſteriores ab avita cælibatus diſciplina recedentes ſubiere ingentem jacturam.* II. p. II. 79.
*Grotii Hug. navi.* n. 17.

H

H*Æredes Uſurarii tenentur reſtituere pro culpa ipſius Uſurarii, ubi ipſe Uſurarius non reſtituerit.* II. p. II. 25.
Hæres qui bona fide aliquid ab Auctore malæ fidei accepit, poteſt ſcribere. II. p. I. 133.
Hæreſis quid eſt. II. p. II. 12. quæ ad hæreſim requiruntur ex parte intellectus, quæ ex parte voluntatis, quæ ex parte ſubjecti. *ibid.* Hæreſis eſt unum ex graviſſimis peccatis. 13.
Hæreſes plures Orientalis Eccleſiæ quoad ſacros ritus, II. p. II. 142.
Hæretici Sociniani, Calviniani, Lutherani, aliique quid de Sacris ritibus ac SS. cultu ſentiunt. *ib.*
Hæreticus formaliter quis dicitur. II. p. I. 13.
Hæreticus ut quis dicatur quid ſufficit. *ib.*
Hæretici omnes ſunt etiam Schiſmatici. II. p. I. 49.
Hæreticorum Cœnam ſumere, ipſorum cæremoniis, & precibus communicare, eorum Concionibus, ac Conventibus intereſſe, aliaque ſimilia quando Catholicis non licet. II. p. I. 7.
Contra hæreticos præter alias pœnas latas potiſſima eſt excommunicatio major ipſo facto lata. 13.
Homicidium quid eſt, II. p. I. 161. Homicidium caſuale quandonam eſt peccatum, & obligat ad reſtitutionem, 167.
Homicida moriens antequam reſtituat, hæredes ex ejus bonis tenentur reſtituere quantum ipſe tenebatur. 170.
Homines multa poſſunt præcipere, vetare, ac irritare, quæ nec lege naturali, nec poſitiva divina præcepta, vel vetita ſive irrita ſunt. I. p. II. 53.
Homines peccatores Reipublicæ noxios licet occidere auctoritate publica. II. p. I. 161. non vero privata auctoritate propter eorum ſcelera, immo nec verberare. 162.
Homo jure naturæ non habet dominium in alterum hominem. II. p. I. 127. nec dominium vitæ ſuæ. 128. eſt tamen vere dominus ſuæ famæ, & honoris. *ib.*
Horæ Canonicæ quid importent. II. p. I. 59. qui ad eas obligantur. *ib.* Eas omittens omnes, vel ex parte quando peccat. *ib.* & ad quid tenetur. *ib.* In Confeſſione numerus horarum omiſſarum eſt exprimendus, *ib.* Ad debitam earum recitationem quæ requiruntur. *ib.* & *ſeq.* Earum ordinem invertere quando eſt veniale, quando mortale. 62. Ab earum lectione quæ excuſant. 63.
Hoſtiam non conſecratam pro conſecrata ad quodvis malum vitandum non licet ſcienter miniſtrare, etiam conſentienti, vel recipere. III. p. I. 43.
Humilitas quid eſt. II. p. I. 122. Ejus præcipui actus, *ib.*
Hypotheca quid eſt. II. p. II. 44. differt a pignore. *ibid.* Alia conditionalis, alia tacita. *ib.* Obligationes dantis, & accipientis hypothecam. 45.

H*Abitus vitioſi non perimunt libertatem indifferentiæ.* n. 241. & ſeq. *Contraria perſuaſio eliditur.* n. 243. & ſeq. *Quomodo dicantur*, in naturam verti. ib.
*Habitualis intentionis, ſeu relationis vocibus quidnam intellexerint Scholaſtici veteres.* n. 337.
*Hebræi populares haud immunes a reatu Deicidii.* n. 280.
*Henoch, & Elia non cenſentur eſſe in ſtatu via,* n. 395. *Idcirco non poſſunt mereri.* ib.
*Hennus Franc. comis ſimul, & caſtigatus Theologus,* I. p. II. 4.
*Homicidium patratum cauſa tuenda vita culpa vacat.* III. p. II. 77. *Prioribus sæc. Eccleſia ſæculis inducebat irregularitatem,* ib. *Ideo nil mirum quod illius irregularitatis meminerint S. Thomas, & Scotus,* ib. *Poſtmodum ea ſublata ex Clem. V. & Concil. Viennenſi,* ib.
*Honeſtum quod eſt, illud proprie bonum morale,* n. 53. & ſeq.

I

J*Actantia quid, & quando culpa gravis.* I. p. II. 124.
Jacobitæ, eorumque Patriarchæ, errores, ac damnatio, II. p. II. 158.
Idololatria quid & quotuplex, II. p. I. 89.
Jejunium ubi, & quando obliget, II. p. I. 161. diverſa apud Orientales jejunandi diſciplina, 120. Jejunium Sabbati cur vetitum ab Eccleſia, II. p. II. 170. Jejunio naturali quæ obſtant. III. p. I. 51. Quid circa peregrinos & vagos, I. p. II. 62. Orientalis Eccleſiæ diſciplina circa jejunium, II. p. I. 120.
Jejunium Eccleſiaſticum, quæ requirat, II. p. I. 116. præceptum per ſe obligat ſub mortali. *ib.* quomodo frangatur. *ib.* qui ad illud teneantur, qui excuſentur, ac alia plura, 119. Cœnulæ ſeu collatiunculæ uſus, quantitas ac tempus. 117.
S. Ignatius præſcripſit in ſuis regulis ſequi in quavis facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam, I. p. II. 44.
Ignorantia, quid & quotuplex. I. p. II. 112. Ignorantia vincibilis de rebus ſcitu neceſſariis eſt ſecundum ſe peccatum imputabile. *ib.*
Ignorantia vincibilis non affectata minuit malitiam peccati. *ib.* Ubi vero negligentia diſcendi gravis eſt, nunquam eo minuit peccatum, ut ex mortali fiat veniale. 113.
Ignorantia affectata auget malitiam peccati, & non excuſat a gravi pœna. 114.
Ignorantia invincibilis cujuſvis legis etiam naturalis excuſat a peccato formali ſeu imputabili. *ib.*
Ignorantia invincibilis juris naturalis non datur neque circa prima principia morum, neque circa principia nota, vel quæ facile ex per ſe notis colliguntur, 115. Datur tamen in aliquibus circa quædam particularia præcepta juris naturalis valde abſtruſa, & remota a principiis. *ib.*
Ignorantia invincibilis legis irritantis non impedit irritationem actus factam immediate propter bonum commune. I. p. II. 82. Ignorantia invincibilis ſolius pœnæ non excuſat a pœna quæ ſaltem non ſit cenſura. *ib.*
Ignorantia excuſans a culpa, excuſat & a pœna, 80. ſicut & ab irregularitate ex delicto, *ib.* non vero ab irregularitate ex defectu, 81. ignorantia excuſans a culpa mortali, excuſat a pœna gravi legis, & viceverſa. *ib.*
Impedimenta Matrimonii, III. p. II. 13. diſpenſare in his, qui poteſt, 34. quæ obſervanda in diſpenſationibus, 37. Impedimentum quando cenſetur occultum, 39.
Impotentia quoad matrimonium, 33.
Inadvertentia quid & quando peccatum. I. p. II. 111.
Inceſtus, ejuſque diviſio, ac major, vel minor gravitas, I. p. II. 129.
Indignus quis dicitur, II. p. II. 55.
Indignum ſeu ineptum eligere ad officia Sæcularia ſemper eſt mortale contra caritatem, & juſtitiam. *ib.*
Indulgentia quid, & quotuplex, III. p. I. 138. poteſtas concedendi Indulgentias apud quos reſidet. *ibid.* ad Indulgentiam lucrandam quæ neceſſaria, *ib.* quæ ut proſit Defunctis. 139.
Infamia a ſe injuſte illata num tollenda, & compenſanda. II. p. I. 183. Quid de Infamatore. 184.
Infamare ſe ipſum quomodo, & quando licet. II. p. I. 183.
Infans quis dicitur. II. p. II. 8.
Infantes legibus humanis præceptivis non ſubjiciuntur. I. p. II. 65.
Inferior non debet poteſtatem diſpenſandi in lege ſuperioris, niſi ex ejus conceſſione, I. p. II. 74.
Inferiores non poſſunt abrogare leges Superiorum ſine eorum conceſſione. I. p. II. 74.
Infideles tenentur omnibus præceptis Evangelicis, non vero legibus Eccleſiaſticis. I. p. II. 66. quando, & quomodo cogi poſſunt ad fidem ſuſcipiendam. II. p. I. 11. quando cum ipſis communicare licet, & quando diſputare, & quibus licet, *ib.*

Ingratitudo quid eſt, II. p. I. 123.
Injuria quid eſt, II. p. I. 135. quomodo fit, & num ſine violentia fieri poſſit. ib.
Injuriæ circa bona fortunæ quid complectantur, II. p. I. 187.
Inimicos ex caritate diligere tenemur, II. p. I. 38. quo ordine erga ipſos, ib. & ſeq. venia petentibus eſt danda, ib. eiſque in neceſſitate ſpirituali, & corporali opitulari tenemur, ib. ipſis tamen ſatisfactionem debitam honoris, famæ, pecuniæ &c. non tenemur remittere. 39.
Innocentem occidere directe nunquam licet, II. p. I. 163. licet tamen Civitati cogere Innocentem ad adeundum Tyrannum, ib.
Inobedientia quid eſt, I. p. II. 124. Specialis ſemper eſt culpa gravis, ib.
Inquietudo cordis quid eſt, I. p. II. 125.
Intellectus ut prudenter ſe gerat in dubiis quid agere debet, I. p. II. 44.
Intentio expreſſa ad obligandum in conſcientia non requiritur. I. p. II. 57.
Intentio obligans ſub mortali quando dignoſcitur. ib.
Intentio ſatisfaciendi præcepto quid eſt. II. p. I. 62.
Intentio audiendi Sacrum. II. p. I. 71.
Interdictum quid, ejus effectus & pœnæ. T. III. p. II. 72. & ſeq.
Interſtitia pro ordinibus, III. p. I. 158.
Interpretatio legis quid, & quotuplex, I. p. II. 70.
Invidia quid, I. p. II. 138. Ex ſuo genere eſt gravis culpa. ib. invidiæ filiæ, Invidiæ remedia. 139.
Involuntarium quid & quotuplex? I. p. II. 3.
Ira quid, & quotuplex? I. p. II. 136. ejus filiæ & ejus remedia, ib.
Irregularitas quid eſt. T. III. p. II. 75. ejus effectus. ib. Quotuplex, 76.
Irreligioſitas quid eſt, II. p. I. 92.
Irritatio actus quæ dicitur. I. p. II. 139.
Judex ut recte judicet ad quid tenetur, II. p. II. 122. quid agere debet ubi jus non eſt clarum, ib. & ſeq. quid ſi opiniones ſint æque probabiles, 122.
Judex num capite damnare poteſt quem certo novit innocentem, ſi per teſtes legitime probetur reus, ib. quid in hujuſmodi caſu agere debet. ibid. quid in caſu mutilationis, ib. quid in cauſis civilibus, & pœnis pecuniariis, ib. Condemnans reum ex cognitione injuſte extorta peccat, & tenetur ad reſtitutionem. ib. ipſi non licet quidquam accipere pro ferenda ſententia ſive juſta, ſive injuſta, 123. neque munera liberalia, ſponte, & ſine ullo onore oblata a partibus. ib. Quid de munuſculis levioribus ex urbanitate oblatis, ib. quid ſervandum circa inquiſitiones. ib.
Judex ad quid tenetur circa pœnæ impoſitionem, 123. Poteſtas judicandi aliquem quatuor modis haberi poteſt, 124.
Judicium quid eſt, II. p. I. 175. aliud leve, aliud grave, ib. Judicium temerarium de re gravi proximum infamante etiam opinativum, quod cum plena advertentia concipitur, eſt mortale contra juſtitiam, ib. & ſeq.
Juſtitia reflexa innixa dubiis, ac controverſis principiis dubium prudenter non reſolvunt. I. p. II. 45.
Juramentum quid eſt, II. p. I. 80. ejus diviſio, 81. ad juramentum duo requiruntur, intentio, & locutio. ib.
Juramentum ut licite fiat, tres requiruntur conditiones, 82. quibus deficientibus an, & quando culpa mortalis eſt, ib.
Juramenta non ſunt modi loquendi, quibus Deus in teſtem non adducitur, 82. idem dicendum de quibuſdam formulis, ib.
In juramento ſi veritas deſit, vel putetur deeſſe, vel dubia ſit juranti, eſt perjurium, & ſemper mortale peccatum etiam in re levi aſſerta, 82.
Juramenti obligatio ad hæredes non tranſit, etſi ipſi ex juſtitia teneantur adimplere juramenta realia defuncti, 84.
a Juramentis quis poſſit diſpenſare, 88.
Juramentum quibus in caſibus non obliget. 84.
Juramentum de futuro ſine promiſſione obligat. ib.
Juramenti promiſſorii, & aſſertorii de futuro obligatio, quæ, & quanta eſt. 83.
Juramentum injuſte extortum obligat. 86. Exterius factum ſine animo jurandi eſt ſemper intrinſece malum, ib. Factum etiam ſine animo jurandi etiam de veritate in contractibus, in judicio, in re quavis gravi ſemper eſt mortale contra Religionem, 86. Etſi factum ſine animo jurandi, ſit ſolum fictio Juramenti, tamen eſt obligatio faciendi quod juratur. ib.
Juramentum factum cum animo jurandi, ſed ſine animo ſe obligandi, vel implendi quando eſt obligatorium. 87. privatæ perſonæ non licet exigere Juramentum, nequidem in judicio ab eo qui prævidetur perjuraturus, 88. Licet tamen Judici ad inſtantiam partis. ib.
Juramentum ſive firmet contractum, ſive non eſt validum, & obligat quando poteſt ſervari ſine peccato, & damno alterius. Vide *Contractus*.
Juramentum promiſſorium habet eaſdem conditiones, limitationes, & extenſiones expreſſas, ac tacitas, quas promiſſio, vel contractus cui adjicitur. 83.
Juramentum promiſſorium ſicut & votum factum in commodum tertii, & ab eo acceptatum non poteſt ſine ejus conſenſu relaxari, nec commutari etiam in melius a Superiore. 88.
Juramenta Communitatis, Collegii, Capituli, quomodo ſervanda. 84.
Jurans cum reſtrictione mentali peccat mortaliter. 87.
Jurans obedientiam alteri ratione dignitatis, & officii tenetur obedire ſucceſſoribus in ea dignitate, ſeu officio. 84.
Jurare licet cum certis conditionibus, 82. immo aliquando adeſt obligatio, ib.
Jurare ſine neceſſitate, vel magna utilitate, peccatum eſt ſaltem veniale. ib.
Jurandi conſuetudinem ſine neceſſitate quiſque ſub mortali vitare tenetur. 88. Idem de conſuetudine jurandi abſque advertentia an juretur nec ne, ib.
Jus quid, & quotuplex. 127.
Juris realis ſpecies, ib.
Juriſdictio quid? III. p. I. 105.
Jus Patronatus quid, & quotuplex. II. p. II. 56. quot modis acquiritur, ib.
Juſtitia quotupliciter ſumi poteſt. II. p. I. 126. Juſtitia ut virtus ſpecialis, quid, & quotuplex. ib.

*Janſeniſtæ hæretici negando libertatem indifferentiæ pessumdant univerſam morum doctrinam.* n. 152.
*Ignorantia quid.* n. 189. 195. *Negationis, privationis, pravæ diſpoſitionis,* n. 189. *Facti, & juris,* 190. *Concomitans, conſequens, antecedens,* n. 191. & ſeq. *Vincibilis, & invincibilis.* n. 195. *Vincibilis affectata, & non affectata,* n. 196. *Non affectata vel craſſa, vel ſupina,* n. 197. *Habitualis, & actualis.* n. 198.
*Ignorantiam culpabilem, & inculpabilem admittunt Catholici contra Hæreticos.* n. 199. 202. *Invincibilis reddit actiones ſimpliciter involuntarias, innocuaſque,* n. 202. 203. *Eam minus apte deſcribunt recentes aliqui Scriptores,* n. 207. 208. 281. I. p. II. 2. *Genuinum exponitur diſcrimen invincibilis, & vincibilis.* n. 209. *Promuntur ex D. Bonaventura canones X. reſpicientes ſingulas ignorantiæ ſpecies,* n. 204. & ſeq.
*Ignorantia poteſt eſſe culpa, ſimulque culpa pœna, & cauſa,* n. 210. *Peccatum ignorantiæ & peccatum ex ignorantia differunt,* n. 200. 212. *Vincibilis eorum, quæ poſſunt & debent ſciri, eſt ex ſe peccatum, ſive credibilia, ſive operabilia illa ſint,* n. 211. & ſeq.
*Ignorantia quidnam circa leges pœnales præſtare poſſit, declaratur VI. theſibus,* n. 319. & ſeq. *Invincibilem ſolius pœnæ ſtatuta humana lege eximere tranſgreſſorem ab eadem pœna, opinio eſt gravium DD.* n. 221. & ſeq. *Invincibilis non excuſat a caſibus reſervatis,* n. 225. *Neque ab irregularitatibus ex defectu,* n. 223. *De irregularitatibus ex delicto diſceptant DD.* n. 223.
*Imperium politicum, & deſpoticum.* n. 101. 102.
*Imputabile quid,* n. 391. *Cur tale,* ib. *Illius effectus,* ib. *Mediatum, & immediatum.* n. 392.
*Imputabilitas actionum manat ex earum moralitate,* n. 390. *Convenit omnibus, & ſolis actionibus voluntatis,* n. 393. *Libertatem in agente neceſſario ſupponit,* ib. *Ejuſdem cognoſcenda criteria,* ib.
*Indifferentia actionum an ſit ſpecies moralitatis,* n. 266. *Quid conceptu ſuo præferat,* n. 268. *Duplex ſpecifica & individualis,* n. 266. *Specifica a Catholicis communiter admiſſa,* n. 367. *Fruſtra reclamant Novatores abutentes Evangelica parabola arboris bonæ, & malæ,* n. 269. 270. *Individualis ſubeſt diſputationi Scholaſticorum,* n. 271. 275. *Status controverſiæ exponitur,* n. 271. & ſeq. *Momenta præcipua utriuſque Partis litigantis,* n. 276. & ſeq.
*Infidelitatis ſpecies tres.* I. p. II. 88.
*Intellectus quomodo concurrat ad voluntatis actiones,* n. 114. & ſeq. *Quaſnam partes ſimul cum voluntate gerat in morali actione,* n. 117. 118. *Judicium intellectus practice practicum quid,* n. 115. *An voluntas agens illud ſequatur neceſſario,* n. 116. *In dubiis moralibus in neutram partem inclinatur.* I. p. II. 41. 42.
*Interna cordis peccata a multis neglecta,* n. 379.
*Interpretatio legum definitur.* I. p. II. 70. *Duplex nempe & per æquitatem.* ib. *Simplex dividitur in Authenticam, doctrinalem, uſualem,* ib. & ſeq. *Ad doctrinalem multa regula neceſſaria,* ib. *Uſualis quomodo condat jus conſuetudinarium.* ib. *Authenticam eſſe num conſuetudini conveniat,* ib.
*Inviti & coacti quo ſenſu dicantur Sacramenta valide ſuſcipere,* n. 174. & ſeq.
*Involuntarium quid,* n. 171. *Aliud per violentiam, aliud per ignorantiam,* n. 172. *Item ſimpliciter, & ſecundum quid,* n. 173.
*Illius cauſſa quatuor.* n. 177.
*Joſephus hebræus caſtimoniam libere ſervavit inter maximas peccandi illecebras.* n. 398.
*Irregularitas ex indebito uſu Ordinis ut contrahatur, quænam requirantur.* III. p. II. 78. *Ex homicidio patrato ad tuendam propriam vitam, nunc ceſſavit.* V. Homicidium.
*Ivo Carnotenſis adinventor Choralium diſtributionum.* II. p. II. 83.
*Juramentum tripliciter differt a voto,* II. p. I. 80

L

LApidicinæ, Lapilli, Venæ metallicæ &c. cujus ſunt. II. p. I. 129.
Latini in Oriente commorantes jejunia more Orientalium non obſervare tenentur. II. p. II. 179.
Latinizantes, eorumque ritus. II. p. II. 175.
Laudator. Vide *Palpo*.
Legatarii non univerſales non obligantur ad reſtitutionem, ſi relicta hæredibus ſufficiant ad ſolvenda omnia debita relicta portione hæredibus jure debita II. p. II. 49.
Legatum quid eſt, II. p. II. 48. Solvi debet ſtatim poſt aditam hæreditatem. ib. traſmittitur ad hæredes Legatarii. ib. Sub modo factum obligat ad modum illum obſervandum, ſi modus ſit in utilitatem tertii, vel Legantis, ib. Si ad certam piam cauſſam factum, nequeat illi applicari, debet ab hærede dari in alteram cauſſam impendendum judicio Epiſcopi. 49.
Legata pia contenta in teſtamento ad cauſſas non pias facto, invalido defectu ſolemnitatis, invalida ſunt, & ſtatim ſolvere tenetur hæres ab inteſtato. ib.
Legiſlator humanus quas leges ſtatuere poteſt, & quid præcipere. II. p. II. 55.
Legiſlator in materia gravi poteſt obligare ſolum ſub veniali, ib. non tamen in re levi ſub mortali, ib.
Legiſlator non obligatur legibus Prædeceſſorum, nec ſuis, 67. tenetur tamen ſervare leges a ſe, & a Prædeceſſoribus latas quando materia Principi, & ſubditis convenit, ib. Legiſlator tenetur ſuas leges jure naturali ſervare etiam ſecluſo ſcandalo. ib. Legiſlator violans ſuam, vel Prædeceſſorum legem admittit peccatum ejuſdem ſpeciei ac Subditi eam violantes, ib. Non incurrit tamen pœnas lege humana impoſitas. ib. & ſeq. Ubi vero habet juſtam cauſſam non ſervandi, tenetur non ſervare. ib. Sed hæc intelligenda de Legiſlatore habente poteſtatem abſolutam ferendi leges. ib.
Legiſlatores Supremi poſſunt cogere Subditos ſub pœnis ad legem recipiendam, 60. Item Violatores punire non expectata Populi acceptatione. 62.
Leges Civiles, X. annis præſcribuntur, Eccleſiaſticæ. X. etſi plurimi etiam decennio præſcribi volunt. 89.
Leges divinæ mere poſitivæ cum gravi nocumento non obligant. 58.
Leges Eccleſiaſticas quiſnam ferre poſſit, 56. qui Civiles, ib. eas nemo ferre poteſt, niſi ſuis Subditis. ibid. Leges contrarias legibus ſui Superioris non ferre poteſt. 54.
Leges novæ Eccleſiæ, vel Romani Pontificis Conſtitutiones pro tota Eccleſia latæ quando obligant Orientales, etſi expreſſe non nominentur. 94.
Leges Pontificiæ ut obligent in Provinciis, non ſunt in illis promulgandæ. 60.
Leges humanæ ut obligent non requirunt acceptationem, ſeu conſenſum majoris partis Communitatis. 61.
Legem humanam violans non ſolum peccat contra obedientiam, ſed etiam contra virtutem alterius præcepti. 56.
Leges nonnullæ Religioſorum ac Conſtitutiones obligant tantum ſub veniali in rebus gravibus. 58.
Ad Legis materiæ gravitatem quæ requiruntur. ib.
Legis promulgatio quid eſt, 59. differt a divulgatione, ib. quid ad ejus promulgationem requiritur. ib.
Legis finis duplex. 63.
Legis impletioni ponens voluntarie directe impedimentum peccat. 64.
Legis abrogatio, derogatio, ceſſatio inter ſe differunt. I. p. II. 78.
Legem ſine juſta cauſſa abrogans peccat, ib.
Legibus humanis omnes, & ſinguli Adulti ſubjiciuntur, & infantes. 66. quid de Amentibus, Ebriis, & delirantibus, ib.
Legum Correctio vitanda, ubi poteſt. 72.
Leges imperiales ut obligent Provincias, ſunt in illis ſingulis promulgandæ, 59. & ſeq. Non niſi poſt menſes duos a promulgatione facta obligant. ib. idem de Legibus a Regibus, & Principibus Imperatori ſubjectis.
Leges vero Regum, & Principum Imperatori non ſubjectorum ut obligent non requirunt promulgationem in ſingulis Provinciis, neque duos menſes. ib.
Leſio alterius injuſta in bonis Spiritualibus naturalibus quando inducit reſtitutionem. II. p. I. 160. quid in bonis Supernaturalibus. 181.
Læſor non tenetur pro impenſis funeris, II. p. I. 170.
Lex quid eſt, I. p. II. 48. quando obligat, ib. Debet eſſe eſſentialiter utilis bono communi. 49. a quo ferri debet, ib. Debet eſſe promulgata, ib. differt a præcepto, ib. num lex omnis neceſſario obliget, ib.
Lex quotuplex eſt, ib. Lex æterna ſtricte, & late ſumpta quomodo a naturali differt. 50.
Lex ponit rem præceptam in ea virtute ex cujus motivo etiam extrinſeco præcipitur. 56.
Lex fundata in præſumptione periculi ſemper obligat in conſcientia. 58. Secus fundata in præſumptione facti, ib. ut obliget, debet eſſe promulgata, 59. Lata, & non promulgata non obligat. ib.
Lex quando afficit invincibiliter ignorantem. 80.
Lex generaliter, vel indefinite loquens comprehendit omnia ſignificata propria. 72.
Lex num poſſit licite, & valide abrogari, 78. tripliciter abrogatur, ibid. quandonam per ſe ipſam ceſſet, ibid. & ſeq.
Lex ut abrogetur in aliqua Provincia, per deſuetudinem, vel contrariam conſuetudinem, quid requiritur, ib. In dubio num ſit abrogata, ib.
Lex divina, lex æterna ſtricte, & late ſumpta. 50. quomodo a naturali differt. ib.
Lex naturalis quid eſt, ib.
Lex naturalis in gravi ſub mortali obligat, ib.
Lex naturalis eſt etiam Evangelica quoad materiam; ſeu rem præceptam, & vetitam. 53. Præcipit ut ſemper ſiant actus honeſti, & boni, ib. & ſeq. Proprie mutari non poteſt, etſi poſſit improprie, ib.
Lex humana habet poteſtatem præcipiendi actus internos. 53. Ut obliget ſub mortali requiritur materia gravis, 57. Item intentio Superioris graviter obligandi, etſi non expreſſa. 58.
Lex humana num, & quando obliget cum gravi nocumento, ſeu damno. ib.

Lex humana poteſt per ſe obligare cum periculo, & damno etiam vitæ, 58. & quando ad hoc obligat, ib.
Lex humana in uno loco promulgata non ſtatim obligat ubique, 60.
Lex irritans quæ eſt, & pure irritans, 82. Lex irritans ſimul, & prohibens obligat in conſcientia ad vitandum actum, ib. Secus lex pure irritans, 83. Lex ipſo facto irritans obligat in conſcientia ad omnia, quæ per ſe ex irritatione ſequuntur, ib.
Lex pœnalis, & oneroſa ſtricte eſt interpretanda, 71.
Lex pure pœnalis datur, 79. quæ pœnalis, quæ mixta, ib. Pure pœnalis quomodo dignoſcitur, ib. Quando obligat ad pœnam ante Judicis ſententiam, ib.
Lex poſitiva quid, & quotuplex, 53.
Lex poſitiva ob paritatem rationis quid importat, 72.
Libellum repudii permiſit Deus, 52. & 53.
Liberalitas quid eſt. II. p. I. 123. ejus officium, ib. ei opponitur avaritia per defectum, ib. prodigalitas per exceſſum. ib.
Libertas phyſica, libertas juris, I. p. II. 20.
Libri pœnitentiales, eorumque auctores, III. p. I. 101.
Librorum hæreticorum lectio ac retentio prohibita ſub excommunicatione & in Bulla cœnæ, II. p. I. 14. lectio libri Hæretici quibus licita, ib. quid nomine libri prohibiti veniat, ib. In hujuſmodi lectione datur parvitas materiæ etſi difficile deſignari poſſit, ib. qui curat ut alius legat ut ipſe audiat, etſi ipſe non legat, peccat, & incurrit cenſuram, ib.
Libros prohibitos vendere ac emere Bibliopolæ non licet, 16.
De Librorum prohibitione Eccleſiæ poteſtas, ac diſciplina refertur, quam circa eoſdem ſervavit, cum nondum ars typographica eſſet inventa, 16. & poſt inventam typographicam artem, ac poſt ortas Lutheri, ac Calvini hæreſes. 18.
Librorum reviſio ante impreſſionem a quo, & quando originem habuit. 19. Librorum prohibitorum Indices, ſeu Catalogi initium unde cœperint, ib. eorum progreſſus, ib. ad eorum proſcriptionem quomodo procedi ſolet, ib.
In legentes, tenentes, ac imprimentes libros prohibitos variæ conſtitutæ ſunt pœnæ, 25. & ſeq. Potiſſimum excommunicatio Bullæ Cœnæ in legentes ac retinentes libros Lutheri, Calvini aliorumve Hæreſiarcharum. ib. Item in eorum librorum defenſores, ib.
Libri hæreticorum non tractantes de Religione ſi ab Epiſcopo vel Inquiſitore ſint examinati, ac approbati permittuntur. ib.
Libri Ethnicorum, & Judæorum, & Mahumedanorum in Bulla Cœnæ non prohibentur, ib. Libri de Aſtrologia Judiciaria per Sixtum V. ſub excommunicatione Pontifici reſervata fuerunt proſcripti. ib.
In prohibitione libri etiam Manuſcripta prohibita cenſentur. 26.
Libri Catholici in uno idiomate prohibiti, ſint & in alio prohibiti, ib. facultas legendi libros prohibitos a quo conceditur, ib. Decreta quibus Romæ prohibentur libri, obligant omnes omnino fideles, ib.
Librum famam proximi lædentem, & crimina vera, ſed occulta pandentem nec legere nec audire licet jure naturali, II. p. I. 180. quid de auditis, lectis, & relatis abſque obſervatione. ib.
Licentia Superiorum in Religioſos. Vide *Religioſus*.
Liturgiæ nomen, origo, diſciplina. II. p. II. 165.
Locatio quid eſt. II. p. II. 37. Circa locationem operariorum, & famulorum quæ obſervanda. 38.
Locator ad quid tenetur, 37.
Lucrum omne ex mutuo præciſe ratione mutui uſurarium eſt, & ab omni jure improbatur. II. p. II. 17. Calvini, Molinæi, Salmaſii, aliorumque hac in re opinio, ac diſtinctio hominum in tres gradus, *ibid.* Refellitur iſtorum aſſertio, *ibid. & ſeq.* Refellitur pariter Judæorum inter Chriſtianos degentium doctrina hac ſuper re, & Sacræ Scripturæ textus explicantur. 28.
Lucrum ceſſans quid eſt, 21. quid in ejus compenſatione exigi poteſt, ib. Cetera Vide v. *Auctarium*.
Ludus quid eſt, II. p. II. 45. ut ſit licitus quæ requiruntur, ib. & ſeq.
Ludus ſumptus pro contractu, ib. ejus conditiones, *ibid.* quibus in Caſibus committitur culpa gravis in ludo. *ibid.*
Ludus Alearum, Taxillorum eſt Clericis prohibitus. II. p. II. 76.
In vetito, ſeu alea aliquid qui lucrans quando tenetur reſtituere lucrum, & qui perdit ſolvere, II. p. II. 48.
Ludi prohibiti qui ſunt, 46.
Luminaria pro Miſſæ Sacrificio. III. p. I. 54.
Luſor quando tenetur ad reſtitutionem ante omnem ſententiam, II. p. II. 46.
Luxus Clericis prohibitus, I. p. II. 77.
Luxuria quid eſt & quotuplex. I. p. II. 127. eſt mortale peccatum, ib. ejus ſpecies. ib.
Luxuriæ peccatum Confeſſarii cum Pœnitente continet malitiam duplicis Sacrilegii, 129.
Luxuriæ peccata non conſummata quæ ſunt, 132.
Luxuriæ filiæ, Luxuriæ remedia, 137.

L*Ex poteſt eſſe moralis, pœnalis, irritans*, num. 217. *Legis univerſim ſpectata dotes*, I. p. II. 4. *Tractatus Canonico-Moralis* de Legibus *per quam neceſſarius ſcitu*, 48. *Earum promulgatio. & divulgatio*, ibid. *Obligatio in actu primo, & ſecundo*, ib. *Permiſſivæ an obligent*, 49. *Conſultoria an proprie leges*, ibid.
*Lex æterna*, I. p. II. 50. *Naturalis*, ibid. *Hujus diſcrimen a Synderesi, & conſcientia*, ibid. *Perperam ejuſdem exiſtentia a quibuſdam negata*, ibid. *Ejus præcepta quid proprie ſunt*, ibid. *Multiplicis generis eſſe dicuntur*, ibid. *Qualia poſſunt ignorari*. ibid. *Variæ hac de re opiniones*, ibid.
*Leges pœnales*. *Vid.* Pœnales.
*Legi an ſatisfiat, ubi ſervatur animus non ſatisfaciendi*, I. p. II. 63.
*Libertas naturæ, gratiæ, gloriæ*, num. 153. *Natura duplex, a coactione, & a neceſſitate*, num. 154. *Utraque a Catholicis interdum promiſcue nominata*, num. 165. *Libertas a neceſſitate dicitur contradictionis, & contrarietatis*, n. 157. *Aliæ illius nomenclationes*, num. 158. *Ejuſdem notio genuina proponitur*, n. 152. 157. *Exiſtentia probatur quoad utrumque naturæ ſtatum*, num. 159. *Neque elevatur ob neceſſitatem ſupernaturalis gratiæ*, num. 161. *Quæ a Novatoribus decantatur libertas, eſt reapſe alia, nec ſufficit*, n. 156. 166. & ſeq. *Prædicta libertas a neceſſitate, ſive contingentia, eſt accidentalis actui humano phyſice ſpectato*, num. 147. *Ad ejus autem moralitatem eſt prorſus neceſſaria*. 148. 149.
*Liberum preſſe ſumptum differt a voluntario*, num. 152. *Quadruplex utriuſque diſcrimen*, num. 162. *Voces tamen liberi, & voluntarii ſæpe a Catholicis promiſcue uſurpata*. num. 164.
*Librorum Cenſores præ oculis habere debent certas regulas*, n. 72. 73.
*Ludus omnis per ſe licitus concurrentibus nonnullis conditionibus*. II. p. II. 76. *Alearum ludi Clericis, & Monachis vetiti Eccleſiaſticis Sanctionibus*. ib. *Priſcæ de iiſdem ludis leges Civiles nunc ferme abrogata*, ib.

M

MAgia quid eſt, II. p. I. 91. alia naturalis, alia ſuperſtitioſa, ib. Eſt ſemper per ſe mortale, a quo ſola ignorantia invincibilis excuſat. ib.
Magi, Malefici, Divinatores non ſunt abſolvendi niſi omne pactum, & commercium cum dæmone abjurent, & diſſolvant, aliaque magicæ artis deſtruant. II. p. I. 92.
Magiſtri, & Pædagogi vices Parentum in diſcipulos gerunt quoad ea, quæ ad ſtudia, & bonos mores ſpectant, II. p. II. 120. in quibus graviter peccant, & quæ eorum obligationes. ib.
Maledicere Creaturis irrationabilibus prout homini ſunt utiles, eſt æquivalenter maledicere homini; prout ſunt Creaturæ Dei eſt blaſphemia: & illis maledicere ſecundum ſe conſideratis eſt otioſum, vanum, ac illicitum, II. p. I. 49.
Maledictio gravis effuſa in non Subditum præſentem non ſolum Caritati, ſed etiam juſtitiæ repugnat, ib.
Maledictionem gravem proferre ex animo ut malum grave eveniat, mortale eſt, 48. Idem dicendum de ſibi, vel aliis ex ira grave malum imprecante, ib.
Maleficium quid & quotuplex eſt, II. p. I. 92. quomodo tolli poteſt, ib.
Malefici. Vide *Magi*.
Malitia actus quid, I. p. II. 58. Quæ malitia requiritur ad peccatum mortale. 104.
Malitia moralis actus voluntatis alia materialis, alia formalis, I. p. II. 86.
Malum proximo nunquam licet optare, vel imprecari, II. p. I. 48. licet tamen affectu inefficaci malum temporale deſiderare, ac de illo gaudere ob ejus bonum Spirituale, ib. Et ſic pariter licet optare mortem juſte obventuram Hæreſiarchæ, vel Malefactori Reipublicæ noxio. ib. Item optare malefactori pœnam meritam per judicem infligendam, ib.
Mancipia. Vide *Servi*.
Mandans quis dicitur, & quando tenetur ad reſtitutionem, II. p. II. 150.
Mandantis, & Mandatarii obligationes, II. p. II. 28.
Mandatum quid eſt? ib.
Manſuetudo quid eſt, II. p. I. 114. per defectum ipſi opponitur nimia diſſimulatio, per exceſſum iracundia. ib.
Manuſcripta in librorum prohibitione etiam ipſa prohibita cenſentur, II. p. I. 26.
Maritus peccat contra juſtitiam, & tenetur reſtituere Uxori, ſi ejus dotem, aliaque ejus bona diſſipet, vel bona communia in notabili quantitate Uxore invita prodige donet, vel in malos uſus impendat, II. p. I. 193.
Maronitæ, eorum Metropolitarum, & Epiſcoporum ſedes, & limites, II. p. II. 157. Maronitæ Gregorianum Kalendarium recepere, 178.
Mater primo triennio alere debet liberos, inde Pater, II. p. II. 167.
Matrimonium contrahens poſt votum Caſtitatis, vel Religionis ſine diſpenſatione peccat graviter, & ſemper tenetur abſtinere a petitione debiti, & poſt mortem Conjugis a ſecundis nuptiis, ac juxta plures Religionem ingredi, II. p. II. 111.
Matrimonium quid, III. p. II. 5. ejus materia, forma, & miniſter, ib. qualis conſenſus ad ejus valorem requiritur, ib. & ſeq.
Matrimonium valet, ſi conditio ſit de præſenti, & extet, vel de præterito, & extiterit, 6. eſt vero irritum ſi conditio repugnet naturæ, indiſſolubilitati, vel fini Matrimonii, ejuſve bono, & fidei. 7. ac ſi conditio non adverſetur ſubſtantiæ, & fini Matrimonii, Matrimonium non irritat in foro externo, licet ſit turpis, ib. nec ad Matrimonii valorem requiritur Parentum conſenſus, ib. & ſeq. quid hac de re in Gallia, ib. valide contrahitur per Procuratorem, & inter abſentes, 8. Item per litteras, ib.
Matrimonium quodlibet abſolute contractum, eſt, ac ſemper fuit inſolubile niſi ex ſpeciali Dei licentia aliter contingat, ib. unde Matrimonium conſummatum Baptizatorum nullo caſu diſſolvi poteſt ab hominibus, 9. quid de Matrimonio infidelium, ubi unus conjugum ad fidem veniat, alter in infidelitate remaneat, ib. Matrimonium baptizatorum ratum, ſed non conſummatum ob duas cauſas diſſolvitur, 11. conjugum vero ſeparatio aliquando licet, ib.
Matrimonii impedimenta, eorumque diviſio, 13. a quibus impedimentis Pontifices diſpenſare conſueverunt, 17. Banna, & denunciationes quoad Matrimonium obſervanda, 11.
Matrimonium metu initum quando infirmatur, 25.
In celebrando Matrimonio Parochi, ac duorum teſtium præſentia requiritur, & qualis præſentia, 32. quales teſtes, ib. quid de occultis Matrimoniis, 33. quid de Matrimoniis vagorum, & quoad loca Hæreticorum, 32. quid ratione impotentiæ, 33. quid de clandeſtinis, ib.
Matrimonium invalidum quomodo convalidandum. 37. Vide *Divortium*, *Sponſalia*.
Matrimonium, ejuſque diſciplina apud Orientalem Eccleſiam. 51.
Matutinum cum laudibus pro tempore ex conſuetudine recitandum. II. p. I. 60. Num ante miſſam 61. a laudibus licite ſeparatur. ib. quin unum nocturnum ab alio per duas circiter horas. ib.
Medici ad quid tenentur. II. p. II. 131. In extrema vel gravi neceſſitate pauperum tenentur ſub mortali gratis mederi. ib. aliæ eorum obligationes. ib.
Medici, aliique dantes potiones ad procurandum abortum, ſive fœtus ſit animatus, ſive non, mortaliter peccant. II. p. I. 163. Idem dicendum de Mulieribus ſumentibus, & abortui occaſionem præbentibus. ib.
Melchitæ eorumque Patriarcha, II. p. II. 157.
Mengrellenſes quomodo conferant Baptiſmi Sacramentum, II. p. II. 163.
Mendacium eſt intrinſece malum. II. p. II. 223. Quando eſt gravis, quando levis culpa. ib.
Mercatorum obligationes. II. p. II. 133.
Metus unus levis, alter gravis. I. p. II. 153. ad metum gravem revocatur reverentialis. ib. Vide *Contractus ex metu*.
Metus levis nunquam excuſat a peccato. ib. Gravis quibuſdam in caſibus. ib. metus gravis minuit culpam. ib.
Michael Cerularius omnium primus Latinorum azyma damnavit. III. p. I. 60.
Milites ad quid tenentur ſub mortali. II. p. II. 132.
Militia Clericis eſt vetita. II. p. II. 64.
Miniſter indigenus, alius toleratus, alius non. III. p. I. 9. a poſteriori Sacramenta quando recipere licet, *ibid.* Miniſter Baptiſmi, 28. In Miſſæ Sacrificio peragendo. III. p. I. 64.
Miſſæ Sacrificium, ejuſque effectus, 52. ubi & qua hora celebrandum, 53. quæ ad celebrandum neceſſaria, ib. quæ obſervanda ut rite celebretur. 54. in pollutam, interdictam vel execrata Eccleſia celebrare mortale eſt. 58.
Miſſæ eleemoſyna. 56. vulgari alienove idiomate nunquam celebrare licet. 76. Miſſæ Præſanctificatorum quid, & quibus diebus apud Græcos celebrantur. III. p. II. 166. apud Maronitas. 175. Miſſæ ab Orientalibus dicti Liturgia. II. p. I.
Miſſæ auditio ejuſque præceptum quomodo adimplendum. II. p. I. Quibus Miſſæ partibus, & quomodo adſtandum. ib. Intentio in audienda Miſſa, 71. Quæ excuſant ab Auditione Miſſæ. 72. Die Natalis Domini non eſt præceptum audiendi tres Miſſas. ib.
Miſſionarii in Miſſionibus quid inſinuare tenentur Fidelibus ab ipſis baptizatis. I. p. II. 98. Quid circa uſum Kalendarii. *ibid.* Quid circa Controverſias de ritibus, obſequiis, aliiſque. II. p. I. 8. & ſeq. debent Miſſionarii ſe abſtinere a publicis diſputationibus cum Hæreticis. 11.
Miſſionariis non licet Hæreticorum, & Schiſmaticorum in Eccleſiis celebrare. II. p. I. 20. bene vero in Catholicis Eccleſiis ab Hæreticis occupatis. *ibid.* item in privatis domibus, ib. quibus & quando in navibus. ib. Ipſis datur uſus Altaris portatilis, & facultas benedicendi paramenta. ib.
Mollities quid eſt, I. p. II. 129.
Monaſteria Monialium ingredi ſub excommunicatione vetitum eſt hominibus, & feminis. II. p. II 198.
Monetam falſam pro vera ignoranter tradens ad quid tenetur. 33.
Monopolium quid & quotuplex. 34.
Monopolia auctoritate privata facta ſunt prohibita lege humana, ac divina naturali. ib.
Monopolia quatuor modis fiunt, & quidem contra juſtitiam. ib.
Montes Pietatis a Concilio Lateranenſi V. approbati quomodo ab uſura immunes. 16.
Moribundus quoad confeſſionem, & abſolutionem. III. p. I. 2.
Motivum grave nequit prudenter in judicando præferri motivo graviori, aut æque gravi in oppoſitum. I. p. II. 42. quomodo motivum dicitur grave. ib. Motivum grave non ſemper eſt ſufficiens ad prudentem aſſenſum.

*ib.* ſuam gravitatem amittit in concurſu motivi æque gravis, 45. Motivum quod prudenter contemnitur perinde ſe habet, ac ſi non extaret. *ib.*
Motus inordinati Concupiſcentiæ quando ſunt peccata mortalia, quando venialia. I. p. II. 116.
Motus indeliberati Concupiſcentiæ rationem, & voluntatem prævenientes licet graviter inordinati non ſunt peccata imputabilia, nullo accedente voluntatis conſenſu etiam interpretativo. *ibid.* quod & de aliis motibus internis, pravis cogitationibus ex objecto malis eſt intelligendum, *ib.*
Mutilare ſe ipſum non licet, niſi ad ſalutem corporis, II. p. I. 162.
Mutilor, Vide *Occiſor*, *Læſor*, *Homicida*.
Mutuator ad quid tenetur. II. p. II. 14. Ad quid Mutuatarius. *ibid.* Res mutuata in qua ſpecie, & bonitate eſt reddenda, *ib.* Quando, & quomodo paciſci licet de reddenda re mutuata in eadem menſura, & quantitate, vel pecunia in eadem ſpecie phyſica, 15. Filius familias etiam major ſub patria poteſtate conſtitutus mutuam accipiens ab alio pecuniam abſque Patris conſenſu ex communi non tenetur eam reſtituere in conſcientia ne quidem poſt mortem Patris, ſi eam in ludis & ſimilibus conſumpſit, & non putabatur eſſe ſui juris, *ib.* Vide *Lucrum*.
Mutuum, ſeu mutuatio quid eſt. 14. differt a commodato, locato, donatione, permutatione. *ib.*
Mutuum dare qua lege, & quando licet, 22. Mutuo ſunt duo extrinſeci tituli, ob quos licet aliquid ultra ſortem exigere, omnium emergens & lucrum ceſſans, *ibid.* Poſitis certis conditionibus in mutuo licita eſt pactio, ut mutuatarius ſi ad terminum præſtitutum non reſtituerit, aliquid ſolvat in pœnam ſuæ moræ, 23. Nihil licet exigere a pauperibus ratione periculi ſortis orti ex eorum inopia. *ib.* etſi fidejuſſor pro obligatione periculum in ſe ſuſcipiendi juſte accipiat, *ib.* licet tamen juxta multos aliquid ultra ſortem paciſci, & exigere ratione periculi mutuo extrinſeci, *ib.* Sicut & pro extraordinariis facultatibus, laboribus, impenſis, moleſtiis, *ibid.* &c. conditiones requiſitæ valide exigi poſſunt tali titulo. *ib.* lex ſeu conſuetudo Provinciæ non eſt titulus legitimus aliquid ultra ſortem exigendi, 24. idem dicendum de lege, & Sententia judicis, qua mutuatori adjudicatur aliquid ultra ſortem a tempore interpellationis ſuæ in compenſationem intereſſe, *ib.* Pignus pro mutui aſſecuratione accipiens tenetur fructus ex illo perceptos computare in diminutionem ſortis, deductis expenſis, laboribus, ac operis, *ib.* verum excipiendum tamen eſt feudum in pignus debiti datum domino directo, *ib.* ſicut & feudum pro dote in pignus datum genero, 25. uſurarium, ac illicitum eſt mutuare ob ſpem lucri tamquam finem principaliter intentum, licet ſine ullo pacto. *ib.* etſi uſura non ſit aliquid ſecundario ſperare ex mera liberalitate, & gratitudine, non ut debitum nec intentum ex mutuo, *ibid.* uſura tamen eſt intendere, etſi ſecundario, lucrum ex mutuo ut pretium, vel ut aliquid pro mutuo debitum, *ib.* Mutuum petere ſub uſuris non licet, niſi ob gravem neceſſitatem propriam, vel alienam ſi aliter haberi nequit, *ib.* unde ſecluſa neceſſitate ſaltem rationabili non licet mutuum petere ab uſurario, & accipere ſub uſuris, *ib.*
Mutuans principaliter ob ſpem lucri alias non mutuaturus, tenetur reſtituere accepta ultra ſortem etſi nullum præceſſerit pactum, *ib.* quid ſi mutuatarius ſponte & ex liberalitate mutuanti ejus mentem ignoranti donet, & tamquam ex mutuo debitum accipiat. 27. Si mutuatarius dederit aliquid ultra ſortem tamquam ex mutuo debitum, & mutuans illud acceptarit bona fide, tamquam liberaliter donatum, hic tenetur ubi reſcierit reſtituere acceptum, & fructus extantes, *ib.*

M*Alum morale quid*, n. 259. *Conſiſtit in privatione*. ib. & ſeq.
*Malum* formaliter, *mutatione circumſtantiarum*, materialiter *duntaxat malum poteſt evadere*, n. 246. 247. *Malum formale actionum, ad peccandum, ſat eſt interpretative velle*, 321. 322. Malum minus ex duobus eligendum, *quomodo intelligitur*, n. 309. 313.
*Matrimonium ſollemni, non ſimplici, voto ſolvitur*, 19. *Validum cenſendum, quamvis contractum coram Parocho invito, ob aliam cauſſam vocato, etiam in aliena Parochia*, I. p. II. 89. 90. *Uſus matrimonii quandonam licitus, aut illicitus*. II. p. II. 125.
*Mediolanenſes in Patria morantes non tenentur inchoare anteporſchale jejunium fer. IV. cinerum*. I. p. II. 91. *Incunte tamen prima Dominica Quadrageſima debent abſtinere a cibis vetitis*. Ib. *Extra Patriam conſtitutus apertet jejunium auſpicari eadem ipſa iv. fer.* 68.
*Mendacium quid*, n. 216. 217. *eſt in ſe malum, & nulla circumſtantia poteſt honeſtari*, n. 17. 314. & ſeq. *Secus olim ſenſere Platonici, & Origeniſta*, n. 315. *Et modo Proteſtantes*, n. 17. 23. *Eumdem errorem videntur ſaltem practice fovere multi Catholici*, n. 324.
*Meritum de congruo, & de condigno*. n. 394. *Operis meritorii gloriæ æterna de condigno ſex conditiones*, n. 385. Duæ, *ut homo ſit in ſtatu viæ, & gratia ſanctificantis*, n. 395. 396. Tres, *ut opus ſit moraliter bonum, & ſupernaturali auxilio nixum*, n. 397. *Liberum*, n. 398. *Procedens ex caritatis influxu*, n. 400. Ultima, *ut adſit divina promiſſio dandæ gloriæ*, n. 401. *Opera bona ex voto ſeu obedientia peracta evadunt magis meritoria*, n. 303.
*Metus quid, & quotuplex*, n. 180. *Non tollit, ſed minuit voluntarium*, n. 181. & ſeq.
*Militia per ſe licita*. II. p. II. 231. *Quanam neceſſaria ad rectum illius uſum*, ib.
*Militum officia præcipua*. ib. *Sint procul a Venere*, 178. *Spirituali diſcrimini ſunt valde obnoxii*, ib.
*Molina Ludov. excellens Opus* de Juſt. & Jur. II. p. II. 65.
Morum *nomine quid veniat*, n. 5.
*Moralitatis eſſentia ſita in habitudine actus cum regula agendi*, n. 251. *Non in libertate actus*, n. 250. 222. *Actus moralis definitio*, n. 253. *Moralitatis ſuprema ſpecies, bonitas, & malitia*, num. 254. *Cauſſa tres, objectum, finis, circumſtantia*, num. 279. *Moralitas actualis, & objectiva*, ib. *Formalis, & materialis*. n. 282. *Objectiva primario convenit actui exteriori, formalis interiori*, n. 381.
*Moralis diſciplinæ præſtantia, utilitas, neceſſitas*, n. 5. 8. *Objectum*, n. 4. 97. *Officium*, n. 6. *Finis*, n. 7. *Eadem complectitur proprie dictas demonſtrationes*, I. p. II. 38.
*Moralis Philoſophia a Catholicis tradenda legitima methodus*, n. 26. & ſeq.
*Moralis Theologia accurata definitio*, n. 43. *Ejus diſcrimen a Philoſophia Gentilium, & Juriſprudentia Naturali Proteſtantium*, n. 9. 10. *Eam inepta methodo plures Recentiores tractarunt*, n. 233. & ſeq.
*Moralium D. D. concordia ſummopere optanda*, n. 84. *Debent ipſi puram haurire doctrinam ex Theologicis fontibus*, n. 60. 61. *Mediam viam tenere*, n. 82. 83.
*Morales Collationes a Benedicto XIV. plurimum commendata*, num. 75. *Illarum Præſes qualis eſſe debeat*, numer. 75.
*Motiva varia credibilitatis Religionis Chriſtiana*, n. 47.
*Mulieres bene morata ad publicam conferunt Regnorum felicitatem*, III. p. I. 117. *Vana & inverecunda veut Dei flagella, & difficile corriguntur*, ib. *Harum immodeſtus ornatus origo ſcandalorum*, n. 240. III. p. I. 217. *Olim Roma ſeveriſſime prohibitus*, n. 3. 9. *A multis Epiſcopis adnumeratus caſibus reſervatis*, II. p. I. 227. *A Confeſſariis non ita facile abſolvenda*, ib.
*Mutuari pecuniam ab uſurario interdum licet*, n. 247.
*Mutui vi nihil licet exigere a mutuatario, ſeu paupere, ſeu divite*. n. 23.

N

NEceſſarium neceſſitate medii quid importet, II. p. I. 2. quid neceſſitate præcepti. *ib.*
De Neceſſariis vitæ non eſt obligatio faciendi eleemoſinam. II. p. I. 42.
Neceſſitas, ſeu Indigentia Proximi triplex. 43. Triplex item eſt ſpiritualis neceſſitas, *ib.*
Neceſſitate medii quæ credenda ſunt, II. p. 2.
In extrema neceſſitate Proximi non modo de ſuperfluis, verum & de neceſſariis ad decentiam ſub mortali quilibet ſubvenire tenetur. 43. Quid & quomodo in gravi neceſſitate. *ib.*
Negotiatio quid eſt. II. p. II. 64. Clericis eſt vetita, ſicut & ſæcularia negotia. *ib. & ſeq.*
Neophyti Tunckinenſes Apoſtatæ ad Chriſtianam Religionem redeuntes. II. p. I. 27. quid circa hos præcepit Congregatio S. Officii, *ib.*
Neſtoriani, eorumque auctor, errores, & damnatio, II. p. II. 180.
Nicolaus Papa I. quæ ſuperſtitioſa declaraverit, II. p. II. 183.
Notarius peccat, & tenetur de damno, ſi ignoret quæ ad ſuum officium pertinent, II. p. II. 130.
Novatores perperam pſalmodiam, cantica, cultum Imaginum, & Reliquiarum, alioſque ritus reprehendunt. II. p. II. 152.

N*Aturalis ratio ex ſe impar detegendo ultimo fini hominum, mediiſque ad eum ducentibus*. n. 21. & ſeq. n. 33. & ſeq. *Idcirco minime ſequeſtranda doctrina divinitus revelata*, n. 26. 32.
*Neceſſitas libertati oppoſita deſcribitur*, n. 156. *Abſoluta, & conditionata*, ib.
Negotiationis *nomen æquivocum*, II. p. II. 65. *Alia lucrativa*, ibid. *Prior late, aut ſtricte ſumitur pro artificio, aut mercatione*, ibid. *Poſterior eſt œconomica, vel politica*, ib. *Stricte ſumpta Clericis, & Monachis prohibita jure Canonico*, 66. *Noviſſime quoque interdicta a Benedicto XIV. Clem. XIII.* 64. *Multiplex finis hujus prohibitionis*, ibid. & ſeq. *Quinam Clerici præciſe deſignari intelligantur*, 66. *Non lucrativa, ſeu naturalis Clericis permiſſa*, ib. *At non ſine limitatione*, ib. *Similiter lucrativa artificialis permiſſa ſub certis conditionibus*, 67. *Exponuntur fines honeſti artificii*. ib. & ſeq. *Clerici uvas ementes, ut vinum per operarios inde confectum divendant cum lucro, mercationem magis, quam artificium exercere videntur*, 69. *Variorum DD. teſtimoniis id comprobatur*, ib. *Accedit multiplex ratio*, ib. *Mercationem per alios exercere nequeunt Clerici*, 72. *Definitio noviſſima Bened. XIV. dubium omne hac de re ſuſtulit*. ib.
*Novatorum falſa doctrina de concupiſcentiæ motibus*, num. 128. *Vitioſas putant actiones, quæ ex fide, & caritate non prodeunt*, n. 269. 270. 272. 319. *Cur in caritatis negotio peſſime ſentiant*, n. 400. *Oſores ſunt cælibatus Eccleſiaſtici*, II. p. II. 79. *Plerique nimia ſuperſtitione litant ſoli humanæ rationi*, n. 16.
*Novitas quænam a Theologis vitanda*, n. 394.

O

OBedientia quid, quotuplex, II. p. I. 123.
Obligatio quid, & quotuplex eſt, II. p. II. 2.
Obligatio reſtituendi ex damnificatione, & ex damno dato. Vide. *Reſtitutio*.
Obligationis Referentis, Secretarii, Notarii, Procuratoris, & Apparitoris, II. p. II. 130.
Obligationes Medicorum, Pharmacopæorum, & Chirurgorum, II. p. II. 132.
Obligationes Mercatorum, Opificum, & Operariorum. 123.
Obligationes Perſonarum Judicialium, vel forenſium, II. p. II. 122.
Obſcœna, & turpia loqui, legere, canere vel audire quando eſt mortale, I. p. II. 130.
Obſervantia quid, & quotuplex eſt. II. p. I. 123. Quid obſervantia vana, II. p. I. 90. ejus diviſio, *ib.* quomodo cognoſcitur, quibus modis fit. 92. Eſt de ſe ſemper culpa gravis, & ſola invincibilis ignorantia excuſat. *ib.*
Occaſio peccati quid; & quotuplex, III. p. I. 121.
Occidere homines peccatores reipublicæ noxios licet auctoritate publica, II. p. I. 161. non vero auctoritate privata, immo nec verberare. 162. Nec licet occidere Uxorem, vel Filiam in Adulterio deprehenſam, nec ipſum Adulterum, *ib.* neque licet occidere ſeipſum, neque aliquem volentem, & petentem. *ibid.*
Occidere accuſatores, & falſos Teſtes vitam injuſte oppugnantes non licet, II. p. I. 165. Quid pro defenſione pudicitiæ. *ib.* Quid pro defenſione bonorum fortunæ, *ib.* Quid pro defenſione honoris, & famæ, 166.
Occidere injuſtum invaſorem in alterius defenſionem num licet, II. p. I. 167.
Occiſor quando reſtituere tenetur non ſolum Uxori, & liberis, ſed etiam aliis, & Creditoribus, II. p. I. 170.
Odium quid, & quotuplex eſt, II. p. I. 47.
Odium inimicitiæ erga Deum eſt peccatum omnium graviſſimum. 48.
Odium inimicitiæ erga Proximum eſt peccatum mortale ex genere ſuo *ibid.* Odium vero abominationis erga Proximum eſt levis vel gravis culpa pro modo quo concipitur, *ib.*
Officium ſtudioſe, ac devote recitandum, & articulate, ac ſenſibiliter pronuntiandum. II. p. I. 62. in ejus recitatione quæ intentio requiritur, 62. ſufficit intentio virtualis. *ib.* legens cum ſocio extra Eccleſiam ſatisfacit, 63. ab ejus recitatione quæ excuſent. *ib.*
Omiſſionis cauſſa quando quis peccat, I. p. II. 111.
Omiſſiones omnes actuales, & non tantum earum culpabiliter cauſſam neceſſe eſt confiteri, *ib.* Vide *peccatum Omiſſionis*.
Opinio quid eſt, I. p. II. 41. Quæ eſt opinio probabilis ſpeculative, quæ practice, *ib.* Opinio probabilis differt a conſcientia. *ib.* Ut opinio cenſeatur probabilis etiam ſpeculative quid requiritur, *ib.*
Opinio improbabilis quæ eſt. *ib.*
Opinio intrinſece probabilis, *ib.* Opinio tuta, & tutior quæ, *ib.*
Opinionem minus tutam quando ſequi licet, *Ib. de* Opinione probabili Judicium Cleri Gallicani, & Cardinalis Bellarmini, 45.
Opinionem minus probabilem ſtantem pro libertate in concurſu probabilioris ſtantis pro præcepto nunquam ſequi licet, 44. In concurſu duarum opinionum æque probabilium tenemur ſequi tutiorem, & non e contra. 46.
Opinio probabilis & ſecundum ſe conſiderata qualis dicitur, I. p. II. 41.
Opinio æque tantum probabilis ſtans pro libertate poteſt afferre certitudinem moralem. 44.
Opinio probabilis extra concurſum quid confert. 47.
Oratio late, & ſtricte ſumpta quid eſt, II. p. I. 57. Alia mentalis, alia vocalis, *ib.* vocalis alia privata, alia publica, *ib.* frequens Oratio eſt omnibus adultis præcepta, *ib.* & neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, *ib.*
Oratio debet eſſe pia, & honeſta, *ib.*
Oratio conficta a S. Patritio ad benedicendam aquam reprobatur, II. p. II. 140.
Orandi præceptum quando obligat, II. p. I. 57.
Ordinum diſciplina quoad Orientales. III. p. I. 159.
Ordo quid, III. p. I. 157. Ordinum numerus, materia, forma, miniſter, *ib.* ad ſuſcipiendos licite Ordines requiſita, 159.
Orientales diſſident tum a Latinis, tum inter ſe ob Liturgias & rituales libros, II. p. II. 163. variant etiam quoad ciborum defectum, *ib.* plerique fermentato pane oleum cum ſale admiſcent, III. p. I. 62. Spiritus S. invocationem poſt Euchariſtiæ inſtitutionis hiſtoriam, & Chriſti verba collocant. 71. Circa tempus celebrandi peculiarem diſciplinam habent. 78.
Orientales quibus in caſibus in Conſtitutionibus Rom. Pontificum comprehenduntur, II. p. II. 173. & ſeq. Ad ipſos ſpectant Decreta Conciliorum, quæ in Occidente celebrata ſunt, ex ea parte qua fidei dogmata definiuntur. *ib.*
Oſee præcipiens Deus, ut ſibi fornicariam uxorem ſumeret, quid hoc præcepto voluit. II. p. II. 52.

O*Bjectum primario ſpeciem tribuit humanis actionibus* n. 281. *Quale illud ſit*. n. 283. 284.
*Odium enaſcitur ex amore*, II. p. II. 23.
Officiorum *nomine quidnam ſignificetur*. n. 88. *Ex D. Ambroſio, & aliis Patribus explicata ſecundum rationem ſimul, & revelationem*. n. 27. & ſeq.
*Officium Divinum*. *Vid.* Beneficiarius.
*Opinio deſcribitur*. I. p. II. 38. *Formido ei adnexa poteſt eſſe* tum

*tum logica, tum moralis*. ib. *Poſterior formido complectitur dubium morale, adeoque eliminat moralem certitudinem de beneſtate actionis*. ib.

*Opinionibus vere communibus, aut magis communibus, oportet cordatum Theologum adhærere*. n. 51. 52. 64. *Veroſimiliores, ſeu firmioribus nixas rationibus ſequi ſolent Sacr. Rota, & Sac. Congregatio Concilii* n. 52.

*Oratio quomodo prodire debet ex continuato deſiderio caritatis*. n. 380.

P

PActum validum, quam obligationem inducat. II. p. II. 1.

Palamitarum error. II. p. II. 161.

Palpo quis dicitur, & ad quid tenetur. II. p. I. 152.

Panis pro Euchariſtia. III. p. I. 42.

Papa in diſpenſationibus poteſtas. I. p. II. 74. præſertim quoad vota ſollemnia. ib.

Paraceleſia quid. II. p. II. 166.

Parentes ad quid tenentur erga liberos. II. p. II. 115.

Parochi quam ſcientiam habere debent, II. p. II. 95. reſidere tenentur jure divino, ceteraque eorum obligationes. ib.

Parochianorum ſuorum confeſſiones audire poſſunt in aliqua Diœceſi, in qua non ſunt adprobati, non tamen alterius Parochiæ etiam cum facultate proprii Parochi. III. p. I. 107.

Participans ad quid tenetur. III. q. I. 152.

Paſcha, ac circa ejuſdem celebrationem controverſia. III. p. I. 156.

Paſſio quotuplex, & de ipſa quid ſentiendum. I. p. II. 137.

Patientia quid. II. p. I. 112.

Patriarchæ Orientales, ac Epiſcopi ſibi ſubditos a Pontificiis legibus ex ſola Rom. Pontificia conceſſione diſpenſare poſſunt. I. p. II. 95.

Patrono Laico ad præſentandum ſpatium quatuor menſium conceditur. II. p. II. 51. Quid ſi plures Patroni diverſas nominent perſonas. ib. De Patrono Eccleſiaſtico quid conſtituit Benedictus XIV. *ib. & ſeq.*

Patronus ſeipſum non poteſt præſentare. ib.

Peccatum quid eſt. I. p. II. 96. Quid peccatum mere philoſophicum, & num detur. 97. Peccatum aliud originale, aliud perſonale. ib.

Peccatum non eſt multiplex in eadem actione, vel omiſſione ſi præcepta ſint inter ſe ſubordinata, aut connexa, & idem numero objectum per ſe ſpectet ex eodem motivo proximo. 98. Sed probabile eſt, multiplex eſſe numero peccatum in confeſſione declarandum, ſi præcepta ſint inter ſe diſparata. ib.

Peccatum mortale quid, quid veniale. 103. Eorum differentia. ib. Peccatum eſt eſſentialiter voluntarium. ib. Ad peccatum mortale quæ requiruntur, ib. quæ malitia. 104.

Peccatum mortale eſt: poteſt imputabile ſine advertentia actuali malitiæ. 104. Ad peccatum mortale etiam ſecundum ſe imputabile ſufficit advertentia virtualis, & interpretativa malitiæ, aut periculi illius. ib.

Peccatum mortale eſt agere, vel velle aliquid graviter illicitum ob finem bonum. 105.

Peccatum mortale, ex genere ſuo, 106. duplex eſt, ib. fieri poteſt veniale, ib.

Peccatum commiſſionis quid eſt, 110. quid peccatum omiſſionis, &c. moraliter differunt inter ſe, & juxta aliquos ſecundum gravitatem ſpecificam. 111.

Peccatum commiſſionis eſt notabiliter gravius, ib. ex quo æſtimanda ſpecies, & gravitas eorum. ib.

Peccatum omiſſionis externum admittitur eo ſolo tempore quo urget præceptum faciendi actum, ib. Ponens cauſſam, ex qua prævidet probabiliter ſequentiam omiſſionis, ib. idem dicendum de exponente ſe ſcienter morali periculo omittendi. ib. Ponens omiſſionis cauſſam, qua ſit impotens ad præceptum implendum, probabiliter non ſolum peccat quando eam ponit cauſſam, ſed etiam dum re ipſa actum præceptum omittit, niſi ejus culpabilem cauſſam retractet, cum poteſt. ib.

Peccatum ex infirmitate quale dicitur, quale ex malitia 112. Peccatum ex infirmitate, ſeu paſſione ex ſuo genere gravius eſt peccato ex ignorantia non affectata, ib.

Peccatum minus ſuadere volenti committere gravius non licet, loquendo de ſuaſione, aut alia inductione directa. II. p. I. 54.

Peccatum in loco Sacro commiſſum quando contrahit ſpeciem ſacrilegii, II. p. I. 96.

Peccati gravitas quid eſt, I. p. II. 102. unde petitur hæc gravitas, ib. eſt major, aut minor. ib.

Peccati alieni Reus multipliciter quis eſſe poteſt, illudque contrahere. ib.

Peccatorum ſpecifica diſtinctio unde petitur, 96. unde numerica, ib.

Peccata quomodo multiplicantur ſecundum numerum intra eamdem ſpeciem. 99.

Peccata quæ interius conſummantur quæ ſunt, & quomodo multiplicantur. 100.

Peccata dubia quomodo dignoſcuntur. 105.

Peccata mortalia, vel venialia ex genere ſuo quænam ſunt. 106.

Peccata venialia quantumvis multiplicata non poſſunt per ſe efficere unum mortale, niſi eorum materiæ vel effectus uniantur, 107. diſponunt tamen multa venialia ad mortale. 110. Quomodo diſponant. ib. Volens vero omnia venialia committere, & ſola mortalia vitare juxta aliquos mortaliter peccat. 108. Si vero plurium venialium materiæ, vel effectus moraliter uniantur, & unum objectum grave conſtituant contra unum præceptum, tunc mortale peccatum eſt. 109.

Peccata commiſſa ex prava conſuetudine, quam quis emendare non curat, æquivalent peccatis malitiæ. 117.

Peccata Capitalia, quæ & qualia ſunt. 123.

Peccata Religioni oppoſita quæ ſunt. II. p. I. 88. quæ oppoſita fidei. II. p. I. 10.

Peccat mortaliter qui facit, quod falſo putat eſſe illicitum, non diſtinguens num veniale, an mortale ſit, I. p. II. 33. Ad non peccandum requiritur tale judicium certum ſaltem certitudine morali prudenter excludente dubitationem & peccati formidinem ſaltem rationabilem. 35.

Peccata ſola venialia confiteri ſine contritione formali, & efficaci ſaltem de aliquo, mortale eſt. III. p. I. 86. peccata quomodo Confeſſori aperienda, 88. Peccata dubia aperienda in confeſſione, ib. ſed dubia ut dubia, certa ut certa, 92. Item mortalia ex oblivione, vel alia de cauſſa omiſſa, ſunt in ſequenti confeſſione declaranda, 108. Item qui tantum confuſe, & generice ob ignorantiam numeri, ac ſpeciei, ſi inde recordetur diſtincte, & ſpecifice, *ib. & ſeq.* ſicut ob circumſtantiam in confeſſione oblivione omiſſam, peccatum pertinens ad circumſtantiam eſt iterum confitendum, ib. Vid. *Confeſſio, Pœnitentia*.

Pecunia occulta in domo aliqua inventa non eſt invenientis. T. 11. P. I. 229.

Pœna alia proprie, alia improprie dicta. I. p. II. 75. alia lata, altera ferenda, ib. Item paſſiva, privativa, & activa, ib.

Pœnæ latæ contra Hæreticos quæ ſunt, II. p. I. 13. Quæ contra Simoniacos, 109.

Pœnitentia, Virtus, & Sacramentum. III. p. I. 79. ejus materia, ib. ejus forma, 141. ejus diviſio in publicam, & privatam, 191. Publica pro peccatis publicis, non tamen ſine Epiſcopi licentia cum certa ſollemnitate, 69. publicæ pœnitentiæ gradus, ſpecies, & variatio, 141.

Pœnitentia ad venialium remiſſionem qualis eſſe debet, 82.

Pœnitentiam exequens in peccato mortali peccat ſaltem venialiter, 100. Pœnitentia a Confeſſario impoſita nequit a pœnitente mutari propria auctoritate, etſi in opus melius, nec per alium perſolvi, 101.

Pœnitentia medicinalis non eſt imponenda in eo, ex quo oriri poteſt ſuſpicio vel notitia peccati pœnitentis, niſi ſit medium neceſſarium ad vitandum relapſum. ib.

Pœnitentia Clericorum. 143.

Pœnitentiæ miniſter quoad Græcos, 144. Cetera vid. *Satisfactio, Confeſſio, Contritio, &c.*

Pœnitens in confeſſione quoad circumſtantias, 88. quoad complicem, 90. aliquando tenetur audire alium Confeſſarium ad implendam complicis manifeſtationem, 89. tenetur acceptare, & implere pœnitentiam rationabilem injunctam, 99. eam, vel notabilem ejus partem omittens pro mortali impoſitam, mortaliter peccat, ib. tenetur ſupplere levem Pœnitentiam a Confeſſario impoſitam. 100.

Pœnitentis nomen inquirere non licet, 90.

Penſio quid eſt, II. p. II. 58. quid circa eam obſervandum, ib. ut licite, & valide acquiratur, quatuor requiruntur. ib. quomodo extinguitur, ib.

Penſiones plures habere non licet quando una ſufficit, ib.

Penſiones debitas conjungere ſorti, & per illam eas augere, & poſtea exigere majorem penſionem non licet, II. p. II. 40.

Penſionarius Clericus, qui non eſt aliunde obligatus ad horas Canonicas tenetur ſub mortali recitare quotidie officium parvum B. M. V. & ſi omiſerit non facit fructus ſuos. 58.

Peregrini leges ſui Territorii non tenentur ſervare, quando extra illud verſantur, I. p. II. 68. Nec præcepta juris communis, ſi ubi ipſi verſantur ex conſuetudine ſeu privilegio non ſerventur, ib. Tenentur ſervare leges, & conſuetudines ſpeciales loci, in quo morantur etiam ad breve tempus. 70. Quomodo ſunt Subditi Principis loci per quem tranſeunt, *ibid.* Quibus loci legibus tenentur. *ibid.*

Peregrinationes commutantur in jejunia, Eleemoſynas, aliaque pia opera, II. p. I. 80.

Perfidia quid, & qualis culpa eſt, I. p. II. 125.

Permiſſive eſſe, & eſſe præceptive de jure naturali quid importat, I. p. II. 50.

Permutatio rerum ſpiritualium inter ſe ſimoniaca non eſt, neque illicita, ſi annexum non habeat aliquod temporale commodum & nullum interveniat pretium, II. p. I. 100. *& ſeq.*

Permutatio Beneficii quid eſt, II. p. II. 52. quæ ad ejus permutationem requiruntur, 53.

Perſeverantia quid eſt, II. p. I. 123.

Pertinacia quid eſt, I. p. II. 124. quando eſt gravis culpa, *ibid.*

Pharmacopœorum obligationes. II. p. II. 132.

Photius ejuſque ſchiſma, II. p. II. 173.

Pietas quid eſt. II. p. I. 123.

Pignus quid eſt, II. p. II. 44. differt ab hypotheca, *ibid.* Obligationes dantis, & accipientis pignus, 45.

Poligamia poſt Evangelium illicita, III. p. II. quomodo eam Deus permiſit, ib. & I. p. II. 52.

Pollutio voluntaria per ſe ſemper eſt peccatum, I. p. II. 129. Pollutio in ſomno quando eſt grave peccatum, 131. Pollutio quomodo, & quæ præter ipſam in confeſſione exprimenda, ib. Num eam in ſomno contingentem liceat unquam deſiderare ſecluſa delectatione, & de ea in ſomno culpabiliter eveniente gaudere præciſe ob levamen naturæ, *ibid.* Mortale eſt ponere ſine urgenti neceſſitate actionem, ex qua tamquam ex cauſſa proxima prævidetur ſequutura pollutio, vel delectatio venerea, etſi neutra intendatur, ib.

Pollutio ex aſpectu, tactu, aliiſque motibus, diſpoſitionibus, ac cauſſis quando eſt mortale peccatum, *ibid.*

Pontifex eſt Supremum Eccleſiæ caput, & Petri Succeſſor, II. p. II. 151.

Pontifices in diſpenſando quid animadverterunt, I. p. II. 43.

Popinarum ingreſſus abſque neceſſitate eſt Clericis prohibitus, II. p. II. 77.

Poſſeſſio quid, & quotuplex. II. p. I. 135.

Poſſeſſor bonæ fidei ad quid tenetur, II. p. I. 145.

Poſſeſſor bonæ fidei ſi occurrente dubio non exquirit diligenter veritatem, peccat mortaliter; & ſi inde agnoſcat certo dominum verum rei, tenetur illi reſtituere rem, & ex eo tempore quo dubitare cœpit fructus, 197. Qui antequam poſſideat dubitat, utrum res ſit aliena, poteſt eam accipere titulo venditionis &c. modo accipiat ex intentione eam reſtituendi domino, ſi poſt diligentem inquiſitionem invenerit, ib. Item ſi dubitans an res ſit aliena, præoccupavit illius poſſeſſionem a nemine occupatam, ib. Ubi vero nullus eorum, de quibus dubitatur, an ſint domini rei, rem poſſidet, ſi dubium ſit æqualiter inter illos dividi debet. ib.

Poſſeſſor malæ fidei quis dicitur, & ad quid tenetur, II. p. I. 140.

Poſſeſſor injuſtus tenetur rem alienam reſtituere ſi illa non erat peritura apud dominum, niſi per injuriam alterius, ib. Item ſi res periit dolo, vel injuria injuſti Poſſeſſoris tenetur ejus pretium reſtituere, etiam ſi apud ipſum caſu peritura fuiſſet, ib. Sicut tenetur reſtituere rem alienam, quæ apud ipſum periit, ſi non ſit omnino certus caſu perituram fuiſſe apud dominum, *ibid.* Immo juxta multos etiamſi res certo fuiſſet peritura apud dominum caſu, vel juſta hoſtium ſpoliatione, ib.

Poſtulatio quid eſt. II. p. II. 51.

Poteſtas diſpenſandi quotuplex. I. p. II. 74.

Poteſtatem diſpenſandi in legibus divinis etiam mere poſitivis nullus homo habet. *ibid.* habet tamen poteſtatem diſpenſandi in lege humana, ib.

Precarium quid eſt, II. p. II. 27.

Præceptum quid eſt, I. p. II. 48. differt a conſilio. ib. Præcepti diviſio. 49.

Præceptum ut Subditum obliget ex illa virtute, ex cujus motivo imponitur, quid requiritur. 56.

Ad ſatisfaciendum Præcepto quæ requiruntur. 62. Ad ſatisfaciendum præcepto negativo nulla requiritur intentio, ib. requiritur tamen pro affirmativo. ib. Præcepto non ſatisfacit qui facit opus cum peccato repugnante ſubſtantiæ præcepti. 64.

Præceptum ſufficienter propoſitum ad obligandum, eſt obſervandum. 42.

Per unum eumdemque actum plura præcepta adimpleri non poſſunt, ubi non conſtet de tali intentione præcipiente, 64. Per plures actus pluribus præceptis eorum tempore ſatisfieri poteſt. ib.

Præceptum in parte adimplere tenetur (ubi de re diviſibili.) qui totum non poteſt. 65.

Præceptum de non comedendo carnem cum ſanguine quid ſignificabat. II. p. II. 141.

Præceptum confitendi exterius fidem ſuo tempore extat. II. p. I. 6. quando obligat. ib.

Præceptum diligendi Deum ex toto corde, quomodo intelligendum. II. p. I. 33.

Præceptum caritatis ad amandum Deum quando obligat. II. p. I. 35. quando ſub mortali per ſe obligat ad eliciendum actum internum amoris Dei ſupra omnia propter ſe, ib. quando obligat ex virtute Religionis. *ib. & ſeq.*

Præceptum ſpeciale diligendi Proximum datur non tantum ex actu externo, ſed etiam interno, & amore benevolentiæ, II. p. I. 37. Hujuſmodi præceptum ut affirmativum ad quid obliget, ad quid ut negativum. ib. Regulæ duæ generales pro hujuſmodi præcepto ex ſcriptura. 38.

Præceptum caritatis erga proximum obligat etiam erga inimicos perinde ac tales non eſſent, ib.

Præceptum Decalogi de Sanctificatione Sabati. II. p. I. 64.

Præceptum de Sanctificatione Feſtorum, ib.

Præceptum de audienda Miſſa. 71.

Præcepta duo ſi occurrant, quæ ſimul ſervari nequeunt, ſervandum eſt majus. I. p. II. 65.

Præcepta Propoſitorum Generalium Societatis Jeſu quomodo obligant donec non revocentur. I. p. II. 50.

Præcepto *non concupiſces* quæ prohibentur. I. p. II. 126. Ex præcepto caritatis tenemur omnes actiones noſtras referre ad Deum. II. p. I. 37.

Præcepto *non occides* quid prohibetur, II. p. I. 182.

Prædicatores in Regnis Synarum circa Crucifixi Imaginem quid agere debent, II. p. I. 10.

Prælati habentes poteſtatem diſpenſandi quoad leges, vota, & juramenta, poſſunt etiam ſecum diſpenſare ſaltem indirecte, I. p. II. 75.

Prælati, Parochi, aliique Superiores tenentur inquirere neceſſitates corporales, & ſpirituales ſuorum Subditorum. II. p. I. 46.

Prælati Religionum peccant contra Paupertatis votum, & juſtitiam, ſi bona Conventus aliter impendant, vel donent, quam Ordinis ſui regula, vel approbata conſuetudo, aut ſuperior Prælatorum voluntas permittit. II. p. II. 103.

Præſcriptio quid eſt, II. p. I. 131. Per præſcriptionem vere acquiritur in foro conſcientiæ dominium rei alienæ abſ-

abſque conſenſu, & culpa prioris domini, ib. & ſeq. Ad legitimam præſcriptionem quæ conditiones requiruntur. 132.
Ad præſcribenda bona immobilia contra Eccleſiam Romanam requiruntur centum anni. 133. Contra alias Eccleſias, Hoſpitale, Monaſterium vel pias cauſſas, quadraginta, ib.
Ad præſcribenda immobilia privatorum cum titulo requiruntur decem anni inter præſentes, viginti inter abſentes. ib. Quid ſi dominus fuit partim præſens, partim abſens. ibid.
Hæres, qui bona fide aliquid ab Auctore malæ fidei accepit, nunquam poteſt illud præſcribere. ib. Qui rem bona fide ab Auctore malæ fidei accepit alio titulo, quam hæreditatis, poteſt eam præſcribere tempore ordinario. ib. Quæ præſcribi nequeunt, ib.
Præſentatio quid eſt. II. p. II. 50.
Præſumptio quid eſt. I. p. II. 124. quibus rationibus eſt mortalis culpa, ib.
Præſumptio periculi quæ eſt, quæ præſumptio facti, I. p. II. 58.
Pretium, ſeu quodvis temporale ſimoniace acceptum, reſtitui debet etiam Jure divino naturali. II. p. I. 108.
Principes mere Eccleſiaſtici leges ferre nequeunt, niſi de rebus ſpiritualibus. I. p. II. 54. Sæculares de Sæcularibus. ib. Poſſunt tamen, & debent fidem, & Eccleſiam tueri, adeoque curare ut leges obſerventur, ib.
Principes Eccleſiaſtici, & Sæculares poſſunt ferre leges fidelibus in conſcientia obligatorias. 56.
Princeps poteſt valide etiam ſine juſta cauſſa abrogare legem a ſe, vel a ſuo Prædeceſſore, aut inferiore latam. 74.
Privilegium quid eſt. I. p. II. 83. differt a diſpenſatione, ib. ejus diviſio, ib. Privilegium quis poteſt concedere, 84. multis modis ammittitur. ib. non ceſſat morte concedentis, 85.
De Probabiliſtarum principiis quid dicendum, I. p. II. 33.
Probabiliſmi Auctor quis fuit, 44. qui ejus primi impugnatores. ib.
Probabilitas quid & quotuplex eſt. 47.
Procurator, Oeconomus, non poſſunt quidquam dare, impendere, alienare pro libitu, ſed ſecundum regulam Ordinis, & Superioris voluntatem. II. p. II. 102.
Proditio quid, & qualis culpa, I. p. II. 125.
Profeſſio religioſa. II. p. II. 59. ad ejus valorem quæ requiruntur, ib. fieri poteſt vel expreſſe, vel tacite, ibid. Pro profeſſione nulla intra quinquennium a die profeſſionis poteſt reclamari. ib. Pro profeſſione initio nulla quid neceſſe ut fiat valida. ib. Profeſſio Religioſa hominis debitis gravati valida eſt. II. p. I. 157.
Per profeſſionem cetera vota ſimplicia extinguuntur, & quomodo. II. p. II. 99.
Profeſſus obligatur tendere ad profeſſionem. ib.
Promiſſio quid & quotuplex eſt. II. p. II. 9. ut valeat, & obliget, quæ requiruntur. ib. Promiſſio, & donatio non obligant, & ſemper revocari poſſunt ante acceptationem, 10. excipiuntur tamen pollicitationes Civitati, Eccleſiæ vel ad pias cauſſas factæ, ib. An quævis promiſſio etiam gratuita obliget ſub mortali in re gravi. ib. Eamque non implens tenetur reſarcire damna indeſequuta, etſi ficte promiſerit. 11.
In violatione promiſſionis gratuitæ major quantitas requiritur ad mortale, quam oneroſæ. ib.
Promiſſio facti alieni obligat ad procurandum ſincere, & bona fide factum alterius. ib.
Promiſſio, & pactio de re illicita facienda non obligat, & nulla eſt jure naturali ante executionem. ib. & ſeq.
Promiſſio acceptata, & valida quibus in caſibus deſinit obligare, 12.
In Promiſſione gratuita facilius ſubintelliguntur aliquæ conditiones, quam in oneroſa. 12.
Promiſſiones jure poſitivo irritæ. 11.
Promiſſor ex multorum ſententia poſt opus malum patratum obligatur ad ſolutionem pretii promiſſi, ſi datio, & acceptatio nulla lege ſint prohibitæ, nec irritæ, ib.
Proximus quomodo diligendus, II. p. I. 40. quo ordine, 41. quomodo ſubveniendus de corporalibus in extrema, quomodo in gravi neceſſitate, 43.
Prudentia quid eſt, II. p. I. 100. Peccata ſpecialiter Prudentiæ oppoſita, alia ſunt per exceſſum, alia per defectum, ib.
Pſalmodia quando in Eccleſia invecta. II. p. II. 152.
Pueri Septennio completo obligantur præceptis, I. p. III. 84. quando tenentur ad Communionem. III. p. I. 42. initiantur Diaconatu a Jacobitis, II. p. II. 172.
Pupillum, Pubes, qui dicitur, II. p. II. 8. Pupillus infantiæ proximus ne naturaliter quidem obligatur ob defectum judicii, 9. pupillus pubertati proximus, & minor obligantur tum civiliter, tum naturaliter, ſi cum conſenſu Tutoris, & Curatoris contrahant de bonis mobilibus non pretioſis, ſecus de immobilibus, & mobilibus pretioſis. ib. Pupillus pubertati proximus ſine auctoritate Tutoris valide contrahit cum majore in ſuum commodum, non vero in ſuum incommodum, ib.
Pupillus ſive minor tenetur ſolvere pecuniam, quam ſine conſenſu Tutoris, vel Curatoris mutuam accepit, ſi eam in uſus neceſſarios, vel utiles impenderit. ib.

*Parentibus nimium indulgentibus imputantur peccata filiorum*, n. 141.
*Paſſio univerſim quid eſt*, n. 80.
*Paſſiones pro ſenſu ab Ethicis ſumantur*, n. 226.
*Peccatorum diſtinctio phyſica, & moralis*, 98. *Moralis ſpecifica unde petatur*, 99.
*Peccata venialia plura ex ſe non conſtituunt unum mortale, ſed ad ipſum dumtaxat diſponunt*, 120.
*Peccatum Adæ imputatur omnibus hominibus*. n. 126. *Reliqua ab eo diverſa non ſunt niſi propria voluntate*, n. 127.
*Peccatorum cognitio Confeſſariis neceſſaria*, Vid. Confeſſarii.
*Peculium Clericorum*, Vid. Clerici.
*Peregrini videntur ſubjecti legibus peculiaribus locorum*, I. p. II. 69. *Varia circa eoſdem poſſunt moveri dubia*, ib. *Extra Patriam uti nequeunt ſuis privilegiis localibus exorbitantibus a jure communi*, 68. *Leges in Patria vigentes non tenentur ſervare in locis, ubi eas abrogatas cernunt*, ib.
*Perplexitas*. *Vid.* Conſcientia perplexa.
*Philoſophorum Gentilium errata palmaria in rebus morum*, n. 13. *Stupenda diſcordia circa beatitudinem hominis*, n. 14. *Multa tamen de moribus ſcite ſcripſerunt*, n. 25.
*Philoſophi Chriſtiani revelata doctrina ductum ſequi debent*, n. 26.
*Pœna ſumitur late, & ſtricte*, n. 218. *Alia ordinaria, alia extraordinaria*, ib. *In pœnis facienda benigna interpretatio*, I. p. II. 78.
*Pœnales leges dicuntur preſſe, ac late*, I. p. II. 75. *Earum obligatio directa, & indirecta*, ib. *Plura dantur ſtatuta mere pœnalia tum civilia, tum Eccleſiaſtica*. ib. *Diverſæ opiniones de exſtantia legum mere pœnalium*. ib. *Hac etiam admiſſa non idcirco licenter vivendum*. ib.
*Pœnitentia ſeu contritio a peccatore nequit differri diuturno tempore citra reatum*. III. p. I. 82. *Tempus diuturnum quodnam cenſeatur*, ib. *Pœnitentiæ Sacramenti qualis neceſſitas*. 87. *Abſolutam ejuſdem neceſſitatem minime negarunt veteres Scolaſtici*. 86.
*Pœnitentes inconſulti quærere ſolent ineptos Confeſſarios*, III. p. I. 114. *Non ſunt blanditiis, & adulationibus faſcinandi*. 115. *Quomodo interrogandi*. 114. *Sæpe aliqui adeo bardi, ut nullum examen Confeſſioni præmittant*. 120. *Negligentes habitualiter Confeſſionem plerumque in examinanda conſcientia miſerere cæcutiunt*, ib. *Quales ſatisfactiones eis imponendæ*, 97. *Num ipſorum ſententia poſſit prævalere in Sacro Tribunali*. 126.
*Polygamia repugnat Juri naturali*, III. p. II. 12.
*Polygamia cur olim licita*, I. p. II. 88.
*Pontifex Rom. habet omnia jura in ſcrinio ſui pectoris*; I. p. II. 92.
*Pontificiæ Conſtitutiones ordinarie non derogant ſtatutis, & conſuetudinibus locorum*. I. p. II. 75.
*Præſcriptio quid*, I. p. II. 87.
*Privilegii etymon*, I. p. II. 84. *Definitio*, ib. *Diſcrimen a diſpenſatione*, ib. *Concedi poteſt privilegium etiam extraneis*, ib. *Perſonale ſæpe datur cum adjectione loci*, ib. *Oneroſum, & remuneratorium an revocari queat*, ib. *Privilegiorum multiplex abuſus*, ib. *Quandonam cenſeantur amitti per non uſum*, ib. *An deſinant ob mortem concedentis*, 85. *An ceſſante ſine ipſorum*, ib.





*Privilegia ab ſolutis fuerunt conceſſa Regularibus*, I. p. II. 84. *Similiter Auditoribus Sac. Rotæ*, ib.
*Proteſtantes ſcriptores noviſſimi quibus nominibus laudem ſibi vendicent*. n. 25. *In ipſorum libris de naturali Juriſprudentia multiplex labes*. n. 35. & ſeq. 22. 23. *Propterea a minus doctis, cautiſque non ſine periculo leguntur*. n. 15.
*Phyſiologicum ſtudium Moralibus TT. & Confeſſariis aliquatenus neceſſarium*: n. 35.
*Puffendorff, Samuelis, errata varia*, n. 18. 19.

R.

Rapina quid eſt. II. p. I. 187. quale peccatum. ib. Receptator quis, & ad quid tenetur. II. p. I. 152.
Referens peccat, ſi defectu ſtudii, aut diligentiæ ſufficientis male referat. II. p. II. 131.
Regulares quid favore Epiſcopi in cujus Diœceſi degunt peragere debent. I. p. II. 66.
Regulæ juris a Probabiliſtis jactatæ, quomodo intelligendæ, I. p. II. 46.
Regulæ aptæ ad recte faciendam doctrinalem interpretationem legum, & quænam ſunt. I. p. II. 72.
Regulæ ad dignoſcendum in dubiis num quis aſſenſus ſit, vel non peccato, I. p. II. 105.
Rei alienæ detentor ad quid tenetur. II. p. I. 136.
Religio quid, II. p. I. 56. eſt virtus moralis non Theologica. ib. Religionis præcipui actus, ib. & ſeq. Peccata Religioni oppoſita, 88. & ſeq.
Religionem falſam verbis, vel factis nunquam ſimulare licet. II. p. I. 7.
*Quæ ad Profeſſionis* Religioſæ valorem requiruntur. II. p. II. 99.
Religionem vovens ad quid tenetur. 104.
Religioſus Status qualis dicitur. 99. ad ejus eſſentiam tria concurrunt requiſita. ib.
Religioſi exempti non obligantur legibus Epiſcopalibus, aut Synodalibus, nec decretis Synodi Provincialis, I. p. II. 67. Limitatur tamen ubi intervenit ſuprema poteſtas. ib.
Religioſi non ſollemniter profeſſi poſſunt in particulari habere dominium rerum temporalium, etſi de illis pro libito diſponere nequeant. II. p. II. 100.
Religioſi ſollemniter profeſſi poſſunt habere in communi dominium bonorum temporalium, ib.
Religioſi ſollemniter profeſſi ſunt in particulari incapaces omnis dominii, proprietatis, & ſimilis juris bonorum temporalium, ſive mobilium ſive immobilium. ib.
Religioſi Profeſſi Beneficiati habentes Beneficia regularia, vel Sæcularia, habent jus adminiſtrandi, & diſpenſandi fructus ſui beneficii tam ad congruam ſuſtentationem, tum ad cauſſas pias. ib.
Religioſus ex vi voti paupertatis ad quid tenetur. ib. ad quid ex voto caſtitatis. 104. ad quid ex voto obedientiæ. ib. Religioſus ſive ſollemniter profeſſus, ſive non, peccat, quidquid ſine Superioris licentia poſſideat, retineat, deſtruat, commodet, commutet, alienet &c. 101. Item peccat contra votum paupertatis ſi invitatus a Sæculari, manducet, & bibat abſque Superioris licentia. ib. Impendens aliquid notabile etiam cum licentia Superioris in uſus vanos, ſuperfluos, & prophanos peccat contra votum paupertatis. 102.
Religioſus in petendo licentiam a Superiore, illam debet obtinere vel expreſſam, vel implicitam: 103. & voluntariam non metu, & fraude extortam. ib. non ſufficit, niſi cum res, & cauſſa urget. ib.
Religioſus inconſulto Superiore recuſans acceptare rem ſponte oblatam, ex Sanchez non peccat contra votum. 104.
Religioſus damnum injuſte inferens ſive extraneis, ſive Religioni, tenetur reſtituere quantum poteſt ex bonis, de quibus licite poteſt diſponere. ib.
Religioſus ſi aliquid ſine valida licentia Superioris donet vel alienet, accipiens tenetur illud reſtituere Religioni. ibid.
Reliquiæ Sanctorum eorumque cultus. 154.
Reliquiæ Sacræ ſi vendantur, contractus eſt nullus. II. p. I. 107.
Repræſaliæ poſitis quibuſdam conditionibus ſunt licitæ II. p. II. 27.
Reſignatio quid, & quotuplex. II. p. II. 52. Ut ſit valida, & licita quæ requiruntur. ib. & ſeq.
Reſtitutio quid eſt. II. p. I. 135. differt a ſatisfactione, ib. Reſtitutio actualis neceſſaria eſt ad ſalutem neceſſitate præcepti. ib. Reſtitutionis omiſſio eſt virtualiter acceptio rei alienæ continuata invito domino, 136. qui notabili tempore omittit reſtitutionem ſive integram ſolutionem, quam poteſt facere, vel etiam qui brevi tempore, ſi inde Creditor damnum grave patiatur, peccat mortaliter. ib. qui non reſtituit, vel debita non ſolvit cum poſſit, & debet, actu peccat toto tempore quo id omittit. ib.
Reſtituendi obligatio ex quatuor Capitibus oritur. ib. obligatio reſtituendi ex damnificatione nullatenus peccaminoſa, non oritur extra contractum & officium 137. ex damnificatione, & furto veniali ob parvitatem materiæ oritur obligatio reſtituendi ſub veniali. ib. ex damnificatione gravi quoad materiam, ſed veniali ob defectum advertentiæ oritur obligatio reſtituendi. ib. extra officium, & contractum non oritur obligatio reſtituendi damni ſecuti ex culpa levi, & leviſſima. 138. quis & quando ex culpa levi tenetur ad reſtitutionem. ib. & ſeq. qui inculpabiliter dixit, vel fecit aliquid, ad quod jus nullum habet, & ex quo impendet damnum proximo, ex juſtitia tenetur illud impedire, vel reſtituere ſi non impediat. 139.
Qui injuriam alteri intulit rem ejus culpabiliter accipiendo &c. tenetur in conſcientia reſtituere. ib. Reſtitutio fructus quomodo facienda. ib.
Res aliena apud furem, vel injuſtum Poſſeſſorem facta deterior, reſtituenda eſt ſecundum ſtatum, quem res tunc habebat. 141. Res apud injuſtum Poſſeſſorem melior effecta ſive intrinſece, ſive extrinſece, reſtitui debet domino in tali ſtatu ſi extet. ib.
Reſtitutio juxta multos fieri debet ſecundum ſummum valorem & incrementum, etiamſi dominus re ſua certe uſurus non erat in tali ſtatu, nec juxta ſummum valorem vendíturus. ib. & quando reſtituere tenetur qui ponit actionem ex qua damnum obvenit alteri. ib. quid in dubio de damno ſecuto ex actione mala per ſe damnificativa. 142. qui ſolo exemplo movit efficaciter alium ad damnum inferendum, tenetur damnum ab hoc illatum reſarcire in ejus defectum, ſi hoc eventurum probabiliter prævidecit. ib. quando quis tenetur reſtituere damnum irrogatum per ſuum mancipium, animal, aut filium, ib. quid, quando, & quomodo tenetur ad reſtitutionem qui impedivit alterum a conſecutione alicujus boni, 143.
Accepta ob opus malum ante ipſum malum patratum reſtitui debent. 144. quid vero crimine patrato. ib. accepta pro actione vel omiſſione debita ex juſtitia reſtitui debent. ib. quid de acceptis pro ferenda ſententia, vel pro opere debito ex caritate vel pro actione, vel omiſſione &c. ib. & ratione rei acceptæ quid reſtitui debet. 145. qui rem alienam injuſte accepit, vel detinet, tenetur de damno omni etiam fortuito. ib.
Reſtitutio cui debet fieri. ib. quo tempore. ib.
Quo loco, & cujus impenſis. 153. cujus periculo. 154. quo ordine. 155. Remiſſio Creditoris excuſat a reſtitutione, ſi ſit legitima. 156. Remiſſio ut ſit legitima tres conditiones requirit. 157.
A reſtitutione liberat ceſſio bonorum facta Creditoribus. ib. quid de ingreſſu in Religionem. ib. Reſtitutio num fieri debeat per bona inferioris ordinis pro damno ſuperioris ordinis. 158. Cauſſæ juſtæ differendi reſtitutionem, vel ſolutionem debiti. 159. quid reſtitui debet pro vita, membro, & cicatrice hominis liberi. 171.
Avertens aliquem a Religione, quando tenetur ad reſtitutionem. 161.
Ad reſtitutionem non tenetur qui in defenſione vitæ alterum occidit, vel mutilavit, ſi id cum debita moderatione fiat. 164. ad Reſtitutionem tenetur qui putans occidere Petrum, occidit Paulum, quamvis invincibiliter putabat eſſe Petrum. 171. qui tenentur ad reſtitutionem ob dolum, vel errorem circa cauſſam finalem donationis vel promiſſionis gratuitæ, II. p. II. 14.

Uxor Marito, & Maritus Uxori injuriam in bonis inferentes, quando peccant, & tenentur ad reſtitutionem. II. p. I. 193. Quid de liberis ſurripientibus bona Parentum. ib.

Ad reſtitutionem quando tenentur piſcentes, aut ligna excidentes contra juſtam prohibitionem. 195. item piſcantes, aucupantes, venantes. ib. item male diſtribuentes bona vel onera communia. 196.

Qui bona fide rem poſſidere cœpit, ſi poſtea incipiat dubitare an ſit aliena, tenetur ex juſtitia veritatem diligenter exquirere. 197.

Obligatio reſtituendi bona externa, & reſarciendi damna in illis injuſte illata a defuncto tranſit ad heredes, & ſinguli tenentur pro hereditaria portione, non tamen in ſolidum. 198. quod ſi res aliena extet in ſe apud unum heredem, hic tenetur eam integre reſtituere. 199. Legatarii non univerſales ad reſtitutionem non obligantur ubi heredibus relicta ſufficiant ad ſolvendum. ib.

Cetera de reſtitutione, Vide *Poſſeſſor malæ fidei*, *Damnificator*, *Debitor*, *Homicida*, *Occiſor*, *Furtum*, *Læſio*, *Obligatio &c.*

Reſtrictio quid, & quotuplex. II. p. I. 124. Reſtrictione vel pure mentali nunquam uti licet. ib. Quid in caſu ubi adſit gravis cauſſa occultandi veritatem. 125,

Reus legitime ſeu juridice non interrogatus, non tenetur fateri ſuum crimen, & poteſt eludere Judicem abſque mendacio. II. p. II. 127. Secus interrogatus a legitimo Judice, *ib. & ſeq.*

Reus interrogatus tenetur patefacere etiam complices, ſeu ſocios ſui criminis. 128.

Reus, qui ad vitanda tormenta falſum crimen ſibi imponit, ob quod ſit morte plectendus, peccat graviter. ib.

Reo quando appellare licet. ib. Quid ipſi licitum circa pœnam & fugam: ib. Ipſi, etſi vere nocenti licet ante & poſt ſententiam fugere ad vitandam mortem, aut mutilationem, niſi ſe obligaverit ad permanendum. ib. Idque etiamſi Cuſtos Carceris grave damnum inde paſſurus ſit. ib. Item juxta multos licet Reo carceres effringere. ib. Immo & aliis licet Reo ſuppeditare inſtrumenta ad effringendum Carcerem. ib. Id tamen non licet Officialibus, & Miniſtris juſtitiæ. 129.

Reo ad mortem damnato non licet reſiſtere, nec ſe defendere contra Judicem, vel Executores Sententiæ. ib. Quid de innocente per ſententiam juſtam in foro exteriori damnato. ib. Reo ad mortem damnato licet non fugere ex amore juſtitiæ. ib.

Reus ad exilium damnatus, vel ad pœnam Carceris ſaltem non valde moleſti, tenetur eo ſe conferre & manere in exilio vel Carcere. ib. Secus damnatus ad triremes, niſi data fuerit fides jurata remanendi. 136.

Richerii hæreſis. II. p. II. 148.

Ritus quid. II. p. II. 133. quotuplex. ib. *& ſeq.*

Rituum Sacrorum ſcientia curam animarum habentibus utilis, & neceſſaria. 134. *ibid.* Ritus quare inſtituti. ib. varie conſiderari poſſunt. ib. Ritus vitandi, & deteſtandi. 135.

Ritus Sacer nequit eſſe illicitus. 140. ex tamen auctoritate qua eſt inſtitutus mutari poteſt. ib. Ritus Sacri nequeunt eſſe pernicioſi, nec inutiles, ſed utiles & neceſſarii. ib. eorum origo a Deo repetenda, nec eorum uſus Chriſtiana religio damnat. 142. eos inſtituendi poteſtatem Eccleſia a Chriſto accepit. 144. eaque poteſtas eſt Eccleſiæ neceſſaria. ib. proinde eos Eccleſia decurſu temporis auxit. ib.

Ritus quando habet vim legis. 144. *& ſeq.*

Ritus ſuperſtitioſi quid ſecum ferant. 137. eos Romam Eccleſia damnat. ib.

Rituum varietas, ac diverſitas in Eccleſia unde repetenda. 162. quid hac ſuper re curarunt Romani Pontifices. ib.

Ritum ſuſceptum deſerere, vel permutare non licet. 134. nec proprium licet deſerere. 175. aliquando licet mutare proprium Ritum. ib. ob Rituum obſervantiam quando ineſt obligatio ſubeundi mortem. ib.

Ritus Eccleſiæ Orientalis. 156. eorum origo ab Apoſtolis. ib. ejus varietas a Latina Eccleſia. ib. *& ſeq.*

Ritus Sinenſes, Malabarici, Abyſſinorum Regni, Serviæ, & Regionum finitimarum; eorumque proſcriptio 179.

Rixa quid. II. p. I. 52. Opus carnis excludens a Regno Dei. ib.

R*Atio in homine tripliciter poteſt ſe habere relate ad inſurgentes ſenſualitatis motus.* n. 133.

*Regula morum quid.* I. d. II. 48.

*Regulæ Canonico-Morales ex Bened. XIV.* n. 78. 79. *Interpretandi Scripturam, Patres, Canones.* n. 71. & ſeq.

*Relatio operum in Deum materies eſt graviſſimæ controverſiæ inter Doctores.* n. 327. *Ejuſdem ſtatus exponitur.* 328. & ſeq.

*Relatio actualis*, n. 336. *Virtualis*, n. 337. & ſeq. *Habitualis*, n. 321. 340. *Universim loquendo actualis, ſeu formalis & explicita, haud neceſſaria.* n. 342. *Ad implendum mandatum maxim. dilectionis Dei procul dubio requiritur.* ib. *Ex oppoſito non ſufficit habitualis.* n. 333. *de Virtuali præſertim extant opiniones contrariæ.* n. 343. n. 343. & ſeq. *Veriſimilior, quæ negat neceſſitatem jugis relationis, partim actualis, partim virtualis*, n. 348.

*Promuntur argumenta illi faventia*, n. 348. & ſeq. *Solvuntur difficultates depromptæ ex Apoſtolo*, n. 360. & ſeq. *atque ex Angelico*, n. 364. & ſeq.

*Religioſi Ordines ſubſidio ſunt Clero Sæculari.* II. p. II. 98. *Donati fuere Pontificiis privilegiis ob multiplicem famulatum Eccleſiæ impenſum*, I. p. II. *Quale diſcrimen inter ipſos particulares Ordines*, II. p. II. *Regularium Monaſticorum varia obligatio pro varietate Ordinum*, I. p. II. 83. *In quibuſdam Ordinibus extant plura ſtatuta merepœnalia*, ib. *Quænam culpa in horum violatione deliberata, iterataque*, ib. *De ſtatu, & officiis Religioſorum plures ſcripſere.* 98.

*Religioſi poſſidentes in communi temporalia bona non eximuntur a ſolvendis decimis prædialibus vi communium privilegiorum*, I. p. II. 83.

*Religioſorum Prælatura accenſentur Curatis Beneficiis*, II. p. II. 56. *Quinam iiſdem digni reputandi*, ib. *In Prælatorum electionibus animum a præjudiciis, & paſſionibus vacuum oportet intendere in Deum, & in Commune Ordinis bonum*, ib.

*Religioſis quibuslibet graviter vetita negotiatio veri nominis, tum per ſe, tum per alios.* II. p. II. 65. *Item Artificium omne lucrativum, accedens proxime ad negotiationem proprie dictam*, 67. *Venatio ſaltem clamoroſa.* 64. *Medicinæ, & Chirurgiæ exercitium*, 77. *Et reliqua in ſenſu Canonum ſæcularia negotia*, ib. *Num poſſint fungi officio Executoris Teſtamentarii*, 78. *Utrum debeant hoſpitari concionatori Quadrageſimali tempore*, ib. *Habitum Monaſticum dimittentes quandonam incurrant excommunicationem*, 79. *Religioſis conceſſa facultas excipiendi Confeſſiones Secularium*, *quando*, *quomodo adimi poſſit ab Epiſcopis.* *Vid.* Epiſcopi.

*Reſervatis*, *Vid.* Caſus reſervati.

*Reſervata doctrina neceſſitas, & utilitas ſumma monumentis præcipuorum veteris Scholæ Magiſtrorum fuſe demonſtrata*, n. 35. ſeq. *Illius neglectus maxime improbandus in Theologis Moralibus.* n. 53. & ſeq. 85. 86.

*Reus a Judice legitime interrogatus debet veritatem fateri*, n. 375.

*Richardus de Mediav. Theologus inter antiquos Franciſcanos magni nominis*, n. 43.

*Rigoriſmi moralis potiſſima cauſſa*, n. 67. & ſeq. 74. *Illius ſpecie interdum Heretici illudunt incautis*, n. 74.

S

SAcerdos diſtribuens Euchariſtiam in peccato mortali peccat mortaliter; & tot committit mortalia, quot hominibus continuate Euchariſtiam diſtribuit. III. p. I. 7.

Sacerdos incertus de Hoſtiarum conſecratione, quomodo ſe gerere debet. 43. ejus intentio in conſecratione, *ibid.* jure divino & eccleſiaſtico aliquando tenetur





celebrare. 53. Carens miſſali proprii ritus, alterius linguæ miſſali uti nequit, etiam ſervato proprio ritu. 76. neque unquam vulgari, aut alieno idiomate celebrare licet quacumque urgente neceſſitate. ib. Catholico Sacerdoti non licet Eleemoſynam accipere a Schiſmaticis, vel Hæreticis pro Miſſa juxta eorum intentionem celebranda. 78. rogatus num ſit Sacerdos, peccaret negando, non tamen contra fidem. II. p. I. 7.

Sacerdos curam non habens animarum, quando tenetur audire confeſſiones. III. p. I. 125.

Sacerdotes Orientales conjugati quando, & quamdiu abſtinere debent ab uxoribus. 78.

Sacerdotes Rutheni, non Schiſmatici, aliique quoad ritus. II. p. II. 164.

Sacerdotibus catholicis in Eccleſiis Hæreticorum vel Schiſmaticorum Sacrificium Euchariſticum, vel divina officia celebrare non licet. II. p. I. 29.

Sacramentum quid, & quotuplex. III. p. I. 82. ejus materia & forma. ib. ad ejus valorem quæ unio requiritur inter materiam, & formam. ib. quomodo invalidatur. 20. ejus mutatio ſubſtantialis, & accidentalis. ib. quæ ad eius alienaiam neceſſaria. ib. ejus ſubjectum. 12.

Sacramenta quoad verborum mutationem, verborumque interruptionem. 2. quoad mutationem materiæ, vel formæ. ib. quoad miniſtrum ejuſque intentionem. 3. quoad conditiones. 7. quoad adminiſtrationem, poteſtatem, & ſuſceptionem. *ib. & ſeq.* quoad effectus, quoad inſtitutionem, & numerum. I. 12. & 13.

Sacramenta extra caſum neceſſitatis ab Hæreticis recipere non licet. II. p. I. 29.

Sacrificium Chriſti quomodo convenit cum eo, quod obtulit Melchiſedech. III. p. I. 61.

Sacrilegium quid. II. p. I. 95. hujus ſpeciem quando contrahit in loco ſacro commiſſum. *ib. & ſeq.*

Sacrilegium venereum quid. I. p. II. 29.

Sacrum audire tenetur, qui diſceſſit die feſto a loco in quo eſt feſtum ad locum in quo non eſt feſtum. I. p. II. 69.

Sancti, eorumque cultus, & invocatio. II. p. II. 154.

Satisfactio quid, & quotuplex. III. p. I. 79. ante abſolutionem imponenda. *ibid.* eaque proportionata peccatis, ac præcipue pia opera. 98. non tamen opera præcepta, ſi pœnitens poteſt alia præſtare. 99. Poteſt Confeſſarius pœnitentem obligare ad illam ad implendam ante abſolutionem ſive ex parte, ſive ex toto. 101. Vide *Pœnitentia*, *Confeſſarius*.

Scandalum quid & quotuplex eſt. II. p. I. 51. quomodo in Confeſſione exprimendum. 52. Scandalum directe dare, eſt contra caritatem. ib. Scandalum indirecte dare, eſt mortale ex genere ſuo & ſpeciale contra caritatem, *ib. & ſeq.* ſcandalum indirectum contrahit etiam malitiam peccati, cujus datur occaſio, exprimendam in confeſſione. *ib. & ſeq.* Et eſt mortale ſi detur occaſio culpæ mortalis; veniale ſi venialis, ſecluſo periculo gravioris mali, & quibus in caſibus contra caritatem, & caſtitatem peccatur ratione ſcandali. ib.

Scandali peccatum quando committitur ex data proximo occaſione peccandi. ib. Coram aliis commiſſum quando habet malitiam ſcandali. 53. Numerus eorum, quibus ſcandalum datur, eſt in Confeſſione exprimendus. *ibid.* Ratione ſcandali actus venialis vel ex objecto indifferens poteſt eſſe mortalis. ib.

Ob ſcandalum activum ortum ex malitia non tenemur omittere opus de ſe non malum, nec ſpeciem mali habens, cum adeſt rationabilis cauſſa. ib.

Ad vitandum ſcandalum paſſivum ex infirmitate, vel ignorantia ortum, tenemur omittere opus utile non malum, nec ſpeciem habens mali, vel illud differre. ib.

Ad vitandum ſcandalum nunquam licet facere actionem prohibitam lege naturali. ib. Quid ad vitandum grave ſcandalum Puſillorum. ib. Ad ſcandalum vitandum quando opera bona ſunt omittenda, vel occultanda. ib.

Schiſma quid, & quotuplex eſt. II. p. I. 45. eſt graviſſimum ſcelus. ib. Schiſmatici in Oriente eorumque Sectæ. II. p. I. 29.

Schiſmaticorum funus comitari non licet. II. p. I. 7.

Scrupulus quid eſt. I. p. II. 40. Scrupulorum cauſſæ, ib. Scrupulorum remedia. ib.



Scrupuloſis Confeſſarius quid ſuadere debet. ib.

Secretum alterius ſuæ fidei commiſſum prodere eſt contra juſtitiam, & eſt obligatio reſarciendi damnum inde ſecutum. II. p. I. 198.

Secretum juſtum cognitum cum certo periculo vitæ, vel graviſſimi damni juxta multos non eſt obligatio occultandi. ib. Cui injuſte aperitur ſecretum tertii, tenetur illud non detegere. ib.

Seditio quid eſt. II. p. I. 50.

Semina, aliaque ſimilia ſi ſint aliena, non fructificant domino ſuo, ſed domino agri. II. p. I. 149.

Sententia judicis duplex, condemnatoria, ac criminis declaratoria. I. p. II. 75.

Sententia juſta ſemper per ſe obligat in conſcientia, II. p. I. 256. Sententia certo injuſta per ſe non obligat. ib. nihilominus eſt ſervanda quantum requiritur ad vitanda ſcandala, perturbationes, & incommoda graviora. ib.

Servi quarum rerum dominium habent. II. p. I. 131.

Servis non licet fugere, ſaltem ſi venditione, vel nativitate facti ſunt Servi, modo ipſis alimenta neceſſaria tribuantur, nec impellantur ad peccatum. 125.

Servitus quid & quotuplex? T. II. P. I. 134.

Sigillum confeſſionis, ejuſque obligatio III. p. I. 123. ejus violatio. 126. ejuſque obligatio quomodo contrahitur. 129.

Simonia quid eſt. II. p. I. 96. Ejus diviſio. 97. ad Simoniam non requiritur intentio formalis dandi vel accipiendi rem temporalem ut pretium rei ſpiritualis, ſed ſufficit voluntas dandi, vel accipiendi ſpirituale non gratuito, ſed pro temporali ſive ut pretio vel compenſatione, vel motivo ſaltem principali. ib.

Simon Magus Simoniæ Auctor damnatur, & quare, ib.

Simonia quibus caſibus eſt juris divini, ac proinde indiſpenſabilis. 98. quid de Monaſteriis recipientibus pro ſuſtentatione ingredientis Religionem. 99. quibus caſibus ſimonia eſt juris humani. 100. quid de permutatione rerum ſpiritualium. *ibid.* Simoniæ Reus eſt temporale pro ſpirituali promittens abſque animo implendi. *ib. & 102.*

Simonia juris divini eſt ſemper per ſe peccatum mortale. ib. Suarez opinio inferentis eſſe mortale emere, vel vendere unam ſalutationem angelicam. ib.

Simonia juris Eccleſiaſtici eſt etiam mortale contra Religionem, ib. quævis Simonia eſt ſpecies quædam Sacrilegii. ib. Quid eſt quovis modo ſpirituali annexum, nunquam poteſt emi, aut vendi ratione ſpiritualis. ib. Temporale antecedenter annexum ſpirituali, ſeu cui ſpirituale poſtea advenit, licite emi, ac vendi poteſt ratione temporalis, modo non vendatur carius ob ſpirituale annexum. 102. vendi nequeunt concomitanter annexa ſpirituali, & quæ ſunt ei intrinſeca, ſeu ex ſe conjuncta. ib. item opera, & actiones, quæ per ſe neceſſariæ ſunt ad functionem ſacram. 104. Temporale conſequenter annexum ſpirituali, hoc eſt quod præſupponit rem ſpiritualem, & ab illa dependet, vendi nequit ſine ſimonia. *ibid.* Simoniacum eſt jure divino dare, vel accipere temporale præciſe pro aliqua functione ſpirituali vel labore ipſi intrinſeco. *ibid.* licet tamen temporale dare, & accipere per modum ſuſtentationis, cum obligatione ut fiat ſpirituale, *ibid.* minime vero licet quidquam exigere etiam a divitibus titulo ſuſtentationis ad ſepulturas, exſequias, benedictiones nubentium, adminiſtrationem Sacramentorum &c. per horum ſpiritualium ſubminiſtrationem. *ib. & ſeq.* quid de Orientalibus Catholicis Imperio Mahumetano ſubjectis, ex inopia preſſis pro Sacramentorum adminiſtratione quidquam accipientibus. *ibid.* vendere ſepulturam eſt ſimonia juris divini ratione benedictionis, eſt juris Eccleſiaſtici ratione materiæ. 123.

Simonia ſaltem mentalis eſt præſtare aliquid ſpirituale principaliter propter temporale taxatum, vel ſponte oblatum. ib. Item ſimonia eſt dare, vel accipere pretium pro omiſſione actus ſpiritualis. ib.

Simonia in materia beneficiali quot modis committitur, 104.

Simonia juris divini quid eſt. ib.

Simonia ſaltem mentalis eſt ſuſcipere ordines ut benefi-

cium obtinentur principaliter ob ejus redditus. 106. Accepta per ſimoniam quando reſtituenda. *ib.* Pretium ſeu quodvis temporale acceptum reſtitui debet etiam jure divino naturali. 107.
Simonia mentalis ad reſtitutionem num obliget. 108. Pœnæ contra ſimoniacos quæ ſunt. *ib.*
Sobrietas quid eſt. II. p. I. 115.
Societatis contractus, quid. II. p. II. 40. ad Societatis juſtitiam quæ requiruntur. *ib.* Societatis contractus triplex quid eſt. 41.
Societates vulgo dictæ *Liberi muratori* ab Apoſtolica Sede damnatæ, & ſub excommunicationis pœna prohibitæ. II. p. I. 85. Sacræ Religionis Miniſtri quomodo cum hujuſmodi hominum genere ſe gerere debent, *ibid.*
Sodomia alia perfecta, alia imperfecta. I. p. II. 130.
Sollicitatio, de ea Conſt. Bened. XIV. III. p. I. 130. Inquiſitionis decreta. 132. qui, quomodo, quot, & ob quas cauſſas denunciare tenetur ſollicitantes, *ib.*
Sollemnitates Contractus quæ ſunt. II. p. I.
Solutio prius petenti facienda. II. p. I. 156. Quæ ſunt juſtæ cauſſæ differendi ſolutionem debiti. 159.
Somnia, eorum abuſus. II. p. I. 90. aliqua poſſunt a Deo immitti. *ib.*
Sortes triplicis ſunt generis. II. p. I. 90.
Spei definitio, diviſio, & objectum. II. p. I. 30. ejus ſpeciale præceptum. 34. obligat ſuo tempore ad eliciendos actus ſpei. *ib.* aliquando obligat per ſe, aliquando per accidens. 31. Spei peccata oppoſita quæ ſunt. *ib.* Sunt peccata mortalia. *ib.* Formula actus Spei. *ib.*
Sponſio quid eſt. II. p. II. 47. ad ejus juſtitiam quid requiritur. *ib.*
Sponſalia quid. III. p. II. 1. ut ſint valida quæ requiruntur. *ib.* quomodo contrahuntur, & quibus de cauſſis diſſolvuntur, *ibid.* eorum effectus & impedimenta, quæ pariunt. 2.
Studioſitas quid eſt, II. p. I. 114. ipſi per exceſſum opponitur curioſitas. *ib.*
Stuprum, ejuſque ſpecies, I. p. II. 128.
Subditi, qui de Belli juſtitia dubitant, Principi jubenti parere debent, & militare, II. p. II. 132.
Superbia, ejuſque actus, I. p. II. 123. Ex genere ſuo eſt peccatum mortale, *ibid.* Superbia perfecta eſt ſemper culpa gravis, *ibid.* Superbiæ remedia, *ibid.* ſuperbiæ filiæ. 124.
Superior quando habet poteſtatem obligandi Subditos, I. p. II. 54.
Superior Subditum detrahentem famæ alterius etiam non ſubditi non impediens, nec coercens, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem famæ in defectum ſubditi, II. p. I. 180.
Superiores Religioſorum quid Religioſis præcipere poſſunt, II. p. II. 107. Superiorum Religioſorum obligationes, *ib.* quomodo a Religioſis Superiores ſunt eligendi, *ib.*
Superiores & inferiores ad quid erga ſe invicem obligantur, II. p. 115.
Superſtitio quid, & quotuplex, II. p. I. 89.
Suſpicio quid eſt, II. p. I. 175. Suſpicio, & dubitatio voluntariæ graviter temerariæ in re valde gravi, & cum advertentia plena, ſunt peccata mortalia, ſaltem ſi ex pravo affectu & malevolentia naſcantur, *ibid.* Materia quæ in detractione ſufficit ad mortale hic quoque ſufficit, 176.
Suſpenſio quid & quotuplex, III. p. II. 73. ejus effectus, *ib.* a quo & quomodo tolli poteſt, 74. quando incurritur, *ib.* differt a Depoſitione, & Degradatione. 75.

S*Candalum a Clericis ſollicite vitandum*, I. p. II. 107.
*Perſpecte ſolvendi caſus morales de hac materia*, 55.
*Scotus Duns Joa. acutum cernens*, III. p. I. 86. *maxime addictus D. Aug.* n. 280. 349. *Plam propoſuit ſententiam de actibus Virtutum Theologicarum*, n. 349. *Strenuus fuit adſertor doctrinæ ac religionis revelatæ*, n. 35. 36. 47.
*Scriptores quilibet privati poſſunt errare, & idem ab aliis dimitti ſalvo ipſorum honore*, n. 67.
*Scriptura Sacra, Fidei Chriſtiana, Theologia ſupernaturalis diſcrimen*, n. 48. *Scriptura Sacra, Patrum, & Canonum ſtudium neceſſarium TT. Moralibus & Caſu-ſtaris*, n. 56. & ſeq.
*Scriptura, & Canonum Interpretatio pendet a peculiaribus regulis*, n. 71. 72. *Scriptura textus unicum complectitur, interdum plures ſenſus literales*, n. 375.
*Scrupuloſa conſcientia diverſa eſt a prudenti dubitatione, ideoque excludenda*. I. p. II. 36.
*Scrupuloſi quomodo conſcientiam formare debent in dubio obſervantia legum*, I. p. II. *Scrupulorum remedia*. 40.
*Simoniæ labes in quo præcipue ſita*, II. p. II. 91. *Ea vacat in datale ſubſidium Sanctimonialium impenſa*, n. 77.
*Socialitatis principium a Proteſtantibus decantatum rejicitur*, n. 19.
*Stoici Philoſophi inflati beatitudinem repoſuere in ſola animi virtute*, n. 256. *Aliunde Suicidium ceu ærumnarum terminum probarunt*, ib. *Contenderunt prorſus æqualia eſſe omnia peccata*, n. 23.
*Studendi fines varii, partim vitioſi, partim honeſti*, n. 302. *Modus egregie commonſtratus a D. Bonaventura*, n. 63. & ſeq.
*Subditus dubius de honeſtate mandati Superioris*, I. p. II. 39.
*Synderesis differt a conſcientia*, I. p. II. 32. *Item a lege naturali*, 66.

T

TAbellio. Vide *Notarius*.
Tactus partium pudendarum ejuſdem, vel diverſi ſexus quando inducunt mortalem culpam, I. p. II. 135. Mortale eſt ex S. Antonino permittere ſe tangi etiam in facie, vel manu ab eo, qui noſcitur ad id moveri amore libidinoſo, *ibid.*
Temperantia quid eſt, II. p. I. 113. Temperantiæ ſpecies tres, *ibid.* Temperantiæ virtutes annexæ, *ib.*
*Contra* Temperantiam peccat qui falſo putans tali die eſſe jejunium, non jejunat, I. p. II. 33.
Tentatio Dei quid, & quale peccatum, II. p. I. 95. Ejus diviſio, *ib.* Quæcumque tentatio Dei prohibetur per Scripturas, *ib.* Tentatio Dei quandoque adjunctam habet infidelitatem, *ib.*
Teſtamentum quid & quotuplex, II. p. II. 47. ejus ſollemnitates requiſitæ. 43.
Teſtamentum ſollemnitatibus jure civili requiſitis deſtitutum, num in conſcientia validum, *ib.*
Teſtator hæredes inſtituere tenetur, quos hæredes, & qua in portione, *ib.* Qui teſtari non poſſunt. *ib.*
Teſtes duo regulariter ad plenam in judicio probationem requiruntur, & ſufficiunt, 125. Aliquando Teſtes duo non ſufficiunt, *ib.* aliquando ſufficit unus, *ib.*
Teſtes qui teſtificant quomodo percipere debent, *ibid.* Ad teſtificandum qui non admittunt, *ib.* aliqui rejiciantur a jure, *ibid.*
Quibus in caſibus quis tenetur teſtificare, *ib.* quibus non poteſt, *ib.* Quibus in caſibus Teſtis peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem, 126. Qui a judice etiam in generali citatus ſe occultat, vel teſtimonium frauide declinat, vel veritatem reticet, ex communiori ſententia tenetur ad reſtitutionem, *ib. & ſeq.*
Theodorus Coriarius male de Chriſto ſentiens ab Eccleſia ejectus, II. p. II. 148.
Theſaurus cujus ſit? T. II. P. I. 129.
Torturæ ſubjici poteſt reus ut fateatur quæ requiruntur, II. p. II. 126. quæ torturæ dicuntur injuſtæ, *ib.*
Semel tortus ſi nihil eſt confeſſus, nequit iterum torqueri, niſi nova criminis indicia ſuperveniant, *ib.*
Tranſactio quid ſit. T. II. P. II. 44.
Tributum quid eſt, II. p. I. 195. ineſt obligatio juſtitiæ ſolvendi juſta tributa, *ib.* Ut ſint juſta quæ requiruntur, *ib.* In dubio de juſtitia ſunt ſolvenda, 196.
Triſtitia deliberata, ſeu diſplicentia de opere bono eſt peccatum, I. p. II. 120. Triſtitia de bono alieno quatuor modis contingere poteſt, 138.
Turpia & obſcœna loqui, canere, legere, vel audire quando mortale eſt, 156.
Tutor ejuſque obligationes, II. p. II.
Tutoribus non licet, Auctarium exigere pro pecuniis Pupillorum mutuatis, II. p. II. 21.





Typographyca ars quando cœpit, II. p. I. 18. Pœnæ in Typographos vulgantes libros non approbatos, *ib.*

S. THom. *Aquin. repreſſit impugnantes Religioſorum Ordines*, n. 303. *De relatione operum in Deum multa ſcripſit, eaque animadverſione digna*, n. 327. *Ipſius mens hac fuſe exponitur de re*, n. 392. & ſeq. 364. & ſeq.
*Thomaſi Chriſt. Scriptoris Proteſtantis errores*, n. 20.
*Totalis cordis, qua Deus a nobis diligendus, quomodo intelligitur*, n. 132. 352.
*Trident. Conc. conſulte abſtinuit a dirimendis TT. Scholaſticorum controverſiis*, n. 296. 394.

V

VAgus quis dicitur, I. p. II. 68.
Vanagloria quid eſt, I. p. II. 124. Sæpe eſt culpa gravis, *ib.* Quamvis filia ſuperbiæ recenſetur inter Capitalia peccata. *ib.*
Vas in quo aſſervatur Euchariſtia, III. p. I. 56.
Vaſa Egyptiorum in Iſraelitas tranſlata, I. p. II. 52.
Vaſques primus e Soc. Jeſu probabiliſſimum amplexus, I. p. II. 44.
Vectigal. Vide *Tributum*.
Venatio, Piſcatio ſunt opera ſervilia. II. p. I. 67.
Venatio quæ ſit cum clamore, eſt Clericis prohibita, II. p. II. 62.
Venditio quid eſt, 29. Cum res venditur, cenſetur cum ea vendi id omne quod eſt pars illius, vel cum ea connexum, & ejus acceſſorium, niſi expreſſe excipiatur. *ib.*
Rerum venalium juſtum pretium quodnam eſt, *ib.*
Aliud legitimum, aliud vulgare, *ib.* Vulgare triplex eſt, *ib.* Juſtum, & injuſtum poteſt eſſe diverſum in diverſis locis, & temporibus, *ib.*
Res, quæ neque a lege, neque a communi hominum æſtimatione pretia habent, quomodo vendendæ, *ib.* Ultra juſtum pretium emere, vel vendere non licet, *ibid.* Quas ob cauſſas licet res pluris vendere quam valeant, 30. Non licet pluris vendere rem, eo quod ſit Emptori valde grata, utilis, aut neceſſaria, 31. Privatim ſciens pretium mercis brevi auctum, vel imminutum, poteſt eam juſto pretio currente vendere, vel emere non monito altero contrahente, modo abſit fraus omnis, *ibid.* Quomodo in hoc peccari poſſit contra caritatem, vel juſtitiam, *ib.*
Vendens ultra pretium juſtum, etſi emptor tale pretium offerat, excuſatur, niſi conſtet provenire ex liberalitate, 31. *& ſeq.*
Vendens res defectuoſas, vel mixtas, peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem, 33.
Vendere pluris juſto ob dilatam ſolutionem pretii, vel minoris emere ob anticipatam non licet, 32. Licet tamen enumerata pecunia vendere pretio infimo, non numerata ſummo, *ib.*
Vendens rem nomine alterius ultra pretium ſibi deſignatum, ſed juſtum, non poteſt ſibi exceſſum retinere. 35.
Idem dicendum de emente, *ib.*
Vendere cum pacto retrovenditionis, & emere cum pacto redemptionis quando licet, & quæ conditiones requiruntur, *ib.*
Quænam non licet vendere, 34.
Cogens vendere etiam juſto pretio Reus eſt violentiæ mortalis, 37.
Res duobus ſucceſſive vendita, ſi neutri ſit tradita, debetur priori Emptori. 36. Secus ſi ſit vendita Civitatibus, Eccleſiis, aut locis piis. *ib.*
Venditor quando tenetur aperire vitium, & defectum rei venialis. 34. Quid ubi ſit ignarus vitii rei venditæ. *ib.* Venditor num, & quando poteſt fructus, & utilitates rei venditæ percipere donec ſolvatur pretium. *ib.*
Venditoris, & Emptoris obligationes. 37.
Venæ Metallicæ, Vide *Lapidicina*, *Lapilli*.
Verba ad Euchariſtiam neceſſaria. III. p. I. 71. quomodo proferenda. *ib.*
Veritas quid. II. p. I. 123.
Veſtes benedictæ quid præſeferunt. II. p. II. 141. Veſtes benedictæ pro Miſſæ ſacrificio. III. p. I. 39.
Vinum pro Euchariſtia. III. p. I. 41. cujuſque coloris eſt aptum. 42. de liquoribus, zibibis, uvis paſſis expreſſis, *ib.* quid de aqua miſcenda. *ib.* quid de guttis Calici adhærentibus. 43. Vini loco ob maximam vini penuriam licet aquam in utraque purificatione ſumere, 42.
Violentia quid, & qualis culpa. I. p. II. 225.
Violatio voti, Vide *Votum*.
Violator conſanguineæ ſub promiſſione Matrimonii ad quid tenetur. II. p. I. 173.
Virtus quid, & quotuplex. II. p. I. 1. Ejus actus alii imperati, & alii eliciti. 2.
Virtutes morales, quæ, & quot ſunt. II. p. I. 111.
Virtutes præſtantiores ſunt Theologicæ, II. p. I. 1. Earum ordo. *ib.*
Vitam proximi ab altero injuſte oppugnatam quando defendere licet etiam cum occiſione. II. p. I. 167. proximi ex caritate quando tenemur defendere ſub mortali. *ib.* tam proximi qui tenemur tueri juſtitia. *ib.* Voluntarium quid, & quotuplex, I. p. II. 2.
Votum quid, & quotuplex. II. p. I. 72. Ad ejus valorem, quæ requiruntur. *ib. & ſeq.* Votum quando eſt invalidum. 73. quando irritet illud metus gravis, *ib.*
Votum quando, & quomodo obliget. 74. Ejus obligatio ex ſuo genere gravis eſt. *ib.* in re levi obligat ſolum ſub veniali. 73. Et juxta multos in re gravi vovens poteſt ſe obligare ſolum ſub veniali ſi expreſſe velit, exceptis tamen nonnullis votis. *ib.*
Votum perſonale ſolum voventem obligat, nec per alium impleri poteſt. *ib.* Idem dicendum de mixto ex qua parte eſt perſonale. *ib.*
Votum implendum eſt tempore a vovente definito, & ubi non eſt definitum, ſed abſolute, quamprimum commode, & recte fieri poteſt. *ib.*
Votum ante tempus præfinitum num, & quomodo adimplendum ob praviſum futurum impedimentum. 84. in dubio circa votum quid dicendum. 76.
Votum fictum, ſeu exterius factum ſine animo vovendi, vel ſe obligandi, eſt peccatum. 76.
Voti obligatio quot modis tollitur. 77.
Voti materia ubi fiat impoſſibilis, ſi ex parte dividi poſſit & ſoleat, vovens tenetur ad eam partem quam poteſt. *ib.*
Voti irritatio quid eſt. *ib.* A quibus irritatur, *ib.* a quibus diſpenſatur. 79. a quibus commutatur. *ib.*
Voti diſpenſatio quid eſt, 80.
Voti violatio quid involvit. 74.
In votis ſollemnibus Papa poteſt diſpenſare. 78.
Vovere poſſumus Deo aliquid ad quod jam eſt obligatio. 73.
Uſurarius ad quid tenetur. II. p. 150.
Uſufructuarius ad quid tenetur. 151.
Uſura quid, & quotuplex. II. p. II. 15. Omni jure prohibita eſt. 16.
Uſura palliata, ac ejus damnatæ propoſitiones. 22. Nequidem ex benevolentia & gratitudine debitum exigere licet ultra ſortem. 20.
Uſura mentalis an, & quando obligat ad reſtitutionem, 25.
Uſuræ gravitas in quo conſiſtit, *ib.*
Uſura ratione mutui quando, & quomodo, 20.
Uſurarium eſt imponere ratione mutui aliquod onus, ſeu obligationem novam ultra ſortis ſolutionem, *ib. & ſeq.*
Cetera. Vide *Lucrum*, *Mutuum*, *Damnum emergens*, *Lucrum ceſſans*, *Auctarium*.
Uſurarium notorium notorietate juris, vel facti, 25.
Uſurarius quid reſtituere tenetur. *ib.* Si ipſe non reſtituerit, tenentur Hæredes. *ib.*
Uſurarii Cooperatores tenentur reſtituere in ejus defectum. 26. Sicut & quicumque eſt cauſſa efficax uſuræ. *ib.* pœnæ uſurariis conſtitutæ. *ib.*
Uſus duplex facti, & Juris. II. p. I. 153.
Uſusfructus quid. *ib.*
Uxor peccat contra juſtitiam, & tenetur reſtituere viro, vel ejus hæredibus ſi aliquid de bonis dotalibus, vel communibus, vel propriis viri ſurripiat, aut impendat invito rationabiliter Marito. II. p. I. 19.
Uxor nequit contrahere, neque diſponere de bonis familiæ, & de dote ejuſque fructibus Marito præſente, & valente bona illa adminiſtrare, rationabiliter invito. II. p. I. 8.

Uxorem in adulterio deprehenſam occidere non licet, II. p. I. 162.
Uxorum pluralitas non eſt contra jus naturale, poſita conceſſione divina. I. p. II. 52.
Uxorum pluralitatem Patriarchis Deus conceſſit, & quare, ib.

V.

Vita ſtatus quinam apud Theologos cenſentur, n. 195.
Virginitas ſervatur interdum illæſa etiam violato corpore, n. 176.
Vis ſeu violentia, quid, n. 179. Externas ſolum actiones hominis reddit involuntarias, n. 178. 179.
Virtualis ſive interpretativa cognitio mali ſufficit ad peccandum. I. p. II. 2.
Virtutum finis, neceſſitas, uſus, nexus. II. p. I. Quinam de iis rite ſcripſerunt. ib. Theologicarum actus ex laudabili Benedicti XIV. inſtituto diebus feſtis palam frequentantur in Eccleſiis Curatis, n. 140.
Volitio efficax, & inefficax, n. 125.
Voluntas dominatur in regno animæ. n. 102. Ejus imperium diſpoſitivum & politicum, immediatum & mediatum. ib. An cogi poſſit. n. 154. 178. 179. Quo ſenſu a priſcis DD. dicta fuerit natura, & ratio. n. 163. Alia abſoluta, alia conditionata, n. 175. Quomodo imperet ſibi. n. 103. Intellectui, n. 104. 105. Phantaſiæ, Appetitui ſenſitivo, memoriæ, n. 106. Senſibus externis, n. 107. & ſeq. Motrici facultati. n. 111. 112. Ipſius actiones partim interna, partim externa. n. 377. Eæque moralitatis capaces, n. 378.
Voluntatis definitio vulgata, n. 121. & ſeq. Diſcrimen a coacto, naturali, ſpontaneo, libero velle, n. 123. 124. Notiones ſingulæ explicatæ a D. Bonaventura, n. 146. Diviſiones ſex, n. 126.
Voluntarium neceſſarium, & contingens, n. 136. Immediatum & mediatum, n. 137. Perfectum, & imperfectum, n. 138. Secundum ſe, & ſecundum cauſam, n. 139. Directum, & virtuale, ſive ſecundum cauſam requirunt tres conditiones, n. 143. Ob utrumque memoratum voluntarium quandonam præciſe contrahitur culpa, & pœna, n. 134. 135.
Voluntarium, & liberum quadruplici aſpectu differunt inter ſe, n. 162. & ſeq. id probe notandum adverſus technas Novatorum libertatis vocem abutentium, n. 152. 162. Cur utrumque ſeorſim expenſum. in Proœm. Diſſert. n. 120. 165.

Z

Zephyrinus Papa damnavit Montaniſtas ob violatam Apoſtolicam diſciplinam. II. p. II. 172.
Zelus ſolida ſcientia ac prudentia deſtitutus male cedit, n. 69. 77. Hoc ſerio recogitent Eccleſiaſtici Prælati, ſive dum Leges condunt, ſive dum Conſiliarios audiunt, ibid.

F I N I S.



# CATALOGO

## *Di alcuni Libri uſciti dalle Stampe di* Antonio Zatta, *oltre un Copioſo Aſſortimento d'altri Libri deſcritti in altro Maggior Catalogo.*

*Paoli: Baj.*

Aymar P. Jacobi M. Exercitationes Theologico-Morales de Actibus humanis & peccatis juxta veriora Doctoris Subtilis principia, Scholaſtica methodo ad uſum Studioſæ juventutis accommodatæ. in 4. 1761. 5:

—— Ejuſdem. Exercitationes Theologicæ de Deo eadem Scholaſtica methodo ad uſum ſtudioſæ juventutis accommodatæ, variiſque Diſſertationibus, tum ad Dogma, tum ad Hiſtoriam Spectantibus illuſtratæ. in 4. 1764. 8:

Azevedo R. P. Emmanuelis Sacrorum Rituum Conſultoris. De Divino Officio & de Sacroſanctæ Miſſæ Sacrificio Exercitationes Selectæ, quæ ad Tractatum Benedicti XIV. de Miſſæ Sacrificio, & Feſtis, Appendicis loco haberi poſſunt, & in quibus plures etiam materiæ continentur juſſu ejuſdem SS. Pontificis pertractatæ. (*Sub prælo*)

—— Ejuſdem Poema hoc titulo. Venetæ Urbis Deſcriptio a Nicandro Jaſſeo libri XII. in 8. 6:

L'amor di Maria, ovvero motivi più efficaci all'Amor di Maria Santiſſima. in 8. 1778. 3:

Amelot dell'Houſſaye. Riflessioni, Sentenze, e Maſſime Morali illuſtrate con Note Iſtoriche, e Politiche, ed arricchite di maſſime Criſtiane. in 8. 1762. 2: 5

Di S. Antonio P. Federigo. Il Divoto di Maria Vergine del Carmine iſtruito ne' ſuoi privilegi, e ne' ſuoi obblighi, e nelle maniere d'onorarla. in 8. 1763. 2:

Arioſto. L'Orlando Furioſo arricchito di molte illuſtrazioni, Aggiunte inedite, e collazionate co' migliori teſti, con ſue dichiarazioni, note ec. Ogni Canto va adorno di reſpettivo Argomento inciſo in Rame, rinchiuſo in vago contorno, dirimpetto al quale havvi un altro Rame Volante della grandezza della pagina pur contornato, e rappreſentante il principale Soggetto di cui nel Canto ſteſſo ſi tratta: con Capo-pagine, iniziali, e finali, il tutto alludente all'Opera ſteſſa. Vol. 4. in 4. 1773. 130:

—— Detto in Carta Meſſal grande. 220:

—— Detto in Carta Imperiale ſtragrande ad uſo d'Olanda con ampli margini; oltre li ſopraddetti ornamenti, ciaſcuna pagina va fregiata di graziosiſſimi contorni in Rame alluſivi pure alla ſteſſa Opera, di cui non ſe ne tirano che ſei ſoli Eſemplari, ciaſcuno de' quali, acciò rieſca in più proporzionata forma, è diviſo in otto Volumi degni di qualunque Nobile Biblioteca. 600:

—— Detto nell'iſteſſa Carta ad uſo Olanda con ampli margini, con tutti gli ſteſſi Rami, ſenza li contorni. 400:

—— Detto tradotto in verſi Latini coll'Italiano a fronte dal Marcheſe Torquato Barbolani. in 4. Tom. 2. Arezzo 1756. 24:

Dell'arte della Guerra. Canti ſei del Reale Filoſofo di Sans-Souci Federico III. Re di Pruſſia. in 12. 1779. 1: 5

Arici P. Franceſco Antonio della Congregazione dei Chierici Regolari di S. Paolo. Il ſuo Quareſimale. in 4. 1763. 6:

Avventure di Lillo Cagnuolo Bologneſe. Opera dilettevole, e critica, tradotta dall'Ingleſe. in 8. 1760. 1: 5

L'Auguſta Baſilica Veneta dedicata a San Marco Evangeliſta Protettore della Città, e ſuo Dominio, deſcritta in tutte, e ciaſcheduna delle ſue parti, e delineata da Antonio Vicentini. Edizione magnifica con Finali, e Capo-pagine in Rame. In fol. Atlantico. 1761. legata. 80:

Avviſi da laſciarſi agli Ordinandi. in 12. 5:

Baluzii Stephani Tutelenſis. Capitularia Regum Francorum in unum collecta, ad vetuſtiſſimos MS. Codices emendata, nunc primum edita, & notis illuſtrata. Accedunt Marculfi Monachi, & aliorum formulæ veteres, necnon doctiſſimorum virorum adnotationes. Fol. vol. 2. juxta exemplar Pariſiorum Franciſci Muguet, Regis & Archiepiſcopi Pariſienſis Typographi, An. MDCLXXVII. Quibus accedit Tractatus *de Miſſis Dominicis* Franciſci de Roye. fol. Vol. 2. 1773. 70:

Bartoli Bonaventuræ. Theol. Moralis ad mentem D. Thom. Aquinatis concinnata. in 4. Tom. 3. 36:

Baſange P. Hieronymi O. S. B. Introductio in Sancta IV. Evangelia Critica Hermeneutica Hiſtorica, qua exhibetur quidquid ex SS. Patrum, aliorumque eruditorum ſententia ad genuinum litteræ ſenſum eruendum facere videtur. in 4. Tom. 2. 28:

Boſchovich P. Rogerii Joſephi. De inæqualitatibus, quas Saturnus & Jupiter ſibi mutuo videntur inducere, præſertim circa tempus conjunctionis. Opuſculum ad Pariſienſem Accademiam tranſmiſſum. in 8. Romæ 1756. 6:

Balla P. Filiberto. Lettere in riſpoſta alle Lettere Teologico-Morali di Euſebio Eraniſte in difeſa della ſtoria del Probabiliſmo del P. Concina. Tom. 3. in 8. 5:

Il Beretti iſtruito nelle coſe di Portogallo, e ſuoi errori, con un Opuſcolo contro la di lui Fruſta Letteraria. in 8. 1765. 1:

Benetti Santo. L'accorto Fattor di Villa. in 12. 1774. 1:

—— Con l'Aggiunta del Governo degli Animali Bovini di Gio: Batiſta Trutta. in 8. 1777. 2:

Berlendi Franceſco. Delle oblazioni all'Altare antiche e moderne, o ſia la Storia dello ſtipendio della Meſſa in 4. 1736. 6: 5

Bevereggio Guglielmo. Elementi Cronologici traſportati in lingua Italiana dalli fratelli Aſtori. in 8. 1777. 3:

Bidet. Trattato ſopra la Coltivazione delle Viti, del modo di far li Vini, e di governarli, tradotto dal Franceſe, in 8. figur. Seconda Edizione ricorretta, ed accreſciuta. 4: 5

Bonomo D. Gio: Battiſta. Il Tradimento Scoperto negli Amoreggiamenti, e nelle Converſazioni tra Uomini, e Donne; con evidenti prove che ſiano la rovina dell'Anima. Edizione ſeconda accreſciuta più della metà in 12. 15:

Borgo Ab. Carlo. Analiſi ragionata dell'Arte della fortificazione, e difeſa delle Piazze. in 4. con varie Figure. 18:

Di Borbone Mad. Iſabella. Meditazioni Criſtiane per un ritiramento Spirituale. in 16. 2: 5

Buſching. L'Italia Geografico-Storico-Politica di molto accreſciuta, corretta, ed ornata di Rami, con un Appendice di conſiderabili Aggiunte, con due Indici nel fine, l'uno Geografico, e l'altro delle coſe notabili, e delle Perſone illuſtri in eſſa nominate. in 8. Tom. 6. 1780. 30:



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Uxorem in adulterio deprehenſam occidere non licet, II. p. I. 162.

Uxorum pluralitas non eſt contra jus naturale, poſita conceſſione divina. I. p. II. 52.

Uxorum pluralitatem Patriarchis Deus conceſſit, & quare, ib.

*Viæ ſtatus quinam apud Theologos cenſentur*, n. 193. *Virginitas ſervatur interdum illæſa etiam violato corpore*, n. 176.

*Vis ſeu violentia, quid*, n. 179. *Externas ſolum actiones hominis reddit involuntarias*, n. 178. 179.

*Virtualis ſive interpretativa cognitio mali ſufficit ad peccandum*. I. p. II. 2.

*Virtutum finis, neceſſitas, uſus, nexus*. II. p. I. *Quinam de iis rite ſcripſerunt*. ib. *Theologicarum actus ex laudabili Benedicti XIV. inſtituto diebus feſtis palam frequentantur in Eccleſiis Curatis*, n. 149.

*Volitio efficax, & ineſſicax*, n. 125.

*Voluntas dominatur in regno animæ*, n. 102. *Ejus imperium deſpoticum & politicum, immediatum & mediatum*, ib. *An cogi poſſit*, n. 154. 178. 179. *Quo ſenſu a profeſſis DD. dicta fuerit natura, & ratio*, n. 163. *Alia abſoluta, alia conditionata*, n. 175. *Quomodo imperet ſibi*, n. 103. *Intellectui*, n. 104. 105. *Phantaſiæ, Appetitui ſenſitivo, memoriæ*, n. 106. *Senſibus externis*, n. 107. & ſeq. *Motrici facultati*, n. 111. 112. *Ipſius actiones partim interna, partim externa*, n. 377. *Eaque moralitatis capaces*, n. 378.

*Voluntatis definitio vulgata*, n. 121. & ſeq. *Diſcrimen a coacto, naturali, ſpontaneo, libero volito*, n. 123. 124. *Notiones ſingulæ explicatæ a D. Bonaventura*, n. 146. *Diviſiones ſex*, n. 126.

*Voluntarium neceſſarium, & contingens*, n. 136. *Immediatum & mediatum*, n. 137. *Perfectum, & imperfectum*, n. 138. *Secundum ſe, & ſecundum cauſſam*, n. 139. *Directum, & virtuale, ſive ſecundum cauſſam requirunt tres conditiones*, n. 143. *Ob utrumque memoratum voluntarium quandonam præciſe contrahitur culpa, & pæna*, n. 134. 135.

*Voluntarium, & liberum quadruplici aſpectu differunt inter ſe*, n. 162. & ſeq. *Id probe notandum adverſus technas Novatorum* libertati *vocε abutentium*, n. 152. 162. *Cur utrumque ſeorſim expenſum*. in Proœm. Diſſert. n. 120. 165.

Z

ZEphyrinus Papa damnavit Montaniſtas ob violatam Apoſtolicam diſciplinam. II. p. II. 172.

ZElus ſolida ſcientia ac prudentia deſtitutus male cedit, n. 69. 77. *Hoc ſerio recogitent Eccleſiaſtici Prælati, ſive dum Leges condunt, ſive dum Conſiliarios audiunt*, ibid.

*FINIS.*

CATA-

# CATALOGO

## *Di alcuni Libri uſciti dalle Stampe di* Antonio Zatta, *oltre un Copioſo Aſſortimento d'altri Libri deſcritti in altro Maggior Catalogo.*

*Paoli: Baj.*

AYmar P. Jacobi M. Exercitationes Theologico-Morales de Actibus humanis & peccatis juxta veriora Doctoris Subtilis principia, Scholaſtica methodo ad uſum Studioſæ juventutis accommodatæ. in 4. 1761. 5:

—— Ejuſdem. Exercitationes Theologicæ de Deo eodem Scholaſtica methodo ad uſum ſtudioſæ juventutis accommodatæ, variiſque Diſſertationibus, tum ad Dogma, tum ad Hiſtoriam Spectantibus illuſtratæ. in 4. 1764. 8:

Azevedo R. P. Emmanuelis Sacrorum Rituum Conſultoris? De Divino Officio & de Sacroſanctæ Miſſæ Sacrificio Exercitationes Selectæ, quæ ad Tractatum Benedicti XIV. de Miſſæ Sacrificio, & Feſtis, Appendicis loco haberi poſſunt, & in quibus plures etiam materiæ continentur juſſu ejuſdem SS. Pontificis pertractatæ. (*ſub prælo*)

—— Ejuſdem Poema hoc titulo. Venetæ Urbis Deſcriptio a Nicandro Jaſſeo libri XII. in 8. 6:

L'amor di Maria, ovvero motivi più efficaci all'Amor di Maria Santiſſima. in 8. 1778. 3:

Amelot dell'Houſſaye. Riſſeſſioni, Sentenze, e Maſſime Morali illuſtrate con Note Iſtoriche, e Politiche, ed arricchite di maſſime Criſtiane. in 8. 1762. 2: 5

Di S. Antonio P. Federigo. Il Divoto di Maria Vergine del Carmine iſtruito ne' ſuoi privilegi, e ne' ſuoi obblighi, e nelle maniere d'onorarla. in 8. 1763. 2:

Arioſto. L'Orlando Furioſo arricchito di molte illuſtrazioni. Aggiunte inedite, e collazionate co' migliori teſti, con ſue dichiarazioni, note ec. Ogni Canto va adorno di reſpettivo Argomento inciſo in Rame, rinchiuſo in vago contorno, dirimpetto al quale havvi un altro Rame Volante della grandezza della pagina pur contornato, e rappreſentante il principale Soggetto di cui nel Canto ſteſſo ſi tratta; con Capo-pagine, iniziali, e finali, il tutto alludente all'Opera ſteſſa. Vol. 4. in 4. 1773. 130:

—— Detto in Carta Meſſal grande. 220:

—— Detto in Carta Imperiale ſtragrande ad uſo d'Olanda con ampli margini; oltre li ſopraddetti ornamenti, ciaſcuna pagina va fregiata di grazioſiſſimi contorni in Rame alluſivi pure alla ſteſſa Opera, di cui non ſe ne tiene che ſei ſoli Eſemplari, ciaſcuno de' quali, acciò rieſca in più proporzionata forma, è diviſo in otto Volumi degni di qualunque Nobile Biblioteca. 600:

—— Detto nell'iſteſſa Carta ad uſo Olanda con ampli margini, con tutti gli ſteſſi Rami, ſenza li contorni. 400:

—— Detto tradotto in verſi Latini coll'Italiano a fronte dal Marcheſe Torquato Barbolani. in 4. Tom. 2. Arezzo 1756. 24:

Dell'arte della Guerra. Canti ſei del Reale Filoſofo di Sans-Souci Federico III. Re di Pruſſia. in 12. 1779. 1: 5

Arici P. Franceſco Antonio della Congregazione dei Chierici Regolari di S. Paolo. Il ſuo Quareſimale. in 4. 1765. 6:

Avventure di Lillo Cagnuolo Bologneſe. Opera dilettevole, e critica, tradotta dall'Ingleſe. in 8. 1760. 2: 5

L'Auguſta Baſilica Veneta dedicata a San Marco Evangeliſta Protettore della Città, e ſuo Dominio, deſcritta in tutte, e ciaſcheduna delle ſue parti, e delineata da Antonio Vicentini. Edizione magnifica con Finali, e Capo-pagine in Rame. In fol. Atlantico. 1761. legata. 80:

Avviſi da laſciarſi agli Ordinandi. in 12. 5:

Baluzii Stephani Tutelenſis. Capitularia Regum Francorum in unum collecta, ad vetuſtiſſimos MS. Codices emendata, nunc primum edita, & notis illuſtrata. Accedunt Marculfi Monachi, & aliorum formulæ veteres, necnon doctiſſimorum virorum adnotationes. Fol. vol. 2. juxta exemplar Pariſiorum Franciſci Moguet, Regis & Archiepiſcopi Pariſienſis Typographi, An. MDCLXXVVII. Quibus accedit Tractatus *de Miſſis Dominicis* Franciſci de Roye. fol. Vol. 2. 1773. 70:

Bartoli Bonaventura. Theol. Moralis ad mentem D. Thom. Aquinatis concinnata. in 4. Tom. 3. 36:

Baſange P. Hieronymi O. S. B. Introductio in Sancta IV. Evangelia Critica Hermeneutica Hiſtorica, qua exhibetur quidquid ex SS. Patrum, aliorumque eruditorum ſententia ad genuinum litteræ ſenſum eruendum facere videtur. in 4. Tom. 2. 28:

Boſchovich P. Rogerii Joſephi. De inæqualitatibus, quas Saturnus & Jupiter ſibi mutuo videntur inducere, præſertim circa tempus conjunctionis. Opuſculum ad Pariſienſem Accademiam tranſmiſſum. in 8. Romæ 1756. 6:

Balla P. Filiberto. Lettere in riſpoſta alle Lettere Teologico-Morali di Euſebio Eraniſte in difeſa della ſtoria del Probabiliſmo del P. Concina. Tom. 3. in 8. 5:

Il Beretti iſtruito nelle coſe di Portogallo, e ſuoi errori, con un Opuſcolo contro la di lui Fruſta Letteraria. in 8. 1765. 1:

Benetti Santo. L'accorto Fattor di Villa. in 12. 1774. 1:

—— Con l'Aggiunta del Governo degli Animali Bovini di Gio: Battiſta Trutta. in 8. 1777. 2:

Berlendi Franceſco. Delle oblazioni all'Altare antiche, e moderne, o ſia la Storia dello ſtipendio della Meſſa in 4. 1736. 6: 5

Bevereggio Guglielmo. Elementi Cronologici traſportati in lingua Italiana dalli fratelli Aſtori. in 8. 1777. 3:

Bidet. Trattato ſopra la Coltivazione delle Viti, del modo di far li Vini, e di governarli, tradotto dal Franceſe, in 8. figur. Seconda Edizione ricorretta, ed accreſciuta. 4: 4

Bonomo D. Gio: Battiſta. Il Tradimento Scoperto negli Amoreggiamenti, e nelle Converſazioni tra Uomini, e Donne; con evidenti prove che ſiano la rovina dell Anima. Edizione ſeconda accreſciuta più della metà. in 12. 15:

Borgo Ab. Carlo. Analiſi ragionata dell'Arte della fortificazione, e difeſa delle Piazze. in 4. con varie Figure. 18:

Di Borbone Mad. Iſabella. Meditazioni Criſtiane per un ritiramento Spirituale. in 16. 1: 5

Buſching. L'Italia Geografico-Storico-Politica di molto accreſciuta, corretta, ed ornata di Rami, con un Appendice di conſiderabili Aggiunte, con due Indici nel fine, l'uno Geografico, e l'altro delle coſe notabili, e delle Perſone illuſtri in eſſa nominate. in 8. Tom. 6. 1780. 30:

Can-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Cantova Joſephi Antonii de Septimio Tertulliano, & S. Epiphanio Diſſertationes duæ Theologico--Criticæ, in quibus Anthropomorphiſmo neutrum laboraſſe demonſtratur, & multa ad Anthropomorphitarum Hiſtoriam pertinentia dilucidantur. in 8. Mediolani 1763. 3:

Chignoli R. P. Nicolai Aug. Exercitationes ad Danielem Prophetam. in 4. 1761. 6:

S. Clementis Alexandrini Opera &c. a Joanne Potero cum codicibus univerſis collata & emendata. Accedunt Fragmenta a Fabricio collecta: necnon index copioſiſſimus; & ejuſdem Sancti Patris vita ex Baillet deſumpta, & ex Gallico idiomate latine reddita. fol. 1767. 16:

Conciliorum Sacrorum nova & ampliſſima Collectio, in qua præter ea, quæ in præcedenti *Philippi Labei* editione in lucem edita fuere, ea inſuper omnia ſuis locis diſpoſita exhibentur, quæ *R. P. Domin. Manſi Archiep. Lucenſis* in ſex Voluminibus Supplementorum Lucæ nuper evulgavit. Editio noviſſima ab eodem *P. Manſi*, aliiſque eruditis viris curata, ad MSS. Codd. Vatican. Lucenſ. aliosque recenſita & perfecta, Notiſque, Diſſertationibus & Monumentis quamplurimis locupletata. fol. 1765. ad 1775. Tom. I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. & XXIV. *in lucem jam prodierunt; ſinguli veneunt parata pecunia juxta notam Societatis legem.* 40:

Coronini Rodulfi Miſcellaneorum Tomus primus continens Irenæi Julianorum Diplomatis cenſuram; cui acceſſere ſyllabus Tergeſtinorum Antiſtitum, & appendix Documentorum Anecdot. cum Notis, & Indice locupletiſſimo Perſonarum Illuſtrium. fol. 1769. 21:

—— Ejuſdem Tomus ſecundus (*ſub prælo.*)

Di Calepio Co: Pietro de Conti. Paragone della Poeſia Tragica d'Italia con quella di Francia, ſua diſeſa con altre aggiunte, e l'Apologia di Sofocle con la Vita del ſuddetto Sig. Co: in 8. 4: 5

Delle Celebri Cattine, che invocano, e proteſtano Immacolata la Concezione di Maria, e loro uſo ſe ſia da permetterſi. in 4. 1752. 1: 5

De'Cimbri, e Veroneſi, e Vicentini di Marco Pezzo. Seconda Edizione in 8. Verona. 1: 5

Comazzi. La mente del Savio. in 8. 2: 5

Confermazione del Ragionamento intorno ai beni temporali poſſeduti dalle Chieſe ec. o ſia Riſpoſta indrizzata agli Autori dello Scritto che ha per titolo: *le Mani Morte ec.* in 4. pic. Tom. 2. 8:

—— Detta in 4. Vol. 2. con Rami. 14:

Confutazioni degli errori delli Giudei intorno la venuta del Meſſia. in 8. 1: 5

Contarini. Notizie Storiche circa li Publici Profeſſori nello ſtudio di Padova ſcelti dall'Ordine di S. Domenico. in 8. 1769. 2:

Il Criſtiano Cattolico iſtruito a modo di Dialogo nei Sagramenti, e nel Sagrifizio della Meſſa, e nelle Cerimonie, e riti della Chieſa. Opera ſcritta contra una Lettera del *Middleton*. in 8. 1755. 2:

Il Cuore delle Sacre Vergini al Preſepio ed al Calvario, col modo di celebrare la Novena del SS. Natale. in 12. 5:

Dante Alighieri. Proſe, e Rime Liriche, edite, ed inedite. in 4. Fig. Tom. 2. 25:

—— Detto. Memorie per ſervire alla Vita, ed alla Storia di ſua Famiglia, raccolte da un Accademico Colombario Fiorentino, illuſtrate coll'Albero, e Rami della ſua Famiglia. in 8. 1780. 3:

Deſcrizione Corografico-Storica della Provincia Ereſciana, con una nuova Carta Corografica della medeſima. fol. 1779. 6:

Deidier Abb. Elementi generali delle principali parti delle Matematiche, neceſſarj ancora all'Artiglieria, ed all'arte Militare, tradotti dal Franceſe. in 4. Fig. Tom. 3. 44:

Didione P. Niccolò Capp. Prediche ſopra i Vangeli di tutte le Domeniche dell'Anno. in 4. Tom. 2. 1760. 13:

—— Spirito dell'Eccleſiaſtico. in 4. 3:

Divini, D. Franceſco. La Vergine Aſſunta. Poema epico. in 8. 1769. 3:

La Donna Margherita. Opera Scenica. in 8. 2: 10



Euſebii Pamphilii Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Libri X. Ejuſdem de vita Imp. Coſtantini Libri IV; quibus ſubjicitur Oratio Coſtantini ad Sanctos, & Panegiricus Euſebii Henr. Valeſius ex Græco textu collatis MSS. codicibus emendato, Latine vertit, & annotationibus illuſtravit. Adjectæ ſunt in hac editione obſervationes criticæ plurium eruditorum Viror. a Guillel. Reading collectæ, Henr. Valeſii Diſſertationes IV., & P. Petri Thomæ Cacciari Carmel. Præfatio, ac Hiſtorica Diſſertatio de Euſebiana Ruffini tranſlat. in 4. Tom. 3. 1763. 54:

Epitalamio di Cajo Valerio Catullo, Poeta Latino, tradotto nell'Italiana Favella, col teſto Latino a fronte in ottava Rima. in 8. 2:

Eſercizio del Criſtiano da farſi ogni giorno: aggiuntivi in queſta ultima impreſſione diverſi Inni divoti, ed altre Orazioni. in 24. 5:

L'Eſter. Tragedia. in 8. 1:

L'Emilio di Gian Giacomo Rouſſeau per l'educazione della Gioventù, accreſciuto nelle materie, purgato dagli errori, e rettamente riformato allo ſtato della civile politica, cattolica filoſofia, e domeſtica Società. 8. (*ſotto il Torchio.*)

Eſame, e riſpoſta alle Lettere di S. Carlo ſtampate in Lugano. in 8. 1: 5

Euſebio Eraniſte. Difeſa contra le Lettere Teologic o-Morali. in 8. 4:

Faccini ... de Veterum Quorumdam Chriſtianorum propriis, ſelectiſque Nominibus Diſſertatio. in 8. 1772. 2:

Ferrari, P. Joſephi Antonii Theologia Scholaſtico-Critico-Hiſtorico-Dogmatica ad mentem ſubtiliſſimi Magiſtri, & Doctoris Mariani Joannis Dunſii Scoti. Editio II. abſolutiſſima, in tres Tomos diſtributa. in 4. 1780. 36:

Fraſſen P. Claudii Philoſophia Accademica. in 4. Tom. 4. 12:

Fenici ... Lettera ſcritta da un Moraliſta d'Italia ſopra la ſua Diſſertazione della Natura della Teologia Morale. in 4. 1:

Finetti ... Trattato della Lingua *Ebraica*, e ſue Affini, Caldaica, Siriaca, Samaritana, Fenicia, Punica, Arabica, Etiopica, ed Amharica. Aggiungeſi nel fine una breve difeſa del Cap. 2. di S. Matteo contro d'un Incredulo Ingleſe, con tre Tavole in Rame. in 8. 4:

Firmin. Iſtruzioni importanti al popolo ſopra le malattie Croniche ec. per ſervire di ſeguito agli Avvertimenti al popolo di M. Tiſſot. Traduzione in 8. Tom. 2. con tavole in Rame. 6:

Fleury Claudio. Diſcorſi ſopra la Storia Eccleſiaſtica tradotti dal Franceſe. in 12. Tom. 2. terza Edizione. 3:

De Gaſparis Jo: Baptiſtæ. Archiepiſcoporum Salisburgenſium res aduſque VVeſtphalicos conventus in Lutheraniſmum geſtæ. in 8. 1779. 4:

Grammatica Regia, ſeu nova, & facilis ratio diſcendi linguæ Latinæ præcepta pro Chriſtiana Suecorum Regina Auguſta. in 12. 1770. 1:

Ganini Dott. D. Antonio. Il Legiſta Verſificante, ovvero le Inſtitutioni Civili tradotte in verſo Volgare. in 8. 3:

Giuſtinelli P. Pietro della Comp. di Gesù. Via Spirituale per incamminarſi al Cielo con la ſcorta delli due Sacramenti, Confeſſione, e Comunione. Seconda Edizione. in 24. 1:

Gianotti. Il miſtico Giraſole, cioè induſtrie per unirſi a Dio. in 24. 1:

Guidiccioni Monſ. Giovanni. Opere raccolte dalle più antiche Edizioni, e da' MS. in 4. 1780. 8:

Degl'Iſtorici Veneti che hanno ſcritto per Pub. Decreto, cioè il Sabellico, Bembo, Paruta, Nani, Moroſini ec. in 8. Tom. 5. 30:

Iſtoria del primo principio, e del progreſſo della Religione Proteſtante Ingleſe, coll'Italiano a fronte in 8. Arezzo 1767. 4:

Iſtoria del Principe Carlo Odoardo Stuardo di Galles, concernente le avventure, e diſgrazie accadutegli in Iſcozia l'anno 1746. in 8. 2:

Leotardus Honoratus. De Uſuris, & Contractibus Uſurariis coercendis. Editio noviſſima, cui nunc primum adjectæ ſunt pro foro Conſcientiæ Diſſertationes tres R. Franciſci Zech, in quibus rigor moderatus Doctrinæ Pon-



Pontificiæ Benedicti XIV. circa uſuras demonſtratur. Fol. 1721. 20:

Lizzari Antonii. Obſervationum Medicarum. in 8. 1765. 2:

—— Ejuſdem Animadverſiones ad nonnulla Hippocratis loca Ex Epidemiorum Libris decerpta ſpectantes. in 8. 3:

Landini Arrigi Co: Orazio. Il Tempio della Filoſofia, o ſia il Sepolcro d'Iſacco Nevvton illuſtrato. in 8. 4:

Langlet Abb. Geografia de'Fanciulli, o ſia breve metodo, e facile per inſegnare la Geografia alla Gioventù con dettaglio ſu i cangiamenti di Dominio, e ſu gli avvenimenti in Europa, ſino all'Anno 1771. che non ſi leggevano in altre Edizioni ec. ed in oltre accreſciuta di un nuovo Mappamondo conforme alle più recenti Oſſervazioni del Sig. Moll. in 8. 1771. 2: 5

Lanuzza P. Luigi. Le due Macchine potentiſſime per convertire l'anime a Dio, cioè le conſiderazioni delle due morti, temporale, ed eterna. in 12. 1:

Lettera d'un Curiale Romano ad un Prete di Como ſulla Proceſſura, e diſeſa di D. Martino Ciſlago, Cappellano Curato di S. Appollinare in Roma. in 8. 1:

—— Di Filalette ad Arateo, con le oſſervazioni di Filopatride all'Epiſtola *de Diis Topicis fulginatium* del Sign. Giacomo N. Lucca. in 8. 2:

—— Sopra la Conventualità, ſcritta da un Religioſo al ſuo Superiore Generale. in 8. 2:

Lizzari. La Storia delle Malattie acute Epidemiche degli Anni 1770., e 1771. in 8. 1772. 2:

—— Ragguaglio della Curagione, ed Evento di due Malattie, non meno gravi che complicate, ſcritto in Lettera ad un Amico. in 8. 1776. 1: 5

—— Sopra il Male del Tiſico. Lettera ſcritta al Sign. Dott. Franceſco Mommetti. in 8. 1774. 1: 5

—— Lettera Apologetica ad un Amico contenente una Storia Medica. in 8. 1770. 1: 5

—— Supplemento alla Storia delle Malattie occorſe nelli 1761, e 1762. ſcritto in Lettera ad un Amico. in 8. 1763. 1: 5

—— La Storia della grave Malattia di un Perſonaggio Illuſtre, con le ſue Annotazioni. in 8. 1765. 2:

—— Riſleſſioni ſopra un Libro intitolato: la coſtituzione corrente brevemente conſiderata dal Dott. Pietro Orteſchi Medico, e Filoſofo Veneziano. in 8. 1764. 1:

—— Apologia ſopra un ſuo Progetto in un caſo Medico. 8. 1772. 2:

—— Lettera al Sign. Giorgio Petropoli contenente la Storia della propria Malattia, ed il metodo praticato da eſſo nell'Epidemica Coſtituzione preſente. in 8. 1769. 1:

—— Lettera di vario Argomento ſcritta al Signor Dott. Franceſco Cantù. in 8. 1776. 2:

Muſeum Mazzuchellianum, ſeu Numiſmata virorum doctrina præſtantium, quæ apud Jo: Mariam Comitem Mazzuchellum Brixiæ ſervantur, a Petro Antonio de Comitibus Gaetanis Brixiano Presbytero, & Patritio Romano edita atque illuſtrata. Accedit inde verſio Italica ſtudio Equitis Coſimi Mei elaborata. Continet hoc perelegans ac ſumptuoſum opus 1200. circiter Numiſmata, totidemque Emblemata ex adverſo reſpondentia, nec non Cælaturas 1400. circiter, idcoque Tabulis æneis 280. Finalibus 150. circiter conſtat. Fol. fig. Tom. 2. 1763. 200:

Maniera di aſcoltar la S. Meſſa. Nuova Traduzione. in 12. Vicenza. 1:

Madruccio il Cardinal di Trento difeſo contro Natale dei Conti, coi teſtimonj dei Letterati che lo connobbero. Opera del R. P. L. G. dell'Ordine de'Predicatori. in 8. 1:

Maupertuis. Lettere Filoſofiche tradotte dal Franceſe. in 8. 1: 5

Mariginis Abb. Iſtoria degli Arabi ſotto il governo de'Califfi. in 12. Tom. 8. 1754. 14:

Mead. Oſſervazioni concernenti varie importanti materie di Medicina, e la facoltà di molti rimedj ſpecifici per guarire varie malattie rimarchevoli ec. tradotte dall'Ingleſe. in 8. 1: 5

Meſi dell'Anno ad uſo d'Oratorj. fogli dodici. 4:

Morte di Cleopatra, Poemetto del Co: G. F. G. N. in 8. 1767. 1:

Mozzi Co: Luigi. Il falſo Diſcepolo di S. Agoſtino, e di S. Tommaſo convinto d'errore. Riſleſſioni Critico-Dogmatiche. in 8. 1779. 4:



Meditazioni ſopra i Noviſſimi. in 12. 5:

Muſocco P. Giuſeppe. Iſtruzioni particolari, ed importanti ſopra la S. Meſſa. in 12. 1:

Nannoni, Angelo, Maeſtro di Chirurgia nel Regio Spedale di Firenze. Sopra la Semplicità del medicare i mali d'attinenza della Chirurgia, coll'Aggiunta delle malattie delle Mammelle. in 4. con fig. in Rame. 4:

Oinotomi Joan. in quatuor Inſtitutionum Imperialium Libros cum addit. Gothofredi. Fol. 1769. 15:

Ovidii Pub. Naſonis, Triſtium, Epiſtolarum ex Ponto, & in Ibin Libri, cum novis Notis ac perpetuis ad modum Jo: Minelli ad optimos codices emendati, & illuſtrati Opera M. Erdmanni Uhſei cum Indice locupletiſſimo. in 12. Tom. 2. 1770. 3:

Palbuociti Andreæ, Elementa Moralia. in 4. 3:

Peregrini M. A. Tomus ſecundus ſeorſim, continens Obſervationes & Additiones quam plurimas Franciſci Conſalli &c. fol. 6:

Principj della Storia per educazione della gioventù diviſi in annate, e lezioni. in 12. Tom. 8. 20:

Pithing Henrici Jus Canonicum in V. Libros Decretal ium nova methodo explicatum, & variis quæſtionibus ad titulorum cognitionem pertinentibus adauctum. Fol. Tom. 5. 50:

Poggij Hiſtoria Florentina a J. B. Recanato P. V. illuſtrata. in 4. 12:

Poleni Joannis. Exercitationes Vitruvianæ, ſeu Commentarius de criticus M. Vitruvii Architecti in 4. fig. 22:

Præparatio ad Miſſam pro opportunitate Sacerdotis facienda. in 24. 2:

Panegirico di P. Plinio Cecilio ſecondo a Nerva Trajano Auguſto, tradotto di Latino in Volgare. in 8. 2:

Paſquini Abb. Claudio. Le ſue Opere Sacre. in 4. 6:

Pepoli Co: Cornelio. Trattato del ſiſtemi del Mondo Planetario di Monſ. du Lard tradotto in Verſi ſciolti, con alcune Rime, e la Tavola di Cebete dello ſteſſo. in 8. 2:

—— La Tavola di Cebete, Filoſofo Greco, tradotta in Verſi ſciolti, con alcune Rime Sacre, e Morali del medeſimo, e con la Tavola di Cebete in Rame, rappreſentante tutte le Vicende dell'umana Vita. in 8. 1: 10

Perſone Girolamo. Diſſertazione ſopra l'Operazione Ceſarea. in 8. 1778. 2:

Peverelli P. Bartolomeo della Comp. di Gesù. Storia delle perſecuzioni fatte alla Chieſa dagli Infedeli nei primi quattro Secoli. in 4. Tom. 2. 10:

Pilati Carlo Antonio di Taſullo. L'Eſiſtenza della Legge Naturale. in 8. 1: 5

Il Quadro di Cebete Filoſofo Greco traſportato in Lingua Italiana. in 4. Padova. 2:

De Roye Franciſcus. De Miſſis Dominicis, eorum Officio, & Poteſtate. in 8. 1772. 3:

Raccolta di Vite de'Santi per ciaſcun giorno dell'anno. Sin'ora ne ſono ſortiti Tom. 3. 6:

Raynal. Storia dell'America Settentrionale continuata fino all'anno preſente 1779. in 8. Tom. 3. 12:

Rogatis. Iſtoria della perdita, e riacquiſto della Spagna occupata da'Mori. in 12. Tom. 7. 14:

De Roſſi P. Staniſlao, Idea della vera oneſtà, e della prudenza umana ſecondo le maſſime d'una perfetta morale, e criſtiana filoſofia. in 8. Tom. 6. 1777. 18:

Rime ſcelte ad uſo della ſtudioſa Gioventù. in 8. 1: 5

Salas P. Luigi dell Comp. di Gesù. Lezioni Sacre che contengono la ſpiegazione della cattività del popolo Giudaico di Babilonia. in 4. Tom. 2. 8:

Saggi di Coſmografia, Uranografia, e Geografia ad uſo delle Scuole. in 8. 1779. 2: 5

Saggio della Società letteraria Ravvenate. in 8. 1765. 3:

Di Salignac Monſ. Franceſco della Motte-Fenelon. Direzioni per la coſcienza d'un Re compoſte per iſtruzione di Luigi di Francia, Duca di Borgogna, col teſto Franceſe a fronte. in 12. 1779. 3:

La Schacchcida, o ſia il Giuoco degli Scacchi-Poema Latino di Girolamo Cremoneſe volgarizzato in ottava Rima. in 8. 1774. 2:

Storia della Guerra per la ſucceſſione agli Stati di Baviera col trattato di pace. in 8. Tom. 2. 1779. 4:

—— La ſuddetta adorna di ritratti, e Carte Geografiche per

per intelligenza della Storia ſteſſa. in 8. Tom. 4. 1779. 10:

— Del Secolo XVIII. in cui ſi deſcrivono tutti i fatti Militari, e Politici avvenuti in Europa, e la deſcrizione di tutto ciò che è accaduto di rimarchevole in diverſe parti del Mondo, che incomincia dall'Anno 1765. di cui è uſcito il primo Tomo. in 8. 2:

— Del grand'Ordine della Patamargo, con varj eroi dell'ordine medeſimo. in 8. 1771. 1: 5

Stanze del Sign. Dott. Domenico Tomei Arciveſcovo di Tenearela a Selvaggio Dodoneo, in riſpoſta del Poema della Concluſione dei Frati da eſſo Selvaggio a lui diretto. in 8. 1: 5

Tabulæ VVisthonianæ conſpectus, cum Theorematibus ex Aſtronomia ſelectioribus, addito ſchemate æneo. in 8. Charta vulgo Imperiali. 1759. 4:

Tamburini P. Thomæ. Theologia Moralis noviſſimis additionibus locupletata. in Fol. Tom. 3. 16:

Taucci P. Giacinto. Orazioni Panegiriche di tutti i Servi di Dio Santificati della Religione de' PP. Predicatori. in 4. 3:

Tanſillo Luigi. Il Podere. 8. 1:10

Taſſo Torquato. L'Aminta, Favola Boſchereccia accreſciuta, e adornata di otto Rami di grandezza della Pagina con allato i ſuoi Capo-Pagine, Finaletti, e lettere iniziali inciſi in Rame da perito Profeſſore, tutti alluſivi alla materia. in 12. fig. 8:

De Vita, & Scriptis Joannis Dominici Manſi Cong. Matr. Dei, primum Clerici Regularis, deinde Archiepiſcopi Diœceſis Lucenſis. in 4. Carta grande. 1772. 4:

Virgilii Opera. in 8. 3:

Venturini Canonico. Conſiderazioni Morali ſopra alcuni Miſteri di Gesù Criſto infante, per celebrare la Novena del ſuo SS. Natale. in 12. 10:

Vertot. Diſſertazione intorno la nomina del Romano Pontefice ai Veſcovadi, ed altre Dignità Eccleſiaſtiche della Francia. in 8. 2:

Vita de' Santi Padri col Prato Spirituale, deſcritte dal Santi Girolamo, e Atanaſio. in 4. 2:

Vite, e Memorie de' Santi ſpettanti alle Chieſe della Dioceſi di Venezia, in 8. Tom. 7. 1763. 35:



Vita, e geſte dell'Immortal Pontefice Siſto V. dell'Ordine de' PP. Minori Convent. in 8. 1770. 3:

— E virtù di D. Ferdinando Treviſani di Padova, Monaco Olivetano. in 8. col ſuo Ritratto in Rame. 2:

— Detta del Venerabile Servo di Dio P. Luigi la Nuſa della Compag. di Gesù, l'Apoſtolo della Sicilia. in 4. 3:

— E virtù di Suor Maria Geltrude Caterina Budrioli da Forlì Monaca Cappuccina Profeſſa deſcritta dal P. Antonio Maria Berti. in 8. 1:

— Detta del B. Bernardo da Corleone dell'Ordine de' Minori Cappuccini. in 4. 3:

— Del P. Pietro Cotone Confeſſore delli Re di Francia Enrico IV., e Luigi, compoſta dal Cot d'Orleans. 8. 1753. 3:

— D'Arlotto Mainardi Pievano di S. Creſci a Majnolo del Sign. Domenico Maria Manni, e da lui in queſta terza Edizione corretta, ed accreſciuta, aggiuntovi un Canto d'Incerto Autore in lode della pazzia di Bertina Veneziana, col ſuo Ritratto in Rame. 1: 5

— Del Venerab. Servo di Dio D. Gio: Battiſta Nani Patrizio Veneto, e Monaco Bened. Caſſineſe di S. Giorgio Maggiore. Fol. 4:

Vocabolario de' Nomi, e Verbi della lingua Ingleſe raccolti, e ſpiegati nell'Italiana lingua da Giulio Camillo Monteviggena a comodo di chi brama rettamente intendere, e correttamente ſcrivere la detta lingua Ingleſe. in 8. 2:

L'Uomo, o ſia Memorie, ed Avventure del Cot di Seneceal, ſcritte dal Sig. Abb. Prevoſt, trad. dal Franceſe. in 8. Tom. 3. 1763. 6:

Zanboldi. Saggi per ſervire alla Storia dell'Uomo. in 8. Tom. 3. 4:

Zaccaria P. Franceſco. Biblioteca di varia letteratura ſtraniera, antica, e moderna, compilata dagli Autori degli Annali Letterarj d'Italia. in 12. Modena. 3:

— Detto Annali Letterarj d'Italia. Il quali incominciano dall'Anno 1756., e poſſono ſervire di continuazione all'Iſtoria Letteraria del P. Suddetto, al qual Anno appunto ſono rimaſti col Tomo XIV. in 8. Tom. 3. 24:

# POENITENS JUSTIFICATUS,

*SEU*

THEOLOGICA DOCTRINÆ CATHOLICÆ ECCLESIÆ

De uſu Virtutum Pœnitentem ad Juſtificationem diſponentium explicatio,

QUÆ, VEL SOLA, VEL APPENDICIS LOCO OPERIBUS

R. P. GABRIELIS ANTOINE

*Adjuncta legatur, firmiſſimis ſane utriuſque Theologiæ fundamentis innixa undique reperietur.*

V E N E T I I S
MDCCLXXXIII.
APUD ANTONIUM ZATTA
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

per intelligenza della Storia ſteſſa. in 8. Tom. 6. 1779. 10:

— Del Secolo XVIII. in cui ſi deſcrivono tutti i fatti Militari, e Politici avvenuti in Europa, e la deſcrizione di tutto ciò che è accaduto di rimarchevole in diverſe parti del Mondo, che incomincia dall' Anno 1765. di cui è uſcito il primo Tomo. in 8. 2:

— Del grand' Ordine della Patamargo, con varj eroi dell' ordine medeſimo. in 8. 1771. 1: 5

Stanze del Sign. Dott. Domenico Tomei Arciveſcovo di Tenearala a Selvaggio Dodoneo, in riſpoſta del Poema della Concluſione dei Frati da eſſo Selvaggio a lui diretto. in 8. 3: 5

Tabulæ VVisthonianæ conſpectus, cum Theorematibus ex Aſtronomia ſelectioribus, addito ſchemate æneo. in 8. Charta vulgo Imperiali. 1759. 4:

Tamburini P. Thomæ. Theologia Moralis noviſſimis additionibus locupletata. in Fol. Tom. 1. 16:

Taucci P. Giacinto. Orazioni Panegiriche di tutti i Servi di Dio Santificati della Religione de' PP. Predicatori. in 4. 3:

Tanſillo Luigi. Il Podere. 8. 1:10

Taſſo Torquato. L' Aminta, Favola Boſcherecciа accreſciuta, e adornata di otto Rami di grandezza della Pagina con allato i ſuoi Capo-Pagine, Finaletti, e lettere iniziali inciſi in Rame da perito Profeſſore, tutti allusivi alla materia. in 12. fig. 8:

De Vita, & Scriptis Joannis Dominici Manſi Cong. Mat. Dei, primum Clerici Regularis, deinde Archiepiſcopi Diœceſis Lucenſis. in 4. Carta grande. 1772. 4:

Virgilii Opera. in 8. 1:

Venturini Canonico. Conſiderazioni Morali ſopra alcuni Miſteri di Gesù Criſto infante, per celebrare la Novena del ſuo SS. Natale. in 12. 10:

Vertot. Diſſertazione intorno la nomina del Romano Pontefice ai Veſcovadi, ed altre Dignità Eccleſiaſtiche della Francia. in 8. 2:

Vita de' Santi Padri col Prato Spirituale, deſcritte dal Santi Girolamo, e Atanaſio. in 4. 2:

Vite, e Memorie de' Santi ſpettanti alle Chieſe della Dioceſi di Venezia. in 8. Tom. 7. 1763. 85:



Vita, e geſte dell' Immortal Pontefice Siſto V. dell' Ordine de' PP. Minori Convent. in 8. 1770. 3:

— E virtù di D. Ferdinando Treviſani di Padova, Monaco Olivetano. in 8. col ſuo Ritratto in Rame. 2:

— Detta del Venerabile Servo di Dio P. Luigi la Nuſa della Compag. di Gesù, l' Apoſtolo della Sicilia. in 4. 3:

— E virtù di Suor Maria Geltrude Caterina Budrioli da Forlì Monaca Cappuccina Profeſſa deſcritta dal P. Antonio Maria Berti. in 8. 1:

— Detta del B. Bernardo da Corleone dell' Ordine de' Minori Cappuccini. in 4. 3:

— Del P. Pietro Cotone Confeſſore delli Re di Francia Enrico IV., e Luigi, compoſta dal Cor d' Orleans. 8. 1753. 3:

— D' Arlotto Mainardi Pievano di S. Creſci a Majnolo del Sign. Domenico Maria Manni, e da lui in queſta terza Edizione corretta, ed accreſciuta, aggiuntovi un Canto d' Incerto Autore in lode della pazzia di Bettina Veneziana, col ſuo Ritratto in Rame. 4: 5

— Del Venerab. Servo di Dio D. Gio: Battiſta Nani Patrizio Veneto, e Monaco Bened. Caſſineſe di S. Giorgio Maggiore. Fol. 4:

Vocabolario de' Nomi, e Verbi della lingua Ingleſe raccolti, e ſpiegati nell' Italiana lingua da Giulio Camillo Monteviggena a comodo di chi brama rettamente intendere, e correttamente ſcrivere la detta lingua Ingleſe. in 8. 2:

L' Uomo, o ſia Memorie, ed Avventure del Cor di Seneterl, ſcritte dal Sig. Abb. Prevoſt, trad. dal Franceſe. in 8. Tom. 3. 1762. 6:

Zanboldi. Saggi per ſervire alla Storia dell' Uomo. in 8. Tom. 3. 4:

Zaccaria P. Franceſco. Biblioteca di varia letteratura ſtraniera, antica, e moderna, compilata dagli Autori degli Annali Letterarj d' Italia. in 12. Modena. 1:

— Detto Annali Letterarj d' Italia. Il quali incominciano dall' Anno 1756., e poſſono ſervire di continuazione all' Iſtoria Letteraria del P. Suddetto, al qual Anno appunto ſono rimaſti col Tomo XIV. in 8. Tom. 3. 24:

# POENITENS JUSTIFICATUS,

## SEU

## THEOLOGICA DOCTRINÆ CATHOLICÆ ECCLESIÆ

De uſu Virtutum Pœnitentem ad Juſtificationem diſponentium explicatio,

QUÆ, VEL SOLA, VEL APPENDICIS LOCO OPERIBUS

R. P. GABRIELIS ANTOINE

*Adjuncta legatur, firmiſſimis ſane utriuſque Theologiæ fundamentis innixa undique reperietur.*

VENETIIS
MDCCLXXXIII.
APUD ANTONIUM ZATTA
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

„ *Quia inter cetera unum eſt quod ſanctam maxime perturbat Eccleſiam*, Falſa *videlicet Pœnitentia, Confratres noſtros (Epiſcopos) & Presbyteros admonemus, ne falſis Pœnitentiis Laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur.* “ *Sacroſ. Concilium Lateran.* 11. *Can.* 22.

„ *Sæpe & reprobi peccata* Confitentur, ſed deflere contemnunt. *Electi autem culpas ſuas, quas vocibus Confeſſionis aperiunt, diſtrictæ animadverſionis fletibus inſequuntur* “. *D. Gregorius Mag. l.* 8. *c.* 15.

„ *Sicut teſte Jacobo Fides ſine operibus mortua eſt, ita opera ſine Fide mortua ſunt.* “ *D. Hieronymus in ep. ad Galatas.*



# PŒNITENS JUSTIFICATUS,

SEU

## THEOLOGICA DOCTRINÆ C. ECCLESIÆ

## DE USU VIRTUTUM PŒNITENTEM AD JUSTIFICATIONEM DISPONENTIUM EXPLICATIO.

In primis circa *Fidem Juſtificantem* quæritur,

I. UTrum, dum quis ad Sacramentalem Abſolutionem præparatur, teneatur ad ſuam Contritionem præmittere Supernaturalem Actum Formalem Explicitum Fidei Myſteriorum ad ipſam Contritionem immediatius concurrentium, ita proxime ac recenter elicitum, ut cum ea ab illo concipitur, ipſe Actus Fidei adhuc certo perſeveret proprie *Virtualis*?

II. Utrum ejuſmodi Fidei Actus Formalis Explicitus reipſa ex uno ad alium diem adeo certo perſeveret proprie *Virtualis*, ut ipſe Pœnitens eum iterare non teneatur poſt eam interruptionem, quæ fit per ſomnum?

Secundo circa *Pœnitentiam Juſtificantem* quæritur,

Utrum ſit prudenter exiſtimanda ſufficiens ad Sacramentalem Abſolutionem Pœnitentia illa, quæ conſiſtit in eliciendo quemdam doloris Actum (quod vulgo dicitur facere unum Actum Contritionis), ideſt in ponendo ſemel, vel iterum aliqualem conatum ad eliciendum ejuſmodi Actum? Confeſſariis, ac Pœnitentibus a P. Emmanuele de Payva Soc. J. Theologo in duobus Tractatibus olim propoſitus.

Opus ſane omnibus perquam utile, & quamplurimis maximopere neceſſarium, in quo Eccleſiæ C. Doctrina recte explicata, & pluribus perverſis præjudicatis ſententiis, ac perniciofiſſimis æquivocis, quæ dæmonis fraude, & hominum incuria in negotio humanæ Juſtificationis ſubrepſerant, ad Cimerias tenebras amandatis, ita plura in Sanctificationis Materia ſcitu digniſſima, & ceteroquin a DD. vix, aut certe ſatis obiter ac perplexe attacta novis obſervationibus ex ſecretiore utriuſque Theologiæ penu depromptis, ſolide ac perſpicue dilucidantur, ut, *dum vetera dicuntur, nova dici videantur.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# PRÆFATIO.

I. Cum ſummam atque maxime deplorandam licentiam, qua plurimi Chriſti Fideles in omne vitiorum genus frequenter prolabuntur, atque vix e Confeſſariorum pedibus ſurgentes in eadem peccata, quæ paullo ante confeſſi fuerant, ( 1 ) relabuntur, quin vel minimam ſollicitudinem ad eorum correctionem obtinendam impendant, nobiſcum taciti perpenderimus: cumque inſuper ponderaverimus facilitatem maximam, quacum ætate noſtra plures ex eis vix a quovis infelici libertatis aſſertore contra inconcuſſa noſtræ Religionis Myſteria putidum aliquod Sophiſma propoſitum audiunt, ſtatim ad Impietatem, Irreligionem, Indifferentiſmum deficiunt, & in Hæreſim, in Deiſmum, Philoſophiſmum, vel Atheiſmum miſere proruunt; cum inquam, hæc, aliaque id genus obſervaverimus, in ſuſpicionem incidimus & *Ignorantiam* multam, & Æquivocationes pene incredibiles in plurimorum catholicorum *Fide*, atque *Pœnitentia* reperiri. Reque diligentius perpenſa deprehendimus, quod quamvis S. R. Eccleſia ab Apoſtolorum temporibus traditione primitus, & poſtea etiam ſcriptis ( uti in ſuo antiquo *Rituali* dicto, *Ordo Romanus in Officio divino ec.* ) Confeſſariis præſcripſerit, ut ipſi poſt audita peccata eis Myſteria *tunc Explicite* credenda ſuggerentes ab omnibus, & ſingulis Pœnitentibus ( 2 ) in primis elicientiam Actus Formalis Expliciti Fidei eorumdem exigant, & poſtea ab eiſdem competentem diligentiam, atque non ſuperficiales conatus ad continendum verum *Supernaturalem* peccatorum dolorem exquirant ( quæ quidem denuo quoad ſubſtantiam, ut ita dicam, nobis per Sacroſ. Tridentinam Synodum, & Catechiſmum Romanum inculcavit ) nihilominus tamen 1. Eorum plures ſibi perſuadent ſe rite, recteque peccatorum Confeſſionem peregiſſe, eo quod peccata omnia diligentiſſime, quamvis abſque neceſſaria Supernaturali cordis converſione, ſeu Contritione, Confeſſario narraverint. Contenti quippe ſunt dolore illo *Natu-*

*rali*,

( 1 ) *Quando veræ Confeſſionis, Converſionis, ac Pœnitentiæ ſignum nobis ab Apoſtolo relictum* ſtabilitas *quædam in ſemel perfecta Pœnitentia videtur* „ Triſtitia, *inquit*, quæ ſecundum Deum eſt, Pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. “

( 2 ) Ordo in 4. Feria Quadrageſimæ *ſic habet* „ *Poſt iſta omnia ſcrutata, & Pœnitentem corroboratum interroget eum Sacerdos, ita dicens*: credis in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum? *Reſpondeat Pœnitens*: Credo. Item credis, quia iſtæ tres Perſonæ Pater, & Filius, & Spiritus S. unus ſit Deus ec.? *Quo prædicto totum ſe in terram proſternat*, & gemitus, atque ſuſpiria, vel lacrymas prout Deus dederit, ab intimo corde producat. *Sacerdos vero patiatur eum aliquantiſper jacere proſtratum juxta quod viderit eum divina inſpiratione compunctum.* “



*rali*, *qui*, ut ait S. Bonaventura, *ex læſione Naturæ oritur* ( quia, cum peccatum ſit contra rationem, homini, qui quidem rationis compos eſt, quamdam adfert triſtitiam, atque quoddam veluti tormentum, ex quo ipſi neceſſario peccatum ipſum *Naturaliter* diſplicet. ) Aut certe contenti ſunt illa peccatorum deteſtatione, qua plenus, quinimmo refertus horribilis infernus (1). 2. Multi præterea exiſtimant ſe Pœnitentiam ſufficientem elicere, quotieſcumque ex aliquali brevi meditatione in Deum in ſe experiuntur, quamvis veluti in *abſtracto*, aliquem neſcio quem peccati dolorem.

II. Et ſi ejuſmodi dolor a cauſſis, principiis, ac Motivis ad verum *Supernaturalem* dolorem, *ut oportet* neceſſariis vel prorſus, vel ſaltem debita ratione ac tendentia neque egrediatur, neque promanet. Tandem plurimi alii putant ſe tuto verum *Supernaturalem* Contritionis Actum elicuiſſe, ſimul ac ſemel, aut iterum in eo eliciendo aliqualem conatum adpoſuere. Hoc eſt ſimul atque tantillo doloris ſenſu ſemel, aut iterum, vel ad plurimum iterum, ac tertio aliquam Contritionis Actus Formulam recitent. Perinde atque Actus Contritionis Formula quædam Sacramenti Forma ſit, quæ ſemel ac ſupra Materiam aptam prolata ſit, abſque ulla alia proferentis adfectione Sacramentum neceſſario conficere debeat. Eique diligentiæ, ac Contritioni & Sacramentorum valorem, & æternam ſalutem committere minime dubitant, ac ſi veri *Supernaturales* Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis Actus, *ut oportet*, ea facilitate, ac ſecuritate, quacum in fluminibus lapides, & in litore maris arenæ reperiuntur, ubique inveniantur.

III. Rurſus per id, quod ad Fidem adtinet, quamvis prædicta præſcripſerit Eccleſia: & ceteroquin credere Fide *Supernaturali Actuali ut oportet*, ſeu Fide ejus datæ naturæ, qualitatis, tendentiæ ac perfectionis, quam Deus requirit, & quæ *neceſſitate medii* neceſſaria eſt, ut videlicet cæcæ noſtræ voluntati *Supernaturaliter*, *ac proportione* Supernaturalia Actuum Spei, Charitatis, & Contritionis Motiva Formalia proponat, ſit majus quoddam ac difficilius, quam vulgo homines opinantur, attamen 1. Aliqui putant hanc Fidem conſiſtere in *habitibus* nobis infuſis addita ad plurimum quantuſacunque Dei, ſuorumque Myſteriorum *Naturali* cognitione atque adhæſione ad ipſa, vel certe addita quadam Fide acquiſita eorumdem in ſe mere *Naturali*, quam prævie habere debet quicumque Actum Fidei poſtea elicere velit, quamque habent vel ipſi Schiſmatici, immo & Hæretici omnes. Alii præterea bene multi eam Fidem in *non negandis poſitive* divinis Myſteriis, aut in *illis utcumque profitendis* ( quod ſane fieri non poteſt abſque aliqua adhæſione etiam firmà ) conſiſtere putant. Plurimi vero alii mordicus tenent eam conſiſtere in quadam Fide *Exercita atque Implicita* in Actibus aliarum virtutum incluſa proveniente ab aliquo Actu Fidei forſan olim facto. Quod ideo exiſtimant 1. Quia experiun-

( 1 ) *Nam ut in ſupplem. in 3. p. q. 16. ar. 3. ait D. Thomas* „ *Quia in nulla creatura talis ordo* ( Naturalis ad bonum, ) *vel inclinatio totaliter tollitur, ideo etiam in damnatis talis deteſtatio manet, & per conſequens Pœnitentiæ paſſio, vel quid ſimile, ut dicitur Sap. 5.* Intra ſe Pœnitentiam agentes. “

periuntur ſibi in mente adhuc remanere exiſtentiæ Dei, ac Myſteriorum per eum Actum vel per quamlibet aliam notitiam olim creditorum *quamdam Naturalem* recordationem ac reminiſcentiam. 2. Quia ejuſmodi prætenſa Fides *Exercita* & *Implicita* reputatur *Virtualis*, proindeque ad adultorum Juſtificationem ſufficiens a quibuſdam Theologis, qui præjudicatis ſententiis nimis deferentes non ſatis perpenderunt naturam ac durationem proprie *Virtualem* Actuum Fidei. Ex qua agendi ratione proh quot Fideles infideles, & proh quot Pœnitentes impœnitentes coram Deo inveniuntur!

IV. Porro hæc omnia nos quodammodo compellunt ad ſuſcipiendum, quantum ingenioli noſtri imbecillitas feret, in hoc Opuſc. examen propoſitarum quæſtionum: *Utrum dum quis ec.* Et *utrum ſit prudenter exiſtimanda ec.* Non utique *Nova* dicturi (non enim res ejuſmodi ſunt, in quibus vel *Nova* admittenda, vel *vetera* temere omittenda ſint), ſed quæ forſan ob aliorum *non uſum*, & ob aliorum *imperitiam Nova* videri poſſint, cum tamen *vetuſtiſſima* ſint, ſemperque juxta ſpiritum ac ſenſum S. C. Eccleſiæ *columnæ & firmamenti veritatis* nobis ab ipſa indicatos tenenda; quamvis a pleriſque non ſatis bene intellectos, uti ex dicendis ad evidentiam uſque patebit. Cum ceteroquin ut ſapienter monet Melchior Canus in Relect. de Pœnit. p. 5. „In Mediis ad ſalutem neceſſariis nemini ignorantia patrocinetur, ut ſine illis æternam ſalutem poſſit adipiſci." Quapropter portento ſimile eſt homines exiſtere, qui in hiſce rebus prorius ſtupidi, nihilque curantes videantur, perinde ac ſi nullius eſſent momenti, vel in re prorſus incerta ac difficili tuti eſſe poſſent, vel ſaltem horum ignorantia ipſis ſuffragari poſſet; contra vero alios eorum ingenium acuere, vaniſque Sophiſmatibus Eccleſiæ adeo luculentam doctrinam in damnum animarum pervertere atque offuſcare contendere. Quia paveant Fratrum ſuorum tyrannos eſſe, atque paradiſi januam ante ipſorum oculos claudere, quibus etiam per Matt. c. 23. a Domino dictum putandum eſt „*væ vobis .... qui clauditis regnum Cælorum ante homines, ... vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.*"

V. Lectorum prudentiæ erit hoc noſtro Opuſculo ad propriam, aliorumque ſalutem uti. Ceterum ſingulorum PP. ac DD. quorum doctrinam hoc loci collegimus, nomine cum Auguſtino de *dono perſeverantiæ* c. 24. dicemus „Qui me errare exiſtimant, etiam atque *diligenter* quæ ſunt dicta conſideret, ne fortaſſis ipſi errent." Utque Lector noſter humaniſſimus ejuſmodi noſtrarum (quia ſunt S. Eccleſiæ C. quacum unice, ſancte proteſtamur, ſcire volumus) aſſertionum veritatem intelligere poſſit, ut omnia præjudicia, quibus veluti nutritus eſt hac ſuper re ſeponat, vel ſaltem de eorumdem veritate tantiſper dubitet, ac diffidat. Neque contra veram Theologiam in quodam miſero *non uſu*, atque in plurimorum Fidelium perniciosiſſima *negligentia*, atque *incuria* tamquam in probata Eccleſiæ praxi falſam ſecuritatem, de qua plures ſibi tamquam de vera perperam blandiuntur, fundare velit. Et aſſertionum noſtrarum veritatem ex ipſa potius rerum cohærentia, inconcuſſis fundamentis, ac urgentiſſimis rationibus, atque auctoritate ſtatim adducendis, quam ex opinionibus a ſe, vel ab aliis hactenus nulla diſcuſſione admixtis ac præconceptis æſtimet, ac non tam Concluſiones



deductas cum ejuſmodi ſuis aliorumque præjudiciis committat, quam ad ipſam earum rectam deductionem, ejuſque candide ac ſerio adtendat, ſecumque probe perpendat.

VI. Cum omnes pro poſſe graviſſime obligemur in rebus ad ſalutem *neceſſitate Medii* neceſſariis ad inquirendum & aſſequendum veritatem, vel ſaltem ad interim praticandum quod tutius eſt, uti docent Omnes TT. quin ulli hic ſuffragetur invincibilis ignorantia, vel probabilitas etiam maxima, & multominus quædam affectata male fundata ſecuritas, qua cum plures nolunt dubitare, cum maxime dubitandum eſt. Perinde ac ſi ejuſmodi rerum veritas non ex divinis inſtitutis, ac ex rerum ipſarum eſſentia ac natura nobis ab Eccleſia, & ratione indicatis, ſed ex cerebri noſtri, aliorumque apprehenſionibus ac præjudicatis ſententiis metiri, atque pendere debeat. Id denique a Lectore noſtro human. exigimus, quod a ſuo exegit Auguſtinus lib. 3. de Trinit. num. 2. ſcil. „In his ubi ipſa magnitudo quæſtionis utinam tam multos inventores habere poſſet, quam multos contradictores habet. Verumtamen ſicut Lectorem meum nolo eſſe mihi deditum, ita Correctorem nolo eſſe ſibi. Ille me non amet amplius quam Catholicam Fidem, ille ſe non amet amplius quam Catholicam veritatem. Sicut illi dico, noli meis litteris quaſi Scripturis Canonicis inſervire, ſed in illis &c. ita illi dico, noli meas litteras ex tua opininione, vel contentione, ſed ex divina lectiode, vel inconcuſſa ratione corrigere".

VII. Nam, ut verum fateamur, nos quidem non timemus niſi cenſuram eorum 1. Qui nos damnare velint indicta cauſſa, ſeu ſuis præjudiciis unice innixi, quin ſententias noſtras legant, & quidem adtente. Verum quidem eſt ipſis nos reſpondere poſſe cum Div. Hieronymo epiſt. ad Paul. & Euſt. „*Legant prius, & poſtea deſpiciant, ne videantur non ex judicio, ſed odii præſumptione ignorata damnare*". 2. Qui omnia funditus ſe comprehendere exiſtimant, quantumvis nullam vel certe ſatis exiguam in eorum ſtudio operam collocaverint. Atque idcirco in eo errore verſantur, omnia ſcilicet neceſſario concipi debere juxta ideam, quam ipſi de his pueri conceperunt; neque aliter cuivis intelligere citra hæreſeos periculum licitum eſſe. Putant quippe eruditiſſimi homines non ſemel aliquas Catholicas veritates eſſe hæreſes, & viceverſa aliquas hæreſes eſſe Catholicas veritates. Hi enim vero omnes apud eos, qui (merito ob ea, quæ ipſi forte didicerunt) quævis eorumdem verba totidem Oracula arbitrantur, quamcumque ſententiam modo ea eorum præjudiciis refragetur, videntur impugnare, quinimmo funditus evertere. Si nihil hæſitantes quadam Magiſtrali auctoritate dicant: „*Hic enimvero craſſiſſimus error eſt, hæc mehercule deteſtanda hæreſis eſt*; vel e contra *hæc tutiſſima, hæc Catholiciſſima doctrina eſt* ....". „*Sunt* nonnulli (ait Mag. Canus de Locis Theol. lib. 8. cap. 5.) qui per eas perſuaſiones, quibus a principio ſunt imbuti de rebus graviſſimis ſententiam ferunt, temeritate quadam ſine judicio, repentino quaſi vento incitati, quæ longe alia eſſet, ſi judicio conſiderate, conſtanterque lata eſſet".

VIII. Neque nobiſmet ipſis perſuademus aliquantulum negotii, quod ab initio experiemur, dum ad imbuendos in rebus ejuſmodi rudiores adcingemur, a ſapientibus reputandam eſſe ſufficientem cauſſam, quæ nos abſque graviſſimis conſcientiæ ſtimulis ab Eccleſiæ C. doctrinæ neceſſaria praxi revo-

vocanda aliquantulum impediat, retardetve. Quidquid contra malus dæmon ( cui non tam Catholica divinorum Myſteriorum *Profeſſio*, quam eorumdem *Supernaturalis Credentia ac Fides*, *ut oportet* diſplicere ſolet ) per ſe, ſuoſque moliri conetur, ut interea infinitum Chriſtianorum numerum, qui peſſima ſorte Tunc, cum forte Formalem Fidei Actum proxime elicuit, ſufficientes animi contentiones, conatuſque in elicienda *Supernaturali Contritione* non impendat, in æternum perditum iri patiamur. Animadvertimus tamen non ita nos perdite eſſe noſtri amantes, ut convincere Catholicos ſophiſtas in eorum præjudiciis obfirmatos poſſe arbitremur. Scimus quippe in ſummo æternæ ſalutis negotio hoc celeberrimis controverſiſtis, ſummiſque, quo ad ejuſdem Fidei Profeſſionem, Propagatoribus, dum in ejuſmodi furfuris homines incidebant, quinimmo & vel ipſi potentiſſimo Servatori noſtro, dum contumaces Hebræos Divino ore alloquebatur, non eveniſſe. Cum eo proceſſerit hominum temeritas, ut nimis verum ſit illud Auguſtini lib. 3. de Doctr. Chr. cap. 10. „ Siquid Scriptura vel præcipit quod abhorret „ *a Conſuetudine* audientium, vel quod non abhorret culpaverit, ſi animum eorum jam verbi vinxit auctoritas, *figuratam* locutionem putant... „ Item ſi animum præoccupavit alicujus erroris opinio, quidquid aliter aſſeruerit Scriptura, *figuratum* homines putant “.

IX. Sit quidem Catholica Religio omnium unice ſumma, atque perſuaſu aptiſſima præfulgeat ea unica Characteribus, quæ ejus veritatem veluti ante oculos conſtituunt, nihilo tamen minus obfirmata ſophiſticandi ratio ſemper comminiſcetur vanas interpretationes, ac putida ſophiſmata, quibus ſplendidiſſimam ejus veritatem illudat. Sit igitur etiam prædictarum ſententiarum C. veritas perquam maxime patens, ſit earum praxis ad hominum ſalutem perquam maxime neceſſaria, fueritque ut talis ab Eccleſia jam ab initio præſcripta, ac ſæpius inculcata Fidelibus, ea ipſa ſophiſticandi ratio multorum *non uſu*, atque *incuria* ſuffulta, effugia inveniet, quibus ejus inconcuſſam veritatem, ac neceſſitatem apud imperitos ſimiliter illudat. Maxime ſi ejuſmodi animi pertinaciam comitetur, ut frequenter accidit iis, qui *pro nihilo habent terram deſiderabilem*, quadam injurioſa indolentia circa propriam, aliorumque æternam ſalutem; vel ſaltem quadam invidentia, qua cum quidam, ut eoſdem ſalſe 1. Epiſt. lib. epiſt. 2. irridet lepidiſſimus Flaccus, aliena monita ut ut utilia rejicere ſolent „ *Vel* „ *quia nihil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt. Vel quia turpe putant pa-* „ *rere minoribus, & quæ imberbes didicere, ſenes perdenda fateri* “. Nec tandem contemnendum putemus etiam ad rem noſtram illud Senecæ princip. lib. de *Vita beata*, ſcilicet „ Non tam bene cum rebus humanis agitur, „ ut meliora pluribus placeant. Argumentum peſſimi turba eſt. Quæramus „ quid optime factum ſit, non quid uſitatiſſimum, & quid nos in poſſeſſio- „ ne felicitatis æternæ conſtituat, non quod vulgo veritatis peſſimo inter- „ preti probatum ſit “. Vale; & monitis noſtris ad majorem Dei gloriam utitor.

IN-



# INDEX

Tractatuum, Diſſertationum, & Capitum, quæ in hoc Opere continentur.

## TRACTATUS I.

### Fides Juſtificans.

#### DISSERTATIO I.

PRæmittitur definitio Fidei. Adferuntur aliquæ ipſius Fidei, ac Spei, Charitatis, & Contritionis diviſiones. Reſpondetur ad I. Quæſitum. Utrum, *dum quis præparatur ad ſacramentalem Abſolutionem teneatur &c.*? 3

CAP. I. *Præmittitur definitio Fidei divinæ* Juſtificantis, *ac præciſe ut prærequiſitæ ad eliciendos noſtros* Supernaturales *Actus Spei, Charitatis, & Contritionis. Adferunturque aliquæ ejuſdem Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis diviſiones.* ibid.

CAP. II. *Notantur aliqua neceſſitatem hujuſce Explicationis oſtendentia.* 5

CAP. III. *Reſpondetur ad prædictum I. Quæſitum. Utrum ſcilicet dum quis præparatur ad Sacramentalem Abſolutionem, teneatur ad ſuam Contritionem præmittere Supernaturalem Actum formalem* Explicitum *Fidei Myſteriorum ad ipſam Contritionem immediatius concurrentium, ita proxime ac recenter elicitum, ut cum ea ab illo concipitur; ipſe Actus adhuc certo perſeveret proprie* Virtualis? *Adfirmative. Et probatur.* 7

#### DISSERTATIO II.

Reſp. ad II. Utrum ejuſmodi Fidei Actus Formalis Explicitus &c. Probaturque tum *a Ratione*, cum *ab Auctoritate*, quibus magnopere confirmatur etiam adfirmativa ad 1. quæſt. quam hucuſque ſtabilivimus. 11

#### PARS PRIMA.

Reſp. Negative ad II. quæſt. Utrum ejuſmodi Fidei Actus &c. Probaturque a Ratione.

CAP. I. R*Eſp. ad prædictum II. quæſitum, Utrum ejuſmodi Fidei Actus Formalis Explicitus reipſa ex uno ad alium diem adeo certo perſeveret proprie* Virtualis, *ut ipſe Pœnitens eum iterare non teneatur poſt eam interruptionem, quæ fit per ſomnum?* Negative. *Probaturque hæc noſtra negativa reſponſio Argumento Negativo, aliiſque poſitivis rationibus.* 11

CAP. II. *Probatur aſſertio noſtra ex paritatibus Adtentionis orandi*, Intentionis *Sacramenta conferendi, & maxime* Illuſtrationis *ad pie operandum.* 12

#### PARS II.

*Probatur aſſertio noſtra tum adfirmativa, cum etiam negativa ab* Auctoritate *inſigniorum Theologorum; & maxime ab Auctoritate ipſiuſmet S. R. Eccleſiæ.* 13

CAP. I. A*Dferuntur textus aliquorum ex prædictis Theologis.* 14

CAP. II. *Adferuntur alii textus aliquorum ex prædictis Theologis.* 15

CAP. III. *Demonſtratur, quod Theologi in allatis textibus unice loquantur de* Actibus Formalibus Explicitis Fidei, & Spei proxime antea elicitis, *ac Virtualibus in ſenſu noſtræ adſertionis.* 17

CAP. IV. *Probatur efficaciſſime ex antiquiſſima praxi quoad ſubſtantiam* prorſus immutabili *ab Eccleſia Rom. præſcripta, ac obſervata, tum quod Formalis Explicitus Fidei Actus* prærequiritur *ad Pœnitentis Juſtificationem per Sacramentum Pœnitentiæ; tum quod ejuſmodi Actus* non perſeverat *poſt ſomnum, ſeu ex uno ad alium diem proprie Virtualis.* 18

CAP. V. *Confirmatur a Tridentino, & Catechiſmo R. prædicta Eccleſiæ præſcriptio, ac praxeos neceſſitas quoad ſubſtantiam præmittendi Contritionis prædictos* Formales Explicitos Actus Fidei, & Spei. *Et etiam a Rituali Argentorenſi, ac tandem a praxi totius Eccleſiæ Gallicanæ.* 20

#### DISSERTATIO III.

Demonſtratur amplius tum per excluſionem *cujuſcumque* alterius generis Fidei *Virtualis* a noſtra diverſæ, tum per inevitabilem obligationem praticandi eamdem, quod ab omni Catholico in praxi ſententia noſtra omnino tenenda ſit. 22

#### PARS PRIMA.

Demonſtratur, quod nulla ratione poſſunt eſſe Actus Fidei divinæ *Supernaturalis*, immo nec *Naturalis*. I. *Quicumque* Actus Intellectivi pure *cognoſcitivi Dei, rerumque Supernatu-*

ra-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*ralium*, vel pure *memorativi Dei*, *ipſarum que rerum Supernaturalium* per Actus Fidei Divinæ olim creditarum. III. *Quicumque* Actus *volitivi* aliarum Virtutum ab Adverſariis dicti Fides *Virtualis Exercita*, & *Implicita* in ipſis incluſa. ibid.

CAP. I. PRobatur efficaciſſime, quod nullus ex prædictis Actibus ut ut firmiſſimæ adhæſionis, poteſt eſſe Actus Fidei divinæ Supernaturalis, immo nec Naturalis. 11

CAP. II. *Confirmatur ex abſurdis, quæ ex oppoſito ſequerentur, quod nullus ex prædictis Actibus eſſe poſſit Actus Fidei, vel Spei divinæ* Supernaturalis *ad intentum faciens*. 22

CAP. IV. *Quod non eſt ſufficiens ad intentum prædicta fides* Virtualis Exercita ac Implicita, *& in prædictis illis aliis Actibus* Cognoſcitivis *conſiſtens*, *ſed nec ſemper ad id ſufficiens eſt vel ipſa* Formalis Actualis Explicita cum Actuali Attentione ad divinam Auctoritatem. 29

P A R S II.

Quod omnes omnino Fideles tenentur ad praxim noſtræ, noſtrorumque Theologorum ſententiæ. 29

CAP. I. EVincitur ineluctabilis neceſſitas praxeos noſtræ ſententiæ in primis ex eo, quod, cum Adverſariorum opinio non ſit ad minus Moraliter certa, non poſſit licite practicari; ſecundo ex eo etiam, quod, quamvis per impoſſibile eſſet Metaphyſice certa, adhuc ejus praxis eſſet prorſus illicita. ibid.

CAP. II. *Evincitur tandem inſuperabilis neceſſitas praxeos noſtræ ſententiæ in primis ex eo, quod ſcilicet oppoſitæ opinionis praxis tanquam* licita *involvit praxim damnatæ Prop.* Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta Tutiore &c. *Secundo ex eo, quod quorumdam Adverſariorum reſponſio, quod videlicet* noſtra ſententia utpote mera opinio eoſdem ad ſui praxim conſtringere non valeat; nec Confeſſarius eiſdem hujus ſuæ opinionis praxim interdicere poſſit, *prorſus falſa & erronea eſt*. 31

DISSERTATIO IV.

Satisfit Objectionibus, quibus Adverſarii fruſtra tutare prætendunt prætenſam *durationem* Fidei Actualis Formalis certo proprie *Virtualis* ex uno ad alium diem. 32

CAP. I. OBjectant Adverſarii Auctoritatem ſeqq. Theologorum. ibid.

CAP. II. *Objectant Adverſarii* Auctoritatem *aliorum Theologorum*. 33

CAP. III. *Objectant ulterius* Auctoritatem *aliorum TT*. 37

P A R S II.

Satisfit Objectionibus deſumptis a *Ratione*. 39

CAP. I. ADducunt Adverſarii quoddam fundamentum conflatum ex Auctoritate, & Ratione. ibid.

CAP. II. *Inſtant, replicantque quidam boni Adverſarii adducentes etiam aliud fundamentum a* Ratione. 42

CAP. III. *Opponunt Adverſarii magno quidem apparatu, ſed infelici conatu, hodiernam praxim plurium Fidelium noſtræ ſententiæ oppoſitam*. 44

CAP. IV. *Opponunt Adverſarii aliqua parum diſſimilia*. 46

CAP. V. *Opponunt ulterius aliqua alia ſimilia*. 48

CAP. VI. *Opponunt Adverſarii* Novitatem, & ſingularitatem *noſtræ Doctrinæ, & quaſdam alias inſtantias de moribundo &c.* 50

CAP. VII. *Solvitur quædam alia objectio, & amplius evincitur ſummam Dei revelantis Auctoritatem eſſe Formale Motivum Fidei divinæ, adſentionemque ad eam eſſe eſſentiale ejuſdem* Fidei Conſtitutivum. 51

DISSERTATIO V.

Notantur aliqua circa Formulas Actuum Fidei, Spei, Charitatis & Contritionis, & Attritionis, per quas homo diſponi poſſit ad Juſtificationem. 52

CAP. I. NOn eo ipſo quod aliquis Actus Fidei divinæ eſt Supernaturalis, *vel quoad aliqua Myſteria eſt* Explicitus, *eſt ſufficiens ad Juſtificationem adulti*. ibid.

CAP. II. *Notantur quæ ſentiant TT. circa Formalia Spei, Charitatis, Contritionis & Attritionis Motiva*. 55

CAP. III. *Quænam Objecta debeant* Explicite ac Formaliter *credi in ordine ad poſtea concipiendum Supernaturales Spem, Charitatem, Contritionem, & Attritionem*. 57

CAP. IV. *Proponuntur tandem formulæ ſelectiores, & in ordine ad Juſtificationem tutiores tum Actuum Fidei, & Spei ad Contritionem, & Charitatem, tum etiam Charitatis ipſius, tum maxime Contritionis & Attritionis ad Abſolutionem præmittendorum*. 58





# TRACTATUS II.

## Pœnitentia Juſtificans.

*Quæritur: Utrum ſit prudenter exiſtimanda ſufficiens ad Sacramentalem Abſolutionem Pœnitentia illa, quæ conſiſtit in eliciendo* unum *Doloris Actum (quod vulgo dicitur facere Actum Contritionis) ideſt, in ponendo ſemel, vel iterum aliqualem conatum ad eliciendum ejuſmodi Actum?*

DISSERTATIO I.

Affertur *Auctoritas*, quæ nos dubitare facit: An Pœnitens ponens unice vel fere unice unum, vel duos conatus ad concipiendum Contritionem præſumendus ſit habere ſufficientem dolorem ad Sacramentalem Abſolutionem. 59

CAP. I. AUctoritas *Scripturarum, Patrum, Tridentini, & Catechiſmi Romani*. 59

CAP. II. *Auctoritas Theologorum in hac re*. 60

DISSERTATIO II.

Proponuntur *Rationes*, quæ nos dubitare cogunt de realitate, & ſufficientia Pœnitentiæ conſiſtentis in eo, quod a nobis unice apponatur unus, & alter conatus ad eliciendam Contritionem. 62

CAP. I. PRima Ratio, *quæ reddit dubium, quod Actus veræ Contritionis eliciatur a nobis ad primum vel ſecundum conatum appoſitum, ad illum eliciendum eſt Ratio* Generica Supernaturalitatis. ibid.

CAP. II. *Secunda* Ratio, *ob quam redditur ſatis dubium, & arduum, quod perveniatur ad eliciendum Actum veræ Contritionis ad primum vel ſecundum conatum poſitum ad illum eliciendum eſt ratio* ſpecifica *talis Actus* Supernaturalis. 64

CAP. III. *Tertia* Ratio, *quæ magnopere confirmat & auget prædictum dubium ſunt requiſita neceſſaria ad hoc, ut dolor de peccatis propter divinam bonitatem reipſa ſit perfecta contritio*. 66

CAP. IV. *Roboratur prædicta Ratio quærendo*: Quid ſit Appretiatio Dei ſuper omnia? 67

CAP. V. *Quarta* Ratio *a poſteriori quidem, ut ajunt, ſed quæ maxime dubium reddit, quod Actus Contritionis communiter eliciatur ad 1. vel 2. conatum a Pœnitentibus poſitum ad eum eliciendum, eſt raritas, qua elicitur ab eiſdem*. 68

DISSERTATIO III.

Senſus celebriorum Confeſſariorum, Aſcetarum, & ſacrorum Oratorum ſatis indicat nulla probabilitate dici poſſe Actum Contritionis, *ut oportet* elici ſolere ad primum, vel ſecundum conatum a Pœnitente poſitum ad eum concipiendum. Et deducuntur aliqua ex dictis. 70

CAP. I. ADferuntur aliquot textus ad rem facientes. ibid.

CAP. II. *Deducitur* I. *quam ſit diſtorta ac perverſa, inſimulque perniciosa Pœnitentiæ idea, quam ſibi formare ſolent plurimi e Fidelibus, dum ſibi dicere audiunt*: „ Neceſſum eſt unum Contritionis Actum elicere; ac peccata Confeſſario aperire, ut ſalus æterna in tuto collocetur “. 73

CAP. III. *Deducitur* 2. *Quod neque Sacramenti reverentia, neque Animarum ſalus prudenter, ac per conſequens neque abſque gravi ſacrilegio committi poſſunt huic adeo* tenui, & fere nulli *diligentiæ ad ponendum eſſentialiorem ejuſdem Sacramenti partem*. 47

CAP. IV. *Deducitur tandem ex dictis, ſed ab imperitis tantum, nos ſcil. docere ea, quæ non docemus*. 75

DISSERTATIO IV.

Fit ſatis Objectionibus. 77

CAP. I. FIt ſatis Objectioni deductæ a Precatione. ibid.

CAP. II. *Fit ſatis objectioni deductæ ex eo quod vera Contritio a Deo dumtaxat nobis provenire debet*. 78

CAP. III. *Fit ſatis objectioni deductæ ex* Conſolationibus, *quas experiuntur quamplures ex eis, qui peccata ſua confitentes tenuem dumtaxat diligentiam, vel conatum ad concipiendum verum dolorem adponunt* 79

CAP. IV. *Fit ſatis objectioni ex* Perturbatione pacis *conſcientiarum deductæ*. 80

CAP. V. *Fit ſatis aliquibus aliis objectionibus*. 81

CAP. VI. *Fit ſatis objectioni deductæ ex* Novitate *illius Doctrinæ, aptæ ad adducendum Fideles in deſperationem*. 83

CAP. VII. *Quæ, quantaque Spes in Fidelium cordibus fovenda ſit*. 84

CAP. VIII. *Sive Appendix. Fit ſatis objectioni deductæ ex* Rigoriſmo, *qui noſtro diſcurrendi modo attribuitur*. 85

# NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. *Gio: Tommaſo Maſcheroni* Inquiſitor General del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato *Pœnitens Juſtificatus*, *ſeu Theologica Doctrinæ &c. MS.* non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente, per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e Buoni Coſtumi, concediamo Licenza *ad Antonio Zatta* Stampator *di Venezia*, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 4. Febbraro 1782.

( Andrea Querini Rif.

( Niccolo Barbarigo Rif.

( Alviſe Contarini 2. K. Pr. Rif.

Regiſtrato in lib. a Carte 72. al Num. 683.

Davidde Marcheſini Segr.

Addì 4. Febbraro 1782. Reg. al lib. dell' Ecc. Mag. contro la Beſtemmia a Carte

*Andrea Sanfermo Segr.*

MO-



# MONITA AD IMPUGNATOREM.

I. CUm *hominum incuria factum fuerit*, *ut ea ipſa Fides C. quæ dæmonis fraude*, *& hominum ipſorum præjudiciis* quo ad quid credendum ſit, *ſeu quoad ajus* Profeſſionem *ſemper ab externis impugnata fuerat*, *aliquibus abhinc ſæculis a Catholicis Ipſis* quoad modum, ac rationem credendi *illud ipſum*, quod credendum erat, *impugnari exercite cœperit* ( *I. quidem veluti* Negative *per quandam multorum* exercitam non credentiam, *ſeu* incurioſum non uſum credendi formaliter, ut oportet. *II. etiam* poſitive, *licet indirecte tantum*, *dum ſcilicet aliqui Theologi ſub ſpecioſo nomine cujuſdam Fidei* Virtualis exercitæ, & implicitæ *adprobare cœperunt ſufficientiam ejuſmodi* exercitæ non credentiæ formalis, ut oportet, *ad Actus Supernaturales noſtros Spei*, *Contritionis &c.* ) *pronum eſt conjicere non defuturun eſſe*, *qui tandem directe*, *&* poſitive *eamdem* C. *Fidem hiſce noſtris aſſertionibus contentam* quoad credendum, ut oportet, *impugnandam ſuſcipiat*. *Ne igitur is extra chorum*, *ut aunt*, *ſaltans ea*, *quæ rem noſtram conficiunt callide diſſimulans*, *quæ vero ad rem nihil faciunt multis proſequens jactet penes imperitos ſe ſua reſponſione noſtra fundamenta penitus evertiſſe*, *ſicque ea non legentibus impune illudat*, *Operæ pretium putamus eum Impugnatorem præmonere*, *ut ſi de nobis triumphum canere velit*, *ipſe prius ſequentia evincat*.

*II. Evincat I. Ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ non requiri Fidem* Supernaturalem, ut oportet ad ſalutem, *vel*, *ſi id non poteſt*, *evincat II. & quidem efficacibus Argumentis*, *quod prætenſa Fides* Exercita & Implicita Virtualis *impropria*, *ſeu potius vera &* Exercita non credentia, ut oportet, *ſit vera Fides* Virtualis *propria*, ut oportet, *ad intentum ſufficiens*. *III. Quod revera ejuſmodi Fidem* Virtualem *habeat quivis Pœnitens ut ut in eliciendis Formalibus Explicitis Fidei actibus non ſatis ſollicitus ſit*. *IV. Quod ipſe eamdem revera* certo *habeat* tunc *quando v. g. ſequenti die Actus Spei*, *Contritionis*, *vel Attritionis elicere conetur*. *V. Quod Fides Formalis Actualis*, *vel ſaltem ejuſmodi Fides* Exercita & Implicita *certo poſt interruptionem*, *quæ ſit per ſomnum*, *duret ex uno ad plures dies*, *vel annos proprie* Virtualis, *ſeu itaut hic terminus* Virtualis *aliquid rei ſignificet*. *VI. Quod amplius* non ſit



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem *probabilem* ( *immo & improbabilem* ) de valore Sacramenti relicta Tutiore. *VII. Quod Actus Fidei* Formalis, *vel* Virtualis *non pendeat in fieri, & conſervari ex ſuo Motivo Formali, & Eſſentiali Specificativo Conſtitutivo. VIII. Quod Actus Contritionis, vel Attritionis communiter loquendo Moraliter certo ad* 1. *vel* 2. *conatum poſitum ad eum concipiendum concipiatur* ut oportet. *IX. Evincat quod noſtræ ſolutiones datæ oppoſitis ſophiſmis non ſubſiſtant. Ac tandem omnia a nobis adducenda, maxime ubi ſignum depictæ manus ea indicabit, clare ac ſolide diſſolvat. Quæ omnia, & ſingula, niſi noſter Impugnator plane perfecerit, noſtram Eccleſiæque inconcuſſam doctrinam nunquam expugnabit, ſed ad ſummum Sciolos illos illudet, de quibus Auguſtinus in Pſal.* 130. *& l. de Utilit. credendi c.* 11. *ait* „ *Sunt* „ *infirmi, qui ſi aliquid* utcumque ceperint, *aut ſibi viſi fuerint* „ *capere, quod non ceperunt, extolluntur inde, & ſuperbiunt, dum* „ *videntur ſibi quaſi Sapientes defendendo ſententias ſuas pravas,* „ *quas falſas eſſe non potuerunt videre. Tria ſunt alia hominum ge-* „ *nera improbanda profecto, ac deteſtanda. Unum eſt opinantium,* „ *ideſt eorum, qui ſe ſcire arbitrantur, quod neſciunt. Alterum eo-* „ *rum qui ſentiunt quidem ſe neſcire; ſed non ita quærunt, ut in-* „ *venire poſſint. Tertium eorum, qui neque ſe ſcire exiſtimant, nec* „ *quærere volunt* “.





# TRACTATUS I.

# FIDES JUSTIFICANS.

## DISSERTATIO I.

Præmittitur definitio Fidei. Aſſeruntur aliquæ ipſius Fidei, ac Spei, Charitatis, & Contritionis diviſiones. Reſpondetur ad I. Quæſitum. Utrum, *dum quis præparatur ad ſacramentalem Abſolutionem teneatur &c.?*

### CAPUT I.

*Præmittitur definitio Fidei divinæ* Juſtificantis, *ac præciſe ut prærequiſitæ ad eliciendos noſtros* Supernaturales *Actus Spei, Charitatis, & Contritionis. Aſſeruntur que aliquæ ejuſdem Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis diviſiones.*

I. FIDES divina *Supernaturalis* eſt Virtus Theologica, quæ noſtrum Intellectum, & Voluntatem elevat ad *Supernaturaliter* credendum *Explicite* propter objectum Formale Motivum, Infallibilem ſcilicet Dei revelantis Auctoritatem, Deum ipſum exiſtere Unum in Eſſentia, & Trinum in Perſonis, & eſſe noſtrum Supernaturalem Remuneratorem, eſſeque propter infinitas ſuas perfectiones in ſe Amabiliſſimum, & nobis deſiderabiliſſimum, Fideliſſimum in promiſſis, Infallibilem in dictis: Secundam Perſonam eſſe factam Hominem, & pro nobis paſſam, & propter ejus Merita, & divinam Miſericordiam nobis promiſſam eſſe Æternam Beatitudinem, ac Media ad eam obtinendam, ſi cum divina gratia faciamus, quod in nobis eſt; atque ad credendum *Implicite* etiam cetera omnia, quæ nobis per S. C. Eccleſiam *Columnam, & firmamentum veritatis* credenda proponuntur.

II. Hæc Fides dividitur in *Habitualem*, & *Actualem*. *Habitualis* eſt prædicta Theologica Virtus, ſeu ſupernaturale principium, quod dicitur *Habitus* nobis a Deo infuſus, ac dans poſſe elicere Formalem *Explicitum*, inſimulque *Implicitum Supernaturalem* Actum Fidei divinæ præfatorum Myſteriorum, quotieſcumque noſtræ naturales Potentiæ Intellectus, & Voluntas a divina Gratia excitatæ, ac ſupernaturaliter elevatæ ob prædictum formale motivum ejuſdem Myſteriis ſibi debito modo propoſitis, debitaque ratione, atque ea data Actus tendentia firmiter adhærentes, illum elicere conentur. Dicitur quoque Fides *Habitualis*, ipſe prædictus Fidei Actus olim elicitus, eo modo quo Actus Formalis *Intentionis* v. g. conſecrandi heri veſperi a Sacerdote elicitus, poſtquam per totalem oblivionem, & interruptionem per ſomnum factam jam perdidit ſuam *Virtualem* durationem, dicitur Intentio *Habitualis*. Fides vero *Actualis* eſt ejuſmodi Formalis *Explicitus ac Implicitus Supernaturalis Fidei Actus, ut oportet* prædicto modo elicitus, dum *Actualiter* perſeverat. Hinc obiter notetur, quod quotieſcumque in hoc Opere abſolute dixerimus, *Actum Fidei*, vel *Fidem Actualem*, vel proprie *Virtualem*, de hoc, vel ſimili Fidei Actu hiſce omnibus prædito ad minus adhuc vere *Virtualiter* conſervato intelligi volumus. Cum hic ſolus, vel aliis æquivalens ſit *Actus Fidei*, vel *Fides Actualis* a Scripturis, Patribus, & gravioribus Theologis ad adulti Juſtificationem prærequiſitus, & e contra omnes alii diverſi generis, naturæ, tendentiæ, qualitatis, ac rationis præter ſit Fidei Actus, ut ut firmiſ-



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL DE

ſionæ adhæſionis, ad illam prorſus inepti ſunt, ut poſtea plane evincetur.

III. Ejuſmodi autem Fides *Actualis* ſubdividitur in *Formalem* conſiſtentem in hocmet Fidei Actu adhuc *Actualiter* exiſtente in ſe ipſo; & in *Virtualem* proprie talem, ſeu quaſi Actualem conſiſtentem in eo, quod *hicmet Actus Formalis Explicitus Fidei* reapſe adhuc certo perſeveret, ſaltem in aliqua ſua virtute proprie tali, ſeu in ſuo *ſubobſcuro lumine* adinſtar, ut ita dicam, quorumdam crepuſculorum occidentis Solis: vel ad minus in illa *Actuali Supernaturali impreſſione, modificatione, & paſſiva illuminatione*. Quibus ipſe Formalis Explicitus Fidei Actus noſtras Potentias illuminans eas habilitat, ac diſponit ad hoc, ut, ſi cetera adſint, concipere poſſint Actus illarum Virtutum, quæ juxta illud Apoſtoli: *Juſtus autem meus ex Fide vivit*: Supernaturalem juſti vitam conſtituunt. Eodem plane modo, quo Actus Excitantis Gratiæ, *ut monſtrantis quid faciendum ſit* (1) vulgo dictus *Illuſtratio divina* poſt tranſactam ſuam Formalem durationem per aliquod ſpatium perſeverat *Virtualis* in aliqua *ſua Virtute*, ſeu *ſubobſcuro lumine*, & *crepuſculis*, *vel in illa Actuali Supernaturali impreſſione, modificatione, & paſſiva illuminatione*. Quibus, dum noſtræ Potentiæ *imbutæ, ac Supernaturaliter affectæ permanent*, habiles perſeverant ad concipiendos (per id quod attinet ad ejuſmodi gratiam) Actus Virtutum, ad quos ab ipſa invitamur, adlicimurque. Maxime, cum vix excogitari poſſit alius modus, quo rectius explicari poſſit Supernaturalium Fidei, & Spei *duratio* proprie *Virtualis*. Nam Fides illa, quam varii AA. apud Lacroiſium l. 2. n. 16. explicant exemplis *Medici* herbas colligentis de ſanitate nihil tunc cogitantis; *itinerantis* ad terminum non ſemper reflectentis; *Citharœdi* &c. nullo pacto, uti ad evidentiam uſque Diſſ. IV. p. 11. c. 1. demonſtrabitur, eſſe poteſt proprie *Virtualis*.

IV. Fides prædicta iterum ſubdividitur in *Explicitam*, quatenus ſcilicet per illum Formalem Actum *Explicite* adhæremus alicui ſaltem determinato Myſterio, & in *Implicitam*, quatenus per eumdem Actum *Confuſe* credimus omnia Myſteria, quæ nobis C. Eccleſia credenda proponit, ut jam innuimus, & ut q. 14. de Verit. ar. 11. ait Angelicus „ *Explicite* dicimur aliqua credere, *quando eis actu cogitatis* adhæremus; *Implicite* vero, *quando* adhæremus quibuſdam, in „ quibus ſicut in principiis univerſalibus iſta „ continentur, ſicut qui credit Fidem Eccleſiæ „ veram eſſe, in hac quaſi *Implicite* credit quæ „ Fide Eccleſiæ continentur ". Et hæc eſt *unica* ac vera acceptio Fidei *Implicitæ*, ut patebit ex dicendis.

V. Tandem: eo modo, quo dividitur, & ſubdividitur Fides divina *Supernaturalis Infuſa*, de qua hic agimus, dividantur, ac ſubdividuntur Fides, & Spes, Charitas, & Contritio, & Attritio *Acquiſitæ* in ſe quidem *Naturales*, & ſolum quoad objecta *Supernaturales*, vi quarum non ſolum Schiſmatici (cum dicimus *Schiſmaticos* de puris, & Formalibus loquimur), & Hæretici *omnes ſemper*, ſed etiam *nos Catholici ſæpius* firmiſſime quamvis *Naturaliter* adhæremus *Supernaturalibus* Myſteriis, ſperamus, Deum amamus, de peccatis dolemus, uti Theologi docent, & nominatim eximius Suarez pluribus in locis, uti v. g. in de Fide diſp. 7. ſect. 1. dicens „ „ Advertendum eſt circa eaſdem res revelatas „ poſſe nos habere Actus Fidei *Acquiſitæ*, qui „ *Naturales ſunt*, & præterea Actus Fidei *Infuſæ*, qui *Supernaturales ſunt*. Ex prioribus „ ergo manifeſtum eſt reſultare in Intellectu *Habitum Acquiſitum*, qui fit *propria Virtute, & actione* talium Actuum, & manere poteſt etiamſi Fides *Infuſa amittatur*, ut in Hæretico „ conſtat ". Et in de Gratia p. 3. l. 9. c. 12. n. 9. „ Quia, ait, Hæreticus etiam dicit ſe credere propter rationem Formalem ſuæ Fidei, „ & nihilominus in illa exiſtimatione fallitur... „ Ergo idem eſt cum proportione habita in *homine Fideli* eo vel maxime quod *Fideles* „ credendo Myſteria Fidei *eliciunt Actus Fidei* „ *Acquiſitæ*, ut ſuperius l. 2. c. 10. oſtendimus ". Et tandem l. 1. de Deo tr. 2. l. 2. de Prædeſt. c. 6. n. 17. inquit „ Poſſe liberum arbitrium habere ſuis viribus *imperfectum Actum* „ (*Amoris Dei*, & idem eſt de reliquis), vel „ *Actum Fidei*, communis eſt TT. ſententia, & „ ipſa experientia nota. Nam Hæreticus *credit* „ *multa Myſteria Fidei* non per gratiam, ſed „ per propriam voluntatem, quia *imperfecte*, & „ ſolum *humano* modo credit. Et *nos ſæpe ſimiles Actus facimus*, alias quoties credimus, vel „ amamus, *certi* eſſemus quod *ſicut oportet*, credamus, vel amemus, *quod plane falſum eſt* ".

VI. Ejuſmodi diverſæ Fidei acceptiones, aliæque bene multæ ita plurimorum Fidelium capita, menteſque in tricas conjecerunt, ut ſibi pernicioſiſſime perſuadeant ſatis ſuperque eſſe ad ſuam ipſorum Juſtificationem obtinendam, Fidem *utcumque*, ſeu in *qualicunque* ex multis illis acceptionibus habere. Cum tamen utpote ab Eccleſia definitum, certiſſimum omnino ſit, illam reperiri non poſſe, niſi in ea *unica* Fidei acceptione, quam innuimus, *Supernaturalis in ſe*, & *ut oportet*, ut optime notat in cit. de Gratia l. 10. c. 11. n. 15. P. Suarez ajens: „ Poteſt „ aliquis Fide credere omnia Myſteria (utpote „ ſibi Morali certitudine ab Eccleſia notificata) „ prudenter propoſita, & nihilominus certiſſimum „ eſt, illam *Fidem non ſufficere ad ſalutem*, „ *quia neceſſarium eſt credere, ſicut oportet*: & „ de hac *ſola Fide definitum eſt eſſe ſufficiens* „ *fundamentum juſtitiæ*, non eſt autem revelatum, aut definitum omnem illum „ qui hæc „ credit, illa credere, *ſicut oportet* &c. "

VII.

(1) Juxta phraſim D. Auguſtini ab Angelico D. 1. 2. q. 109. adoptatam.



VII. Hic obiter nota eſſe errorem graviſſimum, hæreſique proximum putare cum quibuſdam Adverſariis (Adverſarios eos tantum vocamus, qui unica præjudicata ſententia omni firma licet ratione deſtituta nixi oppoſitum obfirmate tenere pergant) idem eſſe Fidem, *ut oportet*, atque Fidem *vivam*, Gratia ſcilicet ſanctificante informatam, ipſique inſeparabiliter conjunctam. Cum in Infantibus baptizatis, in quibus certo nulla datur Fides *Actualis, ut oportet*, detur Fides viva, ideſt Gratia Sanctificans cum Fide *Habituali* ipſis Infuſa. E contra vero in peccatore adulto proxime juſtificando, in quo nulla *actualiter* datur Gratia Sanctificans, detur Fides *Actualis* divina, *ut oportet*. Et quia aliter ſequeretur. I. Quod amiſſa v. g. per adulterium Gratia Sanctificante illico amitteretur Fides, *ut oportet*, contra Tridentinum Seſſ. 6. Can. 28. dicens „ „ Siquis dixerit amiſſa per peccatum Gratia, ſimul & *Fidem ſemper amitti*, aut Fidem, „ quæ permanet *non eſſe veram Fidem, licet* „ *non ſit viva &c.* Anathema ſit ". II. Quod nullus adultus peccator Fidelis, vel Infidelis unquam juſtificari poſſet per Baptiſmum, Pœnitentiam, vel charitatem, cum nullus niſi *actualiter* juſtus habere poſſit *Fidem vivam*, quæ ſecundum præfatos Adverſarios *ſola eſt, ut oportet*; cum tamen definitum ceteroquin ſit nullum adultum juſtificari poſſe ſine *Actuali Fide, ut oportet* prævie habita, de quo Salvator ait „ *Qui* „ *crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit* ".

## C A P. II.

*Notantur aliqua neceſſitatem hujuſce Explicationis oſtendentia.*

I. Utque jam apparere incipiat quam inconſulto procedant Fideles illi, qui (cum ceteroquin vix ſemel, aut iterum curent elicere ejuſmodi Actus) dum ſeſe *utcumque* credere, ſperare, Deum diligere, & de peccatis dolere ſentiunt, ſecuriſſimi eo ipſo de ſuis ipſorum Fide, Spe, Charitate, & Contritione redduntur. Deque reſpectivis his ſuis *Actibus*, & *Habitibus* tanquam de *Actibus*, & *Habitibus* indubitate *Infuſis, ut oportet*, non parum ſuperbiunt, operæ pretium erit hic animadvertere aliqua ex multis, quæ prorſus inanem demonſtrant ejuſmodi prætenſam ſecuritatem. Ut in primis eſt inter cetera, ſumma *diverſitas* naturæ, atque efficaciæ *Habituum, & Actuum Infuſorum*, atque illa *Habituum*, & *Actuum Acquiſitorum* inter ſe conjuncta cum totali impotentia, in qua verſamur viventes, eoſdem dignoſcendi, ac diſtinguendi. Ex quo, proh dolor! provenit, ut quam facillime, & pernicioſiſſime ſæpius confundamus Habitus, & Actus *Acquiſitos* ad noſtram Juſtificationem ineptos cum *Habitibus*, & *Actibus Infuſis* ad eam omnino neceſſariis, ac dum elicimus Actus harum Virtutum *Acquiſitos mere Naturales*, nobis blandiamur ac ſi revera eliciiſſemus earumdem Actus *Infuſos* ac *Supernaturales, ut oportet*, uti conjectare licet ex iis, quæ circa ejuſmodi *Habitus*, & *Actus* paſſim apud Theologos leguntur.

II. Uti in primis in 1. 2. Doct. Angelici D. Thomæ q. 62. ar. 1. legitur „ Et quia hujuſmodi Beatitudo (ad quam, ait, homo ſola di- „ vina Virtute pervenire poteſt ſecundum quan- „ dam divinitatis participationem) proportio- „ nem humanæ Naturæ excedit, *Principia Naturalia* hominis, ex quibus procedit ad bene „ agendum ſecundum ſuam proportionem, *non* „ *ſufficiunt* ad ordinandum hominem ad Beatitudinem prædictam. Unde oportet quod *ſuperaddantur* homini divinitus *aliqua Principia*, „ per quæ ita ordinetur ad Beatitudinem connaturalem: non tamen abſque adjutorio divino. „ Et hujuſmodi *Principia Virtutes* dicuntur *Theologicæ*: tum quia habent Deum pro objecto in „ quantum per eas ad eum ordinamur: tum quia „ (& maxime quoad Habitus) a ſolo Deo nobis infunduntur &c. " Et q. 101. ar. 3. etiam „ Manifeſtum eſt autem quod Virtutes *Acquiſitæ* per Actus humanos ſunt diſpoſitiones, „ quibus homo convenienter diſponitur in ordine „ *ad Naturam*, qua homo eſt, *Virtutes* autem „ *Infuſæ* diſponunt hominem *altiori modo, &* „ *ad altiorem finem* &c. " Et tandem q. 119. ar. 3. legitur etiam „ Dicendum quod Charitas „ diligit Deum ſuper omnia *Eminentius* quam „ Natura. Natura enim diligit Deum *ſuper omnia* (Amore Naturali) prout eſt Principium, & Finis Naturalis boni: Charitas autem ſecundum quod *eſt objectum Beatitudinis*, „ & ſecundum quod homo habet quandam ſocietatem ſpiritualem cum Deo &c. Dicendum „ quod cum dicitur quod nulla Natura poteſt „ ferri ſupra ſeipſam, non eſt intelligendum „ quod non poſſit ferri in aliquod objectum, „ quod eſt ſupra ſe. Manifeſtum eſt enim quod „ Intellectus noſter *Naturali* cognitione poteſt „ aliqua cognoſcere, quæ ſunt ſupra ſe ipſum, „ ut patet in Naturali cognitione Dei (& in „ Fide *Acquiſita*). Sed intelligendum eſt quod „ Natura non poteſt ferri in Actum excedentem „ proportionem ſuæ Virtutis: talis autem Actus „ non eſt diligere Deum *ſuper omnia* (Amore „ ſcilicet Naturali & *Acquiſita*, ſicut neque credere, ſperare, pœnitere &c. Fide, Spe, & dolore *Naturalibus*, & *Acquiſitis*, quæ imperiti „ indubie putant *Supernaturalia & Infuſa*): hoc „ enim eſt Naturale cuilibet Naturæ creatæ, ut „ dictum eſt. Amor dicitur *ſummus* non ſolum „ quantum ad gradum dilectionis, ſed etiam quantum ad *rationem diligendi*, & *dilectionis* „ *modum*: & ſecundum hoc ſummus gradus dilectionis eſt, quo Charitas diligit Deum ut „ beatificantem, ſicut dictum eſt ".

III. Secundo, ut alios omittam, in 3. p. cit. de Gratia D. eximii Suareſii l. 6. c. 8. n. 6. legitur „ Supponimus nimirum Actus Fidei, Spei, „ & Charitatis, prout ſunt Actus Chriſtianæ „ juſtitiæ, & a ſuis Habitibus eliciuntur, eſſe „ Actus quoad ſubſtantiam *Supernaturales*. Ex „ quo Principio inferimus has Virtutes proportionatas his Actibus eſſe per ſe *Infuſas*, ſicut „ *ſunt* ipſi Actus &c. Quia Fides *Acquiſita* de

My-

„ Myſteriis *Supernaturalibus non eſt Virtus*, ergo multo minus eſſe poteſt *Virtus Theologalis*. Antecedens patet, quia licet illa Fides ſit de rebus *divinis*, *eſt mere humana &c.*" Et c. 14. ad quæſ. „ Utrum circa objecta, ſeu Materias Habituum *Infuſorum dentur aliqui Habitus Acquiſiti*? &c." n. 3. 10. 17. & 19. legitur „ Cum ergo ſupponamus Actus *Supernaturales* non poſſe efficere ſuos Habitus, evidens eſt multo minus poſſe alios ſimiles in ſpecie producere. Difficultas ergo ſupereſt de Habitibus *Acquiſitis* &c. Quocirca ſi aliqua *facilitas* (in homine per errorem in aliquo Articulo ex Catholico facto Hæretico, vel etiam proportione tamen habita ſæpe in Catholico ipſo) poſtea ſentitur, hæc provenit vel ex aliquo *Humanæ* Fidei antea *Acquiſita* non per Actus *Divinæ* Fidei, ſed *Humanæ*, *quorum frequentia* præceſſerat, & *non raro interponitur inter Actus perfectæ Fidei*: vel certe oriri poteſt ex *ſola memoria* præteritæ Fidei *cum ſpeciebus* de ejuſdem objectis *permanentibus*, & *rationibus* perſuadentibus illa eſſe credenda, & fortaſſe etiam ex *Habitu Acquiſito* credibilitatis talium rerum, quæ omnia ſufficiunt ad facile credendum per *Actum Fidei Humanæ* &c. Et fortaſſe verius eſt homines *etiam Fideles*, & *Juſtos plerumque* exercere Actus Fidei *Humanæ* (dum putant ſe credere Fide divina) *circa res revelatas*, & *in illa ſæpe fundare Actum Spei*, & *Amoris*, ſicut etiam licet habeant Virtutes *Infuſas Morales* ſæpe, & fortaſſe *frequentius per Acquiſitas operantur* &c. Dico ergo per Actus, qui circa Materiam Virtutum *Infuſarum* fieri poſſunt, Habitus etiam *Naturales*, & *Acquiſiti* generari poſſunt &c. Tertio dico, hos *Habitus frequenter acquiri*, & *conjungi cum Infuſis* &c. Hæc eſt ſententia communis Theologorum &c."

IV. Et ſi hæc ratio concurrendi Habituum *Infuſorum*, & Habituum *Acquiſitorum* adeo nos incertos ac dubios reddit de *Supernaturalitate* noſtrorum Actuum juſtificativorum, quanto magis nos dubios, ac incertos de eorumdem *perfectione*, & *ſufficentia* reddet multiplex illa ratio adtingendi *imperfecte* illa ipſa Formalia Motiva, a quibus eorum eſſentia, & perfectio maxime pendet? Cum certiſſimum ſit, quod non ſufficiat, ut plurimi perperam putant, ad concipiendum verum Actum *Supernaturalis* Fidei divinæ, Contritionis, vel Attritionis *ut oportet*, quod credamus propter Infallibilem Dei Auctoritatem, conteramur propter ſummam ejus Amabilitatem, & atteramur propter timorem gehennæ. Ac ſi idem eſſet credere, conteri, vel atteri ob hæc Motiva etiam Supernaturaliter adtacta, ac credere, conteri, vel atteri ipſo facto ea tendentia, & ratione, ac perfectione, quæ requiruntur, ut hi Actus conſtituantur *ut oportet ad ſalutem*: cum *malum ex quocumque defectu*, *bonum non niſi ex integra cauſa*, etiam hic militare poſſit.

V. Uti de Attritione docent apud Concinam l. 9. pag. 67. Salmanticenſes Scholaſtici l. 12. tr. 14. d. 7. dub. 1. §. 1. n. 8. dicentes „ Poteſt dari Attritio *Specifice Supernaturalis*, quæ ſit efficax & abſoluta tam in deteſtando peccatum, quam in Propoſito illud evitandi de cetero; & poteſt dari etiam Attritio *Specifice Supernaturalis minus perfecta*, quæ *prædicta energia*, *ſive efficacitate inducendi affectum deſtituatur*, *quia & ſi attingat idem Motivum* vitandi vel fœditatem culpæ, vel damnum pœnæ, oriatur tamen ex voluntate *adeo languida & remiſſa*, ut vim non habeat inducendi affectum, atque adeo neque concipiendi Propoſitum ſimpliciter efficax, ſed ſolam quandam affectionem, & propenſionem in ſuo genere laudabilem. Primam hujus ſuppoſitionis ac diſtinctionis partem *docent communiter Theologi*. Secundam vero *docet ipſa experientia* tam in *Naturalibus*, quam in *Supernaturalibus*, cui etiam ratio ſuffragatur. Non raro namque in Materia alicujus Virtutis v. g. Temperantiæ habemus Actus talem Materiam & ex proprio Virtutis Motivo attingentes, ut cum quis ſtatuit ſobrie edere, aut caſte vivere, & tamen tales Actus non hærent firmiter voluntati, nec efficaciam habent, ut inducant executionem &c. quia procedunt ex infirma voluntate &c. Idem proportionabiliter in *Supernaturalibus* accidit, de quibus dubitari non debet, quod in *Supernaturali ordine* dentur aliqui Actus pertinentes de ſe, ſive ex parte Motivi ad ejuſdem ordinis virtutes, ut odium peccati, deſiderium Beatitudinis, Propoſitum emendationis &c. pro quibus auxilia Gratiæ deſiderantur, & qui ſuo modo cor & emolliunt pro converſione, deſtituuntur tamen *frequenter* efficacitate, ut voluntatem trahant ad effectum, & ad executionem inducant, quia & ſi honeſti, & *Supernaturales*, *ſunt tamen imperfecti*, & non omnino abſoluti. Quod itaque in aliis Actibus tam *Naturalibus*, quam *Supernaturalibus* vid『demus, *contingit etiam in Supernaturali Attritione* &c."

VI. „ Quæ diverſitas (dicere pergunt) non *in Objecta*, ac *Motiva* revocanda, quippe poſſunt eadem proponi, & attingi; nec etiam reducitur in auxilia ſufficientia, quæ ad utramque parantur, & conferuntur: ſed quod una Attritio ſit abſoluta, & efficax gratiæ efficaciter ad id moventi tribui primario debet. & ſimiliter quod altera ſit honeſta, & *Supernaturalis*, atque in ſuo genere diſponat, gratiæ etiam deferendum eſt, ſed quod careat *perfectione efficacitatis*, & ad executionem non perveniat, revocari debet in defectum voluntatis creatæ". Simile quid innuit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. de Actu Contritionis perfectæ dicens „ Docet præterea & ſi Contritionem hanc *Aliquando* caritate perfectam eſſe contingat, hominemque reconciliare &c." Nam ſi tantum *aliquando contingit*, multoties ergo non contingit, aut ſaltem non ſemper, quantumvis ex eodem Formali Motivo, ut ſupponitur, concipiatur. Tandem iiſdem rationibus probatur Contingentia concipiendi perfectum Actum Fidei divinæ, & maxime ex paritate Actus perfectæ charitatis. Nam ſi, dum amamus Deum ob infinitam ſuam Amabilitatem, non ſemper eum amamus (etiam dum hoc intendimus) Actu amoris abſoluti ſeu charitatis, ſæpius Actu amoris *Concupiſcentiæ*. Et ſi tandem, dum nitimur ad eum amandum ob ſolam ſuam abſolutam ſummam Amabilitatem, illum ſolum amamus amore Simplicis *Complacentiæ*, vel amore *alterius* imperfectæ rationis ac tendentiæ, & proh dolor! raro eumdem amamus amore appretiativo *perfectæ charitatis*. Si ergo, dum nitimur ad concipiendum Actum perfectæ charitatis ob Formale Motivum illius, & putamus nos revera ab illo moveri perfecta ratione, hoc nobis non accidit, cur id nobis non accidet, dum nitimur ad concipiendum Actum divinæ Fidei ob Formale illius Motivum?

VII. Quæ omnia, aliaque bene multa mox adferenda ſi animadverterent, caperentque prædicti Fideles non adeo facili negotio ſibi de Fide, Spe, Charitate, Contritione, & Attritione ad ſuam ipſorum prætenſam Juſtificationem providerent. Nec adeo fidenter contenti unica C. Fidei *Profeſſione* additis ad plurimum illis *adhæſionibus*, *præconceptionibus*, *cognitionibus*, *ac Fide Aquiſita* de divinis Myſteriis, quas habent vel ipſi Schiſmatici, & Hæretici, & quas prævie habere debet quicumque Actum Fidei Infuſæ elicere conaturus ſit (Quis enim poſtea credere conetur Fide *Supernaturali* Infuſa Myſteria illa, quibus uti veriſſimis antea firmiter *non adhæreat per ejuſmodi Naturales apprehenſiones*, & *Fidem Acquiſitam?*) ſibi blandirentur maxime de Actibus *Supernaturalibus* Fidei, & Spei. Quos forſan nunquam reipſa elicuerunt ſaltem *ut oportet*. Ex quo, proh dolor! fit, ut plures ex eis nunquam, vel fere nunquam poſtea Actus Charitatis, aut Contritionis *Supernaturales* eliciant, quibus juſtificentur, proindeque poſt ſuſcepta Sacramenta in morte ad inferos miſere detrudantur. Neque hanc perniciosiſſimam deceptionem parum fovent nihil tale putantes RR. Confeſſarii, ac Sacri Oratores illi, qui damnationem majoris numeri Fidelium adultorum adſcribunt non defectui Fidei, & Spei *Supernaturalium*, *ut oportet*, illorum Myſteriorum, ex quibus pendent *Supernaturalis Charitas*, *Contritio*, & *Attritio*; neque *modiciſſimæ* aut *fere nulli diligentiæ* Pœnitentium in ipſis concipiendis, *ut oportet*, ſaltem maxima ex parte. Siquidem ejuſmodi Dei Miniſtri eam damnationem tota animi contentione unice, vel fere unice adſcribere ſolent manifeſtationi peccatorum in Confeſſionibus *non integræ*, dolori *non ſerio* ac ex corde profecto, vel ſaltem non propter *Supernaturalia*, ſed propter mere *Naturalia*, & *Humana* Motiva concepto, *Propoſiti inefficaciæ*, ac tandem malis Pœnitentium *Habitibus*, ex quibus poſt ſuſcepta ultima Sacramenta in peccata iterum relabuntur, ac ſi ex illis unquam ſurrexerint, vel ac ſi poſt ejuſmodi prætenſos relapſus non poſſent eadem facilitate per perfectas Charitatem, & Contritionem denuo a peccatis ipſis tunc admiſſis reſurgere.

VIII. Quin animadvertant Lectiſſimi homines hoſce diſcurrendi modos utut Vulgi imperitiæ plauſibiles ut plurimum falſum incredibile involvere, neque bene cohærere cum firma perſuaſione, quam ipſimet nutriunt de indubitata fide, ac ſpe *Supernaturalibus*, ac *ut oportet* omnium omnino fidelium. Nam, ut cetera taceamus, quis ſanæ mentis ſibi facile perſuadeat, quod major ille Catholicorum numerus, ſi vera eſt illorum opinio *continuo*, vel ſaltem *frequentiſſime* in *Supernaturalibus* atque *ut oportet* fidei, & ſpei Actibus verſatus feliciter per veram charitatem vel contritionem negotium æternæ Salutis non perficiat juxta illud Auguſtini Serm. 15. de verbis Apoſt. c. 1. *Domus Dei credendo fundatur*, *ſperando erigitur*, *diligendo perficitur*? Vel quod *tunc*, cum ſeſe jamjam æternis cruciatibus mancipandum certum credit, admittat ſequentia, I. Quod adeo facile peccata in Confeſſionibus malitioſe taceat. II. Quod non ex corde ac ſincere, ſed ſolum *ficte* ac *in ſpeciem*; *non ſerio*, *ſed ex joco* cum Deo terribiliſſimo judice in morte (1) agendum putet. III. Quod non propter *Supernaturalia* ac divina, ſed unice propter *Naturalia* atque *Humana Motiva* de admiſſis ſceleribus doleat. IV. Quod tantum inter acerbiſſimos dolores, ac mortis ipſius anguſtias, atque horrores conſtitutus adeo facile nova illa prava deſideria rurſus admittat, Propoſitumque efficax concipere detrectet, ac ſi putaret ſe apud inferos antiquis ſuis libidinibus, rapinis, uſuris, aliiſque ejuſmodi indulgere poſſe.

## CAPUT III.

*Reſpondetur ad prædictum I. Quæſitum. Utrum ſcilicet dum quis præparatur ad Sacramentalem Abſolutionem, teneatur ad ſuam Contritionem præmittere Supernaturalem Actum formalem* Explicitum *fidei Myſteriorum ad ipſam Contritionem immediatius concurrentium, ita proxime ac recenter elicitum, ut cum ea ab illo concipitur, ipſe Actus adhuc certo perſeveret proprie* Virtualis? *Adfirmative. Et probatur.*

I. EA eſt hujus aſſertionis vel ex terminis ipſis patens veritas, ut a Catholico viro in dubium revocari non patiatur. Eamque tandem evidentia preſſi concedunt jam peritiores Adverſarii. Ut ea tamen manifeſtior adpareat, illam probamus I. Sicut juxta Principium *Nihil volitum*,

(1) Maxime, cum vel ipſe impiiſſimus Atheiſta Materialiſta Spinoſa, uti in Metaph. p. 2 lect. 1. prop. 11. refert Clariſſ. P. Monteiro „ morti proximus neminem admiſerit, ſæpeque in hæc verba proruperit: *O Deus, eſto mihi peccatori propitius!*" Ex teſtimonio Franc. Halma in Præf. vitæ Spinoſæ.

*tum, quin præcognitum* ( 1 ), Potentia cæca, qualis eſt noſtra voluntas, nullo modo poteſt elicere *Supernaturalem* Contritionem, niſi ipſi prius congruenter ab Intellectu per *Actuale*, vel quaſi *Actuale Supernaturale lumen* gratiæ Excitantis honeſtas, vel neceſſitas ipſius Contritionis proponatur, ita etiam nullo modo eam ipſam Contritionem poteſt elicere, niſi ipſi prius *Supernaturaliter* ab eodem Intellectu per *Actuale*, vel quaſi *Actuale Supernaturale lumen fidei divinæ* Formale Motivum ejuſdem Contritionis, ſumma ſcilicet Dei *Amabilitas*, vel *Remuneratio proponatur*. Atqui hoc actuale, vel quaſi actuale lumen gratiæ nihil aliud eſt quam Actus ( 2 ) Formalis Explicitus ejuſmodi gratiæ eam neceſſitatem, vel honeſtatem voluntati ſe ſe ad Sacramentalem Abſolutionem præparanti taliter proponens ita proxime ac recenter infuſus, ut reipſa, cum ea Contritio ab illo concipitur, ipſe actus Gratiæ adhuc certo in ſe ipſo, vel ſaltem *in ſuis crepuſculis*, vel *qualicumque ſuo eſſe proprie virtuali* perſeveret proprie *Virtualis*. Ergo ſicut omnino neceſſario prævie ad concipiendam Contritionem habendus eſt prædictus Actus Formalis Supernaturalis infuſus Gratiæ Excitantis ad minus conſervatus proprie *Virtualis*, dum Contritio ab illo ſe præparante concipitur, ita etiam omnino neceſſario prævie ad concipiendam eamdem Contritionem eliciendus eſt præfatus actus Formalis *Explicitus fidei divinæ* ( 3 ) ad minus conſervatus certo proprie *Virtualis*, dum eademmet Contritio ab eodem ſe ad Sacramentalem Abſolutionem præparante concipitur; cum is teneatur omnino ponere Materiam proximam hujus Sacramenti.

II. Explicatur amplius argumentando ſic. Non minus eſt cæca noſtra voluntas in ordine *Supernaturali* quam ſit cæca in ordine *Naturali*; hoc eſt non minus indiget lumine *Supernaturali* Intellectus ad producendum Actus *Supernaturales* Spei, Charitatis, & Contritionis, quam indigeat lumine *Naturali* ipſius Intellectus, ad producendum Actus ipſos *Naturales Acquiſitos* Spei, Charitatis, & Contritionis, quos ſæpius producit. Atqui ipſa ne quidem de potentia Dei abſoluta poteſt hos vitaliter producere abſque eo, quod Formalia illorum Motiva prius debito modo ipſi *proponantur*, per *Actuale*, vel *quaſi Actuale* lumen Actus Intellectus, Cognitionis, vel Fidei *Acquiſitæ*, qui duret certo adhuc ſaltem proprie *Virtualis*, cum hoſce Actus concipit. Ergo etiam nequidem de potentia Dei abſoluta poteſt illos alios, Actus ſcilicet *Supernaturales* vitaliter producere abſque eo, quod Formalia eorumdem Motiva prius debito modo eidem proponantur per *Actuale*, vel quaſi *Actuale* lumen intellectus, Fidei videlicet Infuſæ Actus, qui certo duret adhuc ſaltem proprie *Virtualis*, dum eoſdem Actus *Supernaturales* Spei, Charitatis, & Contritionis ipſa concipit. Sed hoc Actuale, vel quaſi Actuale lumen, quod *Supernaturaliter* noſtræ voluntati proponat prædicta Motiva aliud non eſt, quam ( 4 ) prædictus Actus Formalis Explicitus Fidei *Supernaturalis*, *ut oportet* ita proxime ac recenter elicitus, ac conſervatus. Ergo ejuſmodi Actum ita elicitum, & conſervatum præmittere ad ſuam Contritionem omnino tenetur quiſcumque ad Sacramentalem Abſolutionem præparatur. Cum omnino teneatur ei præmittere eſſentialia prærequiſita, ſine quibus ipſa in Sacramento Pœnitentiæ obtineri non poteſt. Præmiſſæ ſunt inconcuſſæ veritatis, Conſequentiæ legitimæ, minor ſubſumpta eſt certiſſima; aliter oſtendant Adverſarii, ſi poſſunt, aliud *Supernaturalis* luminis genus, quod ipſis id præſtet, vel præſtare poſſit.

III. Prob. II. argum. ſic. Tam neceſſarius eſt in Ordine *Supernaturali* prædictus ( 5 ) Formalis Explicitus *Actus Fidei* adhuc conſervatus ſaltem proprie *Virtualis*, quam neceſſarius in ordine *Naturali*, Actus Formalis Explicitus *Naturalis Cognitionis*, vel *Viſionis* objecti amandi, vel odio habendi ſaltem adhuc proprie *Virtualiter conſervatus*. Atqui noſtra Potentia viſiva non

( 1 ) Ita inconcuſſum apud Philoſophos, & Theologos, ut dixerit Auguſtinus „ *Inviſa diligere poſſumus, incognita nequaquam* “; Et D. Thomas 1. 2. quæſt. 3. art. 4. “ *Non enim diligitur niſi cognitum* “.

( 2 ) Nam *Actus eſt*, & *Actus a TT*. appellatur, uti v. g. a P. Suareſio inde Gratia par. 3 lib. 8. cap. 6. num. 9. dicente „ Diſpoſitionem „ ad ipſos *Actus Gratiæ*, vel *Actualem Gratiam* “ & cap. 8. num. 7. addente: „ Et primum quidem argumentum ex *Actibus gratiæ Excitantis* deſumitur “.

( 3 ) Maxime: cum prædictus Actus Fidei Supernaturalis ſic durans unice aptus ſit ad proponendum voluntati objecta *Supernaturalia* ejuſmodi, ut optime notat Inſignis Theologus P. Lacroix lib. 2. num. 14. dicens „ Ideo requiritur „ Fides, ut Intellectum *Supernaturaliter* illuſtret, ut certificet ac *proportionate* repræſentet, proponatque voluntati objecta, in quæ „ tendere debet per Actus Spei, doloris, & aliarum Virtutum *Supernaturalium*: hæc autem „ certo haberi non poſſunt per *quemcunque* alium effectum a Fide cautarum, ſi non adſit *Actus Fidei* ſaltem &c. “ Et hujus ratio eſt, quia ejuſmodi Actus eſt illud Fidei lumen, quod, ut 2. 2. quæſt. 1. art. 4. ait Angelicus „ *Facit videre ea quæ creduntur*, “ & per quod „ ſecundum Apoſtolum: „ *Videmus nunc per ſpeculum in Enigmate* “. Per id quod is ſolus eſt quædam ſimilitudo objectorum per eum creditorum juxta illud ejuſdem Angelici 1. 2. qu. 51. artic. 1. „ Id enim, quo aliquod cognoſcitur oportet *eſſe Actualem ſimilitudinem ejus, quod cognoſcitur* “.

( 4 ) Ut jam innuimus, & confirmatur ex illo Petri: „ *Quaſi Lucernæ lucenti in caliginoſo loco*.

( 5 ) Nam, ut 1. 2. quæſt. 4. art. 7. ait. „ Angelicus „ Ipſe ultimus Finis oportet quod „ prius ſit in Intellectu apprehenſus. *Unde cum* „ *ultimus Finis ſit quidem in voluntate per* „ *Spem, & Charitatem*, in Intellectu autem per „ Fidem, neceſſe eſt quod Fides ſit prima inter „ Virtutes: quia cognitio non poteſt *proportionate* attingere Deum ſecundum quod eſt objectum Beatitudinis, prout tendit in ipſum Spes, „ & Charitas “. Unde illud quod in ordine *Naturali* operatur *præſens* lux Solis, vel candelæ reſpectu Potentiæ Viſivæ, cum agitur de externa directione, & illud etiam quod operatur lumen *Actuale rationis Naturalis*, dum agitur de interna directione, ſeu elicientia Actuum *Naturalium*, & humanorum voluntatis, hoc fere ( ait idem Angelicus ibi quæſt. 8. art. 1. & qu. 171. art. 2. ) operatur in Ordine *Supernaturali* lumen *Actuale*, hoc eſt Actus *Formalis*, vel quaſi *Formalis Fidei divinæ* circa directionem, & elicientiam *Supernaturalium* Actuum ipſius voluntatis *Supernaturaliter* elevatæ „ Ita ſe habet, inquit, lumen ſuperadditum ad ea, quæ „ nobis *Supernaturaliter* innoteſcunt, ſicut ſe „ habet lumen *Naturale* ad ea, quæ primordialiter cognoſcimus &c. ſicut manifeſtatio Corporalis Viſionis ſit per lumen *Corporale*, ita „ etiam manifeſtatio Viſionis Intellectualis ſit per „ lumen *Intellectuale* “.



non poteſt producere ſuos Actus v. g. in legendo hoſce characteres, poſtquam jam deſtituta reperitur ſuo *Actuali* præſenti lumine Candelæ, vel Solis *Formali*, vel ſaltem, ut ita dicam, proprie *Virtuali*, ſeu in aliquibus *veluti crepuſculis* aliquo modo continuato, vel durante; & etiam Intellectus noſter ſuos Actus producere non poteſt in ferendo æquum judicium v. g. de hac noſtra quæſtione, poſtquam illi omnino deficiat ſuum lumen, uſus ſcilicet rationis dictus. Ergo ſimiliter noſtra voluntas *Supernaturaliter*, elevanda non poteſt ſuos Actus *Supernaturales* Charitatis, & Contritionis in amando Deum, & dolendo de peccatis producere, poſtquam illi defuerit ſuum conſentaneum lumen, prædictus ſcilicet Formalis Explicitus *Supernaturalis* Fidei *Actus* certo adhuc ſaltem proprie *Virtualiter durans*, dum eoſdem concipere conatur.

IV. Confirmatur ex fundatiſſimo *Conſenſu Theologorum*; in primis D. Thomas 1. 2. q. 62. artic. 4. quæſito: „ Utrum fides ſit prior ſpe, „ & ſpes charitate? “ reſpondet dicens: „ *Fides* „ *præcedit Spem, & Spes Charitatem ſecundum* „ *Actus*: nam Habitus ſimul infunduntur. Non „ enim poteſt in aliquid motus appetitivus tendere vel ſperando, vel amando, niſi quod eſt „ apprehenſum ſenſu, vel Intellectu, per Fidem „ autem apprehendit Intellectus ea, quæ ſperat, „ & amat. Unde oportet quod ordine generationis *Fides præcedat Spem, & Spes Charitatem* “. Et P. Reuter par. 3. tract. 1. diſſert. 1. cap. 3. reſpondens ad q. 1. „ An, & quomodo Fides Theologica ſit neceſſaria ad Juſtificationem, & ſalutem? “ ait: „ Fides Actualis „ Theologica eſt, ſemperque fuit neceſſaria neceſſitate Medii in re omni homini adulto perſonalis peccati mortalis reo ad Juſtificationem, „ & ſalutem: eſt *Communis, & certa ſententia*. „ Nam Apoſtolus ad Hebr. &c. Quia Deus hominem adultum peccati mortalis reum non vult „ juſtificare, niſi per Actus voluntatis liberos, „ & *Supernaturales* ſe ad juſtificationem diſponat, Actus autem Voluntatis *Supernaturales* „ in hac Dei providentia in homine Viatore „ non habentur, niſi præluceat cognitio *Supernaturalis* proportionata, quam Deus voluit eſſe „ *Actum Fidei Supernaturalis* Theologicæ, ut „ innoteſcit nobis ex PP. CC. & Sacra Scriptura “. Et P. Antoinius Theol. Spec. tract. de Fide Sect. 3. artic. 2. §. 1. inquiens „ Dico I. „ Actus Fidei neceſſarius eſt in re ad ſalutem „ *neceſſitate medii* omnibus adultis in peccato „ *mortali* exiſtentibus, etiam poſt Baptiſmum. „ Probatur, quia nullus adultus exiſtens in peccato mortali juſtificari poteſt ſecundum legem „ a Deo ſtatutam ſine aliquo Actu Fidei reipſa „ elicito &c. Ratio a priori eſt voluntas Dei „ &c. Hæc autem Fides neceſſaria ad ſalutem eſt „ Fides *Supernaturalis nixa teſtimonio Dei ſumme veracis, de qua ſola loquuntur Scripturæ*, „ *& Patres &c.* “

V. P. Suarez de Gratia par. 3. diſp. 8. proponens Capiti 15. titulum „ Utrum prima diſpoſitio ad Juſtificationem neceſſaria „ ſit *Actus Fidei*. “ Num. 2. 5. & 7. reſpondet „ In primis ſupponimus primam diſpoſitionem ad juſtitiam eſſe „ *Actum Fidei*. Quod eſt certum de Fide; nam „ quod Fides ſit neceſſaria ad juſtitiam ſatis expreſſe docuit Chriſtus Dominus Matt. ultim. „ *Qui non crediderit, condemnabitur*, & Paulus ad Hebr. II. *Sine Fide impoſſibile eſt* „ *placere Deo &c.* Cum ergo ſine Fide nemo „ poſſit placere Deo, profecto nec juſtus eſſe poteſt; nam qui juſtus eſt, placet Deo, „ & ideo dicitur *Juſtus ex Fide Vivere*, Habacuc &c. Et propterea Paulus in „ ſuis epiſt. præſertim ad Roman. & ad Galatas, hominem dicit juſtificari *per Fidem* tamquam per radicem, & Originem juſtitiæ; & „ Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 8. in ordine Juſtificationis primum *ponit Actum Fidei* „ *&c.* Manifeſtum eſt Fidem requiri ut viam „ neceſſariam ad Deum juxta illud: *Accedentem* „ *ad Deum oportet credere &c.* “ Neque ( ut nimis perperam putat vulgus ) hæc Fides conſiſtit in fere *ſola Cat. Fidei Profeſſione*, neque in Actibus Fidei *Infuſæ* olim forſan elicitis, & nunc ad plurimum *Moraliter*, & *Habitualiter* tantum exiſtentibus, vel in præſentibus Actibus Fidei *Acquiſitæ*. Cum hic eximius Theologus in 3. par. D. Thomæ tract. 4. de Virt. Pœnitent. diſp. 9. Sect. 7. n. 4. ad probandum neceſſitatem Actus præſentis Formalis Doloris pro Sacramento Pœnitentiæ argumentetur ex neceſſitate *Actus* For-

*Formalis præſentis Fidei neceſſarii* pro eodem Sacramento dicens „ Non aliter Sacra Scriptura requirit Fidem, vel Charitatem vel alios ſimiles Actus, quam Pœnitentiam ( id eſt dolorem de peccatis ): Ergo ſicut alii ſunt *Formaliter neceſſarii*, ita & Pœnitentia ".

VI. P. Illung de Sacramen. in genere n. 49. dicens „ Diſpoſitio ad ſuſcipienda Sacramenta mortuorum cum effectu Gratiæ ab ipſis cauſandæ in adultis neceſſaria *ſunt Actus Fidei, Spei, Propoſiti &c.* Ita *communis & certa Theologorum Sententia*: probatur ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. ubi enumeratos Actus pro diſpoſitione ad Baptiſmum expreſſe requirit, & ſeſſ. 14. cap. 4. ubi eoſdem Actus exigit ad Sacramentum Pœnitentiæ, utrobique allegans teſtimonia Scripturarum " Et P. Caſtropalaus par. 1. tract. 2. diſt. 1. par. 2. n. 11. inquiens, „ Eſſe autem obligationem indirectam eliciendi *Actum Fidei* conſtat apud omnes I. Cum obligaris *conteri de peccatis &c.* Et ideo Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. Actum Fidei inter diſpoſitiones ad gratiam enumeravit. 2. *Quoties obligatus es Spei, & Charitatis Actus exercere* ". Et tandem ut alios omittam, Ven. Card. Bellarminus Controv. Juſtific. cap. 2. ſcribens „ Dicuntur autem diſpoſitiones ad Juſtificationem hi omnes Actus Gratiæ, & Liberi arbitrii, quibus donum ipſum Juſtificationis acquiritur, quales *Sunt ex Sententia Concilii Tridentini* ſeſſ. 6. c. 6. *Actus Fidei, Timoris, Spei, Dilectionis, Pœnitentiæ* ".

VII. „ Sicut libenter ( inquiunt plures Adverſarii ) concedimus quemvis Fidelem teneri pluries in anno ſecundum diverſas DD. Sententias *elicere Actus Formales Explicitos Fidei per ſe*, ita æque admittimus Pœnitentem obligari ad eliciendum *ejuſmodi Actus Formales Explicitos Fidei per accidens*. Cum nullum ſit præceptum hanc ignotam ( ignotam dicere deberent ſolis parum attente Theologorum Libros legentibus ) obligationem inducens ". Reſpondemus Pœnitentem teneri ad eliciendum *per accidens* hunc Actum eo illo graviſſimo præcepto, quo iſte tenetur ponere omnia requiſita *neceſſitate Medii neceſſaria* ad obtinendam ſuam æternam Salutem; & illo alio ſimiliter divino præcepto, quo graviter obligatur ad non exponendum voluntario periculo nullitatis Sacramentum, quod ſuſcipere intendit. Certe P. Lacroix lib. 2. cap. 2. quæſt. 13. num. 53. ad quæſt. „ An præceptum affirmativum credendi ſit *Naturale an Poſitivum?* " Reſp. „ In quantum obligat ex Virtute Fidei &c. dicunt Hurtadus, & alii cum Oviedo n. 66. eſſe tantum *Poſitivum divinum &c.* Deinde in quantum *Fidei prærequiritur ad Spem, Charitatem* vel *Contritionem*, ad quarum Actus ſæpe eſt obligatio ex *Jure Naturæ*, ſic *per accidens*, & ratione talium virtutum poteſt ad Fidem eſſe obligatio ex *Jure Naturæ* ": Et P. Antonius Th. Mor. tract. de Virt. Th. par. 4. c. 1. quæſt. 3. ait „ Nota ex de Lugo, *Præcepta Fidei, Spei, & Charitatis* ſunt in aliquo ſenſu *Supernaturalia*, & in aliquo etiam ſenſu *Naturalia*. Sunt *Supernaturalia* tum ex parte Objecti, tum ex parte ſuorum Actuum; nam impleri nequeunt *niſi per Actus Supernaturales &c.* Sunt vero *Naturalia* ex parte obligationis, quia ex ſuppoſitione quod Deus elevaverit hominem ad finem *Supernaturalem* conſequendum per *Actus Supernaturales*, eo ipſo abſque alio novo præcepto, & ex natura rei obligatur homo ad eliciendos Actus *Supernaturales* neceſſarios ad finem illum obtinendum ".

VIII. Evidens quippe eſt, quod præcepto ipſo, quo Finis præcipitur, præcipitur etiam Medium ad eum conſequendum Simpliciter neceſſarium. Immo addimus adeo verum eſſe in noſtro caſu requiri *per accidens* ejuſmodi Formalem Explicitum *Fidei Actum*, ut illi ipſi, qui auſi ſunt negare illius obligationem *per ſe*, eam non negaverint *per accidens*, teſte P. Viva ad I. Prop. decr. Alex. VII. num. 2. dicente „ Biſariam poteſt quis ad hos Actus Theologales obligari. 1. *per ſe*, & ex *vi præcepti divini, & Naturalis de eliciendis aliquando his Actibus*. 2. *per accidens*, & *ex vi aliorum præceptorum*, puta &c. Aut *ex præcepto Confeſſionis Sacramentalis*, Cum ex Tridentino Seſſ. 6. cap. 6. ad Juſtificationem in Sacramento recipiendam peccatores ſe diſponant *per Actus Fidei, Spei*, & cujuſdam Charitatis Initialis &c. *Hanc ſecundam ex vi aliorum præceptorum* ( *v. g. Confeſſionis* ) *nemo unus negavit*: de *prima dubitaverunt nonnulli* ". Quod etiam innuit Turnely quæſt. 5. artic. 3. Concl. 1. dicens „ En Amor Initialis ſeu inchoatus & imperfectus, quem Synodus requirit ad Juſtificationem, perinde *ac Actus Fidei, & Spei, quos neceſſario prærequiri nemo negaverit* ". Neque ceteroquin minor eſt obligatio *per accidens*, quam ſit obligatio *per ſe Actus Formalis Expliciti fidei divinæ*. Nam vel obligeris v. g. ad confitendum peccata in Paſchate *per ſe*, vel intra annum alias in læthali communicaturus, *per accidens* ad veram Confeſſionem cum omnibus ſuis Conſtitutivis ponendam obligaris.





# DISSERTATIO II.

Reſp. ad II. quæſt. Utrum ejuſmodi Fidei Actus Formalis Explicitus &c. Probaturque tum *a Ratione*, cum *ab Auctoritate*, quibus magnopere confirmatur etiam affirmativa reſponſio ad 1. quæſt. quam hucuſque ſtabilivimus.

## PARS PRIMA.

Reſp. Negative ad II. quæſt. Utrum ejuſmodi Fidei Actus &c. Probaturque a Ratione.

### CAPUT I.

*Reſp. ad prædictum II. quæſitum, Utrum ejuſmodi Fidei Actus Formalis Explicitus reipſa ex uno ad alium diem adeo certo perſeveret proprie* Virtualis, *ut ipſe Pœnitens eum iterare non teneatur poſt eam interruptionem, quæ ſit per ſomnum?* Negative. *Probaturque hæc noſtra negativa reſponſio Argumento Negativo, aliiſque poſitivis rationibus.*

I. ARgumentamur ſic 1. Nullum omnino eſt ( aliter adferatur ab eruditis Adverſariis ) fundamentum convincens, quod prædictus Fidei Actus certo, vel ſaltem probabiliter perſeveret poſt ſomnum, ſive ex uno ad alium diem, ſeu poſt eam interruptionem, quæ ſit per ſomnum, proprie *Virtualis*. Vel ſaltem hoc eſt dubium, & ab Adverſariis ſine ullo ſufficienti fundamento ( niſi forte velint quod ejuſmodi fundamentum ſit *Incuria* ac *Negligentia*, quibuſcum plures Fideles prædictum Actum Fidei non iterant ) venditatur tanquam certum, dum, ceteroquin agitur de eſſentiali prærequiſito ad poſitionem *Supernaturalis Doloris*, qui ſit Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ. Quod unum argumentum pluſquam ſufficiens eſſe deberet viro Theologo maxime poſt damnationem, *prout facet*, famoſæ Prop. „ *Non eſt illicitum in Conferendis Sacramentis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta Tutiore &c.* " ad plane eliminandam oppoſitæ opinionis praxim. Quod magnopere confirmatur ex damnatione Propoſitionum „ *Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe. & ſatis eſt Actum Fidei ſemel in vita elicere*; & *Fides late dicta &c. Sufficit ad Juſtificationem*. "

II. Argument. ſic 2. Illud, ut jam innuimus, quod reſpectu noſtræ Potentiæ Viſivæ præſtat *Actualis* lux Candelæ, vel Solis in ſe, vel in ſuis crepuſculis, ſeu impreſſionibus, dum agitur de externa directione, ac efficientia noſtrarum Actionum externarum, & illud etiam, quod reſpectu noſtræ Voluntatis in ordine *Naturali* præſtat *Actuale* lumen Formalis uſus rationis noſtri Intellectus, dum agitur de interna directione, ac efficientia noſtrorum Actuum internorum *Naturalium* ejuſdem voluntatis, hoc ipſum in ordine *Supernaturali* præſtat *Actuale* lumen, ſeu Actus *Supernaturalis Fidei Formalis*, ſeu *quaſi Formalis* reſpectu ipſiuſmet voluntatis *Supernaturaliter* elevatæ dum agitur de *Supernaturali* directione, ac efficientia Actuum *Supernaturalium* prædictæ voluntatis. Atqui lumen Actuale, ſeu illuminatio Candelæ, vel Solis; & lumen Actuale ſive illuminatio intellectualis, Actus ſcil. uſus rationis non ita perſeverant proprie *Virtualia* in ſua *reſpectiva virtute, illuminativis impreſſionibus*, vel *cognoſcitivis effectibus* ex uno ad alium diem, ut in nobis præſtare poſſint effectus, quos antea præſtabant. Aliter intempeſta nocte hoſce characteres legere, aliaque ejuſmodi exequi poſſemus ex vi ſplendentis lucis meridianæ; & in ſomno, in ebrietate, ac dementia de hac quæſtione v. g. aliiſque gravibus rebus æquum, ac prudens judicium ferre poſſemus ex vi cognitionum ante ſomnum, ebrietatem, & amentiam a nobis elicitarum. Ergo ſimiliter neque *Actuale* lumen vel potius *illuminatio Actus Fidei ita* perſeverat certo proprie *Virtualis* in ſua *Virtute, illuminativa impreſſione, ac cognoſcitivis effectibus* ex uno ad alium diem, ut in nobis præſtare poſſit effectus, quos antea præſtabat.

III. Argument. ſic 3. Prædictus Actus Formalis Fidei *Supernaturalis* non perſeverat certo proprie *Virtualis* poſt amentiam. Ergo neque poſt ſomnum talis perſeverat. Et ſane quis præjudiciorum vacuus ſibi unquam perſuadebit, quod in ea generali idearum Mentis, & Voluntatis affectuum perturbatione, ac ceſſatione, quæ in ſomno, altoque ſopore neceſſario intervenit, quæque uſum ipſum rationis omnino impedit, perſeveret *Actus Formalis Fidei Supernaturalis certo*, aut *probabiliter* proprie *Virtualis*? Aut quod oblivio, & interruptio in vigilia tollat perſeverantiam, ac durationem *Intentionis*, & *Adtentionis Virtualis* & e contra ejuſmodi perſeverantiam, ac durationem non tollat oblivio, & interruptio, quæ neceſſario interveniunt in ſomno. Qui quidem ſomnus ( ut canit, qui dixit. *Stulte, quid eſt Somnus gelidæ niſi mortis imago?* Et ut ſentit Tullius dicens; *Nihil morti eſt tam ſimile*; & ut ait Ariſtoteles: *Eſt ligamentum omnium ſenſuum* ) eſt quoddam mortis genus. Aut denique quod juxta Philoſophos, & Theologos in ipſa vigilia ( cum ceteroquin homo eſt ſui compos ) detur omnimoda oblivio, & interruptio, quæ interturbent ſeries humanarum Actionum, *Virtualitatem Actuum* efficientium; & quod e contra in ſomno, cum mens, & voluntas conſopitæ ſunt, a fortiori non dentur ſimiles oblivio, & interruptio, quæ eaſdem interturbent, atque dirumpant? Certe qui hæc ſerio diceret, non ſolum ſomniare, ac inſanire, verum etiam non parum accedere ad delirium Michaelis de Molinos in Prop. 25. ( *Etiam ſi ſuperveniat Somnus, &*



DIRECCIÓN GENERAL DE

„ dormiatur, nihilominus ſit Oratio, & Con-
„ templatio Actualis " ) damnatum videre-
tur.

IV. Argument. ſic 4. Nullus omnino ( aliter adſignetur ) idem numero Actus ſenſitivus, Intellectivus, aut volitivus humanæ mentis *certo*, aut *probabiliter* poſt ſomnum, ſeu ex uno ad alium diem perſeverat proprie *Virtualis*. Ergo neque *Actus Fidei Supernaturalis*, qui eſt unus ex eis, *certo*, vel *probabiliter* talis perſeverat. Conſequens recte deducitur; & antecedens patet evidenter tum ex ratione, tum ex ipſa experientiâ. Nam eadem ipſa ratione, qua ejuſmodi Actus in ſe ipſis phyſice perſeverare non poſſunt ex uno ad alium diem, non poſſunt *Virtualiter* perſeverare in ſua propria *Virtualitate*. Cum hæc eadem *Virtualitas*, *virtus* ſcilicet, *vel impreſſio*, quidam Actus ſimiliter tranſiens ſit. Brevius: nullus Actus Formalis durat *Formalis* poſt ſomnum, ergo etiam nullus Actus Virtualis durat *Virtualis* poſt ſomnum. Et ſi hi met Actus ( cum non ſit aſſignabilis diverſa ratio, cur potius perſeverare debeant ad unum, quam ad decem millia dierum, ) perpetuo durarent *in ſua Virtute*, ac *impreſſionibus* proprie *Virtuales*, ſequeretur I. Quod quilibet homo vel nonagenarius ipſe *neceſſario* ſemper adimc Actu ſentire deberet omnes ſenſationes, ac impreſſiones, quas ab ipſa infantia uſque ad nonageſimum ætatis annum elicuiſſet, vel fuerit expertus, licet inter ſe omnino contrarias; inſimulque affectionibus omnium ſaporum amarorum, & dulcium; viſionum amœnarum, & tetrarum; dolorum, ac delectationum torqueri, & oblectari deberet. II. Quod cognitionibus veris, & falſis, immo & contradictoriis omnia a ſe antea cognita *nunc Actu diſtincte ſimul cognoſcere*, eiſque adhærere, ſicut etiam a ſe antea omnia volita & nolita, bona, & mala *Actu ſimul velle*, & *nolle deberet*. Nec amplius neceſſaria eſſet Potentia *Memorativa*, Species ulla *memorativa*, vel Actus præteritorum *recordativus*, cum omnia in ſe ipſis ſemper *virtualiter* præſentia eſſent.

## CAPUT II.

*Probatur aſſertio noſtra ex paritatibus* Adtentionis *orandi*, Intentionis *Sacramenta conferendi*, & *maxime* Illuſtrationis *ad pie operandum*.

I. Sic ad hominem argumentamur 1. Actus Formalis *Adtentionis* in recitatione v. gr. Horarum Canonicarum, aut *Intentionis* ver. g. conſecrandi, aut baptizandi juxta ſententiam TT. omnium, & nominatim Sapientiſſimi Cardin. de Lugo ( 1 ) ab Adverſariis ipſis admiſſam, *nullo modo*, & multo minus *certo* perſeverat proprie *Virtualis* ex uno ad alium diem, ſeu poſt interruptionem, quæ ſit per ſomnum ( aliter Sacerdos, qui ante ſomnum voluit conſecrare, vel abſolvere, dormiens Formas horum Sacramentorum dicens valide abſolvet, & conſecrabit ). Ergo etiam Actus Formalis Fidei divinæ *nullo modo*, & multo minus *certo* perſeverat proprie *Virtualis* ex uno ad alium diem, ſeu poſt interruptionem, quæ ſit per ſomnum. Uno verbo. Actus Formales Explicitæ *Adtentionis*, & *Intentionis certo* non perſeverant proprie *Virtuales* poſt ſomnum. Ergo etiam Actus Formalis Fidei Explicitæ *certo* non perſeverat proprie *Virtualis* poſt ſomnum ipſum. Vel ad minus. Ergo etiam Actus Formalis Fidei Explicitæ non perſeverat *certo* proprie *Virtualis* poſt ſomnum. Ergo ſicut celebrans non ſine gravi piaculo hodie proferret Formam Conſecrationis obtentu *Intentionis Formalis* a ſe heri veſperi conceptæ, ita Pœnitens non ſine gravi Sacrilegio hodie præmitteret Sacramentali Abſolutioni dolorem hodiernum a ſe conceptum ( niſi eum excuſaret totalis inadvertentia ac invincibilis ignorantia ) obtentu *Fidei Formalis* a ſe heri veſperi elicitæ. Cum utrobique agatur de requiſito ad valorem Sacramenti.

II. Sic argum. 2. Actus Formalis divinæ *Illuſtrationis certo* non perſeverat poſt ſomnum proprie *Virtualis*. Ergo etiam neque Actus Formalis divinæ *Fidei Infuſæ certo* perſeverat poſt ſomnum proprie *Virtualis*. Clarius. Actus Formalis Gratiæ Excitantis, vulgo dictus divina *Illuſtratio*, vel *Inſpiratio* heri veſperi nobis infuſus, poſt ſomnum *certo* non perſeverat taliter *Virtualis*, ut nos hodie poſſit illuminare in genere Gratiæ Excitantis ad concipiendum Actum v. g. Contritionis, qui ſit materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo etiam Actus Formalis divinæ *Fidei Infuſæ* heri veſperi a nobis elicitus inſimulque a Deo infuſus, poſt ſomnum *certo* non perſeverat taliter *Virtualis*, ut poſſit certo hodie nos illuminare in genere Fidei divinæ ad concipiendum eundemmet Contritionis Actum; cum utraque concurrere debeat ad eum concipiendum.

III. Antecedens eſt veriſſimum, & a Catholico ( 2 ) minime negandum. Probatur jam Conſeq. quamvis ex ſe manifeſta: argum. ſic.
Tam

( 1 ) De Pœnit. diſt. 7. num. 41. dicentis
„ Hæc voluntas *Virtualis* tollitur non ſolum per
„ *Retractationem*, ſed etiam per omnimodam
„ *Oblivionem*, & *Interruptionem*; nam Sacer-
„ dos intendens baptizare puerum, & poſtea il-
„ lius *immemor* fundens aquam ad eum lavan-
„ dum, *non eum baptizat*, etiam ſi poſt lo-
„ tionem immediate proferat verba, quia nimi-
„ rum illa non procedit *ex priori Intentione* ".

( 2 ) Quia aliter quilibet homo ſub initium menſis, anni, immo & vitæ ſemel, aut iterum una ex ejuſmodi divinis Illuſtrationibus illuminatus foret ſufficienter proviſus de Gratia Excitante ad concipiendum in reliquo menſis, anni, vel vitæ ſpatio omnes Actus non ſolum Virtutum Moralium *Aquiſitarum*, ſed etiam *Supernaturalium Infuſarum*, quin amplius nova ejuſmodi Gratia indigeret. Sicque unuſquiſque poſt acceptam primam Gratiam Actualem Excitantem maxime, ſi ea efficax extitiſſet, ſecuriſſimus redderetur ſibi hanc Gratiam nunquam amplius defuturam eſſe, quod eſt abſurdum, & contra rectum ſenſum fidelium eam de novo identidem cum Davide a Deo expoſtulantium: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*, fundatum in Traditione, Scripturis, & Conciliis, uti v. gr. in Sinonenſi, ubi dicitur: „ Ne momentum qui-
„ dem præterit, in quo Deus non ſtet ad
„ oſtium, & pulſet. " Et in Tridentino ſeſſ. 6.
c. 8. ubi dicitur: „ Cum ille ipſe Chriſtus J.
„ tanquam caput in membra, & tamquam vitis
„ in palmites in ipſos juſtificatos *jugiter virtu-*
„ *tem influat*, quæ virtus bona ipſorum opera
„ *ſemper* antecedit (excitando, ac illuminando),
„ & concomitatur, & ſubſequitur, & ſine qua
„ nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſ-
„ ſent. " Unde merito doctiſſimus Oroſius ait: „
„ Mea ſemper hæc eſt fidelis & indubitata ſen-
„ tentia Deum adjutorium ſuum ſpeciatim *quo-*
„ *tidie*, per tempora, per dies, & cunctis, &
„ ſingulis miniſtrare. " Sicut etiam D. Hieronymus ep. ad Creſiph. adverſus Pelagianos c. 3. ſimiliter inquit: „ *Non ſufficit mihi quod ſemel*
„ *gratiam mihi donavit, niſi ſemper dona-*
„ *verit*. "



Tam Fides Infuſa *Actualis*, quam Gratia Excitans *Actualis* ſunt in ſe ipſis *ſupernaturales*, cauſſantque eumdem ſuum reſpectivum effectum in genere Cauſſæ Formalis ( 1 ) per ſuam ipſarum communicationem reddentes illuminatum Intellectum, in quo ſubjectantur, ac per conſequens eo reſpectivo modo illuminantem Voluntatem per ſe ipſas, vel per ſuas impreſſiones ad hoc, ut hæ duæ Potentiæ habiles reddantur ad reſpectivam productionem eorumdem Actuum *ſupernaturalium*, v. gr. Charitatis, vel Contritionis quamdiu durant eæ illuminationes, ac impreſſiones. Præterea tam Fides Actualis Infuſa, quam Gratia Actualis Excitans habet *eamdem* (cum nulla ſit excogitabilis diſparitas, aliter adferatur) *rationem*, *modumque* perſeverandi, vel non perſeverandi proprie *virtuales*, ac tandem tam *Fides Actualis Infuſa*, quam *Gratia Actualis Excitans Infuſa* prærequiruntur a Tridentino neceſſitate medii ad productionem Actuum *Supernaturalium Juſtificantium*. Atqui *ſine nova* numero *Gratia Excitante* non poſſumus hodie *ſupernaturaliter* & *ut oportet* Deum v. gr. amare virtute *Excitationis*, ac *Illuminationis* nobis heri proponentium honeſtatem, ac neceſſitatem eumdem amandi, ſeu quod idem eſt, atqui talis *Excitatio*, ac *Illuſtratio* Formalis Actualis Gratiæ non amplius perſeverat hodie proprie *Virtualis*. Ergo etiam ſine *nova* numero *Fide Infuſa Actuali* non poſſumus hodie *ſupernaturaliter*, & *ut oportet* ipſum Deum amare virtute *Illuminationis Fidei Infuſæ* nobis heri veſperi ſummam ejuſdem Dei Amabilitatem proponentis per Actum Formalem Fidei Infuſæ *tunc* a nobis elicitum, vel quod idem eſt, ergo talis Actus Formalis Fidei Actualis non amplius perſeverat hodie proprie *Virtualis*.

IV. Major, & minor præmiſſæ ſunt inconcuſſæ veritatis. Conſeq. eſt legitima, probaturque hoc modo. Sicut omnes cognitiones, recordationes, impreſſiones, vel ſimiles effectus, qui nobis forſan de Actu Formali *illius heſternæ divinæ Illuſtrationis* poſt ſomnum ſuperſunt, vel ex ea promanant, non ſunt vera Gratia *Virtualis* ( nam aliter non eſſet nobis ſimpliciter neceſſaria hodie, & in futurum alia *nova* Gratia Formalis Explicita), & quia reapſe non ſunt *vera Gratia nullo modo* ſunt aptæ ad ſupplendum in nobis hodie, & in futurum, prædictam Gratiam Excitantem heri, vel nudius tertius a nobis habitam, ita ſimiliter omnes cognitiones, recordationes, impreſſiones, vel ſimiles effectus naturales (vel *ſupernaturales* ſi qui ſunt), qui nobis poſt captum ſomnum de actu Formali *illius heſternæ divinæ Fidei Infuſo* ſuperſunt, vel ex ea promanant, non ſunt *vera Fides divina Virtualis*; & quia reapſe non ſunt vera Fides *ſaltem Virtualis nullo modo* ſunt aptæ ad ſupplendum hodie, & in futurum in nobis prædictam Fidem Formalem Infuſam heri, vel nudius tertius a nobis habitam atque elicitam. Quod erat demonſtrandum.

## PARS II.

*Probatur aſſertio noſtra tum adfirmativa, cum etiam negativa ab* Auctoritate *inſigniorum Theologorum*, & *maxime ab Auctoritate ipſiuſmet S. R. Eccleſiæ*.

POrro omnes Theologi, qui docent quod præter Formales Actus Explicitos Fidei, & Spei ab omnibus eliciendos in adventu cujuſcumque Fidelis ad uſum rationis, & aliquoties in anno *per ſe*, & ex vi *præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*, tenetur Pœnitens *per accidens*, id eſt ex divino præcepto præmittendi ſacramentali Abſolutioni *ſupernaturalem* Contritionem, vel Attritionem, quæ ſine interventu talium Actuum *ſupernaturales* eſſe non poſſunt,
eli-

( 1 ) Id eſt ad eum fere modum, quo v. gr. *Albedo*, ut ait D. Thomas 1. 2. q. 111. ar. 2.
„ ſuum effectum cauſſat reddendo per ſe ipſam
„ eiſdem applicatam alba ſubjecta, quibus in-
„ eſt, " ſive hi Actus ſint *qualitates* ex anima divinitus eductæ, ab eaque realiter diſtinctæ, ut placuit peripateticis; ſive ii ſint puræ *modificationes* ipſius animæ cogitantis, vel volentis, ſeu *diverſi exiſtendi modi*, atque *ſtatus*, quibus ipſa anima ad mentis, aut voluntatis objecta refertur, illa reſpicit, vel ab eis avertitur, uti placet modernis Philoſophis.

elicere etiam eoſdem Formales & Explicitos Actus Fidei, & ſpei *tunc temporis*, cum ipſe adcingitur ad concipiendum prædictam Contritionem, vel Attritionem; omnes, inquam, Theologi qui hoc docent, nos pariter docent. 1. Quod hi Fidei, & Spei Actus omnino requirantur, uti prærequiſita prorſus neceſſaria ad nos reddendos *ſupernaturaliter* habiles ad concipiendum prædictum *ſupernaturalem* Dolorem juxta noſtram 1. Adſertionem (nam ut optime l. 2. p. 2. n. 667. ait P. Lacroix: „Ad Dolorem pro hoc Sacramento *prærequiruntur Actus Fidei, & Spei ſupernaturalis*, ut conſtat ex dictis l. 2. n. 18. Sed non ob aliam cauſſam, niſi quia Dolor debet eſſe *in ſe ſupernaturalis*, ut notant omnes cum Dicaſtillo ..... ut nempe ex parte Intellectus adſit *cognitio ſupernaturalis, & proportionata, quæ dirigat*, & ex parte voluntatis, motus *ſupernaturalis, & proportionatus, qui erigat*, ita ut, niſi præeant iſtæ diſpoſitiones, Principium *ſupernaturale adjuvans non infuat in dolorem*.)" 11. Quod *nullo modo*, & multo minus quod *certo* ejuſmodi Actus poſt ſomnum, ſeu ex uno ad alium diem permaneant proprie *Virtuales* juxta noſtram 11. adſertionem.

## CAPUT I.

*Adferuntur textus aliquorum ex prædictis Theologis.*

I. D. Angelicus 1. 2. q. 113. ar. 4. ad quæſt. „Utrum ad Juſtificationem impii requiratur motus Fidei?" reſpondet: „Dicendum, quod ſicut dictum eſt ar. præced. motus liberi arbitrii requiritur ad Juſtificationem impii &c. Prima autem Converſio in Deum fit per Fidem juxta illud ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere*, quia eſt &c. & ideo *motus Fidei requiritur ad Juſtificationem impii &c.* Ex quo patet quod in Juſtificatione *impii* requiritur *Actus Fidei &c.*" Et in 3. p. q. 86. ar. 6. iterum ait: „Dicendum quod in Juſtificatione impii non ſolum eſt Actus Pœnitentiæ, ſed *Actus Fidei*, ut dictum eſt. Ideo remiſſio culpæ non ponitur effectus ſolum Pœnitentiæ virtutis: ſed principalius *Fidei, & Charitatis*."

D. eximius de Triplici virt. Th. diſp. 13. ſeſſ. 5. ait: „Una eſt quaſi per accidens (neceſſitas exercendi Actum Formalem Fidei) ... v. g. *Quando eſt neceſſarium elicere Contritionem de peccatis*, aut Deum ſuper omnia diligere, quod ſine Actu Fidei fieri non poteſt &c." Et de Gratia p. 3. l. 8. c. 7. iterum ait: „Proxima diſpoſitio ad Gratiam habitualem in *Actibus Fidei, Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ*, prout neceſſarii ſunt ad ſalutem, *continetur*, ut in decurſu hujus libri oſtendemus." Neque his obſtat quod ille circa Actum Spei ſibi objicit c. 19. n. 1. nempe. „Poteſt (de potentia Dei abſoluta) homo poſt veram Dei Fidem ipſum ſuper omnia diligere, & propter ipſum peccata deteſtari, etiamſi Spes illi in mentem non veniat: ergo poteſt diſponi ad juſtitiam ſine Formali Actu Spei, quia Actus Amoris non pendet intrinſece ex Actu Spei, ſed ex *bonitate objecti ſibi per Fidem ſufficienter propoſiti*, quod poteſt homo propter ipſum diligere, etiam ſi ab illo nihil actu ſperet, idemque eſt de odio, vel deteſtatione peccati &c. neque hoc his, inquam, obſtat, ut patet ex ſolutione: Hæc igitur ſuadere videntur Formalem Actum Spei (dummodo tamen, inquit, is antea præceſſerit) non eſſe tam neceſſarium ad progreſſum Juſtificationis, *ſicut eſt Actus Fidei; nam Actus Fidei per ſe* requiritur & aliquomodo ex natura rei, ut ſupra dixi, *ut ceteris Actibus Voluntatis proportionate objectum proponat*."

P. Vaſquez in 1. 2. q. 113. ar. 4. diſp. 210. c. 7. inquit: „Si Sermo ſit de Fide, quæ movet ad effectum Charitatis, & ad Pœnitentiam perfectam, qua juſtificatur homo, ipſa eſt fundamentum totius ædificii, & culminis &c. id autem habet non ratione Charitatis, *ſed ratione ſui &c. Semper* loquimur *de Actibus*, nam de Habitibus modo non curamus, & Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. cum loquitur de Fide, *quæ eſt fundamentum, & radix Juſtificationis, de Actu Fidei* aperte intelligit, *non de Habitu*."

II. Card. de Lugo de Fide diſp. 13. ſect. 2. §. un. num. 44. & 45. inquit: „Hinc ſequitur eſſe obligationem exercendi *Fidei Actum, quando* (notentur bene hæc adverbia, *quando, tunc, cum &c.*) homo vult ſe ad Juſtificationem in Sacramento comparandam *præparare*, quia debet præmittere deteſtationem abſolutam, & efficacem ſuorum peccatorum, ad quam debet *præcedere Actus Fidei*, ut diximus ſupra .... de facto autem ſecluſa Fide non proponitur tale Motivum per ullas alias rationes taliter, ut ſequatur dolor efficax de peccato ſuper omnia, qualis ad Juſtificationem etiam in Sacramento requiritur &c. ſimiliter ex obligatione diligendi Deum, *quando* illud præceptum obligat, erit etiam obligatio habendi Actum Fidei, ſine quo non elicitur (*ut oportet*) dilectio Dei ſuper omnia, quod idem dicendum eſt de Actu Spei, quem debet præcedere Actus Fidei." Ita ille poſtquam diſp. 12. ſect. 2. n. 39. dixerat: „*Ad Contritionem debet præcedere cognitio Fidei de Bonitate Dei, & malitia peccati.*"

Card. Lambertinus poſtea Benedictus IV. in Synopſi Inſtit. Eccleſ. Inſtit. 63. ait: „Sacerdotes ſeculares, ac Regulares (deſtinati ad viſitandos infirmos), qui ad Noſocomia *vitæ, ac mortis* ſe conferent &c. ipſos, ſi res exigat, paucis inſtruant, ad Actus Fidei, Spei, & Charitatis eliciendos invitent, ad perfectum criminum dolorem hortentur, ipſis denique Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrent."

Card. Gotus Th. t. 9. q. 2. dub. 2. §. 1. inquit. „Convenit inter Catholicos, & Hæreticos noſtri temporis *motum Fidei* requiri ad



Juſtificationem &c. Cum enim voluntas indigeat lumine, & directione Intellectus oſtendentis ei, & proponentis objectum, impoſſibile eſt eam converti (*ſupernaturali Converſione*) in Deum A. *ſupernaturalem*, quin præcedat Actus Intellectus illum proponens: ſed hic Actus in præſenti providentia eſt *Actus Fidei*, ut patet; ergo hic Actus Fidei ad Juſtificationem adulti requiritur."

III. Domnus Dominus Epiſc. Abelius med. Th. p. 2. tr. 2. c. 4. ſect. 1. §. 1. n. 1. & 2. ait: „Reſpondeo ex probabiliori, & *in praxi tenenda TT. ſententia* tribus præſertim caſibus teneri *unumquemque ad Actum Fidei eliciendum* primus &c. ſecundus caſus eſt, quoties quis ad Actum aliquem virtutis exercendum obligatur, quem ſine Fide exercere nequit, *ut cum quis tenetur de aliquo peccato pœnitere, & confiteri*."

Maſtrius diſp. 10. de Præc. Virt. Th. q. 1. ar. 1. n. 7. & 8. inquit: „1. Caſus (quo ſcil. obligat præceptum affirmativum Fidei) eſt, cum alicui Myſteria Fidei primo ſufficienter ad credendum proponuntur &c. 2. caſus eſt, *quoties* quis ad Actum aliquem virtutis exercendum obligatur, quem ſine Fide exercere nequit, ut *cum quis tenetur de aliquo peccato pœnitere*, & conteri."

Mag. Bannez in 2. 2. q. 22. ar. 1. dub. 2. ait: „Quod ſiquis objiciat ex hac ſententia ſequi, quod *quando* homo tenetur ſe in Deum convertere, ſi id non fecerit, peccat triplex peccatum, 1. contra *Fidem*, 2. *contra ſpem*, 3. *Contra Pœnitentiam*, concedimus conſeq. quia *omnes illos Actus* tenetur habere ex præceptis ſpecialibus *Fidei, Spei &c.*"

P. Henriquez de Pœnit. Sac. l. 1. c. 22. n. 1. 6. & 7. inquit: „Ante Contritionem, quæ eſt ultima diſpoſitio primæ Gratiæ præcedunt quidam Actus. 1. Propoſitio objecti (v. g. amandi) *Supernaturalis*, & *Fides Infuſa de illo*. 2. *Fiducia*, ſeu *ſpes* in Miſericordia Dei &c. 3. Dilectio Dei, ex qua procedit Contritio; revera *ante Contritionem præcedunt Supernaturales Actus Fidei, & Charitatis &c.* Interdum Deus, qui uno temporis momento juſtificat, concedit cum ſubita Illuſtratione, & *Fide de ſupradictis Motivis* (divina ſcilicet Amabilitate, & Fidelitate), & cum voluntatis efficaci auxilio Contritionem perfectam."

IV. P. Azorius t. 1. l. 8. c. 1. qu. 6. ad quæſ. „An *Fidelis*, qui eſt in Gratia, & Charitate Dei ita præcepto Fidei teneatur, ut debeat certo aliquo tempore Fidei Actum elicere?" reſpondet: „Actum Fidei eſſe nobis imperatum a Deo tanquam remedium neceſſarium ad Juſtificationem *tum Fidelis*, tum Infidelis. Et proinde *mandatum credendi tunc inducit obligationem* (per accidens); cum impius lege, & præcepto compellitur ad juſtitiam *adipiſcendam*.... & idem juris eſt de præcepto Spei, & Charitatis".

P. Gaſp. Hurtadus de Sacram. diſp. 6. de Pœnit. diffic. 6. apud Leandrum t. 2. dicit „*Teneri ſub mortali peccatorem toties quoties noviter recipit Sacr. Pœnitentiæ elicere expreſſe Actus Fidei* Dei Juſtificatoris, & veniam concedentis".

P. Terillus Reg. Mor. q. 54. n. 75. ait „Quod autem dicitur Gratiam non deeſſe, qua bona opera evadunt *Supernaturalia, admitti non debet*, niſi cum limitatione, ſcilicet *quando opera illa per veram Fidem regulantur*, quia ordo Gratiæ hoc poſtulat".

Theologus A. *Catechiſmi ad Ordinandos* p. 3. de I. Præc. ait „Ad Actum Fidei tenetur homo, *cum primum ei proponuntur credenda Myſteria Fidei, deinde quoties ſe diſponere vult ad Juſtificationem, tuncque tenetur ad Actum Spei*, & ad Actum Amoris perfecti quidem extra Sacr. Baptiſmi, & Pœnitentiæ, imperfecti vero ſaltem in receptione illorum Sacramentorum".

V. Salmanticenſes t. 5. reſ. 21. c. 2. p. 3. n. 33. inquiunt „Per accidens obligari hominem ad eliciendum *Actum Fidei*, quoties hic prærequiritur ad Actus aliarum Virtutum *Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ* &c. Unde inferunt quod, *quando* peccator tenetur ſe ad Deum convertere, & juſtificari, debet *elicere Actum Fidei* &c. Ergo *Tunc* tenetur credere non quidem ex obligatione Fidei, ſed Pœnitentiæ".

P. Buſembaum l. 2. tr. 1. c. 1. ad quæſ. „Quomodo obliget præceptum Fidei?" reſp. „Præceptum Fidei internum obligat 1. Pueros inter Fideles educatos, *quando uſum rationis* &c. 2. Adultos Infideles, quando &c. 3. *Quando.... ex præcepto eliciendus eſt Actus v. g. Spei, Charitatis, Pœnitentiæ* &c." Et tr. 2. addit „Præceptum Spei *per accidens* obligat, *quando* Actus Orationis, *Pœnitentiæ, Charitatis &c. in præcepto ſunt*, qui ſine *prævio* Actu Spei exerceri (ut oportet) non poſſunt".

P. Gobatus t. 2. n. 456. inquit „Ut eliciam ex his *verum*, & *Formalem Actum Fidei, ex quo debet procedere Dolor neceſſarius ad Pœnitentiam*, quærere ſoleo &c."

P. Sparſa de Pœnit. q. 80. ar. 2. ait „Certum eſt Actum Pœnitentiæ non eſſe primum tempore, *quia neceſſario illum præcedunt Actus Fidei, & Spei, ex quibus dependet*".

P. Tamburinus l. 2. in Dec. c. 1. §. 1. n. 22. inquit „Ex quibus colligo ... non teneri ſcilicet nos ad Actum Fidei, & Spei, niſi *quando tenemur juſtificari per Contritionem, & ego addo, vel per Attritionem cum Sacramento*".

## CAP. II.

*Adferuntur alii textus aliorum ex prædictis Theologis.*

I. P. Platelius de Sacram. in genere n. 727. ait „Defectus Actuum Fidei de Deo Juſtificatore, & Spei veniæ ad remiſſionem peccatorum, & conſequenter ad hujus Sacramenti effectum *neceſſario requiſitorum, non ſolum reddit hoc Sacramentum informe*, ut contendunt

Adver-

,, Adverſarii, ſed *nullum*: quia iſti Actus non ,, ſunt pars hujus Sacramenti, *ſine illis tamen* ,, *ſtare nequit hoc Sacramentum*, eo quod ſine ,, illis haberi non poſſit *ſupernaturalitas*, & ,, *efficacitas* Doloris, ac *Propoſiti* ad Sacramenti ,, ſubſtantiam eſſentialiter requiſita, ac proinde ,, iſti Actus ſunt connotatum *neceſſario prære-* ,, *quiſitum* ad ſufficientiam partis Materialis: ,, unde dici poſſunt illius pars præſuppoſitive, ,, licet non Formaliter ".

Balteus Mor. t. 1. de Fide n. 15. inquit ,, Tempus Actum Fidei eliciendi eſt, *quando ho-* ,, *mo tenetur ſe ad Deum convertere, & Gratiam* ,, *recuperare* ".

P. Pichler Th. Polemica p. 1. Controv. Fundam. III. de Eccleſ. c. 1. ar. 6. n. 12. reſpondens illi improperio Lutheranorum in *Confeſſ. Auguſtana* ad ar. 20. deſcripto, nimirum ,, Incipiunt Catholici etiam Fidei mentionem face- ,, re, de qua olim (paullo ante Lutherum) mi- ,, rum erat ſilentium: docent nos non tantum ,, Operibus juſtificari, ſed conjungunt Fidem, & ,, Opera &c. " ait ,, Non excludunt Catholici Fi- ,, dem ad fructuoſam ſuſceptionem Sacramento- ,, rum in adultis, ſed etiam inter diſpoſitiones ,, prævias ſuſcipientis volunt *eam eſſe primam*: ,, *immo dicunt Fidem præſupponi ad ceteros A-* ,, *ctus Supernaturales tanquam Principium Vitæ* ,, *Spiritualis* &c. " Addens p. 2. Controv. 1. ar. 6. §. 11. n. 12. ,, Sciendum eſt tertio Ca- ,, tholicos in tribus diſſidere a Sectariis circa hoc ,, negotium. Nam 1. dicunt Fidem eſſe diſpoſi- ,, tionem ex parte hominis *neceſſariam ad Juſti-* ,, *ficationem*, quam aliqui non immerito vocant ,, meritum de *Congruo*. 2. Fidem ſolam non eſſe ,, diſpoſitionem adæquatam, ſed requiri etiam ,, aliarum Virtutum Actus, qui *ſint æque ac* ,, *Fides diſpoſitiones* vel remotæ, vel proximæ, ,, cujuſmodi ſunt Spes, Amor Dei, odium pec- ,, cati, ſeu dolor, Propoſitum emendandi vi- ,, tam &c. 3. Fidem, prout eſt diſpoſitio ad Ju- ,, ſtificationem . . . eſſe aſſenſum certum ac fir- ,, miſſimum ob Auctoritatem Dei revelantis præ- ,, ſtitum iis rebus, quæ a Deo revelata ſunt ".

P. Stok l. 1. p. 2. n. 29. inquit ,, Ad veram ,, Contritionem, prout præſcindit a perfecta, vel ,, imperfecta, *neceſſario præſupponuntur Actus* ,, *Fidei, & Spei* &c. "

P. Fagundez l. 1. n. 11. dicit ,, *Quoties* quis ,, in mortali exiſtens tenetur ad Amicitiam Dei ,, redire, & amiſſam Gratiam recuperare, erit ,, quidem obbligatio *eliciendi Actum Fidei* &c. "

P. Gormas de Pœnit. p. 1. n. 134. ait ,, *A-* ,, *ctus Fidei, & Spei* ſunt diſpoſitiones a Deo ,, deſtinatæ in hac providentia pro adulti Juſti- ,, ficatione *in quocumque caſu* ".

II. P. Laymanus l. 2. tr. 1. c. 10. aſſ. 2. inquit ,, Tertius caſus, quo præceptum exercen- ,, di Fidei internum Actum obligat, eſt *cum* ,, præcepti neceſſitas homini incumbit ad elicien- ,, dos Actus Spei, Charitatis . . . Pœnitentiæ pro- ,, pterea quod Fides fundamentum ſit reliquarum ,, Virtutum, quæ ſuis Actibus Deum aliquo mo- ,, do attingunt ".

Sporerius tr. 2. in 1. præc. Dec. c. 3. ſect. 3. §. 3. ad quæſ. ,, Quibus Caſibus per accidens ,, eſt obligatio eliciendi *Aſſenſum Fidei?* " reſpon- ,, det ,, Caſus 1. *eſt Quando* quis tenetur, vel ,, vult juſtificari, vel gratiam amiſſam recupe- ,, rare per Contritionem, aut Attritionem cum ,, Sacramento. Certum eſt apud omnes ".

Herinex diſp. 7. n. 77. ait ,, *Peraccidens obli-* ,, *gatur* quis ad Actum Fidei eliciendum, *dum* ,, inſtat præceptum, quod ſine Fide impleri non ,, poteſt, puta *Dilectionis, Contritionis, vel At-* ,, *tritionis*, qui ſine *directione Actuali Fidei* (*ut* ,, *oportet*) *elici non poſſunt* ".

P. Baldellus t. 2. l. 1. de Fide d. 6. n. 7. inquit ,, *Cum non ſemper teneamur poſitive eli-* ,, *cere Actus credendi, ſed Tunc* ſolum *quan-* ,, *do tenemur* nos in Deum convertere *per A-* ,, *ctum Charitatis, aut Pœnitentiæ, & ad ju-* ,, *ſtitiam nos diſponere*, &c. Et cum Deus hoc ,, exercitium (eliciendi Actus Fidei *per acci-* ,, *dens*) homini tam Fideli, & baptiſato &c. ,, *ſolum inſtituerit, ut Medium neceſſarium ad* ,, *Juſtitiam, & Gratiam, & ad Actus pecu-* ,, *liares certarum Virtutum*: hinc eſt, ut obli- ,, gatio Fidei quo ad hoc exercitium ex Jure di- ,, vino &c. "

P. Lacroix l. 2. c. 1. n. 18. inquit ,, *Non* ,, *tantum* ad 1. Juſtificationem in Baptiſmo, ,, *ſed etiam ad quamvis aliam in Sacramento* ,, *Pœnitentiæ, vel vi Contritionis ob inendam præ-* ,, *requiritur Fides ſaltem Virtualis* " (& quidem non, ut aliquibus videtur admittere n. 25. 27. & 31. in aliquo improprio, ſed in noſtro vero ſenſu, ut clariſſime patet ex eo, quod ad n. 26. addit) &c. ,, Si agatur, inquit, de *Sacra-* ,, *mento ſuſcipiendo, Tunc enim fateor* merito ,, adhibendam majorem cautelam, *ut per præ-* ,, *miſſos Actus Fidei, & Spei Voluntas diſpo-* ,, *natur ad Dolorem Supernaturalem*, maxime, ,, cum *neſciamus quando Actus illi deſinant eſſe* ,, *Virtualiter*, & *ſolum Habitualiter perma-* ,, *neant* ".

Sasbout, ait cit. Lacroix n. 19. dixit ,, Quoſ- ,, dam ſemper *accuratiſſime* confiteri, & tamen ,, *nunquam* ad Confeſſionis fructum pertingere, ,, quia, quod præcipuum eſt, *negligunt*, *nimirum* ,, *Fidem* &c. "

,, P. Dicaſtillus (ait idem Lacroix cit. l. n. ,, 25.) ad Juſtificationem *requirit Actum Fidei* ,, *Formalem*, & Sparſa de Pœnit. q. 88. *A-* ,, *ctum Spei Formalem* ".

III. Reiffenſtuel tr. de Virt. Th. d. 1. q. 3. concl. 6. ait ,, Per accidens & indirecte obliga- ,, tur quis ad internum *Actum Fidei* eliciendum, ,, quotieſcumque adeſt obligatio exercendi Actum ,, alterius virtutis præſupponentis Actum Fidei. ,, *Ita certa, & communis ſententia* &c. *Sic qui* ,, *in certis circumſtantiis tenetur Contritionem* ,, *elicere, tenetur pariter Actum Fidei habe-* ,, *re* &c. Idem ſervata proportione in caſu, quo ,, quis obligetur elicere *Actum Spei, vel Chari-* ,, *tatis* &c. Cum etiam hi præſupponant Actus ,, Fidei ".

Mag.



Mag. Wigandt Tribun. Confeſſariorum de Virt. Th. §. 1. ad quæſ. ,, *Quando per accidens* obli- ,, gat præceptum Fidei? " reſpondet ,, *Tunc quan-* ,, *do quis tenetur elicere Contritionem*, vel &c. "

P. Coninchius t. 2. de Sacr. Pœnit. d. 2. dub. 2. n. 45. ait ,, Nota 1. certum hic eſſe 1. re- ,, quiri Gratiam Prævenientem, ſine qua non ,, poſſumus *pœnitere ſicut oportet*, ut docet ,, Tridentinum Seſſ. 6. c. 3. Secundo *neceſſario* ,, *requiri Actum Fidei*, quia voluntas nihil po- ,, teſt velle, niſi præcedat Actus Intellectus: ita ,, ſaltem ſecundum præſentem Dei Ordinationem, ,, *non poteſt ullam Actionem Supernaturalem e-* ,, *licere, niſi præcedat Actus Fidei*, qua diriga- ,, tur ".

Ac tandem hocmet docet (apud Concinam Th. Chr. t. 9. pag. mihi 101.), a ſuiſque in poſterum docendum ſtatuit an. 1716. die 23. Julii Sapientiſſima Theologica Sorbonica Facultas dicens ,, *Præter hunc* (Supernaturalem gehennæ) ,, *Timorem, Actuſque Fidei, & Spei* requiri ,, Amorem Dei, quo Deum tanquam omnis ju- ,, ſtitiæ fontem, ut docet Concilium Tridenti- ,, num, *diligere incipiamus*. Hunc Amorem fer- ,, ri in Deum declarat Sacra Pariſienſis Univer- ,, ſitas, tum ut in ſe ſumme Bonus eſt, tum ut ,, eſt ſummum bonum noſtrum, quæ duo com- ,, plectitur Charitas, ut ab adultis obtineatur ,, remiſſio peccatorum in Sacramentis Baptiſmi, ,, & Pœnitentiæ ".

IV. Hic etiam adferre poſſemus ſimiles textus PP. Turriani, Valentiæ, Ruiz, Eliſaldæ, Taberñæ, Rhodes; aliiſque Dianæ, Trullenchi, Veigæ, Junii, & plurium aliorum TT. Quid? Quod vel ipſi præſtantiores Adverſarii Viva, & Cardenas vel inviti hunc *TT. Conſenſum* teſtantur nobis adeſſe. Primus ſcilicet dum, ut vidimus, ait ,, Hanc obbligationem (*Tunc* eliciendi per accidens prædictos Actus) *nemo unus negavit* ". Secundus vero, dum ad 17. Prop. Decr. Innoc. XI. n. 80. fatetur ,, *eſſe communiorem* ,, Sententiam PP. & TT. *ſine Actu Fidei nul-* ,, *lum adultum peccatorem poſſe juſtificari, quam* ,, *doctrinam*, ait, *P. Suarez dicit abſque errore* ,, *in Fide negari non poſſe* ". Verum quidem eſt quod ipſe communibus præjudiciis actus ſtatim addit ,, Durum videtur concedere eum, qui ,, in aliquo caſu accedit ad Sacramentum Pœni- ,, tentiæ cum deteſtatione (ſed negatur ſuppoſi- ,, tum, quod ſcilicet ea deteſtatio eſſe poſſit *Su-* ,, *pernaturalis, ac ut oportet*) efficaci peccato- ,, rum, credens remiſſionem obtineri per illud Sa- ,, cramentum, quia pro *tunc eſt immemor reve-* ,, *lationis Dei*, non juſtificari, cum tamen ille ,, Actus, quo credit remitti peccata a Deo per ,, illud Sacramentum *mediate* ortum trahat ab ,, Auctoritate Dei revelantis ".

## C A P. III.

*Demonſtratur, quod Theologi in allatis textibus unice loquantur de* Actibus Formalibus Explicitis Fidei, & Spei proxime antea elicitis, *ac* Virtualibus *in ſenſu noſtræ adſertionis*.

I. HOc adeo verum eſt, ac extra dubitationis aleam poſitum, ut qui aliter allegatos textus interpretaretur, in primis vix irridere poſſet ſequentes interpretationes Lutheri ſcilicet in Pſal. 5. dicentis ,, *Ubi Scriptura man-* ,, *dat, ut fiant bona Opera, ſic intelligas, quod* ,, *prohibeat, ne faciatis opera bona* ". Et Calvini ajentis ,, *Verba Chriſti Matt. 19. Si vis* ,, *ad vitam ingredi, ſerva mandata, non ſerio,* ,, *ſed ironice dicta eſſe, adeoque in oppoſito ſen-* ,, *ſu intelligenda* ". Secundo, ſeſe Philoſophici, Theologici, ac Latini ſermonis prorſus ignarum proderet; cum harum ſcientiarum peritis manifeſtum ſit 1. Quod adverbia illa, *Tunc, Cum, Quando* a Theologis adhibita, atque in citatis textibus inſerta nullum alium ſenſum admittere poſſint, niſi quod ejuſmodi Actus elici debeant *Tunc, in illo tempore, ſeu temporis differentia, qua Pœnitens ſeſe ad eliciendam Supernaturalem Contritionem, vel Attritionem adcingit*. Nec niſi per ſummam inſcitiam, vel intolerabilem pruritum contradicendi *verbo veritatis* intelligi poſſunt de Actibus illis, quos forte Pœnitens tribus diebus, menſibus, vel annis antea devotionis cauſſa v. g. eliciiſſet.

II. Quod cum juxta notum Philoſophorum, ac Theologorum Axioma ,, *Analogum abſolute ſum-* ,, *ptum ſtet pro famoſiori, & principaliori ſigni-* ,, *ficato* "; ſive ſtet pro illa re, cui cum majori proprietate Analogi nomen ſolet adaptari, Analogum *Actus Fidei*, & *Spei* in prædictis textibus abſolute ſumptum ab eis TT. nullo pacto ſignificare poteſt niſi *Solos Actus Fidei, & Spei Formales Explicitos Supernaturales, ut oportet*, & qui antonomaſtice tales ſunt; eo modo quo Analogum v. g. *Homo* abſolute ſumptum non poteſt ſignificare niſi *Hominem* proprie talem, minime vero cadaver, vel hominem depictum. Quod innuit, ac teſtatur Lacroiſius cit. l. dum inquit ,, Quia Scriptura, Concilia, Patres, & ,, Auctores *requirunt Fidem abſolute, & ſim-* ,, *pliciter talem*, immo plerique expreſſe *requi-* ,, *runt Actum Fidei, vel Fidem Actualem*, ,, uti Clerus Gallicanus, Suarez (cum aliis tre- ,, decim DD. quos ibidem citat) &c. *Fides* ,, *Implicita, Exercita, & Virtualis* non dici- ,, tur *abſolute & ſimpliciter Fides, & multo* ,, *minus dicitur Actus Fidei, vel Fides* ſine ,, addito ".

III. Cum iiſdem peritis iterum manifeſtum ſit 1. Quod Theologi hic requirunt Actus Formales Explicitos Fidei liberos, & qui ultro a Pœnitentibus cetera ponentibus poni, vel omitti poſſint, quales certe non ſunt, ut ex ſe patet, prætenſi Actus *Virtuales Impliciti & Exerciti* incluſi in Confeſſionibus, Contritionibus &c. qui quidem ab ipſis omitti nullatenus poſſunt ex ſup-

C

ſuppoſi-

poſitione, quod Confeſſiones, & Contritiones licet de iiſdem nihil cogitantes ponant. 2. Quod hi TT. docent hoſce Actus elici debere ab illis Pœnitentibus (quos ceteroquin Fide, & Spe *Virtualibus Exercitis*, & *Implicitis* in Confeſſionibus, Contritionibus, aliiſque piis operibus incluſis pleniſſimos ſupponunt), eſſeque debere *ejuſdem* prorſus naturæ, ſpeciei, rationis, ac qualitatis cum illiſmet Actibus Fidei, & Spei, quos ipſimet TT. requirunt ab omnibus, dum ad uſum rationis, ad Fidem Catholicam, vel ad mortis articulum *perveniunt*, ut patet ex textibus, & contextibus ipſis. Qui quidem Fidei Actus juxta omnes *Formales*, *Expliciti*, *Supernaturales*, *ut oportet*, eſſe debent. 3. Quod Controverſia ſit inter TT. ut novis vel mediocriter verſatis in re Morali, negantibus quibuſdam, & affirmantibus aliis, ut teſtantur Ligorius in Opere *Homo Apoſt.* tr. 16. de Pœnit. c. 1. p. 2. n. 13. dicens „ *An ad obtinendam gratiam in Confeſſione requirantur Actus Expliciti Fidei, & Spei? alii affirmant, alii communius negant* “; & Catalanus de Pœnit. q. 6. c. 1. n. 6. ajens „ *An autem hi Actus Theologici requirantur Formaliter, an Virtualiter?* &c. “ Ac per conſequens manifeſtum eſſe noſtram affirmantium ſententiam utpote ex diametro eidem oppoſitam nullo pacto coincidere poſſe in ſenſu cum negativa Adverſariorum, ut aliqui ex eis nimis perperam prætendunt.

IV. Quare nimis ſolemnis inſcitia eſſet velle aliter explicare, ſeu obfuſcare apertiſſimam graviorum TT. mentem, vel in dubium revocare ſit necne inter TT. ipſos noſtra requirentium prædictos *Formales*, *Explicitos Actus* Sententia, & illa alia eoſdem requiri negantium. Siquidem hoc negare eſſet omnibus TT. ſummæ ſtultitiæ infamiam inurere. Illis ſcilicet, qui contrariam opinionem amplectuntur, quatenus ipſi agnoſcunt pro ſuis Adverſariis noſtræ Sententiæ patronos; iſtis vero, dum nobis ſupponunt eoſdem ſerio inquirere „ *I. An rigoroſo divino præcepto nunc teneamur ad olim præmiſſe hodiernæ noſtræ Contritioni illoſmet numero Actus Formales Explicitos Fidei, & Spei, quos Tunc pro noſtra mera devotione forte elicuimus?* II. *Utrum omitti licite poſſint necne a Pœnitente illimet Fidei, & Spei Actus, qui ab ipſo inſimul reapſe ac neceſſario in exercitio fieri omnino ſupponuntur?* III. *Utrum neceſſe ſit necne Pœnitentem elicere Actum Contritionis ad eliciendum Actum Contritionis?* IV. *Utrum Sit necne de præcepto divino elicere Actum Contritionis, qui ſit prævium neceſſarium præequiſitum ad ſuammet individualem productionem?* “ Et millia alia ejuſmodi ridicula abſurda. Maxime cum adverſariorum Primates Roncaglia, & Viva fateantur noſtram adfirmantium opinionem eſſe putam putamque *Concilii Tridentini ſententiam*. Et P. Cardenas ad Prop. 21. Decr. Innoc. XI. num. 44. de ea loquens dicat „ *Nulla enim eſt opinio magis conformis decreto Pontificis* “. Certum ergo eſt hanc noſtram ſententiam doceri ab allegatis TT. ſaltem uti *probabilem*, & *eſſe Tutiorem*, & *eſſe de valore Sacramenti*; quo poſito, ut evidentiſſimum demonſtrabimus, contrariam nullo pacto amplius in praxim reduci poſſe. Sunt qui, cum hæc amplius negare non audeant, reſpondent verum quidem eſſe hanc noſtram doctrinam eſſe Veterum doctrinam, atque denatorum Theologorum Theologiam; ſed imperterriti addunt ſuam ipſorum doctrinam eſſe Theologorum Viventium doctrinam, ac Theologiam. Quin animadvertant, quod doctrina, ac Theologia illa, quæ plane adverſatur doctrinæ, ac Theologiæ Patrum, & Theologorum denatorum, & Conciliorum, & ipſius Eccleſiæ præſcriptæ praxi, non poteſt non eſſe ad minus temeraria, & erronea, ac vera Pſeudo-theologia.

## CAPUT IV.

*Probatur efficaciſſime ex antiquiſſima praxi quoad ſubſtantiam* prorſus immutabili *ab Eccleſia Rom. præſcripta, ac obſervata, tum quod Formalis Explicitus Fidei Actus* prærequiritur *ad Pœnitentis Juſtificationem per Sacramentum Pœnitentiæ; tum quod ejuſmodi Actus* non perſeverat *poſt ſomnum, ſeu ex uno ad alium diem proprie Virtualis.*

I. ECcleſia R. ab Apoſtolorum ætate (cum vix alia ejuſmodi inſtitutionis, ſeu declarationis epocha præfigi poſſit) *poſitive* præſcribens omnibus ſuis Confeſſariis, quod ipſi in Sacramentalibus Confeſſionibus præeuntes, eiſque Myſteria tunc *Explicite* credenda ſuggerentes ab omnibus, & ſingulis ſuis Pœnitentibus *exigant elicientiam Actus Formalis Expliciti*, maxime Fidei, antequam ibidem iterato conarentur *ad elicientiam Actuum doloris peccatorum*, duo nos docet. 1. Scilicet, quod quicumque Fidelis, qui præparatur ad Sacramentalem Abſolutionem, ſuæ Contritioni præmittere *debet Formalem Explicitum* Fidei Actum Myſteriorum ad eam Contritionem maxime concurrentium, ita proxime ac recenter elicitum, ut dum illa ab eo concipitur, is perſeveret certo ad minus proprie *Virtualis*. 2. Quod ejuſmodi Actus Fidei juxta ſuam mentem, ac doctrinam ab antiquo retentam, & in ſuo Rituali Confeſſariis expoſitam, & poſtea in Sacroſ. Concilio Tridentino, ac tandem in Catechiſmo Rom. quoad ſubſtantiam omnibus inculcatam, nec eſt, neque eſſe *poteſt aliquis Actus Implicitus ac Exercitus Fidei Virtualis* in ſenſu Adverſariorum: vel ullus alius prætenſus Actus *Formalis Explicitus Fidei*, qui duret, ac ſuperſit ex uno ad alium diem, menſem, vel annum.

II. Probatur jam hæc R. Eccleſiæ antiquiſſima praxis, ejuſdemque præſcriptio ſeu denunciatio Confeſſariis facta ex cit. antiquo Rituali Romano: *Ordo Romanus &c.* In quo inter alia ad Sacramentorum adminiſtrationem ſpectantia ex Traditione accepta, ea ipſa poſtea relata atque inſerta eſt, ſicque ibidem deſcribitur „ Ordo in 4. Feria Quadrageſimæ. Hac die *flectamus genua* pronuntiante Diacono ſuper Populum cum inclinatione capitis, in primis præmonere debet Sacerdos omnes Chriſtianos ex Sacris Scripturarum teſtimoniis, quatenus in Capite Jejunii ad veram Confeſſionem, veramque Pœnitentiam (1) feſtinantius accedant. Denique admonendi ſunt, ut in Cœna domini redeant ad reconciliationem (ideſt ad quamdam indulgentialem abſolutionem, & poſtea ad Sacramentalem Communionem). Si vero intereſt cauſa aut itineris, aut cujuſlibet occupationis, aut ita forte hebes eſt Pœnitens, ut hoc ei Sacerdos perſuadere nequeat, injungat ei quadrageſimalem quamque annualem Pœnitentiam, & reconciliet ſtatim ... dans illi S. Communionem. Denique cum Sacerdos ſuſceperit Pœnitentem, ſi Laicus eſt, demiſſo baculo, quiſquis vero ille eſt, ſive Laicus, ſive Clericus, ſive Monachus ſuppliciter inclinet ſe ante Sacerdotem. *Tunc* Sacerdos (2) &c. Poſt iſta omnia ſcrutata, & Pœnitentem corroboratum interroget eum Sacerdos ita dicens: *Credis in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum?* Reſpondeat Pœnitens, *Credo*. *Item: Credis quia iſtæ tres Perſonæ Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unus ſit Deus?* Reſp. *Credo*. Item *Credis, quia in hac ipſa carne, in qua modo es, reſurgeris?* Reſp. *Credo*. Item &c. “

III. „ Confeſſio Pœnitentis (pergit Rituale.) *Confiteor &c.* Tunc dicat Sacerdos: *Miſereatur tui Omnipotens Deus &c.* Quo prædicto, *totum ſe in terram proſternat, & gemitus, atque ſuſpiria, vel lacrymas, prout Deus dederit, ab intimo corde producat*. Sacerdos vero patiatur eum aliquantiſper jacere proſtratum (3) juxta quod viderit eum divina inſpiratione compunctum &c. Et indicat ei Sacerdos abſtinentiam perpendens Perſonæ qualitatem, modum culpæ, intentionem animi, & corporis valetudinem, vel imbecillitatem. Percepta autem Sententia Sacerdotis iterum (ad Abſolutionem ſuſcipiendam) proſternat ſe Pœnitens pedibus illius, petens &c. “ Quod totum comprobatur ex illo alio ſatis antiquo *Pœnitentiali* reperto ab ipſo cit. Amort in Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ in quodam Manuſcripto, quod ille exaratum putat Sæculo X. quodque refert in cit. Diſſ. pag. 12. n. 54. Cujus titulus eſt „ *Ordo ad dandam Pœnitentiam.* „ Interrogat (Pœnitentem, incipit prædictus Ordo), Sacerdos. *Credis in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum?* Reſpondeat. *Credo. Credis quod ipſæ tres Perſonæ, quod diximus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres Perſonæ ſunt, & unus Deus?* Reſp. *Credo. Credis quod &c.* Tunc facit eum confiteri omnia peccata ſua dicendo: *Feciſti homicidium &c. Feciſti furtum &c.* Et ad ultimum dicendum eſt confitenti, *Multa ſunt peccata mea in verbis, in factis, in cogitationibus*. Adhuc interrogat eum Sacerdos. *Habes Fidem confeſſam, & peccata confeſſando Sacerdoti remittuntur tibi? Credis hoc?* Reſp. *Credo*. *Habes voluntatem quod egiſti contra mandata Dei, ut hoc emendes?* Reſpondeat. *Habeo*. Dicet (o Confeſſari, eumdem abſolvens) ei. *Dominus ſit tibi adjutor, & protector, & præſtet indulgentiam de peccatis tuis præteritis, præſentibus, & futuris*. Tunc dat illi Pœnitentiam, & judicat ſecundum modulum criminum ejus “. Hucuſque prædicta Ritualia.

IV. „ At quomodo, inquis, in tantam deſuetu-

---

(1) Ut res melius percipiatur, ſciendum cum rerum antiquarum peritis 1. (ut in *Hiſtoria Indulg.* Diſſ. Prælim. p. 2. n. 5. ait doctus P. D. Euſebius Amort) „ *antiquitus Pœnitentes initio Quadrag. fuiſſe confeſſos Presbytero, ab eodemque abſolutos ea conditione, ut interea tempore Quadrageſimæ ſe exercerent in Operibus Pœnitentiæ* “. Et quidem *Omnes*, ut patet ex illo, *Omnes Chriſtianos*; & ex illo antiquo decreto „ *Eſne aliquis, qui ad Confeſſionem non venerit vel una vice in anno, ideſt in Capite Quadrageſimæ?* relato a Burchardo, & Ivone ſub nomine papæ Eutichiani. Et ex illo alio Soteris Papæ an. 176. „ *Etiam Pœnitentes in die Cœnæ Domini ad percipienda Corporis, & Sanguinis Domini Sacramenta reconcilientur.* “ 2. Omnes Fideles non ſolum *graviorum* ſcelerum, ſed etiam *leviorum* culparum reos publicas Pœnitentias ſubire ſolitos tunc fuiſſe, ut poſt alios tenet eruditiſſimus Benedictus XIV. de Feſtis D. N. J. Chriſti lib. 1. cap. 6. num. 67. dicens „ De eo ritu (imponendi publicas Pœnitentias Feria 4. Cinerum, & ſub initium Quadrageſimæ) S. Innocentius epiſt. 1. cap. 7. pag. 998. Collectionis Concil. P. Arduini, ait: „ *De Pœnitentibus vero, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus Pœnitentiam egerint, ſi nulla interveniat ægritudo 5. Feria ante Paſcha eis remittendum R. Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat &c.* “

(2) Hic præſcribitur Confeſſario tota ratio examinandi Pœnitentem, excipiendique integram ejus Confeſſionem, ac eidem injungendi ſalutarem Pœnitentiam, conſiderata ſcilicet qualitate Perſonarum; moxque additur modus præeundi ſuggerendo ipſi Pœnitenti quandam Formulam *Actus Fidei ab ipſo tunc temporis eliciendi*, *ad* hoc ut paullo poſt ipſe iterare ac denuo elicere *Supernaturalem peccatorum dolorem* poſſet; ac tandem eidem proponitur modus eumdem abſolvendi.

(3) Ex his patet quod C. Eccleſia non putet, quod communiter loquendo verus *Supernaturalis Dolor*, *ut oportet* concipiatur ad unum, alterumve frigidum conatum a nobis poſitum ad eum eliciendum, nec ea facilitate, quam noſtri Adverſarii ſibi fingunt, vera peccatoris converſio peragatur, ut Tractatu 2. videbimus.

tudinem abire potuit Univerſalis Antiquiſſima Eccleſiæ *Poſitiva* praxis ab ipſa præcepta, vel potius declarata de re, contra quam nullo pacto præſcribi poteſt? Dixi *Univerſalem*, & *Antiquiſſimam* C. Eccleſiæ coævam, cum præter intrinſecas rationes ejus neceſſitatem ſemper & pro ſemper comprobantes de ipſa teſtetur etiam doctus Deventria in *Reſponſione Catholica ad art. 2. Confeſſ. Auguſtanæ* ſuo illo: *Docuiſſe ſemper ac docere Catholicos præter Fidei, & Spei Actus requiri Actum dilectionis, ut quis in Sacramento Pœnitentiæ gratiam accipiat* ". Reſp. ejuſmodi deſuetudinem provenire potuiſſe ex eo ſcilicet, quod plures e Confeſſariis paſſim cum junioribus Ordinandis ſuis Pœnitentibus in praxim reducentes illud quorumdam TT. videlicet, quod „ *Pœnitentes culti ac inſtructi poſſunt prudenter ſupponi ex ſe præſtitiſſe omnia neceſſaria ad ſuſceptionem Sacramenti* " in cauſſa fuerint, cur ii poſtea munus Confeſſarii obeuntes, in poſteros non tranſmiſerint praxim, quam a propriis Confeſſariis non acceperant. Maxime, cum homines ad fugiendum, quam ad amplectendum laborem procliviores ſint. Unde factum eſt, ut temporis decurſu ingruente hac in re ob tot illas Fidei diverſas acceptiones magna æquivocationum illuvie, aliqui Theologi præter errores in tot damnatis contentos neceſſitatem *Actualis Fidei Formalis Explicitæ* ad Supernaturalem Contritionem concipiendam a Scripturis, PP. Conciliis, atque gravioribus TT. inculcatam plane elevare atque extenuare cœperint. Et præpoſteris interpretationibus ad neſcio quem Fidem *Exercitam & Implicitam Virtualem* (melius dicas, *Nullam*,) ſeu ad quamdam *Naturalem ad baſſam recordationem*, vel fere ad unam divinorum Myſteriorum *Profeſſionem* reduxerint. Et tandem nos poſteriores juxta illud Ariſtotelis 2. Metaph. cap. ultim. „ *Quemadmodum enim conſuevimus, ita judicamus dici debere, & quæ præter hæc non apparent veriſimilia* " hæc pro infallibili regula ſuſcipere minime dubitamus.

## CAPUT V.

*Confirmatur a Tridentino, & Catechiſmo R. prædicta Eccleſiæ præſcriptio, ac praxeos neceſſitas quoad ſubſtantiam præmittendi Contritioni prædictos* Formales Explicitos Actus Fidei, & Spei. *Et etiam a Rituali Argentorenſi, ac tandem a praxi totius Eccleſiæ Gallicanæ.*

I. QUod demonſtratur 1. Ex eo quod Sacroſ. Synodus poſtquam ſeſſ. 6. capiti 6. præfixit titulum: *Modus præparationis*: dixit „ Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, *dum Excitati a divina Gratia*, & adjuti Fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt, atque illud in primis a Deo juſtificari impium per Gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu &c. In *Spem* exiguntur fidentes Deum ſibi propter Chriſtum fore propitium, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adverſus peccata per odium, & deteſtationem &c. De hac diſpoſitione (Fidei ſcil.) ſcriptum eſt: *Accedentem ad Deum oportere credere quia eſt, & quod inquirentibus ſe Remunerator ſit*. Et *confide fili, remittuntur tibi peccata tua* ". 2. Ex eo quod poſtquam cap. 8. ejuſdem ſeſſ. 6. adpoſuit titulum „ *Quomodo intelligatur impium per Fidem gratis juſtificari*? ait: Cum vero Apoſtolus dixit *juſtificari hominem per Fidem, & gratis*: ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ C. ſenſus tenuit, & expreſſit, ſcilicet per Fidem ideo juſtificari dicamur, quia *Fides eſt humanæ Salutis Initium, Fundamentum, & Radix omnis Juſtificationis* ".

II. Et tandem ex eo quod can. 3. ejuſdem ſeſſ. 6. ait „ Siquis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque adjutorio *hominem Credere, Sperare, Diligere, aut Pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei Juſtificationis Gratia conferatur*, anathema ſit ". De quo Canone P. Suarez par. 3. de Gratia lib. 8. cap. 7. n. 4. inquit „ Dico ergo ibi loqui Concilium de propria Juſtificatione, *duoque docere*. Unum eſt hominem ad illam recipiendam per *Actus Fidei, Spei, & Charitatis* diſponi, hoc enim ſignificant illa verba, ut *ei Juſtificationis gratia conferatur &c.* Alterum dogma a Concilio directe definitum eſt *illos Actus factos, ſicut oportet*, ut homines ad talem gratiam diſponant fieri non poſſe ſine Spiritus Sancti præveniente inſpiratione, ejuſque adjutorio, ac proinde diſpoſitionem illam debere eſſe *Supernaturalem*, & ex gratia Spiritus Sancti. "

III. Catechiſmus Rom. vero ab ipſa Synodo præceptus, a Sancto Pio V. editus, a piæ mem. Clemente XIII. commendatus, ſic nobis ejuſdem Synodi mentem exponit par. 2. de Sacrament. Pœnit. cap. 5. num. 5. & 8. „ *In eo, quem pœnitet*, inquit, *Fides Pœnitentiam antecedat, neceſſe eſt*, quibus gradibus ad hanc divinam Virtutem aſcendere liceat. Primum itaque Dei Miſericordia nos prævenit &c. Deinde hoc lumine illuſtrati per *Fidem* ad Deum animo tendimus. *Credere enim oportet accedentem ad Deum*, ut Apoſtolus teſtatur &c. Huic deinde accedit *Spei* impetrandæ a Deo Miſericordiæ, ex qua &c. Poſtremo Charitate corda noſtra accenduntur, ex qua &c. " Rituale Argentorenſe tit. de Pœnit. §. 3. ait „ Ceterum Pœnitentes ſuos admonere non ceſſent Confeſſarii, *ne ſe putent ſecuros in Sacram. Pœnitentiæ perceptione, ſi præter Fidei, & Spei Actus non &c.* " Sapientiſſimus Clerus Gallicanus hoc idem ad praxim reducendum docet, dum in Conventu habito die 4. Sept. an. 1700. in *declaratione de Dilect. Dei in Pœnit. Sacram. requiſita* agens de Sacram. Pœnitent. & Baptiſmi adulti inquit „ Ne quis putet in utroque *Sacramento ſecurum ſe eſſe, ſi præter Fidei, & Spei Actus* non incipiat &c. " Ergo efficaciſſime probatur ex antiquiſſima praxi ab Eccleſia R. olim præſcripta, & poſtea ſaltem quo ad ſubſtantiam confirmata tum quod Formalis Explicitus Fidei divinæ Supernaturalis Actus prærequiritur ad noſtram Juſtificationem per Sacram. Pœnitentiæ, tum quod ejuſmodi Actus non perſeverent poſt ſomnum proprie *Virtuales*.



# DISSERTATIO III.

Demonſtratur Amplius tum per excluſionem *cujuſcumque* alterius generis Fidei *Virtualis* a noſtra diverſæ, tum per inevitabilem obligationem praticandi eamdem, quod ab omni Catholico in praxi ſententia noſtra omnino tenenda ſit.

## PARS PRIMA.

Demonſtratur, quod nulla ratione poſſunt eſſe Actus Fidei divinæ *Supernaturalis*, immo nec *Naturalis*. I. *Quicumque* Actus Intellectivi pure *cognoſcitivi Dei, rerumque Supernaturalium*, vel pure *memorativi Dei, ipſarumque rerum Supernaturalium* per Actus Fidei Divinæ olim creditarum. II. *Quicumque* Actus *volitivi* aliarum Virtutum ab Adverſariis dicti Fides *Virtualis Exercita, & Implicita* in ipſis incluſa.

## CAPUT I.

*Probatur efficaciſſime, quod nullus ex prædictis Actibus ut ut firmiſſimæ adhæſionis, poteſt eſſe Actus Fidei divinæ* Supernaturalis, *immo nec* Naturalis.

I. SIc argumentor. Nulla omnino in rerum natura poteſt eſſe entitas ejuſdem naturæ, ac ſpeciei cum alia, cujus Eſſentialibus, Formalibus, Specificativis, Conſtitutivis ipſa prorſus orbata ſit. Cum implicet contradictionem, quod res ulla ſit ejuſdem ſpeciei ac naturæ cum alia, quacum nullo modo communicat in ejuſmodi Conſtitutivis. Atqui omnes prædicti Actus ſunt prorſus orbati Eſſentialibus, Formalibus, Specificativis, Conſtitutivis Fidei divinæ Supernaturalis, *Actuali ſcilicet adtentione ad Dei revelantis infallibilem Auctoritatem*. Cum evidens ſit, quod ſi ejuſmodi Actus haberent prædictum Actus Formalis Expliciti Fidei divinæ Conſtitutivum eo ipſo (contra veritatem manifeſtam, & ſuppoſitionem adverſariorum) eſſent in ſe *Actus Formales Expliciti* ipſius divinæ Fidei, nec amplius eſſent inter ſe eſſentialiter ſpecie diverſi; ſicut, ſi equus, & aſinus haberent Eſſentiale Formale Specificativum hominis Conſtitutivum, ſcilicet *Rationale*, eo ipſo eſſent in ſe veri homines, nec amplius eſſent ſpecie diverſi ab homine. Ergo nullus ex prædictis Actibus ut ut firmiſſimæ adhæſionis præditus poteſt eſſe Actus Fidei divinæ *Supernaturalis*, immo nec *Naturalis*. Ergo neque nos habiles reddere poteſt ad concipiendum noſtram *Supernaturalem* Spem, Charitatem, & Contritionem. Quod erat demonſtrandum.

II. De legitima conſequentiæ conſecutione, vel vel de veritate præmiſſarum ſolus dubitabit philoſophicis, atque theologicis principiis prorſus deſtitutus. Unde Adverſarii nullo alio jure prædictos Actus *Cognoſcitivos*, *Memorativos*, & *Virtuales Exercitos Implicitos* reputare valent Actus *Supernaturales Fidei Divinæ Virtualis*: vel dubitare, an ipſi Actus revera omnino orbati ſint Actuali adtentione ad Dei revelantis infallibilem Auctoritatem: vel denique ſibi perſuadere eoſdem Actus nos illuminare poſſe ad *Supernaturaliter* concipiendos *ut oportet*, noſtros Actus Juſtificativos, quam eo, quo reputare valent equum, & aſinum veros homines; vel dubitare, an ipſi equus, & aſinus revera prorſus orbati ſint *Rationali* hominis Formali Conſtitutivo: vel denique quo ſibi perſuadeant eas beſtias ratiocinari poſſe ut hominum prudentiſſimi. Quare ſicut eſt quid chimæricum homo in eſſe ſuo phyſico adæquato ſine anima rationali, vel in metaphyſico ſine Rationali: ita etiam eſt quid chimæricum *Actus Fidei Divinæ Supernaturalis Formalis*, vel *Virtualis ſine Actuali adtentione ad Dei revelantis Infallibilem Auctoritatem*.

III. Cum ejuſmodi *Adtentio* ad talem Auctoritatem, ac Formale Fidei divinæ Motivum, & quidem *non utcumque* ſed ut per Cat. Eccleſiam *columnam, & firmamentum veritatis*, ideoque *ſane* intelligentem, nobis propoſitum, ſit Eſſentiale Formale Specificativum Fidei divinæ Supernaturalis Conſtitutivum. Ut cum aliis TT. 2. 2. q. 5. ar. 3. docet Angelicus dicens: " Formale objectum Fidei eſt veritas Prima, ſecundum quod manifeſtatur in Scripturis Sacris, & doctrina Eccleſiæ, quæ procedit ex veritate Prima. Unde quicumque non inhæret ſicut infallibili, & divinæ regulæ doctrinæ Eccleſiæ, quæ procedit ex veritate Prima in Scripturis Sacris manifeſtata, ille non habet Habitum (addatur, & multo minus ejus Actum *ut oportet*) Fidei: ſed ea quæ ſunt Fidei *alio modo tenet, quam per Fidem*: ſicut ſi aliquis teneat mente aliquam Concluſionem, non cognoſcens Medium illius demonſtrationis, manifeſtum eſt quod non habet ejus ſcientiam, ſed opinionem ſo-

„ ſolum: .... ſed omnibus Articulis Fidei inhæret Fides propter unum Medium, ſcil. propter veritatem Primam propoſitam nobis in „ Scripturis ſecundum doctrinam Eccleſiæ intelligentis *ſane*: & ideo qui ab hoc *Medio* decidit, totaliter Fide caret. “ Ut alios omittam P. Pichler Th. Polem. de Analyſi, ſeu ult. reſol. Fidei idem docet: „ Sciendum Fidem divinam (ſeu Actum Fidei veræ Supernaturalis „ divinæ, ait, & ſalvificæ) debere eſſe firmiſſimam tam *Objective* quam *Subjective*, hoc „ eſt debere niti Objecto Formali, ſeu Motivo „ infallibili *infallibiliter cognito*, ita ut credens prudenter ſibi imperet Aſſenſum firmiſſimum rebus obſcuris a Deo revelatis præſtandum..... ut excludat omnem voluntariam „ formidinem de oppoſito, & quidem prudenter, nempe ex merito Motivi *Infallibilis* applicati, & cogniti. Atque hæc certa ſunt „ apud *omnes rerum peritos* Sectarios æque ac „ Orthodoxos. “

IV. Concedit quidam Adverſarius minorem ſupra adducti ſyllogiſmi, quod ſcil. omnes prædicti Actus ſunt prorſus orbati Eſſentialibus Formalibus Conſtitutivis Fidei divinæ Supernaturalis Formalis *Explicitæ*, *Actuali videlicet Adtentione ad Dei revelantis Infallibilem Auctoritatem*. At captioſus negat, quod ii prorſus orbati ſint Eſſentialibus Formalibus Conſtitutivis Fidei divinæ Supernaturalis *Virtualis Exercitæ* & *Implicitæ*, quamtumvis ceteroquin ipſe neſciat quænam hæc ſint. Verum enim vero in primis quis non videt has eſſe germaniſſimas gerras ad excantandos ſolos imperitos adinventas, & inania verba, & præterea nihil? Cum nullo modo infringere valeant invincibilem efficaciam probationis ejus minoris utrumque evincentis. Et quia aliter equus, & aſinus *eſſent Virtualiter homines Exerciti & Impliciti*, ſin minus ratione Rationalis Formalis Conſtitutivi hominis, quod prorſus non habent, certe ratione alicujus *Virtualis* Conſtitutivi hominis, quod eos habere idem Adverſarius ſibi imaginetur.

V. Secundo, quis dialectices vel mediocriter peritus non agnoſcit ejuſmodi reſponſivam inſtantiam eſſe puram putamque vitioſam petitionem Principii? In qua defendens prætenſam Fidei *Virtualis Exercitæ* & *Implicitæ* exiſtentiam & ſufficientiam contra Logicem nobis *dat quæſtionem pro argumenti ſolutione*. Cum hoc ipſum ſit de quo quæritur „ utrum ſcilicet *Actus v. „ gr. Contritionis ſit Fides Virtualis Excercita „ & Implicita*? Seu quod idem eſt, *Utrum „ Contritio habeat nec ne Eſſentiale Formale Fi„ dei Virtualis Conſtitutivum ad intentum*? “ Quod Adverſarii nullo ſolido fundamento adfirmant, & nos rotunde negamus præter adducta, & adducenda I. Ex eo, quod prætenſus Contritionis Actus, ut eſt evidens, & concedunt Adverſarii, nunquam in ſe fuerit vel eſſe potuerit Actus Formalis Fidei divinæ qui permanſerit in aliquo *ſuo effectu* (ut requirunt Sapientiores Propugnatores omnes Fidei *Virtualis*) vel *impreſſione*. II. Ex eo, quod ipſe Actus Contritionis neque ſit, neque vel per Divinam Omnipotentiam eſſe poſſit ulla *Supernaturalis illuminativa impreſſio*, *vel modificatio*, proinde que ullo modo *Fidei Virtualis*: cum hæc eſſentialiter ſit Actus *Intellectivus*, & e contra ipſe Contritionis Actus ſit Actus *unice Volitivus*, non ſolum ſpecie, ſed etiam genere, idest toto cælo diverſus.

III. Quia ſi ejuſmodi Actus Contritionis eſſet *Fides Virtualis*, cujus virtute vel ipſemet Actus, vel aliæ novæ Contritiones abſque nova Formali Fide Actuali elici poſſent, etiam v. gr. Conſecratio, vel ipſa Euchariſtia eſſent *Intentio Virtualis*, cujus virtute, vel ipſamet Conſecratio, vel aliæ novæ Conſecrationes poſtea ſequentibus diebus abſque nova Formali Intentione Actuali, quæ ad Conſecrationes ipſas uſque *Virtualis permaneat*, denuo effici poterunt. Quod niſi amens dixerit.

VI. Unde ſequitur, quod omnes illæ Dominicalis Orationis, immo & ipſius Symboli devotæ *recitationes*, atque Dei, rerumque Supernaturalium venerandæ *recordationes*, paradiſique dulces *expectationes ut ſic*, ac veluti *in abſtracto* (quales certe ſunt omnes illæ, quibus cum ad Fidei Motivum Poſitive non adtenditur); & quod omnes illi prætenſi *Actus Fidei Exerciti & Impliciti* in aliis piis Operibus incluſi, omni prædicta Adtentione ad Formale Fidei Motivum (a quo totum præcipuum illorum eſſe mutuari deberent) prorſus orbati in nullo ſenſu *ſunt veri Actus Fidei Virtualis divinæ nec Supernaturalis*, *neque Naturalis*. Niſi forte velint Adverſarii, quod tales eſſe poſſint in virtute Adtentionis ad prædictum Motivum olim habitæ per alios Actus Fidei forſan a Pœnitentibus quondam elicitos. Verum enim vero hoc oppido ridiculum videtur, cum ex ejuſmodi Philoſophia ſequatur, quod hominis abortivus fœtus qui nunquam rationali anima præditus fuit, ſit profecto quoddam humanæ ſpeciei perfectum individuum, ſin minus in virtute animæ rationalis, quacum nunquam informatus fuit, ſaltem in virtute animæ ſui Genitoris multis ante diebus vita functi. Maxime, cum ea omnia inconcuſſa fundamenta, quæ commentitiam demonſtrant perſeverantiam *Virtualem* Actuum Fidei, vel Spei poſt ſomnum, commentitiam pariter evincant ejuſmodi prætenſam Adtentionis ad Motivum Fidei, vel Spei *perſeverantiam*, etiam in caſu, quo prædicta Adtentio nunquam antea habita fuiſſet.

## CAP. II.

*Confirmatur ex abſurdis, quæ ex oppoſito ſequerentur, quod nullus ex prædictis Actibus eſſe poſſit Actus Fidei, vel Spei divinæ* Supernaturalis *ad intentum facient*.

I. Et quidem 1. Si Actus *Memorativi Actuum Fidei, Spei, & Charitatis olim a Pœnitente elicitorum*, vel *Objectorum* per ipſos Actus ab illo *Tunc* creditorum, ſperatorum, & amatorum, vel etiam *Formalium Motivorum* eorumdem Actuum, ſi inquam, *ejuſmodi Actus*



*Memorativi eſſent in ſe Actus Fidei, & Spei, & Charitatis*, ſequeretur 1. Cum nulla ſit diſparitas, quod in ſe eſſent etiam *Actus infidelitatis*, *deſperationis*, *& odii Dei* proprie *Virtuales omnes Actus Memorativi*, per quos ad inſtituendum Conſcientiæ examen Pœnitens ipſe meminit ſuorum *Actuum incredulitatis*, *deſperationis*, *& odii Dei*, vel *Objectorum* per ipſos Actus a ſe olim decreditorum, deſperatorum, & odio habitorum; aut *Formalium Motivorum ejuſmodi Actuum*. Et e contra ſequitur, quod totidem ſint in ſe Actus *Fidei*, *Spei*, *& Charitatis Supernaturales*, *ut oportet proprie Virtuales*, quibus in præſentiarum ipſi juſtificari poſſint, *omnes Actus Memorativi*, per quos Schiſmaticus, Hæreticus, vel Apoſtata *nunc* meminerunt Actuum Fidei, Spei, & Charitatis (per quos olim iſti Catholice crediderunt, ſperaverunt, Deum amaverunt &c.), vel Objectorum, & Formalium Motivorum ejuſmodi actuum. Maxime, cum præſentes Actus credulitatis, vel incredulitatis, Spei, vel deſperationis, Charitatis, vel odii efficere non poſſint, quod olim (1) non fuerint in eorum mentibus antiqui Fidei, Spei, & Charitatis Actus, vel quod iſti non reliquerint in mente ſui Species *Memorativas* ſequentium Actuum Memorativorum productivas.

II. Sequeretur 2. Quod maxima Fidelium pars juſtificaretur virtute Actuum mere *Naturalium*. Quod eſt Semi-Pelagianiſmus. Cum hi Actus ſint in ſe mere *Naturales* utpote qui proveniunt ex ſpeciebus, & ex Actibus *Naturalibus*, quales ſunt ejuſmodi ſpecies, & Actus *Memorativi* ex eo, quod ipſi ſint *juxta*, & *non ſupra exigentiam*, *& vires Naturæ*, quæ, ut eſt manifeſtum, & ut optime docet Card. de Lugo, ad ſui ipſius directionem exigit Species, & Actus *Memorativos* omnium ſuorum Actuum tum *Naturalium*, tum *Supernaturalium*. 3. Quod ſi ex eo, quod ejuſmodi Actus ſunt firmæ adhæſiones ad divina Myſteria, eſſent veri *Supernaturales* Fidei divinæ Actus, *ut oportet*: veri *Supernaturales* Fidei divinæ Actus, *ut oportet* pariter eſſent omnes Actus *Cognoſcitivi* Scientifici *Naturales*, quos olim habuere Ethnici Philoſophi, & quos nos ſæpiſſime habemus, de Deo Exiſtente, Uno, Verace &c. Quod eſt evidenter falſum. Cum non eo ipſo quod aliquis Actus Cognoſcitivus eſt cognitio licet firmiſſima Dei, vel Supernaturalium Myſteriorum ſit Actus Fidei divinæ *Supernaturalis*, niſi quoad objectum, ut nimis perperam & falſo putant plures ex Adverſariis, qui ideo ſe pleniſſimos Fidei divinæ *Supernaturalis* reputant, ſicut non eo ipſo quod aliquod ens eſt vivens ſenſitivum bipes, eſt homo. Aliter omnes volucres eſſent homines; & omnes ſimiles Actus firmæ adhæſionis Myſteriorum Dei, quos habent Schiſmatici, & Hæretici eſſent veri Actus *Supernaturales* Fidei divinæ. Et ratio eſt evidens, quia entitates non ſpecificantur, nec conſtituuntur in ſuo eſſe *adæquate* per prædicata ſeu conſtitutiva *generica* aliis ſpeciebus communia, ſed tantum per Formalia ipſarum *Specificativa* Conſtitutiva.

III. Unde parum, aut nihil faciunt ad rem omnes prædicti Actus, qui uti ſpurii habendi ſunt juxta ſanum monitum P. Ulloæ t. 3. de Trib. Virt. Th. d. 4. c. 3. n. 44. ajentis „ Judicium Fidei Theologicæ inconcuſſum eſt de Objecto *proxime adæquate* propter divinam Auctoritatem &c. Illud ergo duntaxat admitto, ut judicium Fidei Theologicæ, & alia judicia (qualia certe ſunt de quibus agimus) vel repello, vel ad alias ſpecies mitto, ſicut ſolum Amorem Dei ſuper omnia propter ſuam abſolutam Bonitatem agnoſcimus ut Actum, & legitimam prolem Charitatis Theologicæ: alios autem Amores vel repellimus, vel ad alias ſpecies mittimus: ergo omne judicium Fidei Theologicæ indiſpenſabiliter prærequirit aliquod Objectum Formale „.

IV. Et quidem II. ſi Fides *Exercita & Implicita* in Actibus internis vel externis aliarum Virtutum exercitarum ab illis, qui antea Actum Formalem Fidei elicuerunt, incluſa eſſet ſufficiens ad ſecundas, & ſequentes eorumdem Juſtificationes taliter, ut ad eas non requiratur *Formalis Actus Explicitus Fidei*, ſequitur 1. Quod etiam Fides *Exercita & Implicita* in Actibus aliarum Virtutum exercitatarum a baptizatis in infantia, & a Schiſmaticis (2) Fide *Habituali* præ-

(1) Docet Angelicus p. 3. q. 85. ar. 10. dicens „ Nunquam Veritas prioris Actus excluditur per Actum contrarium ſubſequentem, ſicut vere currit, qui poſtea ſedet, ita vere pœnitet, qui poſtea peccat “.

(2) Nam, ut contra Fauſtum l. 20. c. 3. ait Auguſtinus „ Schiſma eſt eadem opinantem, atque eodem ritu Deum colentem, quo ceteri ſolo Congregationis delectari diſſidio, Hæreſis vero diverſa opinatur ab his, quæ Catholica credit Eccleſia “. Et D. Thomas 2. 2. q. 39. ar. 1. ait „ Proprie Schiſmatici dicuntur qui propria ſponte, & intentione ſe ab unitate Eccleſiæ ſeparant... & ideo Schiſmatici dicuntur qui ſubeſſe renuunt Summo Pontifici, & qui membris Eccleſiæ ei ſubjectis communicare... Schiſma, & Hæreſis ſunt diverſa vitia, quamvis *quicumque* eſt Hæreticus ſit etiam Schiſmaticus: ſed non convertitur “. Et tamen quod Schiſmaticus, quamvis non ſit orbatus *Habitu Supernaturali* Fidei, & nitatur ad eliciendos Actus *Supernaturales* Fidei, & Charitatis, eos revera non eliciat, *ut oportet*, ad minus eſt probabiliſſimum. Cum Benedictus XIV. in Synopſi de Beatific. &c. l. 3. c. 21. dicat „ Licet Schiſma ſine Hæreſi eſſet, moriens pro Fide in Schiſmate nequit inter Martyres recenſeri, nam quiſquis ab Eccleſia C. fuerit ſeparatus, non habet vitam, inquit Epiſtola Synodalis Concilii Zartenſis, quod etiam docent S. Auguſtinus, Optatus, & Cyprianus, & legitur in C. *Firmiſſime* de Hæreticis “. Et D. Fulgentius l. de Fide c. 38. ait „ Firmiſſime tene,

prædītis, nec Fide divina *Acquiſita* orbatis incluſa, ſufficiens ſit ad 1. eorumdem Juſtificationem taliter, ut ad hanc non prærequiratur *Formalis Explicitus Actus Fidei Supernaturalis* (quod eſt hæreticum). 2. Quod ſi in nobis præſtare poſſunt effectus Formales Fidei, & Spei *Supernaturalium*, conſequenterque illas ſupplere, ſequitur, quod etiam Actus Charitatis *Exercitæ*, & *Implicitæ* in Actibus aliarum Virtutum atque in obſervatione divinorum præceptorum incluſi juxta illud Joan. 14. *Qui habet mandata mea & obſervat ea, ille eſt qui diligit me*, poſſint in nobis præſtare effectum Formalem Specificum perfectæ Charitatis, illamque ſupplere, ac proinde vix inveniri poſſe Catholicum, Schiſmaticum, & Hæreticum ut ut male morati, qui in confortio omnium ſcelerum in ſimul juſti, deeque charī non fiat. Siquidem ex eis eſt qui quotidie non evitet tranſgreſſionem alicujus divini mandati, & ulterius aliqua Pietatis („ *ſine quibus*, ut l. de Spiritu &c. c. 27. ait Auguſtinus, *difficillime vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur* „) opera non exerceat.

V. Et quidem III. Si prædicti Actus Fidei, Spei, & Charitatis *Exerciti & Impliciti* in Actibus aliarum Virtutum incluſi certo ſunt Actus Fidei, Spei, & Charitatis *Supernaturales, ut oportet*, in quibus profecto maxime conſiſtit vera ſanctitas, tales quidem erunt in Venerabilibus Servis Dei, quorum vita fuit frequens omnium Virtutum in gradu heroico exercitium, & maxime ſi eam clauſit mors in odium Fidei, ut eſt evidens. At ex hoc ſequitur, vel quod magnam injuriam facit C. Eccleſia ipſis Dei Servis, dum poſt definitionem Virtutum & maxime Fidei, Spei, & Charitatis in gradu heroico *in Caſu, & ad effectum*, eoſdem non niſi expectatis miraculis indubitatis in PB. vel SS. album (1) refert. Vel quod ipſa Eccleſia vel in ipſis piiſſimis Fidelibus non admittat tot prætenſas indubitatas Fides, Spes, & Charitates *Exercitas, & Implicitas Supernaturales, ut oportet*, uti prætendunt Adverſarii, aut ſaltem quod eaſdem non reputet ſufficientes ad ſupplendum, immo vero neque ad certo ex eiſdem inferendum adfuiſſe Formales *Actuales*, vel ſaltem Habituales Fidem, Spem, & Charitatem.

VI. Cum optime ſciat, quod omnia pia opera quæ Adverſarii nimis liberaliter venditant, ut *certo Supernaturalia* facile in multis Catholicis poſſent eſſe in ſe mere *Naturalia*, & unice provenientia ex Fide *Acquiſita*, ut patet in multis Schiſmaticis, & Hæreticis exercentibus multa pia opera, quæ ex Fide divina *Infuſa* procedere putes. Cum certum ſit, uti in de Gratia cit. l. 2. c. 15. n. 1. ait P. Suarez „ Quod omnes qui habent *notitiam* aliquam, & credulitatem aliquorum *Supernaturalium* Myſteriorum noſtræ Fidei ad Deum pertinentium, quamvis *Cat. & Infuſam Fidem non habeant*, poſſunt aliquo modo diligere Deum ita ſibi propoſitum v. g. Trinum, & Unum, Glorificatorem hominum, ut notum eſt in Hæreticis (adde & a fortiori in Schiſmaticis omnia credentibus), & ex parte in Judæis, quatenus aliqua *Supernaturalia* credunt. At iſti ſicut non credunt *Fide Supernaturali*, ita non diligunt *Amore Supernaturali*, ſeu Charitatis neque perfecto, neque imperfecto, ſive hoc ſit, quia ex natura ſua Amor Charitatis neceſſario ſupponat Fidem *Infuſam*, ſive quia ſaltem ex lege Dei ordinaria *nemini* datur auxilium *Supernaturale* ad amandum, *niſi prius credat, ſicut oportet, quæ amanda ſunt*, ut ſignificavit Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. “

VII. Unde nimis perperam ac pernicioſe ſupponunt Adverſarii tanquam certum, quod omnes Catholici habeant prædictam Fidem *Exercitam & Implicitam* Infuſam. Cum, licet certum ſit, caſu quod ea revera aliquid ſit, aliquos ex iiſdem eam habere (non enim poteſt Eccleſia Dei deficere), nullus tamen quamvis ceteroquin conatus fuerit aliquoties credere, in particulari citra divinam revelationem ſe eamdem habere, vel unquam habuiſſe certus omnino eſſe poteſt, uti merito ſupponunt TT. & cum ipſis docent nobiles DD. PP. Greg. de Valentia 1. 3. d. 1. q. 6. dicens „ Eſt quidem certum ex Fide, *quod ſint aliqui ſemper in Eccleſia, qui habent Fidem Catholicam*, ad quam adeſt neceſſarium quoddam auxilium *Supernaturale*, quia Eccleſia non poteſt deficere: ſed *nemini* ex Fide certum eſt, quod *ipſe in particulari habeat ejuſmodi Fidem* “; & Vitus Pichler Th. Dogm. 1. p. Controv. Fundam. c. 1. ar. 3. n. 16. inquiens „ Quamvis de ſingulis non ſit certum, an habeant eamdem Fidem internam, quam profitentur exterius, de tota tamen collectione certum eſt, quod in iis ſaltem *aliqui habeant etiam veram Fidem internam (ut oportet), ne pereat tota Eccleſia*, quam perire non poſſe ſupra oſtendimus “. Veruntamen agedum,



tene, & nullatenus dubites non ſolum omnes Paganos, ſed etiam *omnes* Judæos, Hæreticos, atque *Schiſmaticos*, qui extra Eccleſiam præſentem finiunt vitam in ignem æternum ituros “. Et tandem quia *qui Eccleſiam non audit*, eidemque obtemperat, *ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*. Unde Concilium Florentinum ait „ Sacroſ. R. Eccleſia firmiter credit, nullos extra Cathol. Eccleſiam exeuntes nec Paganos, nec Judæos, nec Hæreticos, nec *Schiſmaticos* æternæ vitæ fieri poſſe participes, ſed in ignem æternum ituros “.

(1) „ Ex his monumentis patet nunquam fuiſſe a Sede Apoſt. Formaliter beatificatos, aut Canonicatos Martyres, niſi accedentibus *Miraculis*... De his autem (veri Martyrii requiſitis) ut certior fiat, non immerito miracula exigit Eccleſia; ſicut ergo licet probata ſatis ſit vitæ Sanctitas, miracula tamen adhuc requirit “. Ita Benedictus XIV. in cit. Synopſi totius Operis de Beatific. &c. l. 1. c. 30. n. 9.



detnus Adverſariis, quod ipſi, omneſque alii Fideles certo habeant prædictas *Fidem, & Spem Exercitas, & Implicitas*. Quid inde, quæſo, excudent ſapientiſſimi homines ad intentum? Sane nihil.

VIII. Cum ſemper ſtet hoc noſtrum ineluctabile argumentum. Non minus, ſcilicet, indigent noſtræ Potentiæ mens, & voluntas ad productionem *Supernaturalium* Actuum Spei, Charitatis, & Contritionis Actu *Supernaturali* Fidei rigoroſe tali, quam indigeant Actu Gratiæ Excitantis rigoroſe tali; præterea non minus eſt præteritus Actus Gratiæ Excitantis heri habitus *Exercitus Implicitus & Virtualis* in Actibus aliarum Virtutum gratiæ ipſius influxu exercitatarum incluſus, quam in iiſdem Actibus Spei, Charitatis & Contritionis *Exercitus ac Implicitus & Virtualis*, & incluſus ſit præteritus *Fidei Actus* heri ſimiliter a nobis elicitus. Aliter adferatur diſparitas. Atqui ejuſmodi Actus Gratiæ Excitantis *Exercitus & Implicitus* incluſus, vel non perſeverat proprie *Virtualis* ad hodiernam diem; vel ſi aliqualiter *talis* perſeverat, non eſt ita ſufficiens ad apte illuminandas noſtras Potentias ad productionem hodierni Actus v. g. Contritionis, ut ad eam non requiratur hodie *nova illuſtratio*, ſeu novus Formalis Explicitus Actus Gratiæ Excitantis, ut invicte demonſtravimus. Ergo ſimiliter ejuſmodi Actus Fidei *Exercitus & Implicitus*, vel non perſeverat proprie Virtualis ad hodiernam diem; vel ſi aliqualiter *talis* perſeverat non eſt ita ſufficiens ad apte illuminandas per reſpectum ad Fidem eaſdem Potentias ad Supernaturalem productionem ejuſmodi Actus Contritionis taliter, ut ad ipſam non requiratur *nova Fides*, ſeu novus Actus Formalis Explicitus Fidei Supernaturalis hodie elicitus. Tandem ſicut non ſufficit Gratia Excitans *Virtualiter Exercita* vel *implicita* in Actu Contritionis ad ſui ipſius productionem, ita neque ſufficit ad productionem ejuſdemmet Actus Contritionis Fides *Virtualis Exercita Implicita*, & in eomet Actu Contritionis incluſa.

### §. Un.

IX. Aſt quid tandem eſt? Et in quo conſiſtit hæc adeo decantata Fides *Virtualis Exercita ac Implicita*, quam adeo ſonore crepant Adverſarii noſtri? Eſtne aliqua firmiſſima *Supernaturalis adhæſio, ut oportet*, ad ſummam Dei Amabilitatem, Fidelitatem &c. propter Infallibilem ipſius Dei auctoritatem? Minime gentium. Quid ergo eſt in ſe? „ Eſt (reponunt Adverſarii) Actus Contritionis, Charitatis, vel eſt efformatio ſigni S. Crucis &c. dum hæc ſupponuntur eſſe effectus alicujus præteriti Actus Fidei, vel facta ex præhabita notitia Dei aliquo modo proveniente ex Fide. Nam ſi Fideles non crederent Fide *Supernaturali, & ut oportet*, hæc non efficerent; ergo ſi hæc efficiunt, credunt Fide *Supernaturali & ut oportet*. “ At, & ſi admitteretur quod prætenſi illi Actus Contritionis, & Charitatis, vel quod Crucis efformatio v. g. procederent a Fide *Supernaturali, ut oportet* (cum procedere poſſint a *quacumque alia notitia Dei, & Paſſionis Chriſti*, vel ab aliqua Fide Naturali *Acquiſita*) negamus tamen, quod ejuſmodi Actus per id quod cauſentur ab Actu Formali *Supernaturali* Fidei, ſint Actus *Virtuales Fidei Exerciti, Impliciti*, vel eo incluſi, vel quod aliqua ratione participent Conſtitutivum Fidei. Cum evidens ſit, quod præciſa ratio effectus nullo modo importet *Implicitam* vel *Exercitam Virtualitatem ſuæ cauſæ æquivocæ*, vel *participationem* prædicatorum eamdem cauſſam conſtituentium.

X. Niſi velint Adverſarii, quod aſinus v. g. qui non ſolum eſt effectus divinæ Omnipotentiæ, ſed etiam Solis (juxta illud Ariſtotelis: *Sol cum homine hominem, cum cane canem &c. generat*) ſit non ſolum *Sol Virtualis Exercitus & Implicitus*, ſed etiam *ſit divina Omnipotentia Virtualis Exercita ac Implicita*, atque in ſe includens, & participans divinitatis prædicata. Cum exiſtere non potuerit ſine Omnipotentiæ divinæ influxu. Amplius. Si quidquid ſit vel ex præhabita Fide divina, vel ex notitia Dei *utcumque* ex Fide etiam *Supernaturali* promanante eſt Fides divina Supernaturalis Virtualis *Exercita ac Implicita* in eo incluſa, ac proinde ſi Catholicus, vel Acatholicus dicens: *Amo Deum* &c. v. g. in eo Actu elicit *Supernaturalem Fidei divinæ Actum ad minus Virtualem ac Implicitum*, eumdem *Supernaturalem Fidei divinæ Virtualem Actum* æque eliciet in eo alio Actu, quo dicat: *Odi Deum*. Item ſi qui venerabundus dicit: *Benedictus Deus*, vel vivat *Deus*, vel *Verbum Caro factum eſt*, ipſo facto elicit verum Fidei *Supernaturalis Actum Implicitum & Virtualem*, eumdem *Fidei Supernaturalis Actum* (cum nulla ſit diſparitas) eliciet etiam ille alius, qui horrende blaſphemus dicat: *Maledictus Deus*, vel *Pereat Deus*, vel ex ira in eum dicat: *Corpus Dei*! Maximeque erit perfectiſſimus *Actus Fidei, & Spei Supernaturalis Virtualis Exercitus Implicitus*, quibus ipſi poſtea diſponantur ad *Supernaturalem* Contritionem ejuſmodi ſceleris, adulterium illorum Fidelium, qui niſi crederent, & ſperarent ſe paullo poſt obtenturos eſſe a Deo veniam ejus, non auderent illud committere. Proh nimium felices homines! Quibus non minus ſunt Actus Fidei Supernaturalis ſaltem *Virtuales Exerciti, ac Impliciti* ad ſalutem ſufficientes Actus Virtutum, quam Actus vitiorum etiam omnium enormiſſimorum. Cum hæc eadem admitti non poſſint niſi ab iis, qui Deum exiſtentem ſciant, & credant.

XI. Sicut ergo falſum eſt dicere, quod blaſphemia, odium Dei, & ſimilia ex eo, quod non poſſint admitti, ſeu committi niſi ab eo, qui credat Deum eſſe, ſint veri Actus *Supernaturales* Fidei divinæ *Virtuales Impliciti & Exerciti*, quibus cum homo ſeſe ad concipiendam Contritionem diſponere poſſit, ita falſum eſt dicere, quod Amor Dei, Contritio, vel Crucis efformatio ex eo, quod effici non poſſint, niſi ab eo,

qui *aliqua modo* credat Deum eſſe, & Chriſtum in Cruce paſſum eſſe, tales ſint. Et ſicut abſurdum eſt dicere, quod aſinus per id quod ſit & quidem rigoroſus effectus divinitatis, ſine qua eſſet omnino impoſſibilis, *ſit Deus Virtualis Exercitus ac Implicitus*, ſeu quod aliquo modo *participet* ullam rationem prædicatorum divinitatem ipſam conſtituentium; ita etiam abſurdum eſt dicere, quod Contritionis, vel Spei Actus per id quod ſint effectus Actus præteriti Fidei, vel Spei, ſine quibus *Supernaturales* eſſe non poſſent, ſint in ſe Actus Fidei, & Spei *Virtuales Exerciti ac Impliciti*, ſeu quod aliquo modo participent ullam rationem prædicatorum Fidem Supernaturalem vel Spem conſtituentium. Ex quibus plane evincitur, quod prætenſa Fides *Virtualis Exercita ac Implicita* ſit vox ad illudendum incautis aptiſſima, & præterea nihil. Et revera nulla alia ſit Fides *Implicita*, niſi illa, de qua in Differt. 1. cap. 1. num. 4. meminimus cum Angelico quæſt. 14. de verit. art. 11. Quantumvis ea ipſa, uti differt. 4. cap. 1. videbimus, ad Juſtificationem omnino inſufficiens ſit. Tandem ex vitiorum ac ſcelerum inundatione, quam ſecum in orbem invexit ejuſmodi prætenſa Fides *Virtualis Exercita ac Implicita* (hoc eſt *nulla*; ac *vera Actualis Fidei Privatio*), & *communis perſuaſio de ejus ſufficientia*, nimis clare probari poſſit illius inſufficientia, ac inanitas. Cum hodiedum maxime verificari videatur illud Oſeæ c. 5. „ *Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt*. Et illud Pſal. 13. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum* “.

XII. Concludamus ergo, quod quamvis Virtutum Exercitia quatenus revera ea procedant a *Fide divina Supernaturali Explicita, ut oportet*, ſaltem adhuc conſervata propriè *Virtuali*, ſint optima, & maxime optanda ratio proteſtandi, ac profitendi propriam Fidem, fovendique Spem, & Charitatem, hoc tamen quod eſt prætendere quod omnis, aut fere omnis Actus *cujuſcumque* Virtutis ut ut exercitatæ, indubie ſit Actus *Exercitus & Implicitus Virtualis Fidei, & Spei Supernaturalis, ut oportet*, proindeque ad noſtram Juſtificationem reſpective ſufficiens, eſt aſſertio nimis erronea, periculoſa, immo & ridicula, & viro Theologo prorſus indigna: ſicut etiam maxime periculoſum, & erroneum eſt putare cum Popello quod *Apprehenſio, & Conceptio rerum credendarum*, quod omnis ſimplex *Recordatio*, & *Cogitatio* de Deo, de cælo, vel inferno cum aliquali adhæſione, *ut ſic*, & quaſi *in abſtracto*, aut quod ſimplex Profeſſio, ſeu non negatio divinorum Myſteriorum præſcindens ab omni Adtentione ad Formale Motivum divinæ Fidei, ſit illa certo *Supernaturaliter credere, ut oportet ad ſalutem*. Unde horum duorum uterque eſt error perniocioſiſſimus tum tenere ſalutem æternam a Catholico obtineri poſſe per Fidem, & Spem *Exercitas, ac Implicitas* in operibus vitæ prætenſæ Chriſtianæ ceteroquin orbatæ Fide, ac Spe *Actum Formalium Explicitorum, ut oportet*; tum ab oppoſito putare ipſam ſalutem ab eodem obtineri poſſe per Fidem, & Spem *Formales Explicitas, ut oportet*, orbatas Fide, & Spe *Exercitis, ac Implicitis* in reliquis piis vitæ Chriſtianæ operibus, ac mandatorum Dei executione. Diſcrimen tamen quod ineſt inter duos Catholicos, quorum unus habens Fidem, & Spem *Exercitas ac Implicitas* in operibus vitæ putativæ Chriſtianæ non habet Fidem, & Spem *Formales Actuales, ut oportet*, & alius qui e contra habens ejuſmodi Fidem, & Spem, non habeat tamen Fidem, & Spem Virtuales *Exercitas ac Implicitas* in piis Operibus vitæ Chriſtianæ incluſas, illud eſt, quod primus in ſuis Fide, & Spe *Exercitis ac Implicitis* incluſis in ipſis operibus non habet adhuc ſaltem primum Principium ſuæ Salutis, cum ſecundus in ſuis Fide, & Spe Actualibus *Formalibus Explicitis, & inſimul Supernaturalibus, ut oportet*, habeat jam *Initium, Fundamentum, & Radicem ſuæ Juſtificationis*; at nihil amplius.

## CAPUT IV.

*Quod non ſolum non eſt ſufficiens ad intentum prædicta fides* Virtualis Exercita ac Implicita, *& in prædictis illis aliis Actibus* Cognoſcitivis *conſiſtens, ſed* nec ſemper *ad id ſufficiens eſt vel ipſa* Formalis Actualis Explicita cum Actuali Adtentione ad divinam Auctoritatem.

I. NOn quod ſufficiens non ſit ad noſtras Spem, Charitatem, & Contritionem verus *Formalis Supernaturalis* Explicitus Actus Fidei divinæ, *ut oportet*, eorum Myſteriorum ad has concipiendas immediatius concurrentium immediate antea elicitus, ſed quia, ut jam cum D. Eximio innuimus, non ſemper ac conamur ad credendum, ſperandum, aut Deum amandum etiam adhibita Actuali Adtentione ad Formalia Motiva horum Actuum revera pertingimus ad concipiendum eoſdem hos nobiliſſimos Actus *Supernaturaliter, ut oportet, ad ſalutem*. Hinc eſt, addit hic inſignis Theologus de Gratia par. 3. l. 9. cap. 11. num. 5. & ſeqq. quod non ſolum non poſſimus evidenter, ſed neque certitudine Theologica ſcire, an ſaltem tunc credamus, *ut oportet*. „ Nemo, inquit, poteſt evidenter ſcire ſe credere Myſteria Fidei *ſicut ad ſalutem oportet*.. quia nullus Fidelis credens poteſt evidenter ſcire ſuam Fidem *eſſe* (quoad modum credendi) *aut Divinam, aut Infuſam*: ergo neque quod ſit *ſicut oportet*. Conſequentiæ ſunt evidentes, quia credere *ſicut oportet*, non ſit niſi Fide Divina, & Infuſa, nec poteſt eſſe Divina, & Infuſa, niſi ſit vera &c. At vero experientia non evidenter oſtendit illam eſſe *ſicut oportet*, ſed tantum eſſe Fidem *quo ad genus &c.* ergo per illam experientiam non cognoſcit Fidelis evidenter ſe credere *per Actum Supernaturalem Fidei Infuſæ* &c. Quia *Supernaturalitas Fidei* (præter Gratiæ concurſum) ex eo provenit, quod Fidelis credit ſolo Teſtimonio Dei, ut ratione credendi, & Formali Motivo, & rationibus, & Moti-





vis credibilitatis humanis ſolum utitur, ut applicantibus Dei Teſtimonium, & credibilitatem ejus oſtendentibus; at vero ſola experientia credentibus non oſtendit evidenter *talem modum eſſe, ut oportet*, ergo &c. Nullus Fidelis ſcire, aut judicare poteſt abſoluta ſcientia, ſeu certitudine Theologica ſe credere, *ſicut oportet*, ſeu quod idem eſt ſe credere *per Actum Supernaturalem* & qui in ſolo Dei Teſtimonio (adeo verum eſt quod implicet contradictionem vera Fides *Supernaturalis* ſine Actuali Adtentione ad Infallibilem Dei revelantis Auctoritatem!) *pure nitatur* “.

II. „ Et, addit Suarez, poteſt hoc confirmari, quia quo ad hoc videtur eſſe eadem ratio de Actu Fidei, & Amoris; ſed de Actu *Amoris Dei* non poteſt per experientiam evidenter cognoſci, an ſit *Supernaturalis*, vel *ex gratia*, vel *ſicut oportet*, vel *ex pura benevolentia Dei* propter ſe ipſum; & ideo non poteſt certitudine Theologica cognoſci, quod ſit talis, qualis ex parte Intellectus ad Juſtificationem eſt neceſſarius &c. Quare cenſeo, quod ſicut de noſtro Amore Dei non poſſumus Theologica certitudine aſſequi, quod ſit Charitatis *Infuſæ*, ita neque de noſtro credere poſſumus ſimili certitudine, quod ſit *Infuſæ Fidei*, cognoſcere “. Ejuſmodi *Incertitudinis* urgentiſſimas rationes innuit iſte §. in de Deo tr. 1. lib. 2. de Prædeſt. cap. 8. n. 5. & 7. dicens „ Actus Fidei, & Theologalium Virtutum ſunt *Supernaturales* per ſuam propriam, & eſſentialem entitatem. Et ratio omnium horum eſt, quia Formalia Motiva, in quibus hi Actus nituntur, *ſuperant ordinem Naturæ, & vires liberi arbitrii*. Infertur gratiam requiri ad hos Actus, ut Principium *per ſe*, & *phyſicum illorum*, in quo eſt magna differentia inter hos Actus, & Naturales. Nam ad *Naturales* gratia ſolum adjuvat moraliter illuminando Intellectum, & excitando affectum, & tollendo impedimentum; ad hos autem Actus majus adjutorium neceſſarium eſt &c. Quia ad Actus *Naturales* habent Potentiæ efficientes vires phyſicas, ad hos autem *minime*; & ideo indigent ſuperiori principio elevante illas, & dante vires, ad eos eliciendos etiam *per ſe, & phyſice*. Unde neceſſe eſt, ut ad hos Actus Deus *per ſe* concurrat, non tantum Primam Cauſam agens per concurſum generalem, ſed etiam ut Cauſa *Partialis, & Principalis* vel immediate, vel ſaltem infundendo aliquod Principium proximum & phyſicum talium Actuum ſimul cum Intellectu, & Voluntate. Per hoc autem non excluditur concurſus etiam Dei, ut Primæ Cauſæ Ordinis etiam *Supernaturalis*, quia hic ſemper eſt neceſſarius propter eſſentialem dependentiam omnis entitatis creatæ a Deo. Denique non etiam excluduntur Morales concurſus gratiæ per illuminationem, & inſpirationem *Supernaturalis Ordinis*, nam hic modus adjutorii Gratiæ eſt, ut definiunt Concilia, & fundatur etiam in *Supernaturali* ſubſtantia talium Actuum, quia non poteſt Intellectus, & Voluntas ad illos conari, niſi per hujuſmodi auxilia divina excitetur, ut tradunt Concilia, præſertim Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. &c. *Et nunc licet cum Gratiæ auxilio fiant, non ſine magna difficultate ſæpiſſime ſunt* “.

III. Quam fundate autem t. 3. d. 2. cap. 1. num. 23. & 24. P. Ulloa confirmet ejuſmodi difficultatem collineandi, atque attingendi ſcopum in eliciendis Actibus, quos Adverſarii elici putant nullo negotio, & ſumma ſecuritate, & perfectiſſimos ab illis ipſis, qui nullam curam, conatumve ponunt, aut Adtentionem ad illorum Motiva in eis eliciendis adhibeant, patebit ex ſeq. doctrina hujus præclari Doctoris. „ Sequitur, ait, Fidei, Spei, & Charitatis Actus trifariam poſſunt eſſe perfecti. 1. Perfectione *Objecti Formalis*, quatenus habeant pro objecto Formali id, quod revera eſt Objectum Formale Motivum illius (in primis his perfectionibus carent omnes prædicti Adverſariorum Actus *Virtuales* Fidei, & Spei). 2. Perfectione *Motionis*, quatenus *proxime* plane ac totaliter moveatur ex illo. 3. Perfectione *Univerſalitatis*, quatenus ſignate, vel exercite ob ſuum ardorem, efficaciamque appretiative repellant omne graviter oppoſitum ei Objecto &c. Ceterum illæ duæ Species perfectionis, nimirum *Objecti Formalis, & Motionis ex illo* per ſe præciſe non ſufficiunt, ut Actus Charitatis ſit univerſaliter deteſtatio omnium lethalium, neque ut Aſſenſus Fidei Theologicæ ſit univerſaliter aſſenſus omnium Articulorum, & peccator in ſenſu compoſito ſui peccati poteſt habere Actum perfectæ Charitatis perfectione ſolius Motivi, & Motionis ex illo (quare, pergit inſignis Theologus, ne blandiatur quis ſibi de ſtatu Gratiæ ex eo, quod ſibi videatur diligere Deum pure, & præciſe propter ipſius abſolutam Bonitatem, ſi non diligat eum ſuper omnia univerſalitate ſignata, vel exercita. Hæc enim eſt perfectio illa, de qua Tridentinum loquitur, nempe quæ ſignate, vel exercite excludit omnem voluntatem graviter peccamioſam; non vero illa altera perfectio gracilis, tepida, & imperfecta); ſimiliter Hæreticus poteſt in ſenſu compoſito hæreſis ſuæ credere Articulos Fidei Theologicæ perfectione ſolius Motivi, & Motionis ex illo: quorum rationem ſæpe dedi “.

IV. „ Nimirum, addit, ad hujuſmodi Actus non concurrere ſolum Objectum Formale, & de hoc identidem monendi ſunt Adverſarii, ſed multa alia (notent etiam hæc ſerio Adverſarii) ut contingit in cauſis phyſice efficientibus reſpectu ſuorum effectuum: at præſente, & alliciente eodem penitus Objecto Formali proximo poſſunt concipi Actus diſpares, & oppoſiti &c. effectus, de quibus eſt ſermo, ſunt effectus liberi, ut conſtat; ergo licet perfecta foret æqualitas, immo & identitas objecti Formalis, omniumque circumſtantiarum poterat homo prudenter quidem cedere illi quo ad unum Actum Intellectus, & Voluntatis, & imprudenter reſiſtere eidem quo ad alium “. At ne TT. textibus Lectorem obruamus, adducamus præterea tantum ſequentia verba Ven. ac Sapientiſſimi Card. Bellarmini Controv. de Juſtific. lib. 3. cap. 10. ajentis „ Certi

enim ſumus nos credere, & diligere, quando credimus, & diligimus, ſed utrum Actus illi ſint *quales oportet*, & ex Habitu ( *Supernaturali Infuſo*) proficiſcantur ſine revelatione ſciri non poteſt".

V. Ratio tandem prædictæ difficultatis, & incertitudinis in concipiendis ejuſmodi Actibus *Supernaturalibus, ut oportet*, ut indicavimus, & in ſeq. Tractatu explicatius videbimus, eſt quia non ſufficit, ut putat vulgus, quod præfati Actus ſint *Supernaturales* tantummodo ex parte *Objecti Materialis*, v. g. Gratiæ, & Gloriæ &c. per Fidem propoſiti; nec ſolum ex *parte Objecti Formalis*, ſed inſimul requiritur etiam, quod ipſi *Supernaturales* ſint ex parte Principii in illum *Supernaturaliter* influentis præter Moralem Concurſum Gratiæ Excitantis, ut vidimus cum P. Suareſio, & videri poteſt cum P. Reutero p. 3. tr. 1. diſſ. 1, quæſt. 3. num. 3. dicente: „Petes: Unde Actus noſtri deſumunt ſuam *Supernaturalitatem*? Reſp. Efficienter illam habent a Principio *Supernaturali* Phyſico in eos influente, quod eſt vel habitus *Supernaturalis*, vel Dei *Omnipotentia* ſpecialiter applicata ſupplens defectum Habitus, quando hic abeſt. *Objective* vero eam habent *ab Objecto*, ut *Supernaturali cognitione propoſito*, quæ cognitio eſt reſpectu Actus Fidei illuſtratio exhibens Objectum credendum, reſpectu autem aliorum Actuum Voluntatis *Supernaturalium eſt Actus Fidei*, vel Lumen Supernaturale æquivalens (id eſt ipſe Actus Fidei adhuc conſervatus proprie *Virtualis*, cum aliud non ſit) ad Fidem pertinens". Et præter hæc omnia requiritur etiam, quod prædicti Actus ſuum habeant Formale Conſtitutivum, *Adtentionem* ſcil. ad ſua reſpectiva Formalia Motiva ipſa, v. g. Infallibilitatem, Amabilitatem, & Fidelitatem divinam, per *Fidem Supernaturalem propoſita*, & inſuper quod ſint ejus *tendentiæ*, qualitatis, ac perfectionis, quæ eoſdem conſtituat, *ut oportet*, ad intentum, ut etiam hic dici potuerit. *Tantæ molis erat* Supernaturalem elicere Actum! At, inquis, pauci ſunt, qui eos Actus ita eliciant. Et ego nimis dolens reſpondeo. Ideoque *pauci ſunt electi*.

VI. „Illud *ſicut oportet* ad qualitatem, vel perfectionem ipſius Actus referendum eſt, non autem ad Principium, a quo fit Actus . . . quia illa particula videtur addita contra Semipelagianos dicentes Actus Naturales eſſe meritorios gratiæ, vel diſpoſitiones ad illam; & ideo Concilia dicunt Actus hos non poſſe fieri per vires Naturæ *ſicut oportet*, ut gratiam mereantur, vel ad illam diſponant; hoc autem habent Actus ex eo quod ſint *talis* qualitatis, vel perfectionis, idem ergo ſignificat, *ſicut oportet*, ac dicere cum ea perfectione Actus, quæ neceſſaria eſt ad dictos gratiæ effectus". Ita P. Suarez de Gratia p. 1. l. 2. cap. 6. n. 3. addens p. 2. lib. 9. cap. 10. num. 10. „Diſpoſitio illa non eſt Actus v. g. *Amoris*, vel Doloris ( adde, vel Fidei, vel Spei ) *abſolute* ſumptus, ſed cum hoc addito, *ſicut oportet*; ſicut Concilia loquuntur, in quo illud *ſicut oportet* poſitum ſit, vix a ſapientibus cognoſcitur, nam ipſi etiam erudiſſimi Theologi in eo explicando non conveniunt, nec ſub experientia cadit, nec per effectum ſenſibilem evidenter manifeſtatur, ut ex dictis notum eſt". Si ergo, cum nobis proponimus Myſteria credenda, ſperanda, & amanda, & cum nitimur ad concipiendum hoſce Actus cum Adtentione ad eorumdem Formalia Motiva, & imploramus divinum auxilium, & quod in nobis eſt ad eos concipiendos egiſſe putamus, non ſemper, immo vero proh dolor! forſan non niſi raro eoſdem revera concipimus, *ut oportet*, quid, quæſo, putandum eſt accidere poſſe, dum nihil, vel fere nihil horum ad eos concipiendos apponimus?

VII. Equidem homines doctrina, pietate, ac ſupernis illuſtrationibus illuſtres non adeo facili negotio ac certo ejuſmodi Actus, *ut oportet*, ſe elicere putabant, ut alios taceamus. *In Compendio Hiſtorico Legend. Relig. Ord. Prædicat. cum Sanctitatis fama denatorum* §. 17. De Vener. ac Sap. Servo Dei P. Lect. Fr. Dominico Amico Legimus. „Fuit Vir ſingularis innocentiæ vitæ, profundæ humilitatis, & auſteriſſimæ Pœnitentiæ . . . . qui quantumvis a teneris annis Pietati apprime deditus fuerit, atque a Deo multis donis decoratus, attamen dicere ſolitus erat ſe ſe felicem exiſtimaturum, ſi a Deo veniam ſuorum peccatorum obtineret, atque pro tot tantiſque precibus a ſe effuſis (in quibus erat fervens, & aſſiduus) ſibi daretur vel unum tantum veri doloris Actum peccatorum ſuorum elicere &c." Vener. Servus Dei doctus P. Leonardus a Portu Mauritio Seraſici Ord. Confeſſariis inculcat, ut curent quod Pœnitentes ante Contritionem præviam ad Sacramentalem Abſolutionem efforment *Actus Fidei, Spei, & Charitatis*, ut teſtatur Epiſc. Ligorius in Opere *Homo Apoſt.* tr. ult. c. un. dicens: „Idem Auctor loquens de Perſonis urbanis ſalutis propriæ negligentibus, quæ ſibi magno rubori, & contumeliæ habent ſe de his interrogari, ait, decere Confeſſarium, ut ipſis dicat „Eja, eliciamus una ſimul Actus Chriſtianos, dic mecum: *Deus meus, quia es Veritas Infallibilis, & quia S. Eccleſiæ revelaſti, credo quidquid S. Eccleſia me docet credere, credo præcipue te eſſe Unum Deum, & Tres Perſonas*, credo *Filium &c.*" P. Ignatius Guellius e Societ. J. Vir Sanctitatis, ac prophetiæ Gratia illuſtris, uti a fide dignis accepimus, omnibus, & maxime ſe ſe ad Sacram Abſolutionem præparantibus noſtram ſua ſponte ſententiam, frequentiam, ac ſollecitudinem in eliciendis Actibus Fidei vehementer inculcabat. Et Ven. ille alius Dei Servus ex eadem Societ. de quo meminit P. Andreucius in Opuſc. de Fide, quotidie conabatur elicere *Trecenties* Actum explicitum Fidei. Sicut etiam Eximius ac piiſſimus Doctor P. Fr. Suarez etiam poſtquam viſus fuit ſublimis in aera mira luce coruſcans, quotidie præter Actus Fidei *centies* Contritionis Actum elicere curabat. Et tandem Max. ille Th. & Doct. Gentium Sanct. Paulus, poſtquam vidit arcana cæleſtia, dum optime ſcit quod ad

obti-



obtinendam cæleſtem Beatitudinem ſatis eſt peccatori unum verum perfectæ Supernaturalis Charitatis, vel Contritionis, aut Attritionis Actum cum Sacramento ex Supernaturali Fide, & Spe, *ut oportet*, profectum elicere, & adeo ſe timidum ac ſollicitum oſtendit inter tot labores pro gloria Dei exantlatos, *ne reprobus efficiatur*, nimis aperte nobis innuit, quod ejuſmodi Actus communiter loquendo non eliciantur eo numero, facilitate, ac ſecuritate, de quibus tanto hiatu ſibi blandiuntur multi ex noſtris Adverſariis.

VIII. Et maxime boni illi, qui ſemel atque audiunt aliquos peccata Sacerdoti confeſſos eſſe, vel ætate adulta baptizatos, eoſdem omnes, vel fere omnes indubitato juſtificatos credunt. Quamvis graviſſimi TT. de hoc non parum dubitent, uti v. gr. P. Suarez p. 3. de Gratia l. 6. c. 6. n. 9. dum ait in primis: „Certum eſt ex multis adultis in peccato jacentibus quoſdam juſtificari, & *non alios*, & ex pluribus recipientibus Sacram. Baptiſmi, vel Pœnitentiæ quoſdam recipere remiſſionem peccatorum, *& non alios &c.* Major ſupponitur ut nota, nam licet interdum non ſit evidens apud homines, Deo evidentiſſima eſt, & nobis eſt ex Principiis Fidei certa, & ex doctrina Concilii Tridentini ſeſſ. 6. c. 7. Et iterum in de Sacram. diſp. 20. dum ait: „Accidere etiam poteſt, ut ſine Fide vera, & Chriſtiana velit quis vere, & non ficte baptizari, vel ad ſummum credendo Fide quadam *Humana*. Et tunc, cum ille non credat *ſicut oportet ad ſalutem*, non oportet, ut ex voluntate Supernaturali, & honeſta veniat ad Baptiſmum, & nihilominus vere fiat Chriſtianus quoad characterem, quia quoad hoc ſufficit, quod habeat voluntatem recipiendi Baptiſmum, nam qualiſcumque illa ſit, Sacramentum erit validum. Ad conſequendam remiſſionem peccati mortalis per hoc Sacramentum neceſſaria eſt vera, & Supernaturalis Attritio in re ipſa exiſtens." Verum quidem eſt, quod ſi Fideles divina gratia adjuti faciant (aſt hoc opus, hic labor eſt!) quod in ipſis eſt ad credendum, adhibendo moralem diligentiam, poſſunt pertingere ad probabilem conjecturam habendam, & poſtea, ſi adhibeant majorem, & competentiorem diligentiam, etiam pervenire poterunt ad habendam moralem certitudinem veri Actus Fidei *Supernaturalis* a ſe aliquando eliciti, ut docet idem Eximius Doctor n. 14. cit. c. 12. l. 9. concludens ac dicens: „Fideles magna quadam certitudine Morali, & Conjecturali ſcire poſſunt ſe credere Fide *Supernaturali & Infuſa, & ſicut oportet*."

## PARS II.

Quod omnes omnino Fideles tenentur ad praxim noſtræ, noſtrorumque Theologorum ſententiæ.

## CAPUT I.

*Evincitur ineluctabilis neceſſitas praxeos noſtræ ſententiæ in primis ex eo, quod, cum Adverſariorum opinio non ſit ad minus* Moraliter certa, *non poſſit licite praticari; ſecundo ex eo etiam, quod, quamvis per impoſſibile eſſet* Metaphyſice certa, *adhuc ejus praxis eſſet prorſus illicita.*

I. PRobo ſic 1. Noſtra ſententia de neceſſitate Fidei Divinæ Formalis Actualis, *ut oportet*, certo conſervatæ ſaltem proprie *Virtualis*, dum concipienda eſt Contritio Materia proxima Sacr. Pœnitentiæ, eſt omnino certa, ut jam non diffitentur vel ipſi acriores Adverſarii. Rurſus, noſtra ſententia negans prætenſam ejus conſervationem, ac durationem ex uno ad alium diem eſt ad minus *Moraliter certa*, vel ſaltem probabilis, ſed eo ipſo oppoſita Adverſariorum opinio eſt falſa, vel ad ſummum tantum probabilis. Ergo ea non poteſt licite praticari; ergo noſtra neceſſario praticanda eſt. Major eſt certa, & amplius confirmatur quo ad illud, quod noſtra negans ejuſmodi conſervationem eſt ad minus probabilis ex eo ſcilicet, quod jam *tunc*, cum nondum nacta erat tot nobiles Propugnatores, talis judicata eſt a graviſſimo judicio Doct. Eximii in de Grat. p. 3. l. 12. c. 10. n. 18. dicentis: „Sicut non poteſt eſſe meritum *Condigni* ſine charitate, ita neque ſine Fide, & e converſo. Si vero comparantur in actuali influxu per *ſuos Actus* in opus meritorium, ſic in rigore (nota bene) magis neceſſarius eſt influxus Fidei; quia, ut oſtendimus, *ſine Actuali ejus influxu nullum* eſt meritum, & *valde probabile eſt* non ſufficere Virtualem influxum per Actum præteritum, ſed requiri *quaſi Formalem per Actum* Intellectus ad Fidem pertinentem, *qui duret*, quandiu durat actuale meritum; influxus autem Charitatis per proprium Actum a ſe elicitum non eſt neceſſarius per Actum Coexiſtentem &c. E contrario vero in ipſo Actu Charitatis non poteſt eſſe meritum *ſine Actuali influxu Fidei*:" Quo poſito manifeſtum eſt, quod Adverſariorum oppoſita opinio nullo modo eſſe poteſt *Moraliter certa*; cum ſit certiſſimum illud P. Cardenæ tr. de Legibus d. 23. n. 203. omniumque Dialecticorum quod ſcilicet: „Propoſitio Modalis de modo *certum* impugnatur, ſi probetur ejus oppoſitam *eſſe probabilem &c.*" Et tandem minor, & conſequentia recte deducuntur.

II. Probo ſic 2. Secundum plures graves TT. apud Tamburinum, & Lacroiſium, quantumvis oppoſita opinio eſſet *probabiliſſima*, immo & *Moraliter certa*, non ideo tamen poſſet licite

pra-

praticari. Ergo a fortiori praticari licite non poteſt, cum talis non ſit. Probo Ant. P. Tamburinus l. 1. in Dec. c. 3. §. 5. n. 19. ait: „ Probabile eſt v. gr. valide conferri Baptiſmum per illam Formam, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & procedentis ab utroque*; at proxime propter illam rationem ne, cum certum poſſis Sacramentum conferre Proximo, conferas quod aliquam continet *Incertitudinis formidinem*, omnes ſupra cenſuimus proxime & in ordine ad praxim non eſſe ſic Baptiſmum (adde nec Pœnitentiam) conferendum: “ Et P. Lacroiſius l. 6. p. 1. n. 106. ait: „ Peccat graviter qui in Sacramentis conferendis, vel ſuſcipiendis ſequitur opinionem *probabiliorem*, aut *probabiliſſimam de valore Sacramenti relicta Tutiore*, uti de *probabiliore* docent expreſſe cum communi Sanchez, Cardenas, & Gormas. Eadem autem eſt ratio de *probabiliſſima* &c. Non operatur prudenter (tum Conferens, tum Suſcipiens ſequendo opinionem *minus tutam*, quamvis *Moraliter certam*, addit idem Theologus ad n. 108.) ſi abſque cauſa *omittat Tutiora*, uti recte Nugnus, Salas, Filliucius, J. Sanchez, Sporer, Lonher, &c. Hinc licet ſpeculative loquendo *Moraliter* certum ſit, quod tenuiſſima cerviſia *ſufficiat* pro Baptiſmo, cum ſit, & maneat aqua naturalis coacta parum, & accidentaliter immutata per injectum hordeum, eſt illicitum in ea baptizare, ſi adhiberi poſſit acqua fontanæ, & idem eſt in ſimilibus. “

III. Quapropter merito P. Cardenas ad 1. Prop. Decr. Innoc. XI. c. 6. ar. 12. n. 455. ait „ Dico Confeſſiones, quæ fiunt juxta opinionem *minus tutam* circa valorem Sacramenti cum advertentia hujus Decreti, & obligationis illius *ſunt invalidæ* &c. Nam qui cum ea advertentia confitetur in re tam gravi violat præceptum Pontificis, & in praxi opponitur ejus declarationi, quæ tanquam irrefragabilis admittenda eſt conformando mores ad illam “. Si inferas ex hoc ſequi, quod neque praticanda eſſet ſententia de ſufficentia Attritionis orbatæ omni Amore Dei benevolentiæ in Sacramento Pœnitentiæ, cum ea, uti videre eſt in de Synodo Diœceſana Benedicti XIV. l. 7. c. 13. ad ſummum ſit Moraliter certa: Concederemus illationem (ut eam apud Concinam t. 9. concedunt Salmanticenſes Scholaſtici, & P. Platelius eam affirmativam ſententiam mordicus defendentes (1), ſi ceteroquin tutius non eſſet conari etiam ad concipiendum *Supernaturalem* Attritionem (quæ forſan facilius, & certius concipitur, nec omnino orbata omni amore Initiali benevolentiæ), quam ad ſolam Contritionem. Quæ utpote perfectior ac nobilior rarius ac difficilius concipitur, *ut oportet*. Cum etiam hic verum eſſe poſſit illud Ciceronis „ *Optimum quodque rariſſimum eſt* “. Et ceteroquin certum eſt Attritionem ſaltem præditam eo amore licet vix explicabili a ſuis Propugnatoribus, eſſe ſufficientem ad Juſtificationem.

IV. Probo ſic 3. Quantumvis etiam admittatur, quod oppoſita opinio ſit non ſolum *Moraliter*, ſed etiam *Metaphyſice* certa, attamen in ejus praxi neceſſario intervenirent tres *graviſſimæ Incertitudines*, per quas quicumque eam praticaret inevitabiliter certo Sacramentum *nullitatis*, & animam *perditionis* æternæ periculo voluntarie exponeret. Sed eo ipſo ea praxis eſſet graviter illicita. Ergo quantumvis Adverſariorum oppoſita opinio eſſet *Metaphyſice* certa, adhuc ejus praxis eſſet prorſus graviter illicita. Minor, & Conſequentia ſunt manifeſtiſſimæ veritatis cuicumque vel e veſtibulo ſalutaverit Theologiam. Major ſimiliter talis evincitur ex eo ſcilicet, quod quicumque oppoſitam opinionem praticet, neceſſario velit nolit habeat tres ſequentes *Incertitudines*. I. An ſcilicet ille *Tunc* habeat nec ne illum *Virtualem Fidei Actum Exercitum*, ac *Implicitum* in illis Pietatis operibus, quæ exercet, incluſum? Hoc eſt, an ipſe unquam in vita ſua reapſe elicuiſſet illum *Formalem Explicitum Actum Fidei Supernaturalis, ut oportet*, ex cujus vera exiſtentia aliquando in rerum natura poſita eſſentialiter dependet, quod poſtea hæc talis qualis *Virtualis* Adverſariorum *Fides Exercita & Implicita* reſultet. II. De *tempore*, die videlicet, menſe, vel anno, quo ejuſmodi *Formalem Explicitum Supernaturalem Fidei Actum elicuerit*. III. Et quidem majorem haberet incertitudinem *de ſpatio durationis* ejuſdem Actus in ſuo eſſe proprie *Virtuali*, ideſt quandiu, ſeu per quot dies, menſes, vel annos (cum non ſit æternus) is perſeveret proprie *Virtualis Exercitus ac Implicitus*? „ *Cum* (ut nimis vere ait citatus. P. Lacroix) *neſciamus quando Actus illi deſinant eſſe Virtualiter, & tantum Habitualiter permaneant* “.

V. Sicut ergo omnis certitudo ex Fide de *ſufficentia veri vini*, quam habet celebrans, non eſt ſufficiens ad excludendum periculum nullitatis Sacramenti Euchariſtiæ, ac certi Sacrilegii; ſi ille, maxime cum facile habere poſſet vinum minus dubium, temerarius intendat conſecrare v. g. Omphacium, muſtum recens, vel quemlibet alium liquorem, de quo prudenter dubitare deberet, an is in ſuo primo fieri fuerit nec ne tenuis lora, vel ſaltem licet olim fuerit vinum merum, hic & nunc jam verſum in acetum, vel dilutum, aut penitus fugiens ſit, ita etiam certitudo non ſolum *Moralis*, ſed etiam *Metaphyſica*, quam de *ſufficientia prædicta Fidei Virtualis*

(1) P. Platelius in Synopſi p. 5. dicens „ Quamvis autem ſententia noſtra *de Sufficientia Attritionis ex metu gehennæ* ſit *aliquo modo Moraliter certa* ob notabilem exceſſum probabilitatis ejus ſupra probabilitatem alterius; quia tamen *non eſt omnino certa in praxi, curandum eſt*, ut quo poteſt certiori modo conſulatur validitati Abſolutionis “.



*lis* juxta oppoſitam opinionem haberet, qui illam praticaret, non eſſet ſufficiens ad excludendum ab ejus praxi præfata *duo* certa pericula *nullitatis*, ſcilicet Sacramenti, & perditionis propriæ animæ. Quæ quidem pericula quantum in ipſis eſt, evitant, qui noſtram *Tutiorem* ſententiam juxta Eccleſiæ definitionem in praxim redigentes ſatagunt *Supernaturales Explicitos Fidei Actus* ad ſuas Spem, Contritionem, & Attritionem præmittere. Fingatur igitur quantumlibet oppoſita opinio non ſolum *Moraliter*, ſed etiam *Metaphyſice certa*, nunquam tamen *ea certitudo* licitam reddere poterit illius praxim. Cum ſemper contra ipſam ſtet inconcuſſum hoc noſtrum ineluctabile ratiocinium. Extra caſum urgentis neceſſitatis in nulla hypotheſi licita eſt praxis illius opinionis, quæ Sacramenta *nullitatis*, & animas *damnationis* evidenti periculo exponat. Atqui hiſce periculis etiam in illa hypotheſi, ut vidimus, ipſa exponit oppoſitæ opinionis praxis. Ergo ea praxis in nulla hypotheſi licita eſt.

## CAP. II.

*Evincitur tandem inſuperabilis neceſſitas praxeos noſtræ ſententiæ in primis ex eo, quod ſcilicet oppoſitæ opinionis praxis tanquam licita involvit praxim damnatæ Prop.* Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta Tutiore &c. *Secundo ex eo, quod quorundam Adverſariorum reſponſio, quod videlicet* noſtra ſententia utpote mera opinio eoſdem ad ſui praxim conſtringere non valeat; nec Confeſſarius eiſdem hujus ſuæ opinionis praxim interdicere poſſit, *prorſus falſa & erronea eſt*.

I. PRobo aſſumptum argumentando ſic 1. In nullo alio conſiſtit ſacrilega praxis dam. Prop. v. g. *Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos &c.* niſi in eo, quod ſcilicet Confeſſarius, & Pœnitens hoc illicitum non reputantes in praxim reducant, quod Pœnitens poſſit licite abſolvi *dimidiate tantum confeſſus ratione magni concurſus Pœnitentium*. Ergo etiam in nullo alio conſiſtit ſacrilega praxis prædictæ Prop. *Non eſt illicitum &c.* niſi in eo quod iidem in adminiſtratione Sacr. Pœnitentiæ v. g. id *illicitum* non reputantes in praxim reducant quod *non eſt illicitum* ſibi *ſequi opinionem probabilem* (qualem licet falſo reputant oppoſitam ſuam opinionem) *de valore Sacramenti relicta* noſtra *Tutiore*. Conſequentia evincitur ex tenore, ac fine Decreti Innocentiani eam Prop. *ſicut jacet*, ac indefinite proſcribentis, ac ex DD. intelligentia. „ Ex tenore Decreti tenemur omittere opinionem probabiliorem circa valorem Sacramenti, quando minus probabilis tutior eſt “. Inquit P. Cardenas Criſi 1. Diſſ. 1. c. 1. n. 13. addens c. 3. n. 14. „ Tanquam certum ſupponendum eſt ſub damnatione (Prop. *Non eſt illicitum*) contineri eam opinionem, quæ exponit fruſtrationi Sacramentum quodcumque illud ſit extra caſum neceſſitatis. *Iſte enim eſt præcipuus ſcopus hujus damnationis* &c. “ Et P. Viva ad Prop. 35. ejuſdem Decreti n. 8. ait „ Regula generalis eſt, quod opinio ſpeculative probabilis non ſit *pratice probabilis*, quoties ſi ea revera eſſet falſa, non declinaretur malum proprium, aut Proximi, unde fit, quod non poſſimus in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta Tutiore “. Ferrarius tandem V. Conſcientia n. 40. inquit „ Si ſint opiniones oppoſitæ circa aliquid concernens valorem Sacramentorum, ſequenda eſt Tutior, quia minus tuta licet fortaſſe ſit probabilior, ... facere tamen non poteſt, ut tale aliquid non ſit de valore Sacramenti, vel ut Sacramentum ſit validum, ſi illud omittatur “.

II. Probo argum. ſic 2. Multo tempore antequam ab Eccleſia damnaretur præfata Prop. *Non eſt illicitum in Sacramentis &c.* non ſolum circa Materiam, & Formam Sacramentorum, ſed etiam circa *omnia* alia illorum eſſentialia *Requiſita* Axioma illud, *in adminiſtratione Sacramentorum tenemur ſequi Tutiorem opinionem* adeo ample receptum erat apud TT. ut P. Tamburinus l. 5. de Pœnit. c. 5. §. 4. n. 44. defenſurus opinionem de ſufficientia Juriſdictionis probabilis in Miniſtro Sacramenti recurrere debuerit ad (certum) ſupplementum Eccleſiæ in ejuſmodi praxi, dum ait „ Si opponas illud Axioma: *In adminiſtratione &c.* dico illud intelligi in Materia, & Forma Sacramentorum, vel in *ſimilibus Requiſitis*, non in Juriſdictione; nam hujus defectum Eccleſia (certo) ſupplet “. Ergo, infero ego, ſi jam antea per antiquum Theologicum Axioma non erat licitum circa *Requiſita* Sacramentorum ſequi opinionem minus tutam, quanto minus hoc licitum erit, poſtquam id ab Eccleſia definitum eſt uti *illicitum*?

III. Probo argum. ſic 3. Nullus in Theologicis mediocriter verſatus negare poteſt vel quod illæ ſint opiniones *de valore Sacramentorum*, vel quod in prædicta damnatione non ſit comprehenſa *praxis* omnium opinionum negativarum, quæ verſantur *circa aliquid, quod ſit Requiſitum*, ex quo dependeat validitas Sacramenti, quantumvis nihil commune habeat cum illius Materia, vel Forma, ut patet in *Requiſitis* v. g. *Poteſtatis* Sacerdotalis, vel Epiſcopalis in multis, vel tandem *Intentionis* Miniſtri in omnibus. Ergo, infero iterum, ſi ante prædictam condemnationem non erat licitum ſequi opinionem probabilem minus tutam non ſolum circa Materiam, & Formam; ſed etiam circa alia *Requiſita* Sacramentorum (cum ipſorum validitas æque periclitetur ex probabili defectu illarum, ac iſtorum; & cum Eccleſia indefinite, ſeu nulla habita ratione ad aliquam reſtrictionem quam forte habere potuerit in contextu ſui Auctoris damnaverit prædictam Prop. de his, & de illis indifferenter loquentem), qua nova Theologia poſt ſolemnem oppoſitæ doctrinæ damnationem deobligabimur a neceſſitate ſequendi opinionem *Tutiorem* circa principalius Requiſitum Materiæ proximæ Sacramenti Pœnitentiæ, *Supernaturalitatem* ſcilicet, ut ſe-

ſequamur opinionem improbabilem, & minime tutam cica hoc Requiſitum?

IV. Probo idem aſſumptum argum. ſic 4. Secundum Adverſarios ſunt de valore Sacramenti, & earum praxis omnino comprehenſa eſt in prædicta damnata, opinio Dom. Soto, & aliorum, ſcilicet „ Ad Confeſſionem Venialium non requiri Dolorem Formalem Expreſſum, ſed *ſufficere Dolorem Implicitum*, qui includitur in ipſa voluntate confitendi ea peccata “; & opinio Juvenini, Serry, & Silveſtri „ requirentium (ut ait P. Viva) *Intentionem* faciendi quod facit Eccleſia, ſed faciendi illud *materialiter, non formaliter*, hoc eſt requiri *Intentionem adhibendi ritus, ac cerimonias externas ab Eccleſia præſcriptas, non tamen Intentionem internam conferendi Sacramentum* “. Ergo etiam talis erit, & quidem a fortiori opinio Bonacinæ, Concinæ, & aliorum Adverſariorum *de ſufficientia, ac duratione diuturna prædictarum Fidei, Spei Virtualium Exercitatarum & Implicitarum*, utpote quæ adeo intrinſece verſatur circa Materiam proximam Sacramenti.

V. Probo argum. ſic tandem 5. Quamvis Relatio doloris ad futuram Confeſſionem, ſive *Intentio*, qua Pœnitens juxta Sententiam Caſtripalai, Laymani, Coninchii, Bonacinæ, & Occhagaviæ Dolorem concipere debeat in ordine ad ipſam Confeſſionem, ſit Requiſitum extrinſecum omnino Materiæ, & Formæ Sacramenti Pœnitentiæ, attamen praxis oppoſitæ opinionis negativæ (quantumvis ceteroquin ea probabiliſſima ſit, & ab omnibus Confeſſariis, & Pœnitentibus in praxim reddatur) cenſetur comprehenſa in prædicta damnata, *Non eſt illicitum*, a tribus gravibus TT. Cardena, Viva, & Lacroiſio, dum primus ad præfatam Prop. d. 2. c. 5. ar. 3. q. 5. n. 87. ait „ Eſt opinio Tutior, quod *requiratur*: atque adeo opinio, quæ *negat eam Relationem Doloris ad Confeſſionem requiri*, exponit Sacramentum fruſtrationi; atque ea ſubjicitur huic damnationi “; & ſecundus ad Prop. 18. Decreti Alex. VIII. n. 16. inquit „ Licet ſpeculative ſit probabile ſufficere quod Dolor præteritus *deinde* ad Confeſſionem referatur, pratice tamen videtur requiri, quod Dolor *ex Intentione* ſuſcipiendi Sacramentum concipiatur, cum in Sacramentis ſuſcipiendis, uti diximus, in expoſitione theſis I. Innoc. XI. non poſſimus ſequi opinionem ſolum probabilem *de eorum valore, relicta Tutiore* “. Ac tandem tertius addit l. 6. p. 2. n. 701. „ Quamvis ſecundum dicta probabile ſit ſufficere Dolorem poſt Confeſſionem elicitum, tamen praxis illius ſententiæ *eſt illicita*, & damnata ab Innoc. XI. Agitur enim de valore Sacramenti, & quamvis de Lugo n. 13. ſententiam oppoſitam vocet *ſingularem, & contra omnes* alios TT. nihilominus eſt probabilis &c. Hinc in praxi tenetur Pœnitens poſt Dolorem elicitum ſe accuſare ſaltem in genere de peccatis antedictis, & ſi Confeſſarius hunc interroget, *An ſe iterum accuſet de peccatis illis*, ac Pœnitens dicat, *Ita*: hoc ſufficit “. Ergo a fortiori in ea ipſa Prop. comprehenſa eſt praxis oppoſitæ opinionis Adverſariorum.

§. Un.

VI. Probo jam quod prædicta Adverſariorum reſponſio, quod *noſtra ſententia utpote mera opinio eoſdem ad ſui praxim conſtringere non valeat &c.* ſit falſa & erronea ex eo ſcilicet, quod ſi admittatur, tollat omne robur ac vim non ſolum præfatæ *praxi olim ab Eccleſia injunctæ Fidelibus*, ac Tridentini *virtuali declarationi* ſuæ neceſſitatis, ſed etiam *Formali Chriſti Vicarii definitioni*, per quam nobis *ex Cathedra* declaravit nulli Fidelium obtentu *cujuſcumque* probabilitatis, immo & *Moralis certitudinis*, maxime ſi Tutioritas facile praticari poſſit (nam utrumque importat damnatio prædicta indefinite Tutioris opinionis praxim præcipiens), Sacramentum aliquod nullitatis periculo exponere licere. Quia ſi ea reſponſio adhibeatur, licita reddetur praxis non ſolum plurium ex damnatis Prop. uti v. g. 1. 2. 25. 50. 60. & 61. Decreti Innocentiani, ſed etiam praxis omnium, quæ circumferuntur de valore omnium Sacramentorum. Poterunt ſiquidem illa innixi tam ea conferentes, quam ſuſcipientes abſque ullo Sacrilegii ſcrupulo ad praxim reducere v. g. in Baptiſmo opiniones eorum TT. qui probabiliſſime dicunt eſſe ſufficientem illius Formam „ *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & procedentis ab utroque*: & ſufficientem ejuſdem Materiam, *tenuem cerviſiam*: immo & opinionem eorum, qui putant ſufficientem Intentionem *materialiter faciendi*, quod facit Eccleſia, & ſic de reliquis Sacramentis, & de reliquis opinionibus de eorumdem valore. Poterunt quippe eodem jure ſibi objicientibus damnationem praxeos talium opinionum reſpondere: quod ſententiæ negantes prædictas Materiam, Formam, & Intentionem eſſe ſufficientes Materiam, Formam, & Intentionem Baptiſmi, ſolum ſunt meræ opiniones (& idem dicito de omnibus aliis ſimilibus negativis ſententiis), *minime vero Formales, aut Virtuales* Eccleſiæ *definitiones in ſe ipſis, quæ eos ad ſuam ipſarum praxim adſtringere valeant*.

VII. Nam eſto, quod non ſit Formaliter definitum, quod *Fides Formalis Actualis non perſeveret proprie Virtualis ex uno ad alium diem*: & quod *Fides Virtualis Exercita, & Implicita non ſit ſufficiens ad Supernaturalem Contritionem*, ſicut etiam Formaliter definitum non eſt, quod v. g. *tenuis cerviſia* non ſit ſufficiens Materia, & quod enuntiatio „ *Ego te baptizo in nomine Genitoris &c.* non ſit ſufficiens Forma Baptiſmi; nam eſto, ut diximus, quod hoc non ſit *Formaliter* definitum, aſt (quod rem plane conficit, omnia que Adverſariorum molimina prorſus evertit) eſt *Formaliter* definitum, & *Formaliſſime* ab Eccleſia Dei proſcriptum tenere, ſeu putare quod *non eſt illicitum* ejuſmodi opiniones eam ſufficientiam affirmantes ſequi, atque ad praxim reducere. Et ſicut ſine gravi Sacrilegio, ſi caſum neceſſitatis demas, nullus poteſt ad praxim reducere prædictas opiniones *de ſufficientia Materiæ, & Formæ Baptiſmatis: Doloris Impliciti in Confeſſione Venialium: & Intentionis adhibendi ritus, ac cerimonias externas*, & ſimiles alias; ita ſimi-





liter neque illas noſtræ ſententiæ contrarias *de perſeverantia, duratione, ac ſufficientia prædictæ Fidei, & Spei Virtualis Exercitæ, ac Implicitæ*.

VIII. Nec minus allucinantur prædicti Adverſarii, dum ex eo ſcil. quod Confeſſarius in variis aliis caſibus nec debeat, nec poſſit cogere Pœnitentem ad ſequendas ſuas opiniones, putant eumdem nec debere, nec poſſe ad eas in noſtro & ſimilibus caſibus ſequendas eum cogere. Cum P. Lacroiſius, qui l. 1. n. 445. merito ait: „ Omnino videtur *certum*, quod Confeſſarius teneatur abſolvere Pœnitentem, ita docent Auct. communiter &c. Quia Pœnitens ſupponitur aliunde rite diſpoſitus, illa autem opinio Confeſſarii impertinenter ſe habet ad conſcientiam præteritam (qua cum Pœnitens judicavit v. gr. ſibi licuiſſe depingere die feſto) &c. n. 144. veriſſime dixerit. Si Sacramentum per hoc exponeretur *periculo nullitatis*, uti ſi Pœnitens vellet abſolvi omiſſo aliquod, quod *utrinque probabiliter affirmatur, & negatur, eſſe de valore Sacramenti, Confeſſarius non poſſet eum abſolvere*; quando enim agitur de valore Sacramenti non tantum Confeſſarius, ſed & Pœnitens ipſe *tenetur ſequi Tutiorem*. “ Nam quid hoc aliud eſſet quam putare licitum eſſe Pœnitenti in praxim reducere opinionem *proſcriptæ* praxeos, & Confeſſatio uti extra neceſſitatis caſum Materia Pœnitentiæ *probabiliſſime* inepta, *evidentiſſime* dubia, & *certiſſime* probibita, qualis eſſet dolor ex prædictis Fide, & Spe *Virtualibus Exercitis, & Implicitis* proveniens, ut ſatis ſuperque demonſtratum eſt, & in ſolutione objectionum plenius demonſtrabitur.

# DISSERTATIO IV.

Satisfit Objectionibus, quibus Adverſarii fruſtra tutare prætendunt prætenſam *durationem* Fidei Actualis Formalis certo proprie *Virtualis* ex uno ad alium diem.

## CAPUT I.

*Objectant Adverſarii Auctoritatem ſeqq. Theologorum.*

I. ARguuntque ita: Bonacinas t. 2. d. 3. q. 2. punct. 2. n. 9. id forſan tranſcribens ex Inſtit. Sacerdotum Petri Soto, ait: „ Exiſtimo tamen hominem, qui ſemel juſtificatus eſt, & elicuit Actus Fidei, non teneri *Explicite elicere Actum Fidei*, dum poſtea vult juſtificari per Sacramentum Pœnitentiæ, aut per Actum Contritionis, ſed *ſufficit Fides Implicita*, quæ ſimul habetur cum Actu Contritionis, vel *ſufficit Actus Fidei præteritus non retractatus* “ (Ego ſane quærerem ab Adverſariis, quomodo Actus Fidei retractari poſſit niſi per Actum poſitivæ incredulitatis, & apoſtaſiæ a Fide?) &c. „ cui doctrinæ P. Cardenas in 2. Criſi Diſs. 13. c. 3. & 4. addit hæc verba: *Virtualiter perſiſtens in ſuo effectu*: quod quidem adoptat P. Reuter cit. Diſs. 2. c. 3. q. 2. Ergo ſunt Theologi, qui putant Fidem Actualem Formalem certo durare ex uno ad alium diem proprie *Virtualem*; conſequenterque ad plures annos poſt interruptionem, quæ ſit per ſomnum. “ Reſpondemus diſt. conſeq. Ergo ſunt Theologi, qui hoc putant nixi nullis, vel debilibus ac plane ſophiſticis fundamentis, ab iiſdemque magna ex parte impugnatis. Concedimus. Aliter neg. conſeq. Nam in primis Sotus, & Bonacinas, & fere omnes, qui hos ſequuntur, nullo fundamento hoc ſuum opinamentum probant. Quapropter P. Cardenas illud non niſi ex parte admittit. Et nec ipſe, nec P. Reuter ipſum firmiori fundamento probant, quam ſit hoc: „ *Quia durum videtur, & ſcrupulis obnoxium requirere ad Confeſſionem peccatorum, & juſtificationem Actum Formalem ejus Fidei, & Spei, nec ſufficere Virtualem &c.* “

II. Verum enim vero ſi hoc fundamentum ſufficiens eſſet ad negandam neceſſitatem Formalis Actus Fidei, & Spei ad Contritionem diſponentis, a fortiori ſufficiens eſſet etiam ad negandam neceſſitatem tum diligentis *Examinis*, tum *exponendi* Confeſſario peccata ſaltem verecundiora, tum demum *eliciendi* Formalem Actum Contritionis, in ipſo Sacramento Pœnitentiæ. Cum obligatio hæc omnia præſtandi longe durior, & ſcrupulis obnoxior ſit. Quod quidem fundamentum nihil roboratur ſeq. dicto P. Reuteri, videlicet: „ Niſi hoc verum eſſet, plerique rudes damnarentur ob defectum Fidei; tenerentur etiam Confeſſarii ſemper exigere ab illis Fidem ſignate *Explicitam*, quod onus eſſet nimis grave. “ Nam, ſi plurimi rudes, & etiam litterati damnantur ob defectum Fidei *quo ad objecta credenda*, ut patet in omnibus Infidelibus, & Acatholicis, quid mirum, quod plerique rudes, & etiam litterati damnentur ob defectum Fidei *quoad modum, & tempus credendi, ut oportet objecta credenda* ab ipſis quidem agnita, & profeſſa: at nonniſi imperfecte, nec *ut oportet* credita? Et ſi plerique rudes, & litterati damnantur ob defectum veræ *Supernaturalis* Spei, Charitatis, Contritionis, & Attritionis, *ut oportet*, cur non damnabuntur etiam plerique rudes, & litterati ob defectum veræ Fidei *Supernaturalis Actualis, ut oportet*? Et ſi Confeſſarii, quamvis hoc ipſis oneroſius ſit, tenentur ſemper ab iiſdem prædicta omnia exigere, quid mirum, quod teneantur etiam ab illis ſemper exigere hanc Fidem ſignate *Explicitam*, quam ex Lege Eccleſiæ declarativa divinæ ab omnibus rudibus, & litteratis ſemper per ſpatium tredecim, vel qua-

quatuordecim ſæculorum exigerunt Confeſſarii omnes, quin hoc ab Eccleſia judicaretur onus nimis grave, vel ſaltem ab operoſo munere Confeſſarii alienum. Neque P. Lacroix cit. n. 24. tantam vim agnovit in eo fundamento, ut non ſcripſerit: „ Si Fides *Virtualis* ſumatur ſecundum 2. explicationem n. 16. relatam, *non eſt certum, quod ſufficiat ad Juſtificationem, aliosque Actus Supernaturales*, eſt contra Cardenas diſs. 15. c. 4. “

III. Sed quod mirabilius eſt, ipſe P. Cardenas ſuam opinationem impugnat 1. dum citatis verbis, *Actus Fidei præteritus non retractatus, & Virtualiter perſiſtens in ſuo effectu*, addit hæc alia: „ quæ ultima Concluſionis verba ſuperaddo, quia licet is modus *Continentiæ Virtualis*, per hoc, quod extiterit Actus, & non ſit retractatus, dato quod in aliis Materiis poſſit adaptari; in hac tamen Materia *de Fide Explicita* Remuneratoris, ſicut etiam in Materia Spei retributionis æternæ *videtur mihi Incongrue procedere*. Nam cum ad eum diſcurrendi modum, ut dicatur *Actus Moraliter* (adde, & a fortiori *Virtualiter*) *perſeverare*, requiratur, quod proximo tempore præcedat, & non facile determinetur quantum debet eſſe id tempus, ut ſit proximum &c. “ Quibus rationibus prorſus confodit Cardenas ſuam, & Adverſariorum noſtrorum aſſertionem. Cum ea revera una eadem ſit cum ſolo *extrinſeco* additamento noſtræ imaginationis, quæ ſibi fingat, quod Actus Formalis Fidei præteritus (prorſus extinctus) *non retractatus Virtualiter perſiſtat* in prætenſo præſenti, vel futuro Actu v. gr. Contritionis, *ut in ſuo effectu*. Quæ quidem noſtra imaginatio ut ut viviſſima nihil durationis, vel virtutis addere amplius poteſt Actui præterito prorſus extincto ad hoc, ut ipſe ad libitum noſtrum duret, ac influat poſt quantamcumque temporis differentiam in prætenſis noſtris præſentibus, atque futuris *Supernaturalibus* Actibus Spei, Charitatis, & Contritionis. Proindeque *is modus Continentiæ Virtualis* etiam poſito eo additamento in Materiis Fidei, & Spei *ſemper Incongrue procedit* ob eaſdem omnino rationes. Quis enim niſi amens credat, quod Actus Formalis Fidei paucorum momentorum *Formalis*, & paucarum horarum *Virtualis* durationis ab hinc decem annos a me elicitus, poſteaquam tunc penitus deſiit exiſtere in rerum natura, abſque miraculo & quidem primi ordinis ad vitam redux hodie vel cras mentem, atque voluntatem illuminando concurrat ad præſentem, atque futurum meum Contritionis Actum, in quo *Virtualiter perſiſtat ut in ſuo effectu*?

IV. Eamdem impugnat 2. dum diſs. 2. c. 6. q. 6. n. 88. & ſeqq. ad hanc objectionem: „ Dices hinc inferri, quod ſiquis faciat eam recognitionem peccatorum dolens de eis in ordine ad Confeſſionem faciendam poſt menſem *integrum*, illam eſſe validam; hoc autem non eſſe certum, nec tutum, ergo neque antecedens. (Eum ſcil. qui uno, vel duobus diebus ante Confeſſionem recogitat peccata, & de illis *tunc dolet*, tuto procedere, & Confeſſionem eſſe certo validam, atque adeo hanc doctrinam non ſubjacere huic damnationi, *Non eſt illicitum &c.*) “ unde infertur: „ Dum, inquam, ad hanc objectionem ſic reſpondet 1. *Moraliter* loquendo eum dolorem tam longo tempore diſtantem a Confeſſione non poſſe influere in illam Confeſſionem, neque imperare illam, & ad ſummum id eſſe dubium propter diuturnam diſtantiam &c. Unde fit, ut opiniones, quæ longiorem diſtantiam admittunt, aut adſtruunt hanc relationem Doloris ad Confeſſionem, manere ſubjectas huic damnationi. “

V. Tandem prætenſam Moralem certitudinem hujus ſuæ opinionis, ob quam eam comprehenſam non putavit in damnata, *Non eſt illicitum* &c. funditus evertit diſs. 12. c. 2. ar. 6. n. 75. & 76. dum de hac ſua *Fide Virtuali* hæc ſcribit: „ Scio ejuſmodi Actus Fidei cognoſcentes ita (id eſt *cum omnimoda certitudine, & firmiſſima adhæſione*, ſed *ſine Actuali memoria divinæ revelationis, & auctoritatis*) Objectum Materiale, hoc eſt divina Myſteria Fidei, ſolere dici ab AA. *eſſe Virtualiter Actus Fidei*. Nec negari poteſt eos Actus, qui eliciuntur circa veritates, quas quis didicit, & comparavit in ſchola Fidei, quamvis *Actualiter* deſit memoria revelationis divinæ, eſſe ſaltem *Virtualiter Actus Fidei*. Nam, ut dicam infra, *Actus Formalis Fidei olim habitus continetur in illis tanquam in effectu*. Sed (notent bene ſapientiſſimi noſtri Adverſarii) reſtat adhuc difficultas, *An Actus illi, qui ſunt Virtualiter Actus Fidei, ſint veri Actus Fidei, quales præcepto divino jubentur, & procedant ab Habitu Fidei Supernaturalis*. P. Petrus Hurtado (pergit idem Cardenas) diſp. 8. de Fide per totum agitat hanc quæſtionem, *An Actus Fidei pendeat a revelatione Actualiter cognita?* Et ſeſs. 1. ait: Eam quæſtionem in utramque partem diſſertabo &c. Atque hic poſtquam ingenioſiſſimus Cardenas adtulit quid quid (ſane parum, ac infirmum) invenire potuit in favorem hujus ſuæ, & Bonacinæ opinionis, concludit ad n. 36. dicens: „ Sed quandoquidem P. Hurtado *non reſolvit* omnino hanc quæſtionem &c. *Ita nec ego reſolvo*: & quæſtionem (adeo ea ſibi maxime ob communia præjudicia dubitationis, atque incertitudinis plena viſa eſt!) *Doctoribus decidendam relinquo*. “ Hæc ſi adtentius legiſſent duo nobiles Recentiores, in ſuis Theologiis non ſcripſiſſet unus p. 3. tr. 1. diſs. 1. c. 3. q. 3. adeo fidenter: „ Fides neceſſaria neceſſitate Medii ad Juſtificationem, & ſalutem non neceſſario debet eſſe *Explicita* ſubjective, & ſignate propter Dei teſtimonium: “ & alter l. 2. tr. 1. c. 7. „ *Aitque Hurtadus* apud Cardenas in Prop. 17. Innoc. XI. *hos Actus eſſe vere Actus Fidei*, quia radicaliter ex Motivo Fidei oriuntur. “

CA-

## CAPUT II.

*Objectant Adverſarii Auctoritatem aliorum Theologorum*.

I. ARguuntque 1. „ P. Viva ad 1. Prop. ab Alex. VII. damnatam n. 10. ad quæſ. *An debeant exerceri Actus Fidei, & Spei antequam ſuſcipiatur Sacramentum Pœnitentiæ tanquam præviæ diſpoſitiones ad Juſtificationem, prout habetur in Tridentino ſeſſ. 6. c. 6.* ait: Reſpondeo cum Haunoldo, Tamburino in Opuſc. Exped. Confeſs. l. 3. c. 5. & aliis, quod..... non tenetur (Pœnitens) *elicere Actus Fidei Formales, & Explicitos* de Myſteriis credendis præciſe, ut ad Sacramentum Pœnitentiæ diſponatur. Et in 2. p. in damn. ad quæſ. *An Fides Explicita Dei* &c. reſpondet: Putant nonnulli non ſolum ad Juſtificationem Infidelis, ſed etiam *impii Fidelis eam requiri*, quia Tridentinum ſeſs. 6. c. 6. *inter diſpoſitiones ad Gratiam conſequendam enumerat Fidem, & Spem &c.* Communis tamen ſententia docet a Tridentino ibi enumerari Actus, *qui ſolent Juſtificationem præire* &c. Nec dicas in iis, quæ ſpectant ad valorem Sacramenti ſequendam eſſe partem *Tutiorem*, atque adeo præmittendos eſſe hujuſmodi Actus ante *quamcumque* Suſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ. Nam *Fidem Explicitam Actualem* Dei Remuneratoris, & Spem ad valide ſuſcipiendum Pœnitentiæ Sacramentum non requiri videtur *Moraliter* certum tum ex *conſenſu TT.* tum etiam quia aliter *mutila* eſſet in re tam gravi Doctrina Tridentini tradentis ſeſs. 14. ea, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ ſpectant: Ergo, pergunt Adverſarii, ſtant pro nobis non ſolum plures TT. ſed *Theologorum conſenſus*, & Tridentinum nobis favet. Ergo non eſt neceſſe præmittere ad Contritionem prædictos Actus *recenter elicitos*. “

II. Reſp. Conced. ant. & neg. duas conſeq. utpote falſiſſimas, & prætenſam *Moralem* certitudinem (quæ & ſi daretur, vel eſſet *Metaphyſica*, non evinceret intentum), ob quam prætendunt, quod praxis oppoſitæ ſuæ opinionis non comprehendatur in damnata, *Non eſt illicitum*. Nam in primis prætenſus *TT. conſenſus* nullo modo ſubſiſtit, cum ex illis non multo plures quam viginti ſtant pro oppoſita, dum pro noſtra ſententia præter Angelicum D. & plures alios omnium Ordinum cum Eximio D. amplius triginta celebriores DD. e Soc. Jeſu. Et ſane nullus alius ex Adverſariis, quem viderim, ejuſmodi *TT. conſenſum* jactat. Unus Ligorius ait, quod *communius negant*, verum enim vero neque hoc verum eſt. Quia tamen *Quandoque bonus dormitat Homerus*, forſan celebres hi DD. in hoc decepti ſunt teſtimonio Aragonii, qui quidem in ſimili quæſtione allucinatus eſt in citatione DD. uti l. 2. in dec. c. 1. n. 2. ſcribit erudit. P. Sanchez dicens: „ Aragonius 2. 2. q. 2. ar. 6. ait: Ubi *ſemel quis Actu rei Fidei credidit, non teneri eum amplius Fidei Actum elicere* niſi cum neceſſitas confitendi Fidem occurrerit, & ita, ait, ſentire *communiter DD. at ego nullum alium* id aſſerentem inveni. “

III. Sicut ergo Aragonius invenit *communem DD.* ubi ne *unus* quidem reperiebatur, ita potuere hi duo ceteroquin graves TT. invenire unus *conſenſum*, & alter *communiorem TT. Sententiam*, ubi non niſi pauci inveniuntur. Quod ulterius confirmatur ex eo ſcil. quod ex illis duobus nominatim citatis a Viva, P. Tamburinus vel oppoſitam opinionem nunquam docuit, vel ſaltem poſtea eam retractavit, dum cit. l. n. 10. ſcribit illud: „ Non teneri ſcil. nos ad Actum Fidei, & Spei, *niſi quando tenemur juſtificari per Contritionem, & ego addo vel per Attritionem cum Sacramento*. “ Et forſan idem dici poterit de alio, Haunoldo videlicet, qui apud Lacroiſium l. 2. n. 21. ait: „ Dicendum cum ceteris TT. ad omne opus meritorium *Supernaturale* præcedere *donum Fidei ſtricte ſumptæ*. “ Unde penitus evanuit prætenſus *TT. conſenſus*, qui licet in noſtro caſu daretur, nequaquam redderet oppoſitam opinionem *Moraliter certam*, quia, ut l. 6. p. 2. n. 1141. ait cit. Lacroix: „ *Senſus communis DD. non ſemper facit Moralem certitudinem*; ſed attendendum eſt quales ſint, & quibus fundamentis innitantur. “ Et P. Cardenas tr. de Prob. diſs. 12. n. 81. addit: „ Et ſi *omnes* TT. affirment opinionem eſſe certo falſam, non faciunt evidentiam *Moralem* &c. Quia quod opinio ſit certo *falſa, vel non ſit*, non dependet a *ſolo judicio prudentum, ſed a Principio certo rationis*; vel *juris poſitivi*, in quo *ratio Naturalis* prævalere poteſt contra judicium omnium, qui ſcopum veritatis demonſtrabilis non tetigerant. “

IV. Secundo. Nullum omnino eſt aliud fundamentum *ab Inconvenienti* quod *aliter mutila eſſet Doctrina Tridentini tradentis &c.* Nam licet Concilium ſeſs. 14. (ubi agit de partibus eſſentialibus Pœnitentiæ, quales non ſunt Actus Fidei, & Spei, qui ſolum reſpectu Contritionis *ſunt Requiſita, & diſpoſitiones proximæ*, ut optime in cit. de Gratia p. 3. l. 8. c. 6. n. 15. ait P. Suarez dicens: „ *Actus Fidei ſupponitur Spei*, & ita *uterque Actus Contritioni* &c. Alia vero eſt diſpoſitio, quæ licet ad totam juſtitiam remote tantum, & inchoative diſponat, ad aliquam ejus partem, ſeu virtutem diſponit proxime, ſicut de Actu Fidei, & Spei diximus:) “ nihil de Fide, & Spe dixiſſet, non idcirco *mutila eſſet doctrina Tridentini tradentis* &c. Cum jam ſeſs. 6. inter alia ad Sacramentum Pœnitentiæ ſpectantia, tradiderit doctrinam *neceſſitatis Actuum Formalium, & Explicitorum* Fidei, & Spei, uti fatentur peritiores Adverſarii, immo, ut hic fatetur vel ipſemet Viva illo ſuo: „ *Prout habetur* in Tridentino ſeſs. 6. c. 6.? *Et quia Tridentinum ſeſs. 6. c. 6. inter diſpoſitiones ad gratiam conſequendam enumerat Fidem, & Spem*. “ Aliter dicant Adverſarii, quod non ſit neceſſitate Medii neceſſarius ad *Supernaturalem* Contritionem proprius ac rigoroſus Formalis Actus

Gratiæ Excitantis ex eo, quod Tridentinum ſeſs. 14. *iterum* de prædicta Gratia non egerit.

V. Fruſtra prætentant Adverſarii effugere vim, ſin minus *Explicitæ*, vel *Implicitæ definitionis*, certe *expreſſæ Conciliaris ſententiæ de neceſſitate Formalis Actus Expliciti Fidei* pro omni caſu juxta noſtram ſententiam obtrudentes falſiſſimam (maxime relative ad Fidem, & ſimilia) & periculoſiſſimam interpretationem Soti lect. 1. de orig. & princip. Pœnitentiæ, & aliorum, Tridentinum ſcilicet ſeſs. 6. c. 6. Nos docere ea, *quæ ſolent, non ea, quæ debent præire juſtificationem*: ibique *enumerari Actus, qui ſolent juſtificationem præire, quin ſit neceſſe, quod ſemper Formaliter præeant*. Cum ipſa admiſſa ad nihilum redigat omnes alias vel expreſſiores ejuſdem Concilii definitiones. Quis enim ea protectus negare non poterit v. gr. quod Tridentinum ipſum requirat, ut abſolute neceſſarios ad Juſtificationem adulti per Baptiſmum pro omni caſu ipſos *Formales Explicitos Supernaturales* Fidei, *& Spei Actus ut oportet*; vel *Formalis Doloris Actum per Sacramentum Pœnitentiæ*! reſpondens ſibi objicienti definitiones Concilii, Tridentinum ſeſs. 14. & alibi docere *ea, quæ ſolent, non ea, quæ debent præire Juſtificationem*.

VI. Nam dato quod timor Domini ibi adnumeratus non prærequiratur pro *omni* caſu ad adulti Juſtificationem, quod tamen negat D. Auguſtinus tr. in ep. Joan. dicens: „ *Si nullus eſt Timor, non eſt, qua intret Charitas*; “ & D. Gregorius hom. 34. in Evang. inquiens: „ *Prava mens, ſi non prius per Timorem avertitur ab aſſuetis vitiis, non emendatur*; “ Et tandem Angelicus D. poſtquam 1. 2. q. 113. ſolverat hancmet objectionem, p. 3. q. 85. ar. 5. dicens: „ *Patet quod Actus Pœnitentiæ a Timore Servili procedit, ſicut a primo motu affectus ad hoc ordinato*, “ nam dato, inquam, quod *Timor* non ita neceſſario prærequiratur, immo vero dato etiam, quod ſaltem de potentia abſoluta Dei neque Spes ipſa ſimpliciter prærequiratur *Formalis*, vel proprie *Virtualis* pro omni caſu, & Juſtificatione, Fides tamen *Formalis* ſaltem conſervata adhuc proprie *Virtualis ſemper, & pro omni caſu prærequiritur ſimpliciter*, ut optime animadvertit P. Suarez de Grat. p. 3. l. 8. c. 16. n. 10. dicens: „Sunt ergo alia Objecta Fidei, quorum cogitatio *per ſe*, ideſt, *intrinſeca* dependentia voluntatis ab Intellectu neceſſaria eſt, ut Voluntas poſſit convenienter moveri *ſicut oportet*, ut ſe ad remiſſionem peccatorum, & primam (poſt omnem lapſum) Juſtificationem diſponat, & ideo Fides talium Objectorum poteſt peculiari, & quaſi propria ratione dici *Juſtificans*, quod ſane indicavit Tridentinum ſeſs. 6. c. 6. & c. 19. Addens: Actus Fidei *per ſe* requiritur, & aliquo modo *ex natura rei*, ut ſupra dixi, ut *ceteris Actibus* voluntatis proportionate objectum proponat. “

VII. Hujus rei diſparitas eruitur ex diverſa natura, & concurſu ejuſmodi diſpoſitionum in ordine ad Contritionem, ut idem D. indicat ibidem quaſi præoccupans paritatem *Timoris*, dum ait: „ Hanc neceſſitatem eſſe *Moraliter, ac regulariter* intelligendam, quia, cum Deus vult, facile convertit hominem illuminando Intellectum per Fidem, & attentam conſiderationem Majeſtatis, & Bonitatis ipſius, & gravitatis peccati, quatenus offenſa illius eſt, & excitando immediate ad Dei dilectionem, & deteſtationem peccati propter ipſum, & cum Spe veniæ ab ipſo obtinendæ *ſine interventione Timoris*. Differentia vero eſt, quia *Spes eſt neceſſaria ad Juſtificationis ſubſtantiam &c.* At vero *Timor*, & Dolor in eo fundatus non pertinet ad ſubſtantiam Juſtificationis, ſed eſt quædam via, & remota præparatio .... & ideo per ſe loquendo non *eſt tam neceſſarius Timor*, ſicut *Spes*: “ Et ideo etiam ob quandam ſimilitudinem, ac diſparitatem, quamvis Spes ipſa longe neceſſarior ſit quam Timor, ut vidimus, & ut cit. c. 19. ait idem Suarez: „ Probabile etiam eſt regulariter non fieri (Juſtificationem *ullam* Fidelis adulti) *ſine Formali Actu Spei* “ nihilominus tamen non eſt ita neceſſaria Charitati, & Contritioni, ut hæ implicent contradictionem ſine *Formali Actu ipſius Spei* (dummodo, ut ait Suarez ipſe: *Is antea præceſſerit, nec ſit retractatus*) ſicut eam implicant ſaltem in præſenti providentia ſine Formali Actuali Fidei Actu ad minus adhuc proprie *Virtuali*, uti ibidem inquit præfatus Doctor: „ Si Deus velit ſubito hominem movere ad Fidem immediate operantem per Charitatem *ſine recordatione Spei*, poterit quidem id facere, quia *non implicat Contradictionem, tamen non eſt modus ordinarius, nec ita conſentaneus naturæ hominis, & ipſius Juſtificationis &c.* “ Unde ſicut peſſime inferret quis, quod non eſſet abſolute neceſſarius *Supernaturalis Actus Formalis Doloris de peccatis* in re ad omnem Juſtificationem per Sacramentum Pœnitentiæ ex eo ſcilicet, quod ſicut dari poteſt ſubſtantia hujus Sacramenti ſine *Formali Actu Satisfactionis* reatus pœnæ in re, quamvis Satisfactio ipſa a Concilio enumeretur inter partes ejuſdem Sacramenti, ſic etiam dari poſſit *ſine Formali Actu Doloris de peccatis*: ita peſſime inferunt Adverſarii, quod non ſit abſolute neceſſarius *Supernaturalis Formalis Actus Fidei*, & etiam *proportione* habita *Actus Spei* ad ipſam Juſtificationem per idem Sacramentum ex eo, quod *Timor* quamvis numeretur inter diſpoſitiones ejuſdem Sacramenti ab ipſo Concilio, attamen abſolute non eſt neceſſarius pro omni caſu.

VIII. En qua facilitate, & evidentia nulla, atque inania oſtendantur plauſibiliora, & inſimul ſolidiora Adverſariorum fundamenta: Quorum debilitatem indicavit vel invitus ipſe Viva 1. cum ad Prop. 1. Decreti Alex. VII. *Homo nullo &c.* n. 4. docet, quod non ſufficit Charitas *Virtualis, quæ habetur per obſervationem aliorum præceptorum*: „ *Quia, ait, per Fidem, & Spem* ad Actus dilectionis Voluntas diſponitur; & ideo omnes ad tres Actus Theologales identidem eliciendos *per ſe obligamur*. Neque dicas ſufficere nobis dilectionem Dei *Virtualem*, quæ habetur per obſervantiam aliorum præceptorum



rum juxta illud Joan. 15. *Qui habet mandata mea, & obſervat ea, ille eſt qui diligit me &c.* Quia ob rationes adductas utraque dilectio requiritur ad ſalutem *Virtualis* ſimul, ſeu *Interpretativa*, & *Formalis*, quæ habetur per ipſos Actus Charitatis &c.. “ 2. Cum n. 11. dicit: „ Inquirit Cardenas in Expoſ. Prop. 17. Innoc. XI. An conſimilis Fides *Virtualis* (orta ſcilicet ex *Habitu Fidei Infuſo*, ſed *ſine Explicita memoria de Motivo credendi*) *ſufficiat* ad ſatisfaciendum obligationi eliciendi pluries in vita Actus Fidei, & de reſolutione eſt anxius. Ego quidem cenſeo Fidem debere eſſe *Formalem ex Motivo ſcilicet Auctoritatis Dei revelantis &c.* Quia (nota bene) *ſemper* Verba Scripturæ, Conciliorum ac Pontificum in Materia Doctrinali ſumenda ſunt in ſenſu proprio, niſi quid obſtet. “ Et 3. cum ibi addit: „ ſicut non ſufficit exempli gratia in Sacr. Pœnitentiæ Dolor *Virtualis* incluſus in Amore Dei ſuper omnia, ſed requiritur *Dolor Formalis*, ita *nomine Actus Fidei* proprie venit *Actus Fidei Formalis nixus Motivo Auctoritatis Dei revelantis &c.* “ Et tandem cum ad Prop. 12. Decr. Alex. VIII. *n. 6.* ait: „ Quia peccatores tenentur ad Deum ſe convertere ad priſtinam gratiam recuperandam per Pœnitentiam; atqui ad gratiam recuperandam non niſi per Actum Fidei, & Spei poſſunt ſe diſponere, nec gratiam obtinere poſſunt non prævio Actu Fidei; etenim *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo*, ex Apoſt. ad Hebr. 11. “

IX. Ex quibus ſatis evincitur ipſum putaviſſe parum fidendum eſſe in prædictis ſuis fundamentis. Aliter ediſſerant nobis Adverſarii ob quam *diverſam* rationem, cum ex mente Vivæ 1. Non ſufficiat ad ſatisfaciendum præcepto Fidei *per ſe* Fides *Virtualis Implicita & Exercita* in aliis Actibus incluſa, hæc eadem tamen Fides ſufficere debeat ad ſatisfaciendum præcepto *per accidens* ejuſdem Fidei? Cum tamen tam unum, quam aliud hominem obliget ad verum, & proprium Actum Fidei. 2. Non ſufficiat Dolor *Virtualis* de peccatis incluſus in Amore Dei ſuper omnia in ſuo genere in Sacramento Pœnitentiæ, & in ſuo ſufficere debeat in eodem Sacramento *Fides Virtualis* incluſa in prætenſa Contritione, & Confeſſione. Et tandem ob quam *diverſam* rationem, cum non ſufficiat Formalis Dolor *de peccatis* olim elicitus (& juxta ipſorum Principia in futurum ad multos annos *Virtualiter*, ut in ſuo effectu conſervandus in millies *iterabili* Confeſſione Sacramentali eorumdem peccatorum) ad valide, & licite in præſentiarum, vel futuris temporibus obtinendum *iteratas* ipſorum peccatorum Abſolutiones, e contra vero ſufficere debeant ad valide, liciteque in præſentiarum, vel futuris temporibus obtinendum *eaſdem* iteratas Sacramentales Abſolutiones, Actus Formales Fidei, & Spei olim *dubiiſſime* eliciti, & hodie *dubioſius* conſervati *Virtuales*?

## CAPUT III.

*Objectant ulterius Auctoritatem aliorum TT.*

I. ARguuntque ſic. „ P. Concina l. 1. in dec. de Fide Diſs. 1. n. 18. ait: „ Subdo tamen in praxi raro reperiri Fidelem, qui præceptum hoc tranſgrediatur, niſi *improbus ſit, & perditus*; quia vix eſt qui ſymbolum, in quo præcipui Fidei Articuli continentur, *non recitet*; quod tranſcripſit, & cum Pattuzzio admittit, amplificatque Franzoja t. 1. tr. 1. c. 2. dicens: Animadverti poteſt Actus Fidei a Fidelibus, *qui perditæ Conſcientiæ non ſint*, ſæpius exerceri. Pueri, dum interrogati quot ſint in divinis Perſonæ, reſpondent eſſe tres, *Actum Fidei*, ſi ex animo loquantur, *edunt*, dum Symbolum Fideles *recitant*, *Actum Fidei eliciunt*, ſi ſerio ex intelligentia illud *pronuntient*; dum *Euchariſtiam* adorant, *credunt*, cum audientes Univerſale judicium, paradiſum, infernum, hæc *pro certis habent*, *Fidem exercent*. “ Rurſus cit. P. Concina n. 20. reſpondet: „ Ad Fidem Fideles tenentur, *cum Contritionem elicere*, vel Sacramenta ſuſcipere debent. Nemo enim Juſtificari valet ſine Fide &c. Hac eadem ratione quando homo tenetur Actus *Supernaturales Spei*, Charitatis, Religionis, vel *Contritionis elicere*, *tenetur Fidem exercere*. Opus tamen haud eſt, quod Actu Formali, & expreſſo quis dicat: *Credo Deum eſſe*, quem nunc oro, *quem hoc Sacramento ſuſcipio*: ſed *ſat eſt Implicite*, & *Virtualiter*, quatenus Virtute Fidei toties *exercitæ* Sacramenta adminiſtrat, ſuſcipit, Deum precatur, *amat*, atque *in eumdem ſperat*: Atqui hi tres AA. & quidem Antiprobabiliſti non ſecuros reddunt de neceſſaria Fide *Actuali* cujuſcumque Fidelis, qui perditæ Conſcientiæ non ſit, cum hoc tantummodo quod Symbolum *recitet*, *Euchariſtiam adoret*, audiens Judicium, paradiſum, vel infernum, *hæc pro certis* utcumque *habeat* (& quis eſt Catholicorum, qui ea pro certis non habeat?) *nulla requiſita Advertione* ad divinam Auctoritatem revelantem, nullo requiſito concurſu divinæ gratiæ, habitus Infuſi, aut divinæ Omnipotentiæ ſpecialiter applicatæ ad ejuſmodi Actuum Fidei productionem, nullaque in eiſdem requiſita qualitate, *ut oportet*. Ergo abſque tot diligentiis, conatibus, ac dubitationibus certi ſumus, nos habere ſemper neceſſariam Fidem ad Juſtificationem. “

II. Reſp. Concedendo præmiſſas, & neg. conſeq. quam & præmiſſarum doctrinam ex huc uſque allatis ſapiens quiſque prorſus abſonas reputabit. Aliter ediſſerant nobis Adverſarii ſeq. duas difficultates 1. Quonam pacto ſimplices divinorum Myſteriorum *auditiones*, *venerationes*, *apprehenſiones*, *recitationes*, & *adhæſiones*, orbatæ omni eſſentiali Conſtitutivo Fidei divinæ ſint veri *Supernaturales* Actus Fidei divinæ, *ut oportet* apti ad ſatisfaciendum præcepto Fidei, & ad reddendos habiles ad concipiendas *Supernaturales* Spem,

Spem, & Contritionem Fideles *bonæ Conſcientiæ*, id eſt juſtos, ſecus vero Fideles *perditæ Conſcientiæ*, ſive injuſtos, ac peccatores? Quid? Volunt ne iſti AA. & cum eis noſtri Adverſarii, quod peccatores perdentes v. g. per adulterium Charitatis habitum eo ipſo perdant etiam habitum Infuſum Fidei? vel quod amplius non poſſint concipere *Supernaturales* Actus Fidei, & juſtificari? vel tandem voluntne quod idem omnino ſit *Fides viva*, ac Fides *Supernaturalis*, *ut oportet*? 2. Quomodo hæc ratio credendi Conciniano-franzojana ab Adverſariis tanto plauſu excepta non ſit S. Eccleſiæ perniciosiſſima ac ex ſe tendens ad abolendam in Fidelibus Salutarem credentiam ac Fidem, *ut oportet*, divinorum Myſteriorum; dum Fideles ipſos ejuſmodi falſa ſecuritate deceptos avertit a competenti diligentia ac ſollecitudine ſibi comparandi per veros Formales Actus Fidei veram Supernaturalem adhæſionem, ac Fidem, *ut oportet*, eorumdem Myſteriorum ad ſuam ipſorum Juſtificationem omnino neceſſariam? Et inſimul qua veriſimilitudinis ſpecie potuerint, hi tres AA. ejuſmodi doctrinam putare ſaniorem, ac probabiliorem in conſpectu fundamentorum a nobis adductorum, atque Auctoritatis D. Thomæ (cujus ſequelam tanto hiatu jactant); tantorumque aliorum graviſſimorum DD. ſequentium quoad ſubſtantiam praxim ab Eccleſia in ſuo Rituali olim præſcriptam, ac Sacroſ. Synodi Tridentinæ ſententiam?

III. Ac tandem nobis ediſſerant quomodo ſcilicet cum divino præcepto habendi *Tunc*, cum elicere debemus *Contritionem*, præſens Supernaturale lumen Fidei, quod nobis Supernaturaliter proponat hujus Contritionis Supernaturale Motivum, componatur prædicta Conciniana ratio ſatisfaciendi ipſi præcepto? Si ejuſmodi præceptum, ut adimpleatur, requirit *Formalem Explicitum Fidei Actum* ex proprio ejuſdem Fidei Motivo elicitum, & quidem *Tunc* quando quis ſe ſe ad eliciendam Contritionem accingit (ad quid enim aliud *Tunc* nobis imponendum erat a Sapientiſſimo Legislatore ejuſmodi præceptum?) quonam pacto adimpletur ab eliciente prætenſum Contritionis Actum, qui nihil commune habet cum Formali Conſtitutivo ipſius Actus Fidei? Quomodo per elicientiam Actus Contritionis adimpleri poteſt præceptum Fidei? Si obligatio eliciendi v. gr. Actum Contritionis nos adſtringit ad præmittendum ad ejus elicientiam prævia neceſſaria requiſita, quorum unum eſt *prævius Fidei Actus*, ad quem *Tunc* eliciendum per accidens obligamur ex præcepto Fidei, qui fieri poteſt, ut huic obligationi ſatisfaciamus per Actus Fidei *olim* a nobis nihil de ejuſmodi futura obligatione cogitantibus, ex *mera* devotione poſitos? vel per prætenſum ſimultaneum, immo unum eumdemque Actum Contritionis, qui quamvis ceteroquin non ſolum eſſet *Virtualis Implicitus Exercitus*, ſed omnium *Formaliſſimus, ac Expliciriſſimus* exiſteret, neque per divinam Omnipotentiam poſſet prævie influere in ſuammet indiviſibilem productionem, ad hoc, ut quatenus eſt Actus Contritionis, deveniret *Supernaturalis* ex vi prævii ſui influxus, quatenus ſupponeretur *Actus Fidei Exercitus ac Implicitus* in ſemetipſo. Cum nihil exiſtat, antequam exiſtat, ut influere poſſit in ſuam propriam productionem. Ad quid ergo fucum faciunt imperitis ejuſmodi prætenſis Actibus Contritionis inſimulque Fidei, & Spei *Virtualis Exercitæ*, & *Implicitæ*? Verum quidem eſt, quod P. Concina t. 10. pag. mihi 402. forſan jam recognoſcens ejuſmodi ſuæ Fidei *Virtualis Exercitæ ac Implicitæ* inanitatem, ſeque tacite retractans exclamat: „ Quot ſunt qui opus Juſtificationis, ut ſublime, ut difficile concipiant? Quot ſunt qui *veros Fidei*, & *Spei Actus*, ut Tridentinum docet, *præmittant*? .... Innumeræ ſunt Confeſſiones Sacrilegæ ob præfatorum Actuum defectum. “

IV. Permitterent hi AA. permitterent Adverſarii noſtri praxim alicujus opinionis vere probabilis & circa meram lecitudinem Actionis, & facile invenirent graviſſimos TT. qui ejuſmodi praxim componerent cum doctrina Evangelii ſaltem ob bonam fidem operantis, quæ ſuam Actionem immunem redderet ab omni peccato Formali. Aſt quis Catholicus cum ſana Evangelii doctrina conciliare poterit in conſpectu damnatæ: *Non eſt illicitum in Sacramentis* &c. praxim, quam ipſi nobis obtrudunt ut tutam, ejuſmodi ſuæ opinationis animarum ſaluti, ac Sacramentorum reverentiæ plane contrariæ? Cum nulla omnino ſit bona Fides (utpote quæ nec eſt Sacramentum mortuorum, nec Actus perfectæ Charitatis, vel Contritionis), per quam peccata jam admiſſa deleantur. Allegaret P. Concina Card. de Lugo pro *Actu Implicito, & in confuſo Fidei* de veritate, & efficacitate Sacramentorum pro formanda *Intentione* ea adminiſtrandi, vel ſuſcipiendi, nam hoc docet Cardinalis diſp. 13. ſect. 2. n. 51. dicens: „ Ego magis credo in iis omnibus intervenire debere aliquem Actum Fidei ſaltem *implicitum, & in confuſo*: quatenus memoria notitiæ per Fidem comparatæ Fidelis habet *Intentionem adminiſtrandi, vel ſuſcipiendi* Sacramenti &c. “ Aſt non pro noſtro caſu, cum ipſe Eminentiſſimus Doctor diſp. 12. ſect. 1. n. 81. de ſe proteſtetur dicens: „ Nunquam dixi poſſe *abſque prævia Fide & quidem ſtricta* hominem adultum juſtificari, & poſtea rem magis attente conſiderata Conciliorum, & Patrum mente &c. “ Quod teſtatur & ipſe P. Cardenas ad cit. Prop. n. 12. ajens: „ *Ad omnem* Juſtificationem impii ſive Infidelis, ſive *peccatoris Fidelis* neceſſariam eſſe neceſſitate Medii *Fidem Explicitam Dei*, ut Remuneratoris. Ita de Lugo d. 12. de Fide &c. “

§. Un.

V. ARguunt 2. dicentes: „ P. Lacroix l. 2. n. 26. dum ad objectionem: ſi Fides, & Spes prærequiratur ad Dolorem ſufficientem pro Sacr. Pœnitentiæ, uti n. 19. & 20. dictum eſt, ergo qui non elicuerit illos Actus ante Confeſſionem, tenebit Confeſſiones repetere: reſpondet: Si ſciret ſe ne quidem *Virtualiter* eos habuiſſe, concedo. Ex hoc præciſe, quod *nunc*

*non*



*non meminerit ſe eos habuiſſe*, nego ſeq. Nam qui de more frequentarunt Catechiſmos, & poſtmodum *aſſueverunt Formaliter credere*, ac *ſperare objecta neceſſaria*, prudenter ſupponunt *ſe ea iterum credidiſſe*, ac *ſperaſſe* ſaltem *Virtualiter*, dum dolebant de peccatis, volebant que Confiteri &c. Quod intelligendum eſt de illis, qui antecedenter ſatis ſciverunt credenda, & modum credendi, atque idem eſt de Spe &c.: Et iterum, dum ad inſtantiam: Nemo poteſt eſſe certus ſe neceſſaria ſciviſſe, aut ante Confeſſionem ſufficienter elicuiſſe Actus neceſſarios; ergo manebit obligatio repetendi illas Confeſſiones. Quia circa valorem Sacramentorum non eſt licitum ſequi *Incerta*, & tantum *Probabilia*: reſpondet: Dato anteced. nego conſeq. Cujus probationem diſtinguo, circa valorem Sacramenti *Suſcepti* non eſt licitum ſequi tantum Probabilia, nego; circa valorem Sacramenti *Suſcipiendi*, concedo aſſumptum; P. Lacroix, inquium, dum ſic reſpondet ad prædictas Objectionem, & inſtantiam admittit, uti Probabile, quod Fides *Virtualis Implicita*, & *Exercita* ſecundum noſtram, ac Bonacinæ opinionem ſit certo proprie *Virtualis*, ac ſufficiens ad Juſtificationem. Ergo putat hic inſignis T. quod non ſit neceſſe præmittere ad præſentem Contritionem, dum abſolvi volumus, *Formales ac Explicitos* Fidei, & Spei Actus. “

VI. Reſp. neg. anteced. Cum ſolum (quod eſt longe diverſum) admittat uti *Probabile* quod Pœnitens callens credenda, & ſperanda, ac modum eadem credendi, & ſperandi, ac præterea aſſuetus concipiendis frequenter Formalibus Fidei, & Spei Actibus, iterum elicuerit *ejuſmodi Formales ac Explicitos Actus Tunc*, cum dolebat de peccatis, & volebat confiteri, ut eruere nititur *ex Conjecturis*, quas adducit, quin præciſe id, quod non meminerit ſe eos habuiſſe, eidem interturbet eam *probabilitatem*, virtute cujus eumdem deobligat a neceſſitate repetendi Confeſſiones antea bona fide factas. Denique nego conſeq. evidenter falſum, ut patet tum ex data diſtinctione, tum ex urgentiſſima ratione, quam ibi adducit, tum demum ex reliquo textus ſuppreſſo, quod eſt, ut ſequitur: „ Diſparitas eſt, inquit Lacroix, quod in caſu Sacramenti probabiliter *valide ſuſcepti* non tantum ſit poſſeſſio pro valore Actus, ſed *nullum inſuper Sacramentum* ideo exponetur periculo nullitatis, licet enim peccata illa omittantur in ſeqq. Confeſſionibus, non ideo Confeſſiones exponentur periculo nullitatis, quia certum eſt Confeſſionem tantum Formaliter integram ſufficere “ (quod confirmat P. Suarez de Sacr. Pœnit. diſp. 20. Sect. 4. n. 13. dicens: „ Pratice loquendo aut *numquam*, aut *rariſſime* inſurget obligatio talis abſque excuſatione quantum attinet ad neceſſitatem Præcepti, quantum vero ſpectat ad neceſſitatem Medii tollentur per accidens illa peccata per alias Confeſſiones validas, aut per Contritionem). *Oppoſita omnia ſunt, ſi agatur de Sacramento Suſcipiendo*, hic enim fateor merito adhibendam majorem cautelam, ut *per præmiſſos Actus Fidei, & Spei Voluntas diſponatur ad dolorem Supernaturalem*, præſertim cum neſciamus, *quando* Actus illi deſinant eſſe *Virtualiter*, & tantum *Habitualiter* permaneant. “ Potuit ne P. Lacroiſius clarius, efficaciuſque rejicere prætenſam probabilitatem, & maxime oppoſitæ opinionis praxim?

VII. Ah! animadvertant, quæſo, prudentes Adverſarii quam parum fidendum ſit quibuſdam conſolatoriis expreſſionibus, quæ non raro in hac re adeo difficili, ac humanæ menti citra expreſſam Eccleſiæ definitionem plane impervia ac inacceſſa, leguntur apud non pœnitendi nominis Theologos, uti v. gr. illa Card. de Lugo de Fide d. 12. ſect. 3. n. 51. „ *Difficillimum* eſt quod quando Chriſtiano occurrit occaſio eleemoſynæ, vel alterius operis pii, non ſtatim conſulat regulas Fidei .... ad judicandum de honeſtate illius Objecti &c. “ Cum *Facillime* humanus Intellectus præſcindere poſſit, & de facto præſcindat ab ejuſmodi conſultatione, vel ſaltem illam adhibere queat per meras *recordationes*, & *apprehenſiones Naturales* facile exurgentes ex notitiis habitis per *Fidem Acquiſitam*, vel *Supernaturalem* forſan olim habitam, nunc tamen mere *Habitualem*. Unde falſum eſt, quod omnis cognitio, vel apprehenſio honeſtatis Objecti, quamvis ceteroquin aliquo modo derivata ex Fide ſit *Actus Fidei divinæ Supernaturalis*, & *ut oportet*. Quod agnovit vel hicmet Theologus ſect. 1. n. 21. dicens: „ Si ergo quoties homo cognoſcit honeſtatem, habet Actum Fidei *Supernaturalem*, non poteſt quæri (uti tamen ceteroquin a TT. quæritur), *An ſine Fide detur opus honeſtum*: non ergo intelligunt Patres, & Doctores nomine Fidei niſi *Actum illum, quo credimus propter revelationem Dei*, quando dicunt omne opus meritorium *debere procedere ex Fide*. “

## PARS II.

Satisfit Objectionibus deſumptis a *Ratione*.

### CAPUT I.

*Adducunt Adverſarii quoddam fundamentum conflatum ex* Auctoritate, & Ratione.

I. ARguunt ſic. „ Juxta TT. apud Lacroiſium l. cit. n. 26.: Fides Formalis eſt *Actus præſens Fidei* perceptibiliter tendens in objectum Materiale propter Formale, uti ſi advertenter dicam: *Credo Deum eſſe Trinum, quia Deus dixit, qui eſt infinite Sapiens, & verax*. Et *Virtualis* eſt ſiquis aliquando habuerit *Explicitam* Fidem circa Myſteria credenda, illamque adhuc ita retineat (hoc opus, hic labor eſt!), ut *permaneat* in aliquo ſaltem *ſuo effectu*. Quod explicant exemplis *Itinerantis*, qui pergit, quo tendit, licet de eo loco non ſemper expreſſe cogitet. *Philoſophi*, qui tenet concluſionem &c. *Citharædi*, qui ex uſu *facillime* ludit cithara, & habet Actus imperceptibiles, & regulas in men-

te,

te, quibus luſus ille dirigitur; ſed hoc probat Fidem Formalem Actualem olim habitam *certo* durare ad plures dies, menſes, & annos proprie *Virtualem*; Ergo certum eſt, quod Fides poſt ſomnum perſeveret proprie *Virtualis*. “

II. Reſp. conced. maj. & neg. min. & conſequentiam, quæ quidem nulla dialectica conſecutione deduci poſſunt ex congerie *Incertitudinum*, *Inveriſimilitudinum*, *Falſitatum*, *Contradictionum*, & *Abſurdorum*, ex quibus componitur explicatio *Fidei Virtualis* contenta in majori. Qualia ſunt v. gr. 1. Quod v. gr. Contritionis Actus, qui multos annos poſt deperditam brevem exiſtentiam Actus Fidei, a quo quidem nullo fundamento promanare ſupponitur, certo ſint veri, & non potius *Suppoſititii* effectus illius. 2. Quod etiam *Naturales* effectus Fidei *Supernaturalis* ſint Fides *Virtualis* ad Juſtificationem ſufficiens, dum hic generatim ab Adverſariis pro vera Fide *Virtuali* admittitur ejus perſeverantia in quolibet ſuo effectu, *ut permaneat in aliquo ſaltem ſuo effectu*. Ac ſi quilibet *Naturalis* effectus præteriti Actus Fidei v. gr. *recordatio* objectorum per eumdem creditorum, eſſe poſſit cauſſa *Supernaturalis* Actus Contritionis. 3. Quod ſimplex illa illuminatio, qua cum Actus *Supernaturalis* Fidei nobis proponit Myſteria divina, ſejuncta ab omni poſitiva deliberatione voluntatis eadem proſequendi habeat inauditam efficaciam efformandi illas adeo longas ac nunquam interrumpendas concatenationes, ac ſeries Actionum. Quæ nos *velut* Fides *Virtualis* identidem proponendo mentibus noſtris eorumdem Formalia Motiva, illuminent ad *Supernaturalem* productionem omnium poſſibilium Actum Spei, Contritionis (immo & Fidei), quos poſt tres dies, annos, vel luſtra poſſimus elicere. Dum ceteroquin Actus efficacis *Intentionis* v. gr. conſecrandi non efformat etiam ſecundum Adverſarios concatenationes, ac ſeries Actionum ad ipſam conſecrationem directas, durationis *Virtualis* pluſquam unius, vel alterius horæ, & quæ nunquam prætergrediatur ex uno ad alium diem.

III. Quale etiam eſt IV. Quod ſicut Formalis *Intentio* perveniendi Romam v. g. utpote quæ in ſua duratione vel executione ſuppleri poteſt a *quibuſcumque* ſuis effectibus v. gr. ab *Actibus Memorativis*, aut aliis *Excitativis* (quæ identidem itineranti in mentem revocent a ſe captum conſilium, quo Romam verſus pergere cœpit) in iis aliquo modo conſervatur *Virtualis* per amplius ſpatium, ita Fides Formalis *Supernaturalis*, quamvis a ſimilibus effectibus *Naturalibus* ſuppleri nullatenus poſſit, utpote qui non poſſunt ullo pacto concurrere ad Actus *Supernaturales*, in iiſdem tamen conſervetur *Virtualis* per ſpatium tot dierum, atque annorum. Qui igitur fieri poteſt, ut ex hiſce aliiſque bene multis ejuſmodi *Incertitudinibus*, & abſurdis *Principiis*, in quibus Adverſarii fundant prætenſam longam durationem ſuæ *Fidei Virtualis*, recte deduci poſſint prætenſæ *certitudines* præfatæ minoris, & conſequentiæ? Verum ne hæc gratis, ac invidioſe fingere videamur, adferamus reliquum textus Laeroiſiani. „ Manet autem, ait, controverſum quid reipſa ſit talis *Virtualis* Fides: aliqui dicunt eſſe effectum a Fide *Actuali* cauſatum, diſtinctum ab *omni Actu Fidei* in ſe, & *permanentem in ſerie Actionum* a Fide illa præterita trahentium originem; & alii probabilius dicunt eſſe *aliquem Fidei Actum*, ſed *tenuem*, & *imperceptibilem*, quales Actus certum eſt nos ſæpe habere, nam qui *ex uſu facillime* ludit cithara, habet Actus *imperceptibiles*, & regulas in mente, quibus luſus ille dirigitur; itemque qui expedite loquitur latine &c. Et in hac ſententia Fides *Actualis* dividitur in *Formalem*, & *Virtualem*, ſicque omnis Fides *Virtualis eſt reipſa Actualis*, *cum ſit Actus Fidei*, *qui*, quia non eſt *ita perceptibilis*, & *ſequitur ad alium priorem magis expreſſum*, & *perceptibilem*, dicitur *tantum Virtualis*, ſeu virtute manens. “ Et hic, ut patet, prima baſis *certitudinis longæ durationis Fidei Virtualis* Adverſariorum, eſt manifeſta *contradictio* inter ſe Doctorum ejus eſſentiam conſtituentium. Dum ſcilicet aliqui ex eis *Virtualem* ſuam Fidem ponunt effectum *diſtinctum ab omni Actus Fidei in ſe*, & alii e contra illam ponunt *effectum non ab omni Actu Fidei in ſe diſtinctum*; *cum ſit Actus Fidei*.

IV. Porro jam vel Adverſarii hic tenent cum 1. Sententia, quod ſua ipſorum Fides *Virtualis* eſt effectus cauſatus quidem ab *Actu Formali Supernaturali Fidei divinæ*, ſed *ab eo Actu omni diſtinctus* permanens in *ſerie* Actionum ab illo præterito Actu Formali *trahentium originem*. Et ego interea infero. Ergo ejuſmodi Fides *Virtualis* Adverſariorum eſt Fides divina *Actualis Supernaturalis* (ut ſupponitur; & quia illa *ſola* adultum poteſt *Supernaturaliter* diſponere ad Actus *Supernaturales*), & inſimul *ea Fides Virtualis* Adverſariorum *non eſt* Fides divina *Actualis Supernaturalis*; cum nullo modo poſſit eſſe Fides *divina Actualis Supernaturalis* illud, quod eſt ab *omni Actu Fidei* in ſe *omnino diſtinctum*. Ergo ejuſmodi Adverſariorum *Fides Virtualis* eſt quid chimericum, ſeu vox, prætereaque nihil; cum nihil ſit in re, vel ad captum explicet. Et re vera unum ſit eorum, quæ a pluribus veluti Principia ſumuntur ea ſola ratione, quod eorum falſitas non eſt recte animadverſa. Et non tam Principia, quam præjudicia ſunt id, quod in quæſtione poſitum eſt, ſumentium.

V. Deinde ab iiſdem quæro 1. Qualis, & cujus naturæ, generis, vel ſpeciei ſit hic effectus Fidei adeo longæ durationis? Reſpondebunt forſan 1. & quidem veriſſime *ſe id prorſus ignorare*, cum id humanitus ſciri non poſſit. Vel 2. Eum fortaſſis eſſe quemdam Actum *cognoſcitivum*, qui permanens in aliqua ſerie Actionum poſſit poſt plures dies, & annos voluntati adulti *ſupernaturaliter* proponere *ſupernaturalia* Motiva Spei, Charitatis, & Contritionis, immo & ipſius Fidei. Belliſſime. Aſt hic iterum ab Adverſariis quæro 1. Qua prudentia, atque conſcientia ſpon-





te fidere poſſimus æternam noſtram, aliorumque ſalutem rei nobis & quoad *an*, & quo ad *quid eſt*, prorſus ignotæ, dum facile tentare poſſumus quid ſecurius? 2. Quo inaudito miraculo ejuſmodi *cognoſcitivus* Actus eſſentialiter immanens ſubjectetur extra intellectum illis multiplicibus Actionibus, ut in eis conſervetur? Vel ſi perenniter ſubjectatur intra eumdem Intellectum ibidem inſimul componatur cum omnibus aliis inter ſe diverſiſſimis cognitionibus, quin ab eis interrumpatur, vel ſaltem quin nos jugiter etiam diſtractos, ac dormientes illuminet? 3. quænam prodigioſa *ſeries, ac concatenatio* humanarum Actionum ſit illa, quam innumerabiles diverſiſſimæ actiones, viciſſitudines, affectus, & cogitationes, quæ humanam mentem, ac voluntatem indeſinenter dilacerant, turbantque, quamque ſomni ac ſopores tot annorum interrumpere non poſſunt; ne conſervet vivaciſſimum illum ac nunquam ſeneſcentem Actum *non Fidei*, ſed *cauſatum ab Actu Fidei*, ad hoc, ut ille poſt triginta dies vel annos illuminando voluntatem in productionem ſuorum Actuum Spei, Charitatis, & Contritionis influere poſſit? 4. Tandem quæro, cur mirabilis hæc Adverſariorum ſeries Actionum pro ſpurio *hoc Actu non Fidei*, ſed *effectu a Fide cauſato* ad nihilum utili nobis potius (eſt enim eadem in utroque facilitas, vel difficultas) non conſervat ejus parentem, Actum ſcilicet illum primum Fidei, *ad quem ipſe ſequitur*, qui quidem unice nos habiles reddere poteſt ad eliciendum ſuo tempore noſtros *Supernaturales* Actus?

VI. Vel tandem Adverſarii .. ut effugiam haſce inſtantias tædii, ac difficultatis plenas, tenent cum 2. ſententia, quod ſua ipſorum Fides *Virtualis*, eſt quidem *Actus Fidei*, ſed *ſubtilis*, & *imperceptibilis*; ab eis iterum quæro 1. Quomodo ergo eum percipere poſſunt? 2. Quis eum elicit? *Non* quidem ejus putativus pater, Actus ſcilicet *ille Formalis Explicitus* antecedens *Fidei*, *ad quem ſequitur*, utpote qui non eſt potentia, habitus, & gratia. Non ipſi Adverſarii, quia nunquam eumdem concipere intenderunt, neque in eo concipiendo mentem ad ſuum Formalem Motivum converterunt. Quis ergo? Et quomodo eſt ergo Actus Fidei, uti volunt, *cum ſit Actus Fidei*? 3. Cur eorum mentes, ac voluntates in eliciendis Actibus Fidei divinæ ita feraces ac faciles, ut ſunt inſignes Citharædus in movendis digitis, ac dialecticus in ſyllogizando, pro hiſce entitaculis, quæ ipſis ad nihil inſervire poſſunt, non potius producunt veros *Formales* & *Craſſos Actus Supernaturales Fidei*, qui influere poſſint in ſuos *Supernaturales* Actus? Vel ſaltem cur pro inutili diuturna conſervatione ejuſmodi ſubtilis Actus Fidei *Naturalis* non potius illis conſervant illum alium *Supernaturalem* Fidei Explicitum Actum, ad *quem* iſte tenuis *ſequitur*, ſub quo ſecure elicere poſſint ſuos præſentes, ac futuros Actus Contritionis, Charitatis &c.? Unde, vel prætenſus hic *ſubtilis* Actus Fidei eſt ejuſdem *omnino* naturæ, ac Speciei cum illo primo *craſſiori*, *poſt quem ponitur*, vel eſt naturæ, ac ſpeciei *prorſus diverſæ*. Si primum, ergo etiam hic ſecundus, vel tertius eſt Actus Formalis Explicitus Fidei ſicut ille primus (& ſic in hac ſententia Fides *Actualis* non dividitur in *Formalem*, & *Virtualem*, ſed in *Formalem*, & *Formalem*), quin hoc eis impedire valeat ſuum eſſe ſubtilius, vel eos ſequi ad alium priorem magis expreſſum. Cum equus *ſubtilior* non differat ſpecie ab equo *craſſiori* antea nato. Et in tali caſu ad quid ipſis Adverſariis inſervit primus ille *Formalis* ac expreſſior perceptibilis Actus Fidei, ſeu illum habuiſſe? Si ſecundum, quo pacto ſupplere poteſt ac in ipſis præſentibus adverſariorum Contritionis Actibus certo præſtare id ipſum, quod ſolus præſtare poteſt (ut eſt de Fide) *verus ac Formalis Explicitus Supernaturalis Fidei divinæ Actus, ut oportet*?

VII. Verum enim vero ſit veriſſimum, quod Fides *Virtualis* proprie talis conſiſtat juxta alterutram e duabus opinionibus, nimirum in eo tali *effectu Actus Fidei*; vel in eo *ſubtili Actu Fidei diſtincto a Formali Actu Fidei*, qui illum præceſſit: adhuc a lectiſſimis Adverſariis quæro 1. per quam *Philoſophiam* ille primus Formalis Actus Fidei, cujus hi alii ſupponuntur *effectus ab eo diſtincti* immediate, ut *in ſuis effectibus* influat in præſentibus, atque futuris Actibus ver. gr. Contritionis? Cum iſti eſſe non poſſint, niſi ad ſummum ſui nepotes, vel pronepotes, immo neque pronepotes utpote qui mere *naturales* nulla ratione participant naturam illius ſui putativi Avi, neque cum illo, qui uti *Supernaturalis* erat nobiliſſimi generis non niſi infinite remotam affinitatem habere poſſint. 2. Per quam *Dialecticam* ex antecedenti Fides *Virtualis* conſiſtit in quodam *effectu Actus Formalis Fidei*, vel in *ſubtili Actu Fidei diſtincto* a prædicto Formali Actu Fidei ſequatur unquam hoc conſequens. Ergo prædictus ipſe Formalis Actus Fidei *certo* conſervatur proprie *Virtualis* poſt totalem interruptionem, quæ fit per ſomnum in Actibus Contritionis, qui poſt plures dies, vel annos eliciuntur, ut *in ſuis effectibus*. 3. Per quam Theologiam *Moralem* in praxim licite redigi poſſit ejuſmodi eorum doctrina, ex qua omnino pendet & validitas Sacramenti, & ſalus æterna Animarum? 4. Per quam Theologiam *Scholaſticam*, dum agitur de *Fide* divina *Supernaturali*, *ut oportet*, utpote quæ unice adultum habilem reddere poteſt ad concipiendos *Actus Supernaturales* cum ſuis TT. nobis objiciunt *Naturales facilitatem, ac habitus*, quibus cum, quin ad hoc reflectant, inſignes citharædus, latinus, dialecticus, aut etiam pius Chriſtianus (cum ipſe ſæpiſſime ſibi per ejuſmodi cognitiones, & Actus *Naturales* ſibi proponere poſſit Fidem, ſeu documenta Chriſtiana tamquam certam regulam ſuarum Actionum, ſicuti eadem ſibi ſemper proponit Schiſmaticus) in praxim facillime deducunt reſpectivas ipſo-

rum regulas? Quid enim commune habent cum brevi, vel longa duratione Actus Formalis Fidei *Supernaturalis* proprie *Virtualis*, aut cum elicientia, ac efficientia Actuum *Supernaturalium* ſemper difficilium conceptu, *ut oportet*, ejuſmodi *Naturales facilitates* ponendi Actus mere *Naturales* facillimos poſita cuicumque eos Habitus *Naturales* acquirat? Quid enim quærunt? Vellent ne concludere (quod unice ex adductis paritatibus concludi poteſt) quod etiam *Actus*, & *Habitus Acquiſiti mere Naturales Fidei* adultum diſponere poſſint ad concipiendum in virtute eorumdem *Supernaturales* Actus Spei, Charitatis, & Contritionis ad Juſtificationem neceſſarios? At hoc hæreticum eſt.

☞ VIII. Quæro tandem ab Adverſariis. Cur, ſi ver. g. inſignis Citharædus citharam non tangat, aptetque, digitoſve moveat, revera citharа non canat, e contra vero Fidelis, quantumvis ſibi Myſteria credenda non proponat, Formale Motivum non reſpiciat, neque ad id imperium voluntatis deliberatæ ad applicandum Intellectum ad illis firmiter adhærendum addat, hoc non obſtante *Supernaturales Fidei Actus*, *ut oportet*, eliciat? Cum tamen qui Theologiam vel e limine ſalutaverit, ſciat quod ejuſmodi Actus nunquam re vera eliciantur, niſi præter alia accedat poſitivum voluntatis imperium. Unde merito D. Auguſtinus Lib. de utilit. cred. cap. 16. ait: *Cetera poteſt homo nolens, credere vero non niſi volens*: Hoc ipſum docent TT. quos inter clariſs. P. Zaccarias Th. Catechetica l. 1. §. 2. quæſt. 1. inquiens „ Dicendum autem id quod de Fide eſt, Fidem ſupponere piam affectionem, & *imperium voluntatis*; non enim credit quis, *niſi prius velit credere* &c. Et P. Lacroix lib. 2. num. 4. explicans damn. Prop. *Voluntas non poteſt efficere, ut Aſſenſus ſit firmior* &c. Dicens: " Ad Actum Fidei non ſufficit, quod voluntas non repugnet, *ſed requiritur imperium poſitivum* ... Si non adveniret *poſitivum imperium*, voluntas nunquam faceret, ut Aſſenſus eſſet jam magis, jam minus firmus, uti recte exponit Cardenas "; Concludens ad n. 88. „ *Certum eſt ex iſta damnatione* (Prop. 23. *Fides late dicta* &c. *ad Juſtificationem ſufficit*) *ad Juſtificationem requiri Actum Fidei conceptum ex Motivo Formali Fidei Theologicæ, quod eſt Auctoritas Dei dicentis* ". En ſpecimen *Incertitudinum*, *Falſitatum*, *Inveriſimilitudinum*, *Contradictionum*, *atque Abſurdorum*, quibus ſcatet, atque implicatur adducta famoſiſſima ratio explicandi Fidem *Virtualem* Adverſariorum, *ejuſque longam durationem* ex uno ad alium diem, vel annum ab ipſis tantopere inculcata.

## CAPUT II.

*Inſtant, replicantque quidam boni Adverſarii adducentes etiam aliud fundamentum a Ratione.*

I. INſtant dicentes „ Superbi hominis eſt putare tot Theologos hac in re decipi. Ergo tuti eos ſequi poſſumus ". Reſp. Quidquid ſit de ſuperbia, vel de humilitate quæ hic impertinenter obtruduntur, cum ad rem non faciant niſi veritas, & tutioritas, quibus cum, quantum in nobis eſt, irreverentia Sacramentorum, & æterna animarum perditio longius arceantur, neg. conſeq. Neque enim ullum piaculum eſt, ſed potius debitum Deo obſequium eſt TT. etiam multos deſerere in re, in qua illius honor periclitatur, & in quæſtione *phyſica*, qualis eſt ea, in qua agitur de brevi, vel longa *virtuali duratione Actuum*, & in qua ipſi devinando potius, quam fundate ſentientes per miſeras ſimplices conjecturas nullam veram ſecuritatem creantes procedunt. In quo caſu certe P. Stoz diceret, ut ait l. 1. p. 3. numer. 100. „ Si mille Auctores in unam ſententiam conveniant nulla ratione nixi, *nulla ex hoc capite generatur probabilitas*, neque credendum eſt illis ". Et P. Lacroix lib. 1. n. 149. addit „ Ratio autem cur numerus Auctorum præciſe non reddat ſemper opinionem probabilem hæc eſt, quia *quandoque* primi AA. ejuſmodi non ſatis examinarunt utrinque fundamenta, & ſimiliter ceteri cæce ſecuti ſunt eos, quandoque autem ſucceſſu temporis inventæ ſunt novæ rationes convincentes, aut principium certum in contrarium ".

II. Replicant addentes. „ Imprudentis eſt ridiculo eſſe cordatis viris, atque Sapientum (qui abſque *tot diligentiis*, & abſque *ulla Adtentione ad Motivum Formale Fidei* ſe ſe tutiſſimos reputant de ſua ipſorum, aliorumque *Actuali* Fide ſaltem proprie *Virtuali*, & qui aliter interpretantur Doctores) ſenſui refragari, ac ſi tu ſolus latine ſcias, & Theologiam calleas. Ergo &c. " Reſp. Quidquid ſit de irriſione cordatorum vel imprudentum, ſapientum, vel inſipientium, nobis ſatis eſt Cat. doctrinam ab Eccleſia Dei in ſuis Conciliis, & Catechiſmis inculcatam propugnaſſe. Interim tamen ſi ſapiens, & prudens habendus ſit, qui in conſpectu rerum a nobis adductarum pergat eſſe *certus* de re penitus *incerta atque alea plena* judicent ſapientes atque prudentes non ſecundum carnem, neque præjudiciorum caligine preſſi; certe ſapientiſſimi, & prudentiſſimi homines, quos nominare poſſemus, non pauci lectis hujuſmodi noſtris ſententiis, id eſt genuina Eccleſiæ doctrina, non ſolum eas non irriſerunt, ſed deſiderium oſtenderunt de reſtituenda inter Fideles earumdem praxi. Et ceteroquin dum Alvari grammaticales Regulæ, Calepini vocum ſignificationes, & Theologorum uſitati loquendi modi ſtatuunt, hæ, ſimileſque





que eorumdem locutiones (*Tunc tenetur quis elicere Formalem Explicitum Fidei divinæ Actum per ſe 1. Quando pervenit ad uſum rationis, vel res Fidei ſibi ſufficienter proponuntur credendæ* &c. *Per accidens 2. Tunc quando tenetur elicere Spei, Charitatis, Contritionis, vel Attritionis Actum. 3. In Articulo mortis* &c.) " Semper apud peritos ſignificabunt *unumquemque tunc quando adcingitur* ad concipiendam pro Sacramento Pœnitentiæ Contritionem obligari ad prævie eliciendum Formalem Explicitum Fidei divinæ Actum, *ut oportet*, ſicut ejuſmodi Actum elicere tenetur *tunc*, cum ad uſum rationis ver. gr. pervenit. Ex quo patet contrarias Adverſariorum interpretationes horum & ſimilium textuum eſſe, ut jam innuimus, plane captioſas, ac peſſime detortas contra manifeſtam eorumdem textuum intelligentiam, ac ſenſum. Hincque ejuſmodi noſtri Adverſarii eo jure nobis ſuccenſere videntur (ſumus enim omnes in hiſce rebus pluſquam cæci), quo centum alii æque cæci a nativitate ac ipſe erat, ſuccenſerent famoſo illi cæco, qui colores tactu manuum didicerat cognoſcere, ob id quod is contra propriam experientiam, & aliquorum oculatorum negantium auctoritatem, renueret credere dicto ipſorum centum cæcorum uno ore adfirmantium quemdam datum colorem, de quo inter eos diſceptabatur, eſſe *certo* flavum.

### §. Un.

III. Jam ſic a Ratione. „ Omnes, ajunt, qui poſt ſomnum conſervant *Habitum* infuſum Fidei divinæ conſervant etiam Formalem ejuſdem Fidei Actum *certo Virtualem*. Atqui *omnes* Fideles (adde ſapientiſſime arguens, & etiam *omnes* Schiſmatici) poſt ſomnum per dies, & annos *certo conſervant Habitum* Infuſum Fidei divinæ *Supernaturalis*. Ergo *omnes* Fideles (adde, & *omnes* Schiſmatici) poſt ſomnum conſervant Formalem ejuſdem Fidei Actum *certo Virtualem* ". R. neg. majorem evidenter falſam, & quam ſolus admittat ille, qui penitus & infinitam diſtantiam, quæ interjacet inter *habere Habitum*, & reipſa *elicere Actum*; & latum diſcrimen, quod eſt inter *Habitum* merum comprincipium, ſeu concauſſam, atque inter *Actum*, *ut oportet*, ſuum contingentiſſimum effectum.

☞ Cum non ſit idem *Habitus* Infuſus Fidei, atque *Actus Formalis*, vel *Virtualis* Infuſus ejuſdem Fidei, ut nimis perperam ſupponere videntur Adverſarii. Nam aliter non eſſet neceſſe ullos Fidei Actus unquam elicere, eſſent enim, quin elicerentur, eliciti in ſolo *Habitu Fidei*. Sed unus, & alter diverſiſſimæ res ſunt, nec unus & maxime Habitus neceſſario infert alium. Ut patet in infantibus, perpetuo amentibus baptizatis, qui omnes habent Fidei *Habitum*, quin habeant vel habere poſſint pro tunc Infuſum *Fidei Actum*; immo & in adultis Schiſmaticis, & Catholicis illis, qui non ſatis nituntur ad eum concipiendum, *ut oportet*.

IV. Quia 1. ut in 1. 2. quæſt. 71. artic. 4. ait Angelicus: „ Habitus in anima non *ex neceſſitate* producit ſuam operationem, ſed homo utitur eo, cum voluerit. Unde Habitu in homine ſimul exiſtente poteſt *non uti Habitu*, *aut agere contrarium Actum* ". Et quia 2. ut in de gratia p. 3. lib. 11. cap. 6. inquit Suarez „ *Habitus Fidei non ſemper eſt in Actu*, *neque qui ſemel credit*, *ſemper actu credit*: poſtquam ergo ceſſavit a priori Actu credendi, poteſt cogitationem *Contrariam* (vel nullam) habere ". Et maxime quia 3. Ejuſmodi Habitus non eſt *totale* Principium Actuum Fidei, ut eos ſolus efficiat, uti l. 6. c. 5. n. 15. indicat ipſe Eximius D. dicens „ Concluditur *Habitus Infuſos non poni*, *ut ſint totalia principia Actuum*, ſed ut intrinſece adjuvent Potentias, eaſque elevent ad altiorem modum agendi, ita tamen ut Actio etiam ab ipſis Potentiis immediate, & tanquam a Principio per ſe prodeat ". Quare ſicut ſtat Fidelem ante ſomnum habere naſum, & poſt ſomnum conſervare naſum ver. gr. quin certo, immo nec probabiliter conſervet *Actum Formalem*, *vel Virtualem Fidei Infuſum*, ita optime ſtat ipſum Fidelem ante ſomnum habere Habitum, & poſt ſomnum conſervare Habitum Infuſum Fidei, quin *certo*, *immo nec probabiliter* conſervet *Actum Formalem*, *vel Virtualem Infuſum Fidei*; cum nulla hic adſit neceſſaria connexio Medii termini cum extremis, nullaque conſecutio.

V. Inſtant dicentes: „ Habitus infuſus dat fidelibus *facile poſſe elicere Formales Actus Fidei Infuſæ*. Ergo *omnes* fideles (adde ſapientiſſime arguens & *omnes* Schiſmatici) *certo habent ſemper formalem fidei Actum propr virtualem*. Vel, ergo in omnibus fidelibus *certo perſeverat poſt ſomnum formalis Actus fidei proprie virtualis*. " Reſp. 1. Vix in eſſe hoc antecedente, & conſeq. majorem connexionem quam ſit ea, quæ ineſt in illo alio. *Petrus ſaltat. Ergo Turca dormit*. Vel certe majorem eam non eſſe quam ſit illa, quæ ineſt in hiſce aliis. *Habitus v. g. ſaltandi dat ſaltatoribus facile poſſe ſaltare. Ergo omnes ſaltatores certo habent ſemper formales Actus ſaltandi proprie virtuales*. Vel, *ergo in omnibus ſaltatoribus certo perſeverant poſt ſomnum Actus Formalis ſaltandi proprie Virtualis* (miſeri profecto homines, quos habitus ſaltandi noctes, dieſque totas detinet in eo violento motu, quin quieſcere poſſint! cum *ſemper* eſſe debeant in Formali vel quaſi Formali Actu ſaltandi.)

VI. Reſp. poſſemus 2. neg. prædictum antecedens, cum non ſit ita certum, quod ejuſmodi habitus infuſus Fidei ſicut Potentiis noſtris *dat ſimpliciter*, *ita etiam eiſdem det facile poſſe elicere Actus Fidei*. Cum id videatur eſſe diſcrimen, quod eſt inter habitus, qui invenientes jam in Potentiis *ſimpliciter poſſe*, *eiſdem addunt facilitatem*; & inter eos, qui illud non invenientes *eis ipſum tantum dant*. Sed demus adverſariis habitus Infuſos Fidei *Fidelibus da-*

re non ſolum ſimpliciter, ſed etiam faciliter poſſe elicere Supernaturales Actus Fidei, ipſiſque præterea permittimus adhibere omnes ergatas, ſeu adtractorias machinas, eoſque tandem provocamus ad deducendum ex ſuo antecedente: *Habitus Fidei Infuſus dat Fidelibus facile poſſe elicere Formales Actus Fidei Infuſæ*, hoc conſequens. *Ergo omnes Fideles certo habent ſemper Formalem Fidei divinæ Actum proprie Virtualem*. Vel, *ergo in omnibus Fidelibus certo perſeverat poſt ſomnum Formalis Fidei Actus proprie Virtualis*. Ac ab eis tandem quærimus qua dialectica conſecutione ex *facile poſſe Fideles elicere Formales Actus Fidei* (dum, ut ipſi ſupponunt & quidem bene, iidem ad illos concipiendos nulla ratione nitantur) colligi poſſit 1. *certitudo*, qua ipſi eos Actus re ipſa eliciant, maxime, cum a Potentia libera ad Actum nulla ſit conſecutio. 2. *certa*, vel ſaltem *probabilis perſeverantia* proprie *virtualis* ejuſmodi Actuum poſt ſomnum. Unde miſera allucinatio eſt putare quod in ſimplici *habitu infuſo* habeamus lumen *Actuale Formale Fidei* proprie *virtuale*, ſimillima quidem illuſioni illius, qui inter denſiſſimas tenebras poſitus ſibi blandiretur de eo ſcil. quod *Actualiter* eſſet conſtitutus inter ſplendidiſſima lumina ob id unice, quod ipſe ſecum ferret in mantica ſilicem, ex quo, ſi cætera omnia neceſſaria, quæ tamen is adhibere minime curaverat, adeſſent, ignem excutere poſſet.

VII. Arguunt alii dicentes: „ Actus Fidei *exercitus & implicitus* includitur in Actibus pietatis v. g. Contritionis, vel eleemoſinæ. Ergo ſuperfluum eſt alium Fidei Actum prærequirere. “ Reſp. neg. aſſumptum, & quærendo in primis ab Adverſariis quomodo in illis Actibus talis Actus Fidei includatur. Nam vel is includitur in Actu v. g. Contritionis, uti gladius in vagina, ideſt, taliter, ut habeat Formale Conſtitutivum Fidei diſtinctum a Conſtitutivo Formali Actus Contritionis, (& unde illud habet?), ſicut gladius habet ſuum Conſtitutivum diſtinctum a Conſtitutivo vaginæ, & ſic ejuſmodi *Actus Fidei* non eſt amplius, ſeu ſolum Actus Fidei *Virtualis Exercitus, & Implicitus*, ſed eſt *Formalis*, & *Formaliſſimus*. Sicut gladius incluſus in vagina non eſt gladius *Virtualis Exercitus ac Implicitus, ſed Formalis & Formaliſſimus eſt*. Vel e contra is prætenſus Fidei Actus *Virtualis Exercitus & Implicitus* non includitur in Actu Contritionis, uti gladius in vagina, ſed taliter, ut nullum aliud Formale Conſtitutivum habeat præter Conſtitutivum ipſius Actus Contritionis, & ſic ejuſmodi Actus Fidei virtualis exercitus, & *implicitus* nulla alia ratione eſt Actus Fidei divinæ, quam eo modo, quo vagina eſt gladius, & aſinus eſt homo. Maxime, cum homo conveniat cum aſino in genere *animalis*, ſeu *viventis ſenſitivi*, dum e converſo Actus Contritionis nec ſaltem in remotiſſimo genere *cognitionis, ut ſic*, ſeu *cognoſcitivi* convenit cum Actu Fidei. Cum hic ſit eſſentialiter *cognoſcitivus*, ſeu præcipue effectus intellectus, & ille alius ſit mere *volitivus*, ſeu effectus voluntatis nullo modo *cognoſcitivus*. Quo poſito iterum quæro, quo pacto hic Actus voluntatis poſſit *includere* eum Actum intellectus, & eum *ſupplere*? Et ſecundo quærendo ab Adverſariis, quomodo Actus Contritionis etiamſi per impoſſibile eſſet non ſolum Actus *virtualis implicitus*, ſed etiam Actus omnium *Formaliſſimus Fidei* poſſet eſſe vel per divinam omnipotentiam prævium requiſitum ad ſuam ipſius individualem productionem ad hoc, ut eſſet ſuperfluum prærequirere alium Fidei Actum?

## CAPUT III.

*Opponunt Adverſarii magno quidem apparatu, ſed infelici conatu, hodiernam praxim plurium Fidelium noſtræ ſententiæ oppoſitam.*

I. ARguuntque ſic: „ Plures Fideles (quos inter, inquiunt, multi etiam venerandi Præſules) ætate noſtra nihil cogitant de præmittendis ſuis Contritionibus, Formalibus Fidei Actibus *explicitis* recenter elicitis: neque pauci ex eis ignorant Formulas ſufficientes, modum, ac Formale motivum eliciendi ejuſmodi Actum, neque chriſtianæ inſtitutionis Doctores ipſos Fideles edocent obligationem eumdem eliciendi: neque Pœnitentes de tali defectu ſeſe accuſant, neque Confeſſarii eos amplius de iis interrogant. Ergo per præſentem praxim plurium Fidelium vel præſcriptum eſt contra antiquam praxim, ac legem Eccleſiæ de *præmittendo* Contritioni in Sacramento Pœnitentiæ *Formali explicito Fidei Actu*, ſicut per hodiernam praxim præſcriptum eſt contra praxim v. g. cantandi *Alleluja* in exequiis defunctorum, de qua meminit D. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ. Vel denique declaratur, quod Actus *Formalis Fidei explicitus* olim a Fidelibus elicitus *certo perſeverat proprie virtualis* poſt ſomnum multorum dierum, vel annorum. “ Reſp. neg. conſequentias, quamvis concedamus antecedens, proh dolor! nimis verum. Verum enim vero *quomodo implebuntur ſcripturæ*? Quid, quæſo, probat hoc, niſi quod verum ſit illud, *multi ſunt vocati, pauci vero electi*? Et quod vera etiam eſſe poſſit communiſſima PP. TT. & JJ. Sententia ad hunc textum apud Suareſium, ſcil. „ *Ex chriſtianis plures eſſe reprobos, quam prædeſtinatos*. “

II. Quod ideo evenit, quia, cum plurimi ſint, qui vel ſemel graviter peccent, pauci, ſi conferantur, ſunt, quos pœnitet, *ut oportet*, *ut eis juſtificationis gratia conferatur*. Vel in pluribus hoc proveniat ex defectu Fidei, & ſpei, *ut oportet*, & in aliis ex defectu competentis diligentiæ ponendi neceſſarios conatus, ac diligentiam ad concipiendos Supernaturales Contritionem, Charitatem, vel Contritionem de peccatis. Hæ, hæ ſunt funeſtæ quidem, ſed nimis veræ conſequentiæ, quæ legitime deducuntur ex tali antecedenti, minime vero illæ aliæ, quod ſcilicet præſcriptum ſit contra antiquum Eccleſiæ præſcriptum quo ad ſubſtantiam neceſſitatis, ſcilicet præmittendi Contritioni prædictum Formalem Fidei Actum, cum nulla humana conſuetudine præſcribi poſſit contra divinum jus *tunc eliciendi Formalem explicitum Fidei Actum*, quale certe non erat canere *Alleluja* in exequiis defunctorum. Vel quod declaretur, quod Actus Formales expliciti Fidei, & Spei a nobis olim eliciti *certo*, *vel probabiliter perſeverent proprie virtuales poſt ſomnum*; & multo minus, quod hæc ſit doctrina C. Eccleſiæ, vel praxis ab ipſa adprobata. Aliter quia ætate noſtra plurimi Fideles non curant elicere prædictos Actus Formales *ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*, nec de hoc ſeſe accuſant, neque de hoc Confeſſarii eos interrogant, neque etiam plures *curant* adimplere obligationes hominis chriſtiani. Item quia plurimi Fideles *mentiuntur*, ſuſcipiuntque Pœnitentiæ Sacramentum vel nullo, vel certe quodam *naturali*, ac *ſuperficiali* peccatorum dolore veluti abſtrahente a debitis Formalibus motivis, contenti diligentiſſima peccatorum *narratione* Sacerdoti facta, atque alicujus Formulæ Actus Contritionis *recitatione*; aliter, quia, ut diximus, plurimi Fideles hæc omnia non curant, oppoſitaque omnia in praxim reducunt, poterunt adverſarii nobis probare, quod per ejuſmodi *praxes*, ſeu *non uſus* hæc præſtandi, præſcriptum ſit contra *obligationes non mentiendi*: *eliciendi per ſe Actus Formales Fidei, Spei*: *ponendique debitos conatus, ac diligentiam ad concipiendum ex corde dolorem peccatorum Supernaturalem, & ut oportet*; ac tandem *adimplendi obligationes hominis chriſtiani*, & ſic de aliis; vel concludere poterunt, quod hæc facere, cum omittenda, vel omittere cum facienda ſunt, ſit doctrina Eccleſiæ Catholicæ.

III. Unde ſicut putare quod ejuſmodi *praxes*, *uſus*, vel *non uſus* plurium Catholicorum ſint doctrina C. Eccleſiæ, vel ab ea adprobata, eſt evidens falſitas, ac ſumma impietas; ita in noſtro caſu, in quo ipſa ab initio contrariam praxim Confeſſariis, ac Pœnitentibus demandavit, eamque per tot ſæcula inviolatam retinuit, cupitque, ut patet ex Tridentino, & Catechiſmo Rom. allegatis, eamdem ſaltem quo ad obligationem *tunc ponendi Fidei Actum, & Spei perpetuo ab omnibus retineri*. Maxime, cum objecta nobis hodierna plurium Fidelium *negligentia*, *incuria*, atque horum *omiſſio* non ſit praxis *poſitiva*, vel *univerſalis*, & *univerſaliter* retenta, cum præter Eccleſias Gallicanam, ac Argentoreuſem noſtram ſententiam in praxim deducant multi Fideles de propria ſalute ſolliciti, quamvis eamdem non apprehendant ſtrictæ neceſſitatis. Quod facere poſſent cæteri omnes, ut ſic negotio æternæ ſalutis providerent. Nam *ſemper*, ut in ſimili caſu p. 1. Criſ. 1. tr. 4. d. 59. c. 1. n. 10. reſpondet P. Cardenas, „ *in Eccleſia Dei fuit compertum, & intellectum in articulo mortis utendum eſſe Mediis omnino certis*, & quæ ſecuram reddant ſalutem æternam: unde ab initio Eccleſiæ ea edocta fuit in quovis hujus generis dubio *ſecurius Medium amplectendum eſſe*; ex quo generali dictamine *ſufficienter* providit Deus *quidquid* opus fuit ad articulum mortis (adjungito, & ad omne vitæ ſpatium). “ Quod ſi plures ſunt qui in vita, & in morte aliter ſapere volunt, ſequentes proprios arbitratus, & aliorum præjudicatas ſententias ut ut male fundatas: & qui volunt, quod illud *operoſum facere quod in ſe eſt*, conſiſtat in ea data ſuperficiali diligentia, quam ipſi ſibi temere fingunt ſufficientem, ipſi viderint.

IV. Neque oppoſitum evincit *privata praxis*, *vel non uſus* aliquorum Paſtorum. Cum juxta communiſſimam DD. Epiſcopi ſolum gaudeant infallibilitatis privilegio, cum legitime *Conciliariter* congregati præmiſſa ſufficienti diſcuſſione doctrinam aliquam definiunt, & tunc accedente Summi Pontificis confirmatione. Et hic tunc ſolum, cum loquitur *ex Cathedra* ad totam Eccleſiam, ei ſcil. ut ejus Magiſter proponens ſuas doctrinales definitiones ab eadem omnino tenendas. Cum, ut bene ait P. Viva in Trat. 9. Prodrom. de falſitate Theſ. Confiſc. n. 3. „ Pontificem *ex Cathedra loqui idem ſit*, inquit, ac Pontificem tanquam Doctorem & Magiſtrum a Chriſto Domino conſtitutum alloqui Eccleſiam ſibi demandatam proponendo illi, quæ ab omnibus Fidelibus *infallibiliter* credenda, aut obſervanda ſunt, ut docent DD. communiter cum Suario l. 1. contra Regem Angliæ c. 3. ubi advertit, non ſatis eſſe, quod Pontifex aliquid obiter veluti ad explicandum innuat in materia Fidei, vel morum, ut dicatur ex Cathedra loqui, ſed requiri quod *re mature perpenſa, & cum TT. & Cardinalibus examinata definiat, vel approbet aliquid tanquam credendum, vel obſervandum indubitanter a tota Eccleſia*; aliter non videtur loqui ut Doctor univerſalis, & Vicarius Chriſti cum aſſiſtentia Spiritus S. ſibi promiſſa. “ Aſt ubi, quæſo, ſunt? In qua Conciliorum Collectione, in quo Bullario reperiuntur ejuſmodi Conciliares Epiſcoporum definitiones, ejuſmodi ex Cathedra Papales locutiones? Proferant, ſi poſſunt eruditi adverſarii, Pontificiam Conſtitutionem, Conciliarem deciſionem, vel ſaltem Synodos Diœceſanas, & Catecheſes, in quibus Populis ab Epiſcopis, vel Summis Pontificibus præſcribatur, ac definiatur. „ 1. Quod *non ſit præmittendus Charitati, & Contritioni materiæ Sacramenti Pœnitentiæ Actus Fidei divinæ, ut oportet*. 2. Quod *non ſit neceſſarium ad concipiendum Supernaturales Spem, Charitatem, & Contritionem Fides Formalis Explicita Actualis, vel quaſi Actualis*, id eſt, *proprie virtualis*. 3. Quod *non ſit neceſſe ejuſmodi Fidem tunc elicere*, cum ad ipſas concipiendas proxime diſponuntur, ex eo ſcilicet, quod prædicta Fides *Actualis* forte olim habita *certo perſeveret proprie virtualis ex uno ad alium diem, vel annum*. “ Hæc præſtent adverſarii,

& nos victos fatebimur, ipſorumque praxi ſubſcribemus.

V. Quamvis igitur ex variis praxibus vere univerſalibus *poſitivis* omnium Fidelium erui poſſit vera Eccleſiæ doctrina, non ita quidem *ex praxibus* ( verius diceres *ex non praxibus*, ſed *ex multorum incuriis, ac negligentiis privativis*, & ut ita dicam, *negativis* erui poteſt. „*Cum* (ut ſcite animadvertit P. Arriga d. 51. de Pœnit. Sect. 5. n. 43.) *aliud longe diverſum ſit agere de Eccleſiæ uſu Privativo, hoc non fiebat olim, aliud vero de poſitivo hoc fiebat.* " Et ita merito Th. Spec. tr. de Pœnit. c. 2. ar. 3. §. 1. ait etiam P. Antoinius, „*Ex praxi Fidelium & ſi ſatis vulgari* præſertim, ſi conſiſtat in *omiſſione non poteſt certum peti argumentum*, quia non pauci Fideles *ſæpe ignorant* quæ agenda ſunt, & præſertim ea, quæ ſunt in controverſia, & multi ſuam agendi rationem non inſtituunt ſecundum leges, quæ ipſis proponuntur. " Et ideo verum non eſt, quod *quilibet uſus*, vel *conſuetudo plurium Fidelium negativa, ac privativa*, ut ut orbata Conſtitutivis ac requiſitis, quæ eas tales reddant, eo ipſo ſint definitiones veritatis ſuorum objectorum, quamvis, ſi ipſæ ceteroquin non opponantur ( uti hæc revera opponitur ) alicui veritati ab ipſa Eccleſia nobis propoſitæ, vel aliis Principiis rationis, ſint maxime venerabiles ac ſumma reverentia ſuſcipiendæ. Neque de ejuſmodi *negativis* conſuetudinibus, ut plurimum a TT. intelligitur illud Auguſtini epiſt. 118. *Si quid horum tota frequentat Eccleſia; nam hoc quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*, " ſed ſolum de aliquibus ex *poſitivis*, uti tr. de Sacr. Pœnit. d. 46. c. 4. n. 145. ait P. Cardenas. " Illud dictum S. Auguſtini in duplici caſu poteſt intelligi. Primum quando diſputatur, an ſit licitum quod tota frequentat Eccleſia. Et hoc modo ſi diſputetur, *an ſit licitum Fidelibus ſe accuſare de peccatis dubiis*? Quod licitum ſit diſputare, aut in dubium vertere inſolentiſſimæ inſaniæ eſſet. Secundo, cum inquiritur, an frequentatio, ſeu *conſuetudo* totius Eccleſiæ ( v. g. Jejunii quadrageſimalis ) recepta tanquam obligatoria, revera obligatoria ſit? Auguſtinum enim loqui etiam in hoc caſu patet ec. ſcil. eſſe inſolentiſſimæ inſaniæ vertere in dubium; *an ſit obligatio faciendi aliquod*, ad quod in univerſali Eccleſia omnes Fideles teſtantur eſſe jus *poſitivum*, ſeu præceptum reipſa impoſitum ( ſive traditionem, vel conſuetudinem ). Quia quod ſolo jure *Naturali* innititur ( ad quod hæc noſtra obligatio reducitur ) id ſolum certitudinis, vel probabilitatis adtribuendum eſt communi perſuaſioni Fidelium, quantum probat ipſa ratio, qua innititur. "

VI. Non ergo *quæcumque multorum Fidelium praxis*, maxime ſi ea ſit *negativa*, eſt quædam definitio veritatis *objecti ejuſmodi praxeos*, ut non pauci de numero ſapientum parum fundate putant, cum illius veritas, vel falſitas abſolute latere vel ipſam Eccleſiam, nec ab ea perventum fuerit ad ejuſmodi rei definitionem. Ideoque nobiles TT. nimis non curant ejuſmodi *omiſſionis*, *ſeu negationis* conſuetudines, quamvis *univerſales*, uti P. Suarez de Pœnit. d. 26. ſect. 6. n. 7. dum ad objectionem „ eſt autem *univerſalis Eccleſiæ uſus*, ut Sacerdotes ſecure utantur hujuſmodi Juriſdictione probabili in adminiſtratione hujus Sacramenti " ec. n. 8. reſpondet. „ Eſt quidem hic dicendi modus probabilis, *non tamen eſt certus*, & hoc ipſo non omnino tollit dubium, nec dat rei certitudinem. " Et Mag. Canus de loc. th. l. 5. c. 5. dum ait. „ Alii vero mores ſunt poſt Apoſtolos inducti, in quibus quamvis Eccleſia erraret, non propterea Fides periclitaretur. Sine periculo hæreſeos teneri poteſt Eccleſiam in aliqua lege ( durius hoc Cani dictum nobis videtur ), & more poſſe errare ec. Scimus in rebus, quæ ad doctrinam pertinent, ſapientum ſenſum eſſe præferendum, & ſapientes pauciſſimi ſunt, cum ſtultorum infinitus ſit numerus. Quadringenti Prophetæ Acab mentiti ſunt: ex ore vero Michææ ſolius quidem, & contemptibilis veritas egreſſa eſt. " Immo idemmet Auguſtinus l. 3. de Bapt. c. 4. *Quid ad Bajanum* ec. admittit, quod etiam in quæſtione roborata contraria praxi Eccleſiæ *poſitiva*, & *univerſali* in aliquo caſu poſſit *unus*, *vel pauci* Theologi verius ſentire quam *innumerabiles* alii, dum ait. " *Non quia fieri non potuit, ut in obſcuriſſima quæſtione verius pluribus unus, paucive ſentirent*; ſed quia non facile pro *uno*, vel pro *paucis* adverſus *innumerabiles* ejuſdem Religionis, & unitatis viros, & magno ingenio, & uberi doctrina præditos, *niſi pertractatis pro viribus, atque perſpectis rebus ferenda ſententia eſt*. " Hinc eſt quod nullus A. quem viderim, ejuſmodi ſophiſmate vel ad impugnandam noſtram, vel ad propugnandam oppoſitam nobis opinionem uſus eſt. Unde patet quam perperam nobis opponant Adverſarii prædictum multorum Fidelium *uſum*, id eſt, *non uſum*, ac *meram negligentiam*, atque *incuriam* ( tanquam firmiſſimum ſuum fundamentum in re ſummi momenti ) *contrarium uſui*, ac *diligentiæ* aliorum, & maxime antiquorum Fidelium ſibi ab Eccleſia tanquam juris divini præſcripto.

## CAPUT IV.

*Opponunt Adverſarii aliqua parum diſſimilia.*

I. Sic arguunt: „ Chriſtianæ Inſtitutionis Doctores, Paſtores ſcil. & Concionatores *clariſſime* docent Fideles quidquid aliquo modo ad eorumdem Juſtificationem prærequiritur. Quis enim prudens credat Logicum v. g. docere diſcipulos veram ac certam rationem ſecure conſtruendi veros ſyllogiſmos, & e contra chriſtianæ inſtitutionis doctorem tutam ac perſpicuam rationem, modumque ſecure eliciendi veros Actus Juſtificativos Fideles non docere? Atqui ejuſmodi chriſtianæ inſtitutionis Doctores, majores Paſtores, ideſt, Epiſcopi, quos Spiritus S. *poſuit regere Eccleſiam Dei*, mire variant in exponenda ratione, ac modo eliciendi Actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis ( ut notum eſt evolventi eorum particulares Catecheſes, & horum Actuum Formulas. ) Nam prætermiſſis illis, qui vel nullas omnino, vel certe has tantum: *Credo; Spero; Deum Amo; de peccatis meis doleo*, ſuis præſcribunt, ſunt qui ſuis Diœceſanis ſequentes Formulas præſcribunt: *Credo quidquid Deus S. Eccleſiæ revelavit; Spero quidquid Deus nobis promiſit; Amo Deum*; de peccatis meis ex corde doleo. In quibus nulla Myſteria *Explicite* credenda, vel ſperanda, neque ulla Formalia iſtorum Actuum motiva traduntur. Et ſunt alii, qui hæc, vel illa Myſteria pro libito exprimunt, quorum aliqui reſpectiva Formalia eorumdem Actuum motiva in ſuis amplioribus Formulis inſerunt, alii vero eadem omittunt. Tandem minores Paſtores, & Concionatores plerumque non niſi hanc eliciendi eos Actus rationem modumque populo docent: *Credite, Sperate; Deum ſuper omnia amate*, de peccatis veſtris ex corde dolete. Vel *veſtram*, inquiunt, *Fidem, Spem*, & *peccatorum dolorem excitate, peccata veſtra ſincere confeſſario exponite*; nulla de qualitate Myſteriorum credendorum, vel ſperandorum, nulla de motivis Formalibus credendi, ſperandi ec. mentione facta. Ergo ſignum eſt vel ejuſmodi Actus ad Juſtificationem non prærequiri; vel ſatis eſſe eos *utcumque* concepiſſe. Ergo noſtrum aſſertum eſt inconcuſſum Eccleſiæ docentis dogma. "

II. Reſp. interim dando majorem; conced. min. & neg. 1. conſequentiam, utpote erronea, ac directe oppoſita Tridentino continentem, atque repugnantem recto ſenſui Fidelium, qui, dum *veros* Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis Actus ad Juſtificationem requirunt, Actus non utcumque, *ſed ut oportet* conceptos requirunt. Aliter non ſolum Catholici omnes, ſed etiam Schiſmatici, & Hæretici omnes juſtificarentur, cum omnes Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis Actus *utcumque* exerceant. Neque ex tot varietatibus, & contradictionibus in 1. p. minoris adductis aliud probatur, niſi 1. quod hæc res ſatis obſcura ſit. 2. Quod manifeſta *Contradictione requirantur & inſimul non requirantur Fides, & Spes Explicitæ aliquorum Myſteriorum*, & *adtentio ad Formalia motiva horum Actuum*, cum aliqui Epiſcopi in ſuis Formulis hæc inſerant, & alii eadem omittant. Hæc inter ſe, ſi poſſunt, componant Adverſarii noſtri. Certe hæc eadem Paſtorum variatio, ac diſſenſio *non* ſummam claritatem, ac certitudinem huic rei adferre videtur. Nec illa docendi ratio Concionatorum: *Credite; Sperate; veſtram Fidem; Spem; & peccatorum dolorem excitate; verum Contritionis Actum elicite* non plus claritatis, & certitudinis adfert, aut Fideles plus inſtruit, quam diſcipulos inſtrueret illa, qua cum Architectus, vel dialecticus ipſis fabricandi, vel Syllogiſmos conſtruendi imperitis nulla clariori norma eis data, vel exemplari oſtenſo, diceret: „ *Conſtruite vobis fabrefacta Palatia, ac domos. Conſtruite perfectos Syllogiſmos juxta regulas Dialecticas.* " Ad 2. conſeq. reſp. Adverſarios nimis perperam abuti ſpecioſa enuntiatione Eccleſiæ docentis, ad illudendum ſibimetipſis, & ad detinendum imperitos in pericoloſiſſimo errore obtentu hujus ſui novi dogmatis. Perinde ac ſi Epiſcopi omnes inſimul cum Papa conſtanter ſemper & ubique ex perpetua divina Traditione poſitive docuiſſent, quod in noſtro caſu *non ſint eliciendi Actus Formales Expliciti Fidei Supernaturales, ut oportet*. Vel quod ad Juſtificationem *ſufficientes ſint quicumque Fidei Actus ut ut ſuis Formalibus Motivis, vel rebus Explicite neceſſario credendis penitus orbati*. Et perinde ac ſi devenire poſſit dogma *docentis Eccleſiæ* doctrina illa, cujus contradictoriam ipſamet Eccleſia ab initio *expreſſe* docuit ( & per plurima ſæcula in praxim univerſaliter reduxit, ) & quam in præſentiarum omnibus per Generale Concilium Tridentinum, per Catechiſmum Romanum, & per ſuos nobiliores Theologos inculcat.

III. Quamobrem ad maj. reſpondeo me non capere *ſummam* illam claritatem, quacum Chriſtianæ Inſtitutionis Doctores edoceant Fideles ea omnia, quæ ad illorum Juſtificationem requiruntur. Ponamus enim Fidelem de recuperanda divina gratia per quoddam læthale deperdita ſollicitum adire Paſtorem ſuum doctiſſimum Theologum, ut ab eo diſcat certam ac perſpicuam rationem, modumque prorſus efficacem recuperandi ſecure deperditam gratiam. Is equidem vix aliud eidem Fideli reſponderet quam: *Elicito verum Contritionis Actum, & cum firmo emendationis propoſito peccatum tuum Confeſſario ſincere exponito*. At ſi iſte Fidelis poſt hæc omnia a ſe præſtita ab ipſo Paſtore quærat: „ *Sum nec ne ego coram Deo juſtificatus a peccato meo: Elicui ne verum Contritionis Actum?* Ipſe Paſtor eidem reſpondere deberet: *Juſtificatus ne ſis, an non, ergo ignoro: de hoc nihil certi ſcio*. In primis quia neſcio, an tuus ille Contritionis Actus, quamvis ex corde profectus, habuerit an non pro ſuo principio, fundamento, & radice aliquem *Supernaturalem Fidei Actum, ut oportet* factum ( hocque ideo neſcio, quia quamvis tu aliquoties conatus fueris eum Actum Fidei elicere, dubito 1. An illum revera talem unquam elicueris. 2. Quia dato quod illum elicueris, ignoro quo die, menſe, vel anno ipſum elicueris. 3. Quia ulterius ignoro quamdiu is Actus revera duret propriæ *Virtualis* ). Secundo quia neſcio fuerit nec ne in ſe *Supernaturalis*, cum ejuſmodi Actus *Supernaturales* a *Naturalibus* diſtinguere non poſſimus. "

IV. „ Tertio, quia, dato quod is tuus Contritionis Actus fuerit *Supernaturalis*, ignoro fuerit ille nec ne Actus Amoris Dei *appretiativus* ( ex quo conſtare debet omnis perfecta Contritio ), vel tantum fuerit *ſimplicis complacentiæ*, cum ut cit. P. Ulloa docet: *Quid*

*Quid eſt entitative in re ipſa*, atque ex parte rerum hæc appretiatio? Sudant Theologi in explicatione hujuſmodi ec. " Et ut docet cit. P. Suarez: „ Nullus Fidelis credens poteſt evidenter ſcire ſuam Fidem (quoad modum credendi) eſſe veram, ergo nec evidenter ſcire eſſe divinam, aut infuſam; ergo neque quod ſit, *ſicut oportet* ec. quia quo ad hoc videtur eſſe eadem *ratio* de Actu Fidei, & Amoris, ſed de Actu Amoris Dei non poteſt per experientiam evidenter cognoſci, an ſit *Supernaturalis*, vel ex *gratia*, vel *ſicut oportet*, vel ex *pura benevolentia Dei propter ſe ipſum*, & ideo non poteſt ſciri certitudine Theologica quod (Actus Fidei) ſit talis, qualis ex parte Intellectus ad Juſtificationem eſt neceſſarius. " Ac tandem quia neſcio, an tuus ille Actus Contritionis fuerit necne, *ut oportet*, ſive ejus datæ tendentiæ, & perfectionis, quæ eumdem talem conſtituerint. Cum veriſſimum ſit illud ejuſdem Suarezii „ Diſpoſitio illa (ad Juſtificationem) non eſt Actus Amoris, vel doloris *abſolute* ſumptus, ſed *cum hoc addito*, *ſicut oportet*, ſicut Concilia loquuntur; in quo illud, *ſicut oportet* poſitum ſit, vix a Sapientibus cognoſcitur. "

V. Si Fidelis ille ulterius pergeret quærendo ab illo Paſtore certam ac perſpicuam rationem ac modum eliciendi ſecure Actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis, vel Attritionis in ſe *Supernaturales*, ac etiam *ut oportet*, inſignis ille Theologus ei iterum reſpondere deberet: „ *Ego id quoque prorſus ignoro*. Et ſi tu vis ſapere, & conſulere animæ tuæ, *diligenter fac, quod in te eſt*, frequenter ex corde conando ad eliciendum hos Actus juſtificativos, ut eos tandem aliquando revera elicias; *ut oportet*; Deumque ex corde etiam atque etiam exora, ut te ad eoſdem tales eliciendos adjuvet. Nam Dominus ait: *Petite, & accipietis, pulſate, & aperietur vobis*. Et Angelicus D. inquit. „ *Nulli Deus gratiam denegat, qui quod in ſe eſt, facit, ut ſe ad gratiam præparet*. " Quod ſi demum præfatus Fidelis ab eo exquirat, in quo revera conſiſtat illud, *facere quod in ſe eſt, ut quis ſe ad gratiam præparet*? Quoties is conari debeat ad vere concipiendum prædictos Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis Actus *Supernaturales*, & etiam *ut oportet*? Quot, & quales eſſe debeant preces illæ neceſſariæ, & ſufficientes ad infallibiliter impetrandum gratiam concipiendi eos Actus tali modo? Prædictus ſapientiſſimus Theologus eidem tandem reſpondere deberet: *Hoc quoque ego neſcio, ac prorſus ignoro*. Cum, ut bene ait P. Suarez: Nemo negare poſſit, *quin orare, ſicut oportet*, ſit res magni momenti ec. Difficile ſit ad explicandum *quanta, & qualis* debeat eſſe hæc *perſeverantia* (in Oratione, circa ejuſdem rei petitionem: videtur ex dictis ſequi nunquam deſiſtendum ab inchoata petitione, quia neque eſt certum tempus deſignatum) nec certus Orationum numerus, cui impetratio infallibiliter promiſſa ſit. " Quibus poſitis ſapientiſſimus quiſque jam videt, quam *perſpicua ſit* ratio illa docendi Fideles viam Juſtificationis, quæ tot, tantiſque momentoſiſſimis ignorantiis, ac dubiis obvolvit mentes vel ipſorum doctiſſimorum Theologorum. Et quacum major Fidelium adultorum pars ut plurimum Sacramentis munita nihil tale putans ad inferos deſcendit, & in noviſſimo die cum ceteris reprobis dictura eſt illud abſolutum „ *Ergo erravimus a via veritatis, & Sol intelligentiæ nobis ortus non eſt*. "

## CAPUT V.

*Opponunt ulterius aliqua alia ſimilia.*

I. ARguunt iterum: „ Si, ut dicitis, revera neceſſarium eſſet prævie ad elicientiam Actus Contritionis elicuiſſe Actum Fidei, Eccleſia hoc nos docuiſſet non ſolum quadam veluti pratica Traditione, modo prædicto, ſed ne in cauſſa fuiſſet, ut plures Fideles damnarentur, hoc ipſum ſtatim ab initio *clare, ac expreſſe definire*, contrariumque ſub pœna Excommunicationis Fidelibus interdicere debuiſſet. Atqui Eccleſia hoc ita non definivit, immo Catecheſes hanc neceſſitatem negantes edi permiſit, atque probavit. Ergo neceſſarium non eſt ejuſmodi Actum Fidei prævie ad elicientiam Contritionis elicuiſſe. " Reſp. neg. maj. quia ſine maxima impietate ſupponi non poteſt S. Dei Eccleſiam ſuo muneri defuiſſe, aut eam eſſe, vel fuiſſe unquam cauſſam, cur aliquis damnaretur, utpote quæ a Spiritu S. directa eſt non ſolum, ne in rebus Fidei, vel Morum errare poſſit, ſed etiam ne ejuſmodi definitiones prætermittat eo tempore, & modo, quibus juxta divinæ providentiæ, & imperſcrutabilium divinorum judiciorum mirabiles diſpoſitiones oportuit eas Fidelibus proponere. Quamvis forte ſæpius homines vel indociles, vel prave interpretantes, quæ iſta recte docuerat, vel eadem parum curantes propria malitia, negligentia, vel obſtinatione perierint.

II. Et quia aliter 1. argumentari poſſent omnes errorum, & hæreſum defenſores non ſolum ante, ſed etiam poſt earumdem damnationem dicentes „ Si hæc noſtra Doctrina damnabilis eſſet, Eccleſia ſtatim ab initio eam damnaviſſet, & contrarium ut *unice* tenendum *definiviſſet*, Fideleſque certiores ejuſmodi definitionis, uti debuit, feciſſet. Sed illa ab initio hoc non præſtitit. Ergo hæc doctrina damnabilis non eſt; ergo ejus præſens condemnatio non eſt legitima; ergo non tenet. 2. D. Petrus graviter deliquiſſet non definiendo ſtatim omnia definibilia tum circa dogmata, quæ tot ſecula poſt ab Eccleſia definita ſunt, uti v. g. *Filii Conſubſtantialitas cum Patre; & Spiritus S. proceſſio etiam a Filio*; tum circa mores uti v. g. neceſſitas *per ſe* eliciendi Actus Formales Fidei, Spei, & Charitatis *ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*, quam Eccleſia elapſo ſeculo definivit, quin tamen adhuc de-



definiverit pluries ne an ſemel tantum in anno hæc divina præcepta Fideles obligent? 3. Quod ejuſmodi Actus, ut nobis ſalutares ſint, debeant eſſe in ſe, *ut oportet*, ſicut ipſa Eccleſia plura poſt ſecula definivit, quin tamen adhuc definiverit, in quo conſiſtat *hoc ipſum illorum eſſe, ut oportet*, ceteroquin ad ſalutem adultorum adeo neceſſarium, ut eo deficiente ipſi eam per hos Actus nequaquam obtinere poſſint. "

III. Tandem, ut ſexcenta alia omittamus, ad adultorum Juſtificationem non eſſe ſufficientes illos Fidei Actus, quibus *Implicite tantum* creduntur Myſteria, ſeu objecta, à quibus Juſtificatio dependet, quod tandem ipſa paucis abhinc luſtris per Conſtitutionem, *Etſi minime nobis*, Benedicti XIV. definivit, quin tamen hucuſque definiverit quanta, & quænam ſint revera illa ipſa objecta *Explicite credenda*; quantumvis ea ceteroquin certo ac facile a DD. deſignari non poſſint, ut bene innuit P. Lacroiſius l. 2. n. 20. dum ad quæſitum; *An, & quorum objectorum Fides Explicita requiratur ad Juſtificationem*? reſpondet „ *Non poteſt ita facile definiri*. " Tandem Catecheſum, dum eduntur, adprobationes cenſorum, vel etiam adprobationes illæ, quibuſcum aliqui Pontifices commendaverunt Catechiſmum Romanum, & Doctrinam Ven. Card. Bellarmini plurimi quidem faciendæ, non ſunt definitiones Eccleſiæ de eo, quod in ipſis *omnia*, & *ſingula* a Chriſtiano credenda, vel exequenda ſunt, *clare omnino ac perſpicue* tractentur, vel explicentur (cum hoc nec de ipſis ſacris paginis affirmari, ut vellent Hæretici, poſſit; aliter recurrendum non eſſet ad divinas, & Apoſtolicas Traditiones, Eccleſiæque definitiones).

IV. Quod amplius patet etiam ex eo, quod in ipſis duabus Catecheſibus deſiderentur Formulæ Actuum Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, & Attritionis (quas neceſſarias eſſe ad eos eliciendos non negant vel ipſi adverſarii) ab Auctoribus earumdem Catecheſeon compoſitæ. Cum illæ, quæ leguntur in aliquibus editionibus doctrinæ Bellarmini, ab ipſo Ven. exaratæ non ſint. Et, ſi verum eſt, quod in hiſce, aliiſque Catecheſibus omnia ad adulti Juſtificationem neceſſaria ſatis ſuperque explicata inveniuntur, ediſſerant nobis, noſque ex ipſis ſuis Catecheſibus edoceant eruditi Adverſarii *clare* tamen, *ac diſtincte* 1. *Quanta*, & quænam Myſteria, ſeu objecta Fidei neceſſitate Medii ad adulti Juſtificationem *Explicite* credenda ſunt? 2. *Quoties* in anno, vel in vita hæc eadem objecta neceſſitate Medii, vel præcepti ſic credenda ſunt? 3. *Quandiu revera Actus Formales Expliciti*, quibus hæc creduntur, *durent proprie virtuales*, atque adeo habiles ad *Supernaturaliter* influendum in Actibus Juſtificativis Spei, Charitatis, Contritionis, vel Attritionis. 4. *In quo* revera conſiſtat illud eorum requiſitum, & qualitas, *ut oportet*, ſine quo de Fide eſt, hoſce *Formales*, vel *Virtuales* Actus ad ipſam Juſtificationem ineptos eſſe. 5. Unde in ipſos derivetur intrinſeca eorumdem *Supernaturalitas*. Et in quo poſſimus diſtinguere ipſos Actus *Supernaturales* ab Actibus *Naturalibus Acquiſitis* Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis, ne pernicioſiſſima æquivocatione hos pro illis ſumamus. 6. *In quo* revera conſiſtat illud tritum, *facere quod in ſe eſt*, omnino a Fidelibus, qui gehennam effugere velint, ponendum maxime poſt admiſſum lethale? *Seu quales, quantique conatus* a Fidelibus apponi debeant ad eoſdem certo concipiendos, *ut oportet*? Tandem iterum negamus Eccleſiam adprobaſſe, vel edi permiſiſſe Catecheſes prædictam neceſſitatem Actus Fidei *negantes*, cum nulla, quam legerimus, eam neget, ſed ad plurimum ab ea præſcindant, quod eſt longe diverſum.

V. Inſtant 1. Adverſarii dicentes. „ Quid enim? Negat ne Deus ſuam ſufficientem gratiam Fidelibus, ut poſſint juſtificari? Credibile ne eſt tantam eſſe poſſe in re omnium momentoſiſſima præjudiciorum vim? Minime gentium. Ergo dicendum eſt præjudicia hic non intervenire. " Reſp. retorquendo argumentum ſic. Quid enim? Negat ne Deus *ſuam* ſufficientem gratiam Infidelibus, ut poſſint juſtificari, ac ſalvari? Negavit ne eam Hebræis tunc Fidelibus, ut Meſſiam cognoſcerent, reciperent, & ſalvari poſſent? Credibile ne eſt tantam eſſe potuiſſe in re omnium momentoſiſſima præjudiciorum vim? Quid enim, quæſo, momentoſius? Quid unquam Hebræis expectabilius quam venturus Meſſias, in quo ſummam votorum repoſitam habebant? Quis proinde crederet 1. Eoſdem ſtatim ac ſibi a Magis, & a Paſtoribus nuntiatum audiverunt natum Meſſiam, non concurſuros eſſe catervatim ad illum adorandum, dum omnes mirantur, & cum Herode turbantur, & nullus cum Magis, & Paſtoribus ad eum adorandum movetur? 2. Eoſdem omnes ſaltem poſtea eumdem innumeris ſignis, & Scripturis ſuum adventum clare comprobantem non eſſe recepturos? Deus bone! Quæ ſtupiditas! Qualis incuria! Quænam ignorantia!

VI. At nihil mirum. Irrepſerat in Synagoga ex quadam plurimorum privatorum perverſa Scripturarum interpretatione illa præjudicata opinio, quod ſcilicet Meſſias cumulaturus eſſet Hebræos omni temporali felicitate, quam tamen adeſſe minime videbant. Præterea ſuos Legisdoctores ſufficientes reputabant ad omnem veritatem in negotio ſalutis ſibi manifeſtandam; animadvertebant inſuper nullum ex illis ſapientibus in Chriſtum credidiſſe: *Nunquid*, dicebant ad invicem 7. Joan. *ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis?* Unde tandem erronee intulerunt ſibi non Chriſto verum prædicanti, ſed ſuis DD. ipſi licet nullo ſolido fundamento contradicentibus, adhærendum eſſe, & quidquid in contrarium doceat, probetque Filius fabri litterarum ſtudio cum illis minime comparandus tanquam phantaſticum, & parum credibile nihil ſibi curandum eſſe. Et en quomodo in re omnium momentoſiſſima agere, & vel

ipſius divinæ gratiæ activitatem non parum retundere valeat ſemel admiſſorum præjudiciorum pene ineluctabilis vis?

VII. Inſtant 2. dicentes „ Qui fieri poteſt, ſeu qua providentia fit, ut Miſericordioſiſſimus Deus permittat majorem Fidelium partem intra ſuam Eccleſiam verſari in tanta incuria *credendi, ut oportet* Cat. Religionis, quam profitetur, veriſſima Myſteria? Cum Paulo mirabundi: *Quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Et cum Davide tremebundi: *Videte Opera Dei terribilis in conſiliis ſuper filios hominum, & judicia Dei abyſſus multa* " reſpondemus, quod eadem illa providentia fit, qua cum Juſtiſſimus & Miſericordioſiſſimus Deus permittit maximam hominum partem, & quidem eodem pretioſiſſimo ſanguine redemptorum Acatholicos ſcil. omnes, & Schiſmaticos, & Infideles extra eamdem verſari in incuria, ignorantia, ac negligentia profitendi eadem ejuſdem C. Religionis Myſteria, ac communionem. Et hoc accidit quamvis ipſe Miſericordioſiſſimus ac Clementiſſimus Dominus volens ſerio *omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, omnibus præparaverit, illaque, ſi per ipſos non ſtetiſſet, eis daturus eſſet, ac etiam de facto dederit auxilia ſufficientia iſtis ad ea *profitenda*, & illis ad ea jam profeſſa *ut oportet credenda*. Illudque Principis Apoſtolorum addimus: „ *Fratres, magis ſatagite, ut per bona opera* ( qualia præ ceteris ſunt Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis Actus ) *certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*. Et *cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini*. "

## CAPUT VI.

*Opponunt Adverſarii* Novitatem, & Singularitatem *noſtræ Doctrinæ, & quaſdam alias inſtantias de moribundo ec.*

I. ARguunt dicentes „ Adducta doctrina *nova, & ſingularis eſt*. Ergo certum eſt quod Actus Formalis Fidei perſeveret proprie *virtualis* ad multos dies, vel annos " Reſp. neg. Suppoſitum, quod ſcilicet ſit doctrina *nova* ( cum potius ejuſdem vetuſtatem, ſi ea ipſi officere poſſet, objectare poſſent ), & *ſingularis* doctrina illa, quam ab initio Eccleſia Romana docuit, & poſtea in ſuo antiquo Rituali, ut ab omnibus praticandam inſeruit, & quam ipſa per mille quadringentos, ut creditur, & amplius annos *univerſaliter* in praxim reduxit, quamque ſaltem quoad ſubſtantiam tenuit tanquam propriam congregata in Sacroſ. Tridentina Synodo, & quam tandem pergit tenere & docere etiam in Catechiſmo Romano ab ipſo Oecumenico Concilio præſcripto, a S. Pio V. edito, & a Clemente Papa XIII. commendato, atque omnibus inculcato. Et quam Eccleſia Gallicana, & Argentorenſis in praxim redigunt, & quam denique Sacra Sorbonica Univerſitas, & melior ac maxima Theologorum pars tuetur. Proferant Adverſarii tantundem pro ſua; aliter fateantur, quod *non noſtra*, ſed ſua ipſorum opinio *nova* ſit, & quod pejus eſt, antiquitati, & Tridentino oppoſitus *multorum abuſus*, atque *periculoſa omiſſio*. Et appoſite notetur illud Benedicti XIV. in Synopſi totius Operis de Servorum Dei Beatif. l. 2. c. 28. „ Quoad *Novitatis* cenſuram ſpectat, *neque nova, neque damnabilis* eſt doctrina, quæ licet aliquid *noviter* dicat, *nova tamen non docet* ec. Quare doctrina *nova* erit, quæ *vana*, & *inutilia* Scripturis, & Patribus adverſantia exhibet, aut quæ ſtudio novitatis, vel, ut *novum* aliquod adverſus Eccleſiæ regulas tradat, novas exhibet voces. "

II. Inſtant dicentes 2. „ Si Sacerdos accedat ad Fidelem jam jam animam agentem, eum ſtatim abſolvere debet, quin ſuo dolori præmittere faciat Formales *Explicitos* Fidei, & Spei Actus; ergo certum eſt vel ipſos non requiri, vel quod Actus ab eo olim eliciti inpræſentiarum adhuc conſerventur proprie *Virtuales*. " Piget quidem retuliſſe tam inepta, vixque ad rem facientia Sophiſmata. Quia tamen omnia nobis ab Adverſariis objecta fuere, & ipſorum ſunt fundamenta, ea ſolvere debuimus, ne iiſdem amplius imperitis fucum facere poſſint. Huic ergo Reſp. diſting. Ant. Eum abſolvere ſtatim debet, quin ſuo dolori præmittere faciat Formales Explicitos Fidei, & Spei Actus, ſi prudenter præſumat eumdem ex ſe eoſdem ſuo dolori præmiſiſſe, ac inſimul poſuiſſe dolorem ipſum, ac ſufficientem ejus externationem per Confeſſionem aliquam aliquibus ſignis quantumvis ceteroquin dubiis factam, v. g. ſi Sacerdotis manus ſtringat, pectus tundat, Cœlum ſuſpiciat, ingemiſcat ec. Vel ſupponendo quod aliquod ex hiſce, vel ſimilibus ſignis præceſſerit ( ut ſemper, vel fere ſemper ſupponendum eſt ) in ordine ad obtinendam Abſolutionem; concedimus ant. Aliter illud negamus.

III. Cum ex illo nihil aliud legitime inferri queat, niſi quod ( cum omnes Sacerdotes, ut gravem culpam, graveſque ſacrorum Canonum reprehenſiones in Sacerdotes nimis crudeli ignorantia Abſolutionem moribundis denegantes, vibratas evitemus, teneamur in illis urgentiſſimis circumſtantiis ſuccurrere Proximo in ſummo periculo conſtituto eo meliori modo, quo poſſumus ) tunc uti poſſimus Materia Sacramenti *dubia*. Unde, cum ſupponatur, quod temporis anguſtiæ Confeſſario non permittant ſuggerere moribundo prædictos Actus ante Abſolutionem, præſumere hic poterit, quod forſan ipſe ſalutis ſuæ ſollicitus eoſdem Actus præmiſerit, (1) & eum-

( 1 ) Uti ſupponit P. Gobatus t. 7. n. 621. dicens „ Potuerunt adeſſe *Supernaturales Actus Fidei, Spei, Doloris & Contritionis in eo fundati*. "



eumdem poterit, conſequenterque debebit abſolvere ſaltem conditionate. „ Agnovimus Pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut ec. Quid hoc, rogo, aliud eſt, quam morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere? " Ita Cæleſtinus I. in ſuo decr. relato in diſt. 26. q. 6. Similiterque Julius I. in ſuo ibidem adducto ait „ Si Presbyter Pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum. " Nota quod hoc Adverſariorum argumentum æque probat poſſe *ſemper* impertiri Sacramentalem Abſolutionem non præmittenti eidem ullum peccatorum dolorem ſaltem Formalem, neque eum ullo modo per aliqualem Confeſſionis ſpeciem externanti. Quod plane erroneum eſt.

IV. Inſtant 2. dicentes. „ Si ad Contritionem prærequiritur *Formalis* Fidei Actus; vel ſi is non perſeverat proprie *Virtualis* ex uno ad plures dies, vel annos, dabuntur caſus, in quibus peccator vix a ſomno excitatus v. g. per violentum terræ motum jam jam moriturus non poſſit per Actum perfectæ Contritionis juſtificari, ſi eidem forte non ſupereſſet ſpatium præmittendi ejuſmodi Actui ſaltem Actum Fidei, *ut oportet*. Sed hoc eſt maximum abſurdum. Ergo dicendum eſt, quod ejuſmodi Actus *non prærequiratur ad Supernaturalem Contritionem*. Vel quod *certe* perſeveret proprie *Virtualis* ad plures dies, vel annos. " Reſp. neg. min. Cum in hoc majus inconveniens non ſit, quam in eo, quod peccator immediate poſt peccatum corripiatur v. g. Apoplexia, ſuffodiatur gladio, moriatur ebrius, amens, dormiens, vel actu peccans. Aliter æque inferre poterunt Adverſarii, vel quod non ſit neceſſarius ad Juſtificationem Actus Contritionis, vel Charitatis perfectæ, *ut oportet*. Cum in prædictis caſibus plerumque a peccatore vix elici poſſint. Vel ſaltem quod Deus teneatur eum miraculoſe a tali improviſa morte liberare.

V. Perinde ac ſi peccator ſufficienti gratiæ ſibi datæ ad non peccandum reſiſtens ſe ſe ſciens & volens in ejuſmodi periculis non conjecerit, & grave peccatum admittens ſe ſe omni beneficio indignum, ac ſolum omni pœna dignum non reddiderit. Maxime ſi verum ſupponatur illud, quod Suarez de Pœnit. diſp. 8. ſect. 2. aſſert. 2. n. 21. licet non ſequatur, non tamen reprobat, utpote conſentaneum doctrinæ D. Thomæ, dicens: „ Addo non eſſe cenſura dignum, qui dixerit ita ſe gerere Deum cum aliquibus hominibus, ut non det illis *Actualem Excitationem Supernaturalem* propter eorum peccata vel in *aliqua*, vel in toto vitæ tempore. Non eſt ab hac Sententia alienus D. Thomas 1. 2. q. 1. art. 5.... quia licet homo non poſſit ſuis viribus ſolis ſe præparare ad gratiam: poteſt tamen obſtaculum ponere etiam primæ vocationi, & excitationi, ut docuit D. Thomas 3. contra Gentes c. 159. dicens: Deus quantum eſt in ſe paratus eſt omnibus gratiam dare, *vult enim omnes* ec. Sed illi ſoli gratia juvantur, qui in ſe ipſis Gratiæ impedimentum non ponunt: Ergo ſtat hominem ex parte Dei habere auxilium excitans ſufficiens, & in actu non illud recipere. "

VI. Inſtant 3. dicentes. „ Juxta opinionem multorum contra alios applicatio Sacrificii a ſe ſequenti die offerendi veſpere a Sacerdote facta eſt ſufficiens ad transferendum in Petrum v. g. fructum ejuſmodi Sacrificii. Et ſimiliter dolor de peccatis veſperi elicitus eſt ſufficiens ad obtinendam ſequenti die Sacramentalem Abſolutionem. Ergo etiam Actus Fidei veſperi elicitus erit nobis ſufficiens ad concipiendum mane ſequenti Contritionem. " Reſp. 1. ant. eſſe in quæſtione, nec eſſe certum. 2. Eo admiſſo eſſe latiſſimam diſparitatem. Cum juxta omnes etiam Adverſarios Fides *Habitualis* non ſufficiat in caſu conſequentis, & e contra ſaltem juxta eos Auctores ſufficiat in caſibus antecedentis applicationis, ſcilicet Sacrificii, & doloris eliciti: & diverſitatis ratio eſt 1. Quia ſacrificii applicatio eſt quædam præſens diſpoſitio, ac donatio, per quam Sacerdos præſenti Actu hodie donat animæ Petri jus ad fructum ſui Sacrificii cras Deo a ſe offerendi percipiendum. Sicut Teſtator præſenti Actu tranſeunte poteſt hodie legare centum aureos, quos nondum acquiſivit, acquiret tamen cras, poſt ſuam mortem Pauperibus diſtribuendos. Similiter ad Sacramentum Pœnitentiæ ſufficit *Moralis* conjunctio partium illius, quæ juxta multos ſtare poteſt etiam cum eo, quod Pœnitens hodie ex vi præſentis Formalis Actus Fidei ponat dolorem de peccatis, & eorumdem Confeſſionem, & mane obtineat Abſolutionem. Cum ad hoc nullus præſens influxus Fidei ſaltem phyſicus requiratur. Ex quo nulla bona paritas ſit ad intentum.

## CAPUT VII.

*Solvitur quædam alia objectio, & amplius evincitur ſummam Dei revelantis Auctoritatem eſſe Formale Motivum Fidei divinæ, adtentionemque ad eam eſſe eſſentiale ejuſdem Fidei Conſtitutivum.*

I. ARguit quidam dicens. „ Neque Scripturæ Fidem vel Fidei credentiam narrantes, vel inculcantes, uti v. g. *credidit Abraham Deo; qui crediderit; credite Evangelio* ec. Neque Catechiſmi eam explicantes maxime editi Sæculis 15. & 16. ut patet eos legenti, ullam mentionem faciunt *de Motivo Formali Fidei*, divina ſcil. *Auctoritate*, vel *de Adtentione ad illam*, neque ullam Formulam Actus Fidei, ejuſmodi Motivum continentem afferunt. Ergo 1. Actus Formalis explicitus Fidei in noſtro caſu non requiritur. Ergo 2. ſufficit Actus Fidei *Exercitus & Implicitus*. Ergo 3. *Actus Formalis Fidei* durat ad plures dies, & annos proprie *Virtualis*. Ergo 4. ad Fidem divinam non requiritur *Formale Motivum*, ne-

que *Adtentio ad illud*. Ergo 5. ſuperflue ac perperam per vos exigitur in eliciendis Actibus Fidei Adtentio ad divinam Auctoritatem, & præſcribuntur Formulæ hæc continentes. " Reſp. in primis hoc argumentum nimis probare, adeoque nihil probare. Et ſi quid probaret, ita contra arguentem probaret, ut ſi nos ferre crucem, Adverſarius Cyreneus eſſe deberet. Probaret quippe quod nunquam obligemur ad ejuſmodi Actus Fidei ( immo neque ad Actus Spei, Charitatis & Contritionis, cum de eis eadem ſit ratio ) nec *per ſe*, neque *per accidens* eliciendos non ſolum pluries in anno, ſed neque ſaltem ſemel in vita. Nam qui illis vel ſemel in vita elicere velit, eorumdem Motiva Formalia noſſe, adtendere, & Formulam quamdam, ſeu rationem, & modum eliciendi eoſdem ſcire debet, quæ tamen neque Scripturæ, neque Catechiſmi ſecundum Adverſarios in eis ſæculis tradiderunt. Secundo reſp. quod ſi non faciunt expreſſam mentionem de Motivo Fidei, non tamen illud excludunt, ſed ipſum, & Adtentionem ad idem omnino ſupponunt, cum Fidem omnibus ſuis Conſtitutivis, & eſſentialibus requiſitis præditam inculcant, ſicut qui dicit *Hominem*, non dicit ſolum corpus, vel animal, ſed præcipue dicit animam rationalem, ſeu rationale, ita qui dicit Fidem divinam non dicit ſolum aſſenſum, ac adhæſionem, ſed præcipue dicit aſſenſum ac credentiam *propter ſummam Dei revelantis Auctoritatem*.

II. Aliter quia Scripturæ expreſſe in textu, *Factus eſt homo in animam viventem*, non definiunt hominem, *Animal Rationale*; ipſum *Rationale* non erit habendum indubitate pro Formali ſpecificativo Conſtitutivo hominis; proindeque forſan Sapientiſſimus arguens putabit eſſe de Fide *ſe non eſſe Rationale*, ſed tantum *Animal*. Tandem ſi *ſuperflue* ac perperam in eliciendis Fidei Actibus exigimus Adtentionem ad divinam Auctoritatem, & inculcamus Formulas idem Motivum continentes; ſuperflue ac perperam Theologi cum D. Thoma, & Suario docent ejuſmodi Actus pendere a ſuo Motivo, Adtentionemque ad illud eſt eſſentiale Conſtitutivum eorumdem. *Superflue* ac perperam ſapientiores ex Adverſariis hæc hoſce Actus elicituris inculcant. *Superflue* ac perperam Reverendiſſimi Epiſcopi nunc dierum, ut plurimum in ſuis Synodis inſerunt Formulas Actuum Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis Motiva Formalia eorumdem Actuum continentes. *Superflue* tandem ac perperam Sapientiſſimus Papa Benedictus XIV. in Conſtit. *Etſi minime nobis* 41. t. 1. Sui Bull. ſtatuit, quod ſi in aliquibus particularibus Catechiſmis ( certe ac principalius ob ejuſmodi Motivorum defectum, ut proh dolor! frequenter evenit ) *reperiantur Actus Fidei, Spei, & Charitatis non recte, ſcienterque compoſiti, hi caſtigati emendato prælo donentur*. Hæc ſi poteſt, componat in ſuo ſyſtemate Adverſarius, & *erit mihi magnus Apollo*.

III. Jam quod ſumma Dei revelantis Auctoritas ſit Formale Motivum Fidei divinæ, & quod *Adtentio* ad eam ſit eſſentiale ejuſdem Fidei Conſtitutivum, evidens eſt cuicumque ſponte cæcutire nolit; nam, ut optime ait, P. Lacroix l. 2. c. 1. n. 31. „ Credere Fide divina non eſt *tantum cogitare de* objectis a Deo revelatis v. g. de Deo exiſtente, de Deo remuneratore ec. Sed credere eſt habere aſſenſum circa illa objecta: & quidem ex Motivo, quia Deus ( infinite ſapiens, & verax ) dixit. " Quod ultra alias urgentiſſimas rationes ex natura rei petitas contra ſuppoſitionem arguentis evincitur ex Scripturis in primis ex c. 8. Evangelii Joan. „ *Teſtimonium meum verum eſt*. „ Secundo ex c. 3. ep. 1. ejuſdem Jo. „ *Qui accipit ejus teſtimonium, ſignavit, quia Deus verax eſt*. Ex quo teſtu, & ex manifeſtis Philoſophicis, ac Theologicis rationibus in Th. Spec. tr. de Fide Sect. 1. ad ar. 6. concludit recte P. Antoinius, quod „ *Objectum Formale* Fidei eſt id, quod *cognitum*, vel *quatenus cognitum* movet ad aſſentiendum, vel ad diſſentiendum, ac proinde *non movet niſi cognitum*, & debet eſſe ſaltem prius natura cognitum, quam cognoſcatur id, ad cujus aſſenſum movet. „

IV. Neque aliud frequentius occurrit in Theol. Angelici D. quem omnes in hoc ſequuntur, quam hæc inconcuſſa doctrina, uti v. g. in 1. 2. q. 18. ar. 2. „ Primum quod ad plenitudinem eſſendi pertinere videtur, eſt id, quod dat ſpeciem: ſicut autem res Naturalis habet ſuam ſpeciem ex ſua Forma, ita Actio habet ſpeciem ex objecto. " In 2. 2. q. 1. ar. 1. „ Sicut in ſcientia Geometriæ materialiter ſcita ſunt concluſiones, Formalis vero ratio ſciendi ſunt Media demonſtrationis, per quæ Concluſiones cognoſcuntur. Sic igitur in Fide, ſi conſideremus Formalem rationem objecti, nihil eſt aliud, quam veritas prima ec. Unde ipſi veritati divinæ Fides innititur tanquam Medio. " Et p. 3. q. 88. ar. 4. dum dicit. „ Remoto *Formali* cujuſcumque rei tollitur ſpecies, ſicut Rationali remoto tollitur ſpecies humana. " Unde merito exclamat P. Cardenas ad Prop. 21. c. 2. n. 14. quærens „ Quomodo poteſt eſſe Actus Fidei divinæ, ſi id non creditur, *quia Deus dixit?* Eſt enim de eſſentia Actus Fidei divinæ credere quia Deus dixit. " adſerens ad Prop. 23. quod „ omnes Sancti Patres ſemper nomine Fidei intellexerunt illam, quæ habet *pro objecto Formali Auctoritatem Infallibilem Dei revelantis*. "

V. Eſtque hic *TT. Conſenſus* in ratione omnino evidenti fundatus. Quapropter ait Eximius D. Suarez de Triplici Virt. Th. p. 1. dub. 73. Sect. 4. n. 2. „ Non ſecundum omnia Attributa Deus eſt fundamentum Fidei noſtræ, non enim credimus illi, qua *Omnipotens* eſt, nec etiam qua *Immenſus* eſt, hoc enim per ſe non refert ad credulitatem, quia non oſtendit veritatem in objecto credibili, & ſic in aliis Attributis, ob hanc ergo cauſam merito inquirunt Theologi, quodnam Attributum ex parte Dei ſit propria ratio, ob quam illi adhibenda eſt Fides, & hoc eſt quærere ſub qua ratione *ſit objectum Formale Fidei*. " Hicque confutato ſingu-



ſingulari opinamento Aureoli *Deum ſcilicet ſub ratione Deitatis eſſe objectum Formale Fidei*, concludit dicens: „ vera tamen reſolutio eſt has duas veritates, ſeu perfectiones Dei ( ſub ratione primæ veritatis in cognoſcendo, & dicendo ) conſtituere noſtro modo intelligendi in Deo ſummam quamdam *Auctoritatem* in teſtificando, ratione cujus dignus eſt certiſſima & indubitata fide, atque ita hanc Dei Auctoritatem eſſe objectum Formale Fidei ec. Ad 1. Sententiam ( unius ſcil. Aureoli ) *de Deitate*, reſpondemus *Deitatem* ſub hoc tantum conceptu non ſatis explicare *rationem Formalem objecti Formalis Fidei* ( adde, & multo minus Spei, Charitatis, & Contritionis ) ec. " Et ratio eſt, quia quotieſcumque Intellectus noſter præſcindit ab hoc, vel illo divino Attributo ( uti de facto ab illo ſemper præſcindit, ſemel ac illud *Formaliter* non conſiderat, vel ad illud *poſitive* non adtendit, ipſumque revera non proponit cæcæ noſtræ voluntati ſic, ut ab illo tanquam Formali Motivo ſuorum Actuum moveri poſſit ad fugiendum, vel amplectendum hoc, vel illud ) ejuſmodi Attributum, ut ex ſe patet, nullo pacto poteſt eſſe Formale Motivum alicujus ſui Actus.

VI. Quod non ſolum verum eſt in ordine ad 1. productionem Actus Fidei, ſed etiam ad ejus conſervationem, ut docet cit. Angelicus 1. p. q. 108. ar. 6. dum hoc adfirmat de Actibus ſcientificis dicens. „ Manifeſtum eſt, quod cognitio concluſionis dependet ex omnibus Mediis præcedentibus non ſolum quantum ad novam acquiſitionem ſcientiæ, ſed etiam quantum ad ſcientiæ ipſius conſervationem. Cujus ſignum eſt, quod ſiquis oblivirſceretur aliquod præcedentium Mediorum, opinionem quidem, vel Fidem *humanam* de Concluſione poſſet habere, ſed non ſcientiam ( & a fortiori neque Fidem ) ordine cauſarum ignorato. " Et 2. 2. q. 5. ar. 5. iterum ait. „ Sicut ſi aliquis tenet mente aliquam Concluſionem non cognoſcens Medium illius demonſtrationis, manifeſtum eſt, quod non habet ejus ſcientiam, ſed ſolum opinionem. "

# DISSERTATIO V.

**Notantur aliqua circa Formulas Actuum Fidei, Spei, Charitatis & Contritionis, & Attritionis, per quas homo diſponi poſſit ad Juſtificationem.**

## CAPUT I.

*Non eo ipſo quod aliquis Actus Fidei divinæ ſit* Supernaturalis, *vel quoad aliqua Myſteria eſt* Explicitus, *eſt ſufficiens ad Juſtificationem adulti*.

I. PRobatur aſſumptum. Actus Fidei *Supernaturales*, per quos ſinguli Fideles dicentes v. g. *Credo omne, quod credit Eccleſia*; vel *Credo Deum eſſe, & eſſe Creatorem, & Immenſum, & quidquid credit C. Eccleſia, quia tu Deus Infallibilis hæc omnia eidem revelaſti*: *Explicite* crederent has tres veritates, & *Implicite* crederent alias, quæ immediatius concurrunt ad elicientiam *Supernaturalium* Spei, Charitatis, & Contritionis Actuum, non eos habilitarent ad concipiendum *Supernaturales* Actus harum virtutum. Ergo non eo ipſo quod Actus Fidei divinæ eſt *Supernaturalis*, vel quo ad aliqua Myſteria eſt *Explicitus*, eſt ſufficiens ad Juſtificationem adulti. Probatur ant. Per hos, & ſimiles Fidei Actus ſumma Dei Amabilitas in ſe; *Fidelitas* in ſuis promiſſis; *Infallibilitas* in ſuis dictis; atque operum *Remuneratio* non proponerentur ipſorum Fidelium mentibus, & voluntatibus ita ut illi aliqua peculiari cognitione, ratione, ac adtentione erga ejuſmodi divina Attributa, vel ad eorum effectus afficerentur. Ergo Actus Fidei *Supernaturales*, per quos ſinguli Fideles dicentes v. g. *Credo omne quod credit Eccleſia*, vel *credo Deum eſſe*, ec. *Explicite* crederent has tres veritates, & *Implicite* crederent alias, quæ immediatius concurrunt ad elicientiam *Supernaturalium* Spei, Charitatis, & Contritionis Actuum non eos habilitant ad concipiendum Supernaturales Actus harum virtutum.

II. Prob. hoc ant. Per hos, & ſimiles Actus Fidei non magis, ut ex ſe patet, *reminiſcuntur Fideles prædictorum Attributorum divinorum*, vel *adtendunt ad ea, eorumdemque effectus, quam reminiſcantur*, vel *adtendant* v. g. ad deſperationem Caini, vel ad objurgationem ab Aſina Balaami domino ſuo factam. Atqui per ejuſmodi Actus, ut ipſa experientia apertiſſime teſtatur, præfatæ *deſperatio, & objurgatio*, quamvis æque *Implicite* creditæ ac Myſteria ad Juſtificationem adulti immediatius concurrentia, non ita proponuntur mentibus, & voluntatibus ipſorum Fidelium, ut ipſi aliqua peculiari cognitione, ratione, adfectione, aut adtentione erga haſce objurgationem, & deſperationem adficiantur. Ergo per hos, & ſimiles Actus Fidei ſumma Dei *Amabilitas*, *Fidelitas*, ac *Remuneratio* ( & idem dicito de aliis) non proponuntur mentibus, & voluntatibus ita, ut ipſi aliqua peculiari cognitione, ratione, adfectione, vel adtentione erga ejuſmodi divina Attributa, eorumque effectus adficiantur. Nam aliter Hebræi, & Mahumetani, qui credunt verum Deum, crederent, ut credenda eſt, Trinita-

nitatem Perſonarum; & Sabelliani injuſte ejicerentur ab Eccleſia tanquam Hæretici negantes *Trinitatem*, cum ceteroquin Deum, qui in ſe *Trinus* in Perſonis eſt, confiteantur.

III. Quod totum efficaciſſime probatur 1. Ex allegata conſtit. *Etſi minime nobis*, ubi Benedictus XIV. declarat quod „ *Non ſatis ad cœleſtem Beatitudinem aſſequendam confuſim, & involute credere a Deo revelata, & ab Eccleſia Cat. propoſita Myſteria*. „ 2. Ex damnata Prop. a Gregorio XI. quæ legitur in Directorio Inquiſ. p. 2. q. 10. ſcil. „ *Laicus non tenetur ad aliquem Fidei Articulum expreſſe credendum, ſed ſufficit iſta concluſio in genere, quod credat omne illud, quod credit S. Mater Eccleſia Dei*. “ Et ex Prop. 22. Dam. ab Innoc. XI. „ *Non niſi Fidei unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate Medii, non autem Explicita Remuneratoris*. “ Et tandem ex Conſenſu TT. ad illud Apoſtoli ad Hebr. 2. apud Ferrarium V. Fides, n. 22. dicentem „ Fides *Explicita de Experientia* veri Dei, & quod is ſit juſtus *Remunerator* decernens præmia juſtis, & improbis ſupplicia omnibus adultis uſum rationis habentibus, & neceſſaria ad ſalutem neceſſitate Medii eſt communis, & deſumitur ex verbis Apoſtoli ad Hebr. 11. *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe Remunerator ſit*; ec. An autem Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. Chriſti ſit Explicite credendum neceſſitate Medii variæ ſunt ſententiæ. “

III. „ Ergo (infert quidam) ſecundum te non ſufficit Fideli credere exiſtentiam Dei Fide *Explicita*, & alia Myſteria, & veritates ad Juſtificationem immediatius concurrentia Fide *Implicita* aſſociata quidem illis certiſſimis notitiis, ac ſcientia horum Myſteriorum nobis relictis ab Actibus Fidei de eiſdem olim a nobis elicitis, vel a Metaphyſica *Connexione*, quacum credentes Deum eſſe, eo ipſo per *Naturalem* conſecutionem ſcimus eum utpote ens perfectiſſimum eſſe *Amabiliſſimum*, *Juſtiſſimum*, *Fideliſſimum*, *Veraciſſimum*, *Miſericordioſſimum*, *Providentiſſimum*, *Remuneratorem bonorum, & malorum ec.* “ Reſp. Concedendo totum, quidquid in contrarium ſemitheologi muſſitare velint. Cum 1. ut ex n. 1. & 3. hujus c. oſtenſum eſt, nulla Fides *Implicita* ſupplere poſſit Fidem *Explicitam* ad hunc effectum *neceſſitate Medii* requiſitam. 2. de Fide ſit nullam notitiam, vel ſcientiam *Naturalem* ex metaphyſica *Connexione*, vel ex Fide divina *Acquiſita* provenientem ſufficere ad intentum. Aliter Philoſophus Ethnicus, qui *Naturali* lumine ſcit Deum eſſe unum, conſequenterque eum eſſe perfectiſſimum, ac amabiliſſimum in ſe, & ſuarum creaturarum maxime rationabilium providentiſſimum remuneratorem poſſet iſtum amare non ſolum amore *Naturali*, ſed etiam *Supernaturali, ut oportet*, & juſtificari, & *ſine Fide placere Deo, & ad filiorum ejus* conſortium pervenire contra Apoſtoli, & Tridentini doctrinam.

V. Sicut igitur ad Juſtificationem non ſufficit Fides *Implicita* omnium illarum veritatum, & nec ſaltem ſufficit Fides *Explicita* Dei remuneratoris cum *Implicita* de Deo Exiſtente habita per Actum: *Credo Deum eſſe Remuneratorem, & omne, quod credit Eccleſia Cat.* vel viceverſa non ſufficit Fides *Explicita* Dei *Exiſtentis* cum Fide *Implicita* Dei *Remuneratoris* habita per Actum Fidei: *Credo Deum exiſtere, & omne, quod credit C. Eccleſia, quia ec.* Sed abſolute uti definitum eſt *neceſſitate Medii* requiritur Fides *Explicita* tum Dei *Exiſtentis*, tum inſuper Dei *Remuneratoris*, ita etiam ad eamdem Juſtificationem non ſufficit prædicta Fides *Explicita Dei Exiſtentis*, & *Remuneratoris* cum *Implicita* Dei v. g. *Amabiliſſimi*, *Fideliſſimi*, *Juſtificatoris per Chriſtum*, aliorumque, de quorum *Supernaturali* Fide pendent Actus Spei, Charitatis, Contritionis ec. Sed abſolute *neceſſitate Medii* requiritur Fides *Explicita* tum harum, tum illarum veritatum. Cum nulla unquam adferenda ſit ſufficiens diſparitas. Hinc merito P. Antoinius *Th. Spec.* de Fide ſect. 2. n. 3. ait: „ Ad Fidem non ſufficit quod *veracitas divina* ſolo lumine *Naturali* certo, & evidente cognoſcatur per argumenta *Naturalia*, quibus certo, & evidenter cognoſcimus Deum eſſe ens *ſumme perfectum*; ideoque *ſumme ſapientem*, & *Bonum*, proindeque *veracem*, ſed neceſſe eſt, ut *veracitas* divina altiori modo quam per ſcientificum *Naturale* cognoſcatur, eique adhæreamus (per Actum Fidei Explicitum de ea) auxilio gratiæ elevantis, & adjuvantis Intellectum ad apprehendendum, *ſicut oportet*, ſummam *bonitatem*, & *ſapientiam* Dei revelantis. Quod totum, ut ex ſe patet, æque militat in Fidelitate, Amabilitate, Miſericordia, Juſtitia divinis ec. “ Et certe ſi concluſio, ſeu aſſenſus alicujus veritatis deductus ex duabus præmiſſis creditis per Actum Fidei divinæ *Supernaturalis* non eſt Actus Fidei divinæ *Supernaturalis*, ſed tantum aſſenſus *Theologicus Naturalis*, cur erit Actus Fidei divinæ *Supernaturalis*, & non potius *ſcientificus Naturalis* aſſenſus a Fideli præſtitus v. g. divinæ *Amabilitati* per Actum Fidei divinæ *Supernaturalis*, quo credatur Deum eſſe? Et quomodo poterit ipſa *Amabilitas* divina voluntati propoſita per Actum mere *Naturalem* allicere ad amorem Dei *Supernaturalem*?

VI. Neque per id, quod Apoſtolus hic expreſſis his duabus, præſcinderit ab aliis veritatibus, eas excludit juxta regulam TT. in de Gratia p. 3. l. 8. cap. 21. num 15. ab Eximio D. allatam, videlicet „ Hujuſmodi affirmationes, quæ in Scriptura abſolute proferuntur poſita una conditione neceſſaria non excludunt reliquas, ſed potius iſtæ ſemper ſubintelliguntur “. Cum I. ad credendum has ipſas dum neceſſe ſit credere etiam eumdem *Infallibilem in dicendo*, & *Fidelem in promittendo*, & præ-



præterea tum revera per S. C. R. Eccleſiam *nobis revelaſſe*, & *promiſiſſe* omne id, quod nobis (ad Supernaturalem gratiæ ordinem nos elevando) benigniſſime revelavit, ac promiſit. Unde P. Pichler, in Th. Polemica p. 1. in Prologom. num. 4. recte ait „ Ex omnibus autem revelatis principaliſſimum Objectum, quod credi debet, eſt ipſe Deus, *Specialiter* quod *Exiſtat*, & *Remunerator ſit*. Hebr. 11. Objectum Formale, ſeu Motivum eſt Deus ſumme *verax, & revelans*, adeoque duo includit: 1. Veritatem Dei infinitam, dum nempe Deus apprehenditur ut *infallibilis* in *cognoſcendo, & loquendo*, ita ut nec falli, nec fallere poſſit. 2. *Revelationem* &c. Nam Auctoritas, ſeu veracitas Dei nude ſpectata non poteſt nobis eſſe ratio, & Motivum ſufficiens ad credendum hoc potius quam illud &c. “ Et cum 2. Plures TT. cum D. Thoma ex doctrina ejuſdem Apoſtoli probent quod etiam ad Juſtificationem poſt Evangelii promulgationem requiritur Fides *Explicita Trinitatis*, & *Incarnationis*. Verum enim vero, ut ut res ſe ſe coram Deo habeat, veriſſimum eſt maxime poſt condemnationem Prop. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis &c.* nos eſſe in certiſſima gravi neceſſitate ac obligatione credendi Fide divina *Explicita* in noſtro caſu omnia illa Myſteria & veritates, quæ DD. probabiliter nos docent eſſe neceſſaria neceſſitate Medii ad nos reddendos habiles ad concipiendum *Supernaturales* Actus Spei, Contritionis, vel Attritionis. Quis obligatio provenit ex præceptis divinis graviſſimis *non exponendi* temere Sacramenta periculo nullitatis; *ponendi* omne id, quod prudenter creditur neceſſitate Medii neceſſarium ad revera obtinendum noſtram æternam ſalutem. Unde infertur quam periculoſe obtrudantur imperitis Formulæ horum Actuum vel certo deficientes, vel dubiæ ſufficientiæ, obtentu, quod hæ contineant principalia Myſteria Fidei. Perinde ac ſi per id quod ſint, vel non ſint principalia ad Juſtificationem concurrere debeant.

## CAPUT II.

*Notantur quæ ſentiant TT. circa Formalia Spei, Charitatis, Contritionis & Attritionis Motiva.*

I. ET quidem circa Motivum Spei Reiſſenſtuel de Spe q. 1. cap. 4. num 6. ait „ Objectum Formale Spei Theologicæ eſt ipſamet Bonitas Dei, quatenus nobis bona eſt. Ita Doct. Subtilis 3. diſt. 2. quæſt. un. Tannerus tit. 3. citans D. Thomam, Suarez, & alios. .. Quamvis nonnulli diſſentiant, & præſertim illi, qui tenent, quod Objectum *Formale Spei*, ſeu Motivum ſperandi ſit ſumma & infinita Dei promittentis *Fidelitas*, qui quod promiſit, poteſt præſtare, quia *Omnipotens* eſt, vult præſtare, quia *Benigniſſimus* eſt, & certiſſime præſtiturus eſt, quia *Fideliſſimus* eſt “. Quod confirmat P. Lacroix lib. 2. num. 120. dicens: „ Cum Spes includit duos Actus, unum *deſiderii*, alterum *confidentiæ*, ideo habet duplex Motivum; nam Motivum reſpectu deſiderii eſt *Bonitas Dei* in quantum illa nos poteſt in æternum reddere beatos; Motivum autem reſpectu *confidentiæ* ſunt perfectiones (Fidelitas ſcil. Omnipotentia, & Miſericordia) Dei, qui propter Merita Chriſti nobis eam beatitudinem promiſit, ſi faciamus, quod in nobis eſt “.

II. Circa Motivum Charitatis, & Contritionis perfectæ, dum Theologi cum D. Thoma nos docent, quod Motivum Charitatis, & Contritionis eſt divina *Bonitas per ſe Amabiliſſima*, non intelligunt, nec nobis ſignificare volunt, ut plures perperam putant, per illud vocabulum ſolum divinam *Bonitatem*, ut eſt quoddam Speciale Attributum ab aliis diſtinctum, ac importans ſummam perfectionem in *operando*, cum hoc modo illa non ſit adæquata ratio dilectionis, ut animadvertit P. Suarez tr. de Charitate diſp. 1. ſect. 2. num. 7. & ſeqq. ſed nobis ſignificare volunt divinam Bonitatem uti cumulum infinitum omnis generis perfectionum, ſive, ut ait idem D. Eximius „ *Abſolutam perfectionem in omni genere excellentiæ, ſive abſolutam excellentiam in omni genere perfectionis*. Et hoc modo, ait, eſt ratio Formalis Charitatis propria, & Specialis &c. “ Ulterius circa *Supernaturalitatem* ejuſmodi Motivi ſcil. divinæ *Bonitatis* addit hic graviſſimus T. dicens „ Homo ex *Naturali* inclinatione fertur in Deum, ut eſt quoddam bonum Naturæ ſumme amabile: huic autem inclinationi additur per Charitatem alia ſuperioris ordinis &c. Nam licet quidquid eſt in Deo ſuperet omnem Naturam creatam, & ſic poſſit dici *Supernaturale*, tamen Deus ſub quadam ratione habet neceſſariam connexionem cum Natura hominis ſub ratione proportionati Principii, & Finis, & hoc modo dicitur bonum *Naturale*, ſeu accommodatum Naturæ, & tamen ultra hoc eſt in Deo infinita quædam bonitas & perfectio, quæ cum Natura hominis ut ſic nullam habet connexionem, quia ut ſic nihil communicat illi Naturæ, neque eſt Principium ejus, & hoc modo Deus eſt *bonum ſuperans omnem Naturam*. Deus igitur aliam conjunctionem, & communicationem habet cum Natura, ut tantum dat illi eſſe *Naturale*, aliam vero, ut dat illi eſſe *Supernaturale*, & propriam participationem ſuæ Beatitudinis, ſecundum diverſas rationes habet diverſam rationem Objecti “.

III. Circa perfectionem Amoris, Charitatis, & Contritionis P. Antoinius, tr. de Charit. p. 1. cap. 2. num. 1. ait cum ceteris TT. „ Debe-

bet eſſe *appretiative* ſummus in adhæſione, ita ut Deum plus amemus quam nos ipſos, & Creaturas omnes, malimuſque privari omni bono creato, & pati quodvis malum, quam Deum offendere ſaltem graviter. Conſtat 1. Ex PP. ac TT. & totius Eccleſiæ conſenſu. 2. Ex his verbis præcepti, *Ex toto corde, & in tota anima tua, & in tota mente &c.* 3. Quia hunc amorem exigit ſumma ac infinita excellentia bonitatis divinæ &c. Amor Dei præceptus debet eſſe efficax & univerſalis in ſuis effectibus, hoc eſt debet ita voluntatem afficere, ac diſponere, ut ſemper ſit parata ad obſervanda omnia præcepta, & evitandum omne peccatum ſaltem mortale. Nam amor ille non eſt ſolum complacentiæ de divinis perfectionibus, ſed eſt etiam amor ſeu affectus voluntatis efficax, efficaciter movens ad facienda ea, quæ Deo placent, & ipſe exigit ſaltem graviter, & ad vitanda ea, quæ ei diſplicent: amor enim, qui præcipitur, eſt amor *ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine*, ut habetur Deuter. 9. qui ſane amor eſt efficaciſſimus ".

IV. Circa productionem hujus amoris lib. 2. num. 152. notat P. Lacroix „ Quod hic amor Dei perfectus non excludat imperfectum, ſed ab hoc incipiat, & ab eodem communiter adjuvetur; hinc modus ille ( ceteroquin imperitis nimium plauſibilis ) eliciendi amorem Dei: *Non amo te, o Deus, quia me creaſti, quia vis mihi cælum dare, ſed pure ideo, quia es propter te infinite dignus amari*, ordinarie non eſt ſuadendus, ſed potius elici debet: *Amo te, o Deus, quia me creaſti, quia vis mihi cælum dare, ſed magis ideo, quia tu ipſe propter te es omni amore dignus &c.* Et ideo etiam Innoc. XI. inter Prop. Epiſc. Camerac. per quas videtur Spes excludi a perfecto amore, damnavit etiam ſeq. 1. " *Datur Habitualis Status amoris Dei, qui eſt charitas pura, & ſine ulla admixtione Motivi proprii intereſſe* &c. *II. In ſtatu vitæ Contemplativæ, ſive unitivæ amittitur omne Motivum intereſſatum timoris, & Spei &c.* " Circa hoc ipſum notari poteſt tandem illud Auguſtini lib. 10. de Trinit. cap. 1. ſcil. „ *Cujus rei adipiſcendæ Spem quiſque non gerit, aut tepide amat, aut omnino non amat, quamvis quam pulchra ſit, videat* ". Et illud etiam Div. Thomæ 1. 2. quæſt. 43. art. 7. „ Poſtquam ab ipſo ( a quo, ait, ſpectamus mala ) jam incipiunt ſperari bona, tunc incipit amari &c. Ex hoc enim quod per aliquem ſperamus nobis poſſe provenire bona, movemur in ipſum, ſicut in bonum noſtrum, & ſic incipimus ipſum amare ". Et 2. 2. quæſt. 26. artic. 3. „ Quod unicuique erit Deus tota ratio diligendi eo, quod Deus eſt totum hominis bonum. Dato enim per impoſſibile, quod Deus non eſſet hominis bonum, non eſſet ratio diligendi ". Unde forſan ſequitur quod, ut ait P. Voit „ Actus charitatis non quidem neceſſario excludit amorem concupiſcentiæ ab eadem Potentia, vel Actu; nam poteſt amor concupiſcentiæ imperare amorem benevolentiæ, & amor benevolentiæ concupiſcentiam ordinare ad bonum Dei. Nec Actus Charitatis neceſſario includit amorem concupiſcentiæ, cum poſſit præſcindere ab illo, vel excludere eum ſaltem in caſu raro ".

V. Circa Attritionem Epiſcopus Ligorius in cit. Opere, *Homo Apoſt.* cit. lib. ait „ Non fieri Actum Attritionis, ſiquis diceret: *ſe pœniteri peccati commiſſi, quia meruit infernum*, ſed opus habet, ut dicat, *ſe pœniteri offendiſſe Deum propter quod meruit infernum* "; Et tr. 16. de Sacr. Pœnit. cap. 6. num 117. & in Append. mon. 4. ad Confeſſ. §. 1. num. 16. addit „ Advertendum 1. perpaucos eſſe Pœnitentes præſertim rudes, qui præpoſito Actu Doloris ad confitendum accedunt. Nonnulli confeſſarii putant ſatis ſuo muneri feciſſe, ſi dumtaxat hujuſmodi Pœnitentes ſequenti modo interrogant: *Eja, poſtulaſne a Deo veniam de his; Te pœnitet ex corde omnium?* Et nullo alio verbo interpoſito Abſolutionem eis elargiuntur. Aliud ſane eſt bonorum Confeſſariorum inſtitutum: hi enim in primis elaborant, ut Pœnitentes .... verum dolorem, & deteſtationem peccatorum concipiant. Et prius per Attritionis Actum eos præparant &c. Non prætermittat ( Confeſſarius ) diſponere *quemlibet* ad Actum doloris ſuggerendo ipſi Motiva, *tam Attritionis, quam Contritionis...* dum illi Actus doloris, quos eliciunt rudes ſine Motivis parum aut nihil valent ". Et P. Lacroix lib. 6. p. 2. num. 825. inquit „ Cum difficile ſit conteri pure ex Motivo Bonitatis Dei in praxi non expedit excludere alia Motiva v. g. dicendo: *Doleo non quia amiſi præmia, vel merui pœnas apud Deum, ſed pure quia Deo ſummo Bono diſplicui &c.* Communiter enim falſum eſt præſertim in hominibus nondum perfectis. Itaque juvari debet voluntas ex omnibus Motivis v. g. hoc modo: *Doleo non tantum quia per peccata demeritus ſum apud Deum* &c. Faxit Deus ne ſpecioſa illa quidem Formula ( *Deus meus, doleo, quod te offenderim, non quia amiſi cæleſtia præmia, vel merui æternas pœnas, ſed pure ideo, quia te amo, quia dignus es, qui ameris, vellem potius millies mori, quam te amplius offendere* ) ſit pleriſque ea nimis confidenter utentibus tantummodo quædam inutilis verborum officioſorum textura, quacum Deo, quem graviter offenderant, oretenus adloquantur.

VI. Tandem ad intentum etiam notari poteſt illud D. Angelici, quod lib. 5. quæſt. 12. art. 25. diſcurrentis de ratione illa docendi, per quam ex doctrina ceteroquin vera non leve ſpirituale animarum detrimentum in audientibus ſequi poſſit ob id, quod eam docens „ Confuſe, & inordinate præferens ( vel non præferens ) majora minoribus præponit contra id,





quod Gregorius dixit in Paſtorali: *Sic laudanda ſunt bona ſumma, ne deſpiciantur ultima: Sic nutrienda ſunt bona ultima, ne dum ſufficientia credantur, nequaquam tendatur ad ſumma* ". Ubi Sapientiſſimus ac prudentiſſimus Magiſter probare non videtur inconſultam agendi rationem tum illorum, qui perfectam Contritionem commendantes ita eam extollunt, ut Pœnitentes diſſuadeant a conatu eliciendi etiam Attritionem, tum eorum, qui e contra ita Attritionem inculcant, ut eoſdem a diligentia conandi etiam atque etiam ad perfectam Contritionem retrahere videantur, perinde ac tutius, conſultiuſque non ſit Pœnitentes ad Sacramentalem Abſolutionem per iteratos utriuſque doloris Actus diſponi. Ex qua pernicioſiſſima agendi ratione provenit, ut a pluribus nunquam vere eliciantur neque nobilior Contritionis, neque ſaltem minus nobilis Attritionis Actus. Dum miſerandi Pœnitentes ſic inſtructi ſe eum nulla ratione elicere velle proteſtantur ſuo illo: *Non me pœnitet te offendiſſe ob timorem inferni &c.* Neque illum ( Contritionis ſcil. Actum ) dum neceſſariam, operoſamque cooperationem, & competentes conatus non adponunt, ut ab ipſis concipiatur Actus ille, qui quo nobilior eſt, eo rarius ac difficilius, *ut oportet* concipitur, proindeque infelices, dum nunquam juſtificantur, ad inferna miſere detruduntur.

## CAPUT III.

*Quænam Objecta debeant* Explicite *ac* Formaliter *credi in ordine ad poſtea concipiendum Supernaturales Spem, Charitatem, Contritionem, & Attritionem.*

I. P. Lacroiſius lib. 2. num. 18. ad quæſitum „ *An, & quorum Objectorum Fides Explicita requiritur ad Juſtificationem?* Reſpondet: *Non poteſt ita facile definiri* ". Attamen tum ibi, tum in antec. num 17. ( ad quem mittit Lectorem ) & n. 19. probat rationibus, & auctoritate multorum DD. quod requiritur Fides *Explicita* de ſeqq. Myſteriis, quæ enumerat num. 3. dicens: 1. Deum eſſe qui gubernat omnia. 2. Deum eſſe remuneratorem bonorum & punitorem malorum. 3. Animas eſſe immortales. 4. Gratiam eſſe neceſſariam ad ſalutem. 5. Deum eſſe Unum in eſſentia, & Trinum in perſonis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. 6. Secundam Perſonam, quæ dicitur Chriſtus, eſſe pro nobis factam Hominem, & paſſam. 7. Chriſti gratiam nobis conferri per Sacramenta ab ipſo inſtituta. 8. Deum eſſe infinite *ſapientem*, & *veracem*, ideoque non poſſe in eo, quod dicit, falli, aut fallere; item *promiſiſſe* nobis æternam Beatitudinem, ac Media ad illam obtinendam neceſſaria, & eſſe infinite fidelem, ac potentem ſervare ſua promiſſa. Item eſſe *infinite bonum propter ſe dignum amari*, & non offendi. 9. Deum eſſe finem ultimum rerum omnium ". Et num. 153. ex hiſcemet Objectis compoſuit Formulam Actus Fidei, ſicut per id tempus ex iiſdem fere ſuam coordinavit P. Antoinius in Th. Mor. de Fide c. 2. q. 4.

II. Hiſce contradicit quidam Adverſarius, Amicus tamen meus dicens „ In ſymbolo Apoſtolorum continetur quidquid neceſſario credendum eſt *Explicite* ad Juſtificationem adulti. Atqui multa ex iſtis Objectis in ipſo non continentur *Explicite*. Ergo ad Juſtificationem adulti non eſt neceſſe ea credere *Explicite*, uti volunt PP. Lacroiſius, & Antoinius cum illis AA. " Verum enim vero facile reſpondemus neg. majorem cum ſapientiſſimis Cardinali de Lugo, & Benedicto Papa XIV. Quorum primus diſtinct. 13. de Fide Sect. 4. n. 64. ait „ In ſymbolo ea potiſſimum dicunt ( Doctores ) poſita eſſe, quorum Fides magis intendebatur propter *notitiam*, quam *propter debitum operandi*; ea autem quæ propter notitiam Chriſtianæ doctrinæ *quaſi intellectualem* deſiderabantur, continentur, quantum ſufficit, in dicto ſymbolo. Nempe Unitas Dei, & Omnipotentia &c. " Et Sect. 6. n. 161. addit „ Infertur ex eodem divino præcepto provenire obligationem ſciendi, & credendi *Explicite non ſolum ea, quæ in ſymbolo continentur*, ſed etiam Baptiſmum, Sacramentum Pœnitentiæ, Decalogum, *& ſi quæ ſunt aliqua*". Et ſecundus in de Feſtis D. N. J. Chriſti lib. 1. c. 8. n. 7. inquit „ Si animadvertimus *non omnes Fidei Articulos* in ſymbolum Patres voluiſſe conjicere, ſed vel potiores, vel eos, de quibus per ea tempora *aliqua eſſet coorta controverſia* ". Falſum ergo eſt quod illa in noſtro caſu non ſint *Explicite* credenda ex eo ſcil. quod non contineantur in ſymbolo.

III. Merito igitur P. Lacroix in primis lib. 6. p. 2. num. 1789. ait „ Ante omnia tenentur Confeſſarii omnes accuratiſſime ſcire in primis, quomodo ex propriis *Motivis* eliciendi ſunt Actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis; debent enim ſæpiſſime præire in illos Actus ". Secundo lib. 2. num. 30. inquit „ Quidam animarum Curatores hic parum operæ ponunt, & putant ſatis eſſe, ſi interrogaverint, *Numquid credis omnia* &c. Alii putant ſe multum feciſſe, ſi Myſteria credenda ordine propoſuerint, & verbo addiderint, *Nunquid hoc credis, quia Deus dixit?* Rudes ſic inſtructi nunquam credent, licet millies dicant, *credo*, & inſuper recitent omnia ſymbola Fidei ". Et tandem cit. lib. num. 26. concludit dicens „ Ex hactenus dictis inferuntur ſequentia: 1. Quam gravis ſit obligatio illorum, qui curam Animarum habent, ut ſibi commiſſos bene inſtruant in *Fide*, utpote a qua veluti a Principio primo pendent &c. 2. Quam prudenter etiam faciant alii, qui ſine obligatione regunt animas, ſi modum exercendi virtutes Theologicas *bene edoceant*, earumque exercitium frequenter commendent, longe plus proderit per medium qua-

drantem Actus Fidei, Spei, & Charitatis eliciuiſſe, quam per dies multos ſe afflixiſſe ciliciis, vel jejuniis, aut vacaſſe aliis ſuis devotiunculis. 3. Quam quiſque pro ſe ſollicitus eſſe debet, ut in his quoque frequenter ſe occupet partim, ut aſſueſcat, &c. partim quia ſunt regula animæ, & perfectio omnium agendorum, & patiendorum pro vita æterna". Quam quidem ſollicitudinem iterandi ſæpius in die Actus Formales ac explicitos Fidei nobis emphatice inculcat D. Auguſtinus ſerm. 58. alias hom. 42. de ſymb. dicens: „ Ne dicas, *dixi hodie* . . . ſint divitiæ tuæ (ejuſmodi Actuum Fidei repetitiones, ) ſint quotidiana iſta quodammodo indumenta mentis tuæ. Nunquid non ſurgis, veſtis te? Sic etiam commemorando ſymbolum tuum, veſti animam tuam, ne forte eam denudet oblivio, & remaneas nudus . . . ipſa Fides & tunica eſt, & lorica ".

## CAPUT IV.

*Proponuntur tandem formulæ ſelectiores, & in ordine ad Juſtificationem tutiores tum Actuum Fidei, & Spei ad Contritionem, & Charitatem, tum etiam Charitatis ipſius, tum maxime Contritionis, & Attritionis ad Abſolutionem præmittendorum.*

*Actus Fidei.*

I. Deus meus, quia Tu, qui es Infallibilis veritas falli, & fallere neſcia per S. C. R. Eccleſiam a Te, ne erret, edoctam hæc nobis credenda proponis, ego firmiſſime credo, quod Tu ab æterno exiſtis, & quod nos redivivos in æternum conſervabis. Credo quod ſis bonorum æterna Beatitudine remunerator, & malorum æternis pœnis punitor. Credo quod Tu propter infinitas tuas perfectiones ſis in Te ipſo *Amabiliſſimus*, & utpote noſtra *Supernaturalis* Beatitudo nobis *Deſiderabiliſſimus*, quod ſis Unus Deus in Tribus Perſonis diſtinctis, Pater, Filius, & Spiritus S. Et quod Filius pro nobis ex Maria Virgine Homo factus mortuus ſit, & reſurrexerit, ſitque in cælo, & in Sanctiſſima Euchariſtia; Et quod per ejus Merita, & tuam infinitam Miſericordiam omnibus, qui tua Gratia adjuti fecerint, quod in ipſis eſt, promiſeris Beatitudinem æternam, peccatorum veniam, ac Media ad hæc obtinenda neceſſaria; & quod tuam Gratiam communices cuicumque Sacramenta digne ſuſcipit. Credo quod ſis Fideliſſimus, Potentiſſimus, & Miſericordioſiſſimus, ut ſtes pro miſſis, & Sapientiſſimus ac Veraciſſimus, proindeque ſummæ auctoritatis, & quod eidem S. Eccleſiæ hæc, aliaque, quæ ipſa nobis credenda proponit, revelaveris. Ideoque ea omnia iterum atque iterum firmiſſime credo.

*Actus Spei.*

II. Deus meus, quia Tu es meum ſummum Bonum *deſiderabiliſſimum* ac unica Beatitudo, ego Te vehementer in cæleſti gloria fruendum deſidero. Et inſuper firmiter ſpero inſimul cum venia peccatorum meorum, ac Mediis ad hæc obtinenda neceſſariis, me hanc ipſam cæleſtem gloriam a Te conſecuturum eſſe; quia Tu, qui es *Potentiſſimus*, *Miſericordioſiſſimus*, ac in promiſſis, ut hæc nobis præſtes, *Fideliſſimus*, hæc omnia per Merita Filii tui, & tuam Miſericordiam promiſiſti iis, qui tua gratia adjuti fecerint, quod in ipſis eſt, ut ego eadem adjutus facere propono.

*Actus Charitatis.*

III. Deus meus, quia Tu ſic me amas, ut me creaveris, redemeris, ac innumeris aliis beneficiis cumulaveris, & maxime, immo unice, quia Tu propter infinitas tuas perfectiones es *Amabiliſſimus*, ego Te ex toto corde meo ſuper omnia diligo, & ob Tui amorem amo etiam Proximum meum, ſicut me ipſum.

*Actus Contritionis.*

IV. Deus meus, quia Tu propter infinitas tuas perfectiones es *Amabiliſſimus*, ego Te ex toto corde meo ſuper omnia diligo, & ideo me vehementer pœnitet peccatorum meorum, quibus Te offendi, firmiſſime proponens tua gratia adjutus me amplius Te non offenſurum.

*Actus Attritionis, & Contritionis.*

V. Deus meus, me vehementer pœnitet Te offendiſſe tot meis peccatis tum ob timorem æternorum ſuppliciorum, quæ merui, tum ob peccati turpitudinem, & æternæ Beatitudinis miſſionem, quas incurri; tum maxime, quia Te jam ex toto corde meo ſuper omnia diligo, quia Tu propter infinitas tuas perfectiones es ſuper omnia *Amabiliſſimus*; firmiſſime proponens tua gratia adjutus me amplius Te non offenſurum.





# TRACTATUS II.

# PŒNITENTIA JUSTIFICANS.

*Quæritur: Utrum ſit prudenter exiſtimanda ſufficiens ad Sacramentalem Abſolutionem Pœnitentia illa, quæ conſiſtit in eliciendo unum Doloris Actum (quod vulgo dicitur facere Actum Contritionis) ideſt, in ponendo ſemel, vel iterum aliqualem conatum ad eliciendum ejuſmodi Actum?*

## DISSERTATIO I.

Affertur *Auctoritas*, quæ nos dubitare facit: An Pœnitens ponens unice vel fere unice unum, vel duos conatus ad concipiendum Contritionem præſumendus ſit habere ſufficientem dolorem ad Sacramentalem Abſolutionem.

## CAPUT PRIMUM.

Auctoritas *Scripturarum*, *Patrum*, *Tridentini*, & *Catechiſmi Romani*.

I. SCripturæ, dum nos ad peccatorum pœnitudinem adhortantur, ajunt Deuter. cap. 2. „ Cum quæſieris Dominum, invenies eum, ſi tamen *toto corde* quæſieris eum, & *tota* tribulatione animæ tuæ". Iſaiæ cap. 26. „ Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis, ſic facti ſumus (per *Pœnitentiam* explicat Angelicus 3. par. quæſt. 85. art. 5.), concepimus, & quaſi parturivimus, & ☞ peperimus Spiritum ſalutis (ideſt, *Pœnitentia Salutaris*, ut per præmiſſa patet, adjungit ibidem S. Doctor). Et cap. 59. pergit Propheta dicens „ Rugiemus quaſi urſi omnes, & quaſi columbæ meditantes gememus". Jer. c. 6. & 31. „ Luctum Unigeniti fac tibi planctum amarum. Pone tibi amaritudines, & dirige cor tuum in viam rectam". Mich. cap. 4. Dole, & ſatage, Filia Sion, quaſi parturiens". Ezech. cap. 18. Facite vobis cor *novum*, & Spiritum *novum*". Joel. c. 2. „ Convertimini ad me in *toto* corde veſtro, in jejunio, & *in fletu*, & *in planctu*, & *ſcindite corda veſtra*". Pſal. 79. „ Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis, in menſura". Eccleſiaſt. cap. 4. „ Pro juſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitia". Matth. cap. 7. „ Quam *anguſta* porta, & *arcta* via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam! (1) Ipſe autem dixit ad illos *contendite* intrare per *anguſtam* portam (2). Quia multi dico vobis, quærent intrare, & *non poterunt*: *quia*, ait P. Segneri, *ipſi contenti erunt mediocri diligentia*, & *ut intrent*, *major requiritur*, nam *Regnum Cælorum vim patitur*, & *violenti rapiunt illud*".

II. Sancti Patres dicunt, prout ſequitur. S. Ambroſius l. 2. de Pœnit. cap. 10. ait „ Facilius inveni, qui innocentiam ſervaverint, quam qui congrue egerint Pœnitentiam". Origenes hom. 2. in Levit. „ Eſt adhuc licet *dura*, & *laborioſa* per Pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ ſuæ panes die ac nocte, & cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum". S. Joan. Chryſoſt. lib. 1. De Comr. cordis ait „ Oportebat nos ſemper non ſolum ſcire exomologim, & confiteri, quia in nobis multa delicta ſunt, verum, & unumquodque peccatum & majus & minus quaſi in libro, ita in corde noſtro habere deſcriptum, idque frequentius recognoſcere, atque ante oculos ponere, & tanquam hæc nuper admiſſa lugere". S. Hilarius ad Pſalm. 118. inquit „ Hæc Pœnitentiæ vox eſt lacrymis orare, lacrymis ingemiſcere &c. Hæc venia peccati eſt fonte fletuum flere, & largo lacrymarum imbre madefieri „. D. Auguſtinus hom. 25. ait „ Non ſufficit mores in melius mutare, & a factis malis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per Pœnitentiæ dolo-

(1) *Anguſta porta. Pœnitentia eſt*, interpretatur doct. P. Barradius.

(2) *In Græco pro* contendite legitur, ἀγωνίζεσθε, *quod ſicut interpretatur A Lapide vult dicere* „ *Agonizate*, & *quaſi in agone*, & *agonia contendite*, *extremas*, *ſummaſque vires veluti agonizantes exerite*".

dranrem Actus Fidei, Spei, & Charitatis elicuiſſe, quam per dies multos ſe afflixiſſe ciliciis, vel jejuniis, aut vacaſſe aliis ſuis devotiunculis. 3. Quam quiſque pro ſe ſollicitus eſſe debet, ut in his quoque frequenter ſe occupet partim, ut aſſueſcat, &c. partim quia ſunt regula animæ, & perfectio omnium agendorum, & patiendorum pro vita æterna". Quam quidem ſollicitudinem iterandi ſæpius in die Actus Formales ac explicitos Fidei nobis emphatice inculcat D. Auguſtinus ſerm. 58. alias hom. 42. de ſymb. dicens: „ Ne dicas, *dixi hodie* . . . ſint divitiæ tuæ ( ejuſmodi Actuum Fidei repetitiones, ) ſint quotidiana iſta quodammodo indumenta mentis tuæ. Nunquid non ſurgis, veſtis te? Sic etiam commemorando ſymbolum tuum, veſti animam tuam, ne forte eam denudet oblivio, & remaneas nudus . . . ipſa Fides & tunica eſt, & lorica".

## CAPUT IV.

*Proponuntur tandem formulæ ſelectiores, & in ordine ad Juſtificationem tutiores tum Actuum Fidei, & Spei ad Contritionem, & Charitatem, tum etiam Charitatis ipſius, tum maxime Contritionis, & Attritionis ad Abſolutionem præmittendorum.*

*Actus Fidei.*

I. Deus meus, quia Tu, qui es Infallibilis veritas falli, & fallere neſcia per S. C. R. Eccleſiam a Te, ne erret, edoctam hæc nobis credenda proponis, ego firmiſſime credo, quod Tu ab æterno exiſtis, & quod nos redivivos in æternum conſervabis. Credo quod ſis bonorum æterna Beatitudine remunerator, & malorum æternis pœnis punitor. Credo quod Tu propter infinitas tuas perfectiones ſis in Te ipſo *Amabiliſſimus*, & utpote noſtra *Supernaturalis* Beatitudo nobis *Deſiderabiliſſimus*, quod ſis Unus Deus in Tribus Perſonis diſtinctis, Pater, Filius, & Spiritus S. Et quod Filius pro nobis ex Maria Virgine Homo factus mortuus ſit, & reſurrexerit, ſitque in cælo, & in Sanctiſſima Euchariſtia; Et quod per ejus Merita, & tuam infinitam Miſericordiam omnibus, qui tua Gratia adjuti fecerint, quod in ipſis eſt, promiſeris Beatitudinem æternam, peccatorum veniam, ac Media ad hæc obtinenda neceſſaria; & quod tuam Gratiam communices cuicumque Sacramenta digne ſuſcipit. Credo quod ſis Fideliſſimus, Potentiſſimus, & Miſericordioſiſſimus, ut ſtes promiſſis, & Sapientiſſimus ac Veraciſſimus, proindeque ſummæ auctoritatis, & quod eidem S. Eccleſiæ hæc, aliaque, quæ ipſa nobis credenda proponit, revelaveris. Ideoque ea omnia iterum atque iterum firmiſſime credo.

*Actus Spei.*

II. Deus meus, quia Tu es meum ſummum Bonum *deſiderabiliſſimum* ac unica Beatitudo, ego Te vehementer in cæleſti gloria fruendum deſidero. Et inſuper firmiter ſpero inſimul cum venia peccatorum meorum, ac Mediis ad hæc obtinenda neceſſariis, me hanc ipſam cæleſtem gloriam a Te conſecuturum eſſe; quia Tu, qui es *Potentiſſimus*, *Miſericordioſiſſimus*, ac in promiſſis, ut hæc nobis præſtes, *Fideliſſimus*, hæc omnia per Merita Filii tui, & tuam Miſericordiam promiſiſti iis, qui tua gratia adjuti fecerint, quod in ipſis eſt, ut ego eadem adjutus facere propono.

*Actus Charitatis.*

III. Deus meus, quia Tu ſic me amas, ut me creaveris, redemeris, ac innumeris aliis beneficiis cumulaveris, & maxime, immo unice, quia Tu propter infinitas tuas perfectiones es *Amabiliſſimus*, ego Te ex toto corde meo ſuper omnia diligo, & ob Tui amorem amo etiam Proximum meum, ſicut me ipſum.

*Actus Contritionis.*

IV. Deus meus, quia Tu propter infinitas tuas perfectiones es *Amabiliſſimus*, ego Te ex toto corde meo ſuper omnia diligo, & ideo me vehementer pœnitet peccatorum meorum, quibus Te offendi, firmiſſime proponens tua gratia adjutus me amplius Te non offenſurum.

*Actus Attritionis, & Contritionis.*

V. Deus meus, me vehementer pœnitet Te offendiſſe tot meis peccatis tum ob timorem æternorum ſuppliciorum, quæ merui, tum ob peccati turpitudinem, & æternæ Beatitudinis miſſionem, quas incurri; tum maxime, quia Te jam ex toto corde meo ſuper omnia diligo, quia Tu propter infinitas tuas perfectiones es ſuper omnia *Amabiliſſimus*; firmiſſime proponens tua gratia adjutus me amplius Te non offenſurum.

TRA-



# TRACTATUS II.

# PŒNITENTIA JUSTIFICANS.

*Quæritur: Utrum ſit prudenter exiſtimanda ſufficiens ad Sacramentalem Abſolutionem Pœnitentia illa, quæ conſiſtit in eliciendo* unum *Doloris Actum ( quod vulgo dicitur facere Actum Contritionis ) ideſt, in ponendo ſemel, vel iterum aliqualem conatum ad eliciendum ejuſmodi Actum?*

## DISSERTATIO I.

Aſſertur *Auctoritas*, quæ nos dubitare facit: An Pœnitens ponens unice vel ſere unice unum, vel duos conatus ad concipiendum Contritionem præſumendus ſit habere ſufficientem dolorem ad Sacramentalem Abſolutionem.

## CAPUT PRIMUM.

Auctoritas *Scripturarum*, *Patrum*, *Tridentini*, & *Catechiſmi Romani*.

I. SCripturæ, dum nos ad peccatorum pœnitudinem adhortantur, ajunt Deuter. cap. 2. „ Cum quæſieris Dominum, invenies eum, ſi tamen *toto corde* quæſieris eum, & *tota* tribulatione animæ tuæ". Iſaiæ cap. 26. „ Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis, ſic facti ſumus ( per *Pœnitentiam* explicat Angelicus 3. par. quæſt. 85. art. 5. ), concepimus, & quaſi parturivimus, & ☞ peperimus Spiritum ſalutis ( ideſt, *Pœnitentia Salutaris*, ut per præmiſſa patet, adjungit ibidem S. Doctor ). Et cap. 59. pergit Propheta dicens „ Rugiemus quaſi urſi omnes, & quaſi columbæ meditantes gememus". Jer. c. 6. & 31. „ Luctum Unigeniti fac tibi planctum amarum. Pone tibi amaritudines, & dirige cor tuum in viam rectam". Mich. cap. 4. Dole, & ſatage, Filia Sion, quaſi parturiens". Ezech. cap. 18. Facite vobis cor *novum*, & Spiritum *novum*". Joel. c. 2. „ Convertimini ad me in *toto* corde veſtro, in jejunio, & *in fletu*, & *in planctu*, & *ſcindite corda veſtra*". Pſal. 79. „ Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis, in menſura". Eccleſiaſt. cap. 4. „ Pro juſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitia". Matth. cap. 7. „ Quam *anguſta* porta, & *arcta* via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam! ( 1 ) Ipſe autem dixit ad illos *contendite* intrare per *anguſtam* portam ( 2 ). Quia multi dico vobis, quærent intrare, & *non poterunt*: *quia*, ait P. Segneri, *ipſi contenti erunt mediocri diligentia*, & *ut intrent*, *major requiritur*, nam *Regnum Cælorum vim patitur*, & *violenti rapiunt illud*".

II. Sancti Patres dicunt, prout ſequitur. S. Ambroſius l. 2. de Pœnit. cap. 10. ait „ Facilius inveni, qui innocentiam ſervaverint, quam qui congrue egerint Pœnitentiam". Origenes hom. 2. in Levit. „ Eſt adhuc licet *dura*, & *laborioſa* per Pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & ſiunt ei lacrymæ ſuæ panes die ac nocte, & cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum". S. Joan. Chryſoſt. lib. 1. De Contr. cordis ait „ Oportebat nos ſemper non ſolum ſcire exomologim, & confiteri, quia in nobis multa delicta ſunt, verum, & unumquodque peccatum & majus & minus quaſi in libro, ita in corde noſtro habere deſcriptum, idque frequentius recognoſcere, atque ante oculos ponere, & tanquam hæc nuper admiſſa lugere". S. Hilarius ad Pſalm. 118. inquit „ Hæc Pœnitentiæ vox eſt lacrymis orare, lacrymis ingemiſcere &c. Hæc venia peccati eſt fonte fletuum flere, & largo lacrymarum imbre madefieri". D. Auguſtinus hom. 15. ait „ Non ſufficit mores in melius mutare, & a factis malis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per Pœnitentiæ dolo-

( 1 ) *Anguſta porta. Pœnitentia eſt*, interpretatur doct. P. Barradius.

(2) *In Græco pro* contendite legitur, ἀγωνίζεσθε, *quod ſicut interpretatur A Lapide vult dicere* „ *Agonizate*, & *quaſi in agone*, & *agonia contendite*, *extremas*, *ſummaſque vires veluti agonizantes exerite*".

dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium. “ Et ſer. 54. de diverſis c. 11. addit „ ſunt quædam gravia & mortifera, quæ niſi per vehementiſſimam moleſtiam humiliationis cordis, & contritionis ſpiritus, & tribulationis Pœnitentiæ non relaxantur. Hæc demittuntur per claves Eccleſiæ ( & non per Sacramentalia tantum; “ dicens in de doctr. chr. „ Sicut non poteſt male mori, qui bene vixit, ita vix bene moritur, qui male vixit. “ S. Hieronymus apud Euſebium ad Damaſc. morti proximus tandem ait „ vix de centum millibus, quorum mala fuit ſemper vita, meretur habere indulgentiam a Deo *unus*. “ Pro aliorum PP. dictis ſufficiat teſtimonium Vener. Card. Bellarmini controv. de Pœnit. l. 1. cap. 13. ajentis „ vere igitur Sacramentum Pœnitentiæ Baptiſmus quidem eſt, ſed Baptiſmus, ut Patres *omnes* teſtantur, *laboris*, *& lacrymarum*. “

§. Un.

III. Sacroſ. Tridentina Synodus ſeſſ. 14. c. 4. declarat, „ hanc Contritionem non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere juxta illud; Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, & facite vobis *cor novum*, & *Spiritum novum*. Et certe qui illos ſanctorum clamores (1) conſideraverit: *Tibi ſoli peccavi ec. Laboravi in gemitu. Lavabo per ſingulas noctes lectum meum; recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*; & alios hujuſmodi generis, facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe. “ Cum c. 1. cit. ſeſſ. dixerit ſeq. ponderoſiſſima verba „ Per baptiſmum enim Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes; ad quam novitatem, & integritatem ( reconciliationis cum Deo ) per Sacramentum Pœnitentiæ *ſine magnis noſtris fletibus*, *& laboribus*, divina id exigente Juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus: ut merito Pœnitentia *laborioſus* quidam Baptiſmus a Sanctis Patribus dictus fuerit. “

IV. Catechiſmus Romanus de Sacram. Pœn. c. 5. n. 26. & 27. ſic habet „ Maxime autem hortandi, & monendi ſunt Fideles, ut ad ſingula mortalia crimina proprium Contritionis dolorem adhibere ſtudeant ec. Ut enim hoc concedamus Contritione peccata deleri, quis ignorat, illam adeo *vehementem*, *acrem*, *& intenſam eſſe oportere*, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari, conferrique poſſit? At quoniam *pauci* ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a *pauciſſimis* hac via ( perfectæ ſcil. Contritionis ) peccatorum venia ſperanda eſſet. Quare neceſſe fuit, ut Clementiſſimus Dominus faciliori ratione communi hominum ſaluti conſuleret, quod quidem admirabili conſilio efficit, cum claves ( ideſt auctoritatem abſolvendi Sacramentaliter etiam *Supernaturaliter*, & *ut oportet* attritos ) Regni cœleſtis Eccleſiæ tradidit ec. In primis eſt docere priuſquam Sacerdotem aliquis adeat, omni ſtudio curandum, ut peccatorum ſuorum *Contritione commoveatur* ec. Hoc primum Sacerdotes obſervabunt, ſi veram peccatorum Contritionem habeat. “ Similiter ſeſe explicat Rituale Rom. modernum de Sacr. Pœnit. monens Confeſſarium ſcil. quod „ ejus Pœnitentem ad dolorem, & Contritionem efficacibus verbis adducere conetur; “ & antiquum dictum *Ordo Romanus in officio divino ec. ordo in fer. 4. Feria Quadrageſ.* dicens „ Quo prædicto totum ſe in terram proſternat ( Pœnitens poſtquam peccata Confeſſario narravit, & Actum Fidei elicuit, ) & *gemitus, atque ſuſpiria, vel lacrymas, prout Deus dederit, ab intimo corde producat*. Sacerdos vero patiatur eum aliquantiſper jacere proſtratum juxta quod viderit eum divina inſpiratione compunctum, “

## CAPUT II.

*Auctoritas Theologorum in hac re.*

I. S. Thomas 4. ſent diſt. 20. ar. 1. q. 1. ait „ veniam conſecutus fuiſſet Antiochus, ſi vere pœnituiſſet, ſed non habuit veram Pœnitentiam ec. Et hoc etiam *multis* in fine pœnitentibus contingit, *quia non eſt facile* ec. “ S. Bonaventura t. 1. opuſc. coll. de cont. ſæculi ait. „ Hoc teneo, hoc verum puto, quod ei non bonus finis eſt, cui ſemper fuerit mala vita. “ Subtiliſſ. Scotus 4. ſent. d. 20. inquit: „ Impoſſibile non eſt in extremis habere veram Pœnitentiam, qua homo ſalvari poſſit: *Sed eam habere difficilliſſimum eſt*, *& rariſſimum* ec. “ Petrus Sotus de Inſt. Sacerdot. lect. 17. de perfecta contr. habet. „ Ex his quantum fieri poteſt conſiderationibus ( atque attentis meditationibus bonitatis divinæ, & malitiæ peccati ) ex certa regula Fidei, & ex ipſis verbis ſcripturæ conceptis, affectus ſuos *omni conatu* oportet conformare: *& non ſemel, aut iterum, ſed frequentiſſime* etiam cum conatu proficiendi, hoc agendum ec. Interim ſit ſatis curandum eſſe doctoribus, ut hanc quoque *periculoſam perſuaſionem* ( ſed prudenter, & ſobrie, ) qua leviſſimum, immo fere nullum putatur negotium eſſe *vere* pœnitere, cum tamen, & *maximum*, *& arduum reputetur a Patribus ec.* Sit igitur hujus doctrinæ ſcopus, ut admoneantur qui vere in Deum converti volunt, ut non ſemel, & perfunctorie, ſed *frequenter & attentiſſime ſe ſe exerceant in Pœnitentia*, *& compunctione ec.* Hac frequentia ſupplebitur quod fervori deeſt, & juxta humanæ fragilitatis conditionem paulatim perducamur ad perfectum ec. “

II. Martinus Navarrus poſt maturam conſiderationem coactus fuit mutare ſententiam in commentar. in 1. p. decretal. de Jubil. not. 17. & ſeq. dicens „ Infertur, quod dolens refero, verendum eſſe ne pluſquam ſatis verum ſit id, quod ait Gloſſa ſingularis Clement. 2. de Reliquiis, & vener. Sanctor. ſcil. *paucos* Indulgentias conſequi, eo quod de *vere pœnitente*, & confeſſo ſecundum illam dici poſſit illud Eccleſ. 31. *Quis eſt hic*, *& laudabimus illum*? Verendum, inquam, id pluſquam ſatis eſſe verum. 1. Quidem, quia nemo, niſi pœnitens eas conſequitur ob prædicta, *& vera Pœnitentia difficile attingitur ec.* Et quamvis Deus munificentiſſimus ſua munificentia *facienti id, quod in ſe eſt*, eam ( gratiam ) conferat, *rari* tamen ſunt aliorum collatione qui id faciunt ec. Gloſſa prædicta olim nobis illam Clementinam Salmanticæ interpretantibus, ac poſtea multo tempore diſplicuit .... Subſtiti tamen, & dubitare cœpi poſteaquam prædicta perpendi. “

Sanctiſſima virgo Thereſia in divinis verſatiſſima 8. ſuor. monituum ait „ Clament vehementer, ac frequenter Prædicatores adverſus Confeſſiones defectuoſas, negligenterque factas, tales enim infructuoſæ Confeſſiones animas *quamplurimas* ad inferos perducunt dæmone ſalutarem medicinam in venenum convertente. (1) “

Mag. Canus Relect. p. 5. ad text. Apoſt. ad Hebr. 6. *Impoſſibile eſt, eos qui ſemel illuminati ſunt & participes facti Spiritus S. & prolapſi ſunt rurſum renovari ad Pœnitentiam*, ait „ Per exceſſum loquitur atque hyperbolice *ingentem rei difficultatem* impoſſibile vocat, non ut deſperent audientes, ſed ut terreantur. Idcirco enim ſubdit Apoſtolus: *Confidimus tamen de vobis, dilectiſſimi, meliora, & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur ec.* Quæ quidem hujus loci interpretatio mea non eſt, ſed D. Hieronymi. “

III. Omiſſis pluribus aliis TT. quos allegare poſſemus, illud tantum addamus, quod iidem reſpondent ad quæſt. „ An ex perfectione vitæ ac operum juſtitiæ poſſit interdum Juſtus eſſe *Moraliter* certus de ſua gratia? Et in quo gradu?

Eximius D. Suareſius de gratia p. 3. l. 9. c. 9. n. 13. 17. & ſeq. indicata ſententia illorum TT. qui hac in re dicunt „ Nullam certitudinem eſſe admittendam “, ait „ In quam ſententiam allegantur antiqui Scholaſtici, qui *ſolam conjecturalem* cognitionem dicunt eſſe poſſibilem. Ita loquuntur D. Thomas, D. Bonaventura, Durandus, Scotus, Gabriel, Gerſon, & multi moderni ita loquuntur. “ Si tamen ille cum Carthuſiano, Vega, Soto, & Ruardo admittit uti poſſibilem *aliquam Moralem mediocrem* certitudinem de recuperatione propriæ gratiæ per veram Pœnitentiam, cum dicit „ Non repugnat Juſtum aliquem ( ex ſanctioribus tamen perfectiſſimeque & perſeveranter Deo ſervientibus, & familiariter cum eo agentibus ) pervenire in hac vita ad habendam Moralem certitudinem ſuæ gratiæ, “ audiatur nihilominus quantam, & qualem diligentiam, & quæ ſigna ipſe poſtulet ad aſſequendum ejuſmodi certitudinem in ſeq. textu.

IV. „ Ponamus enim, inquit, per multum tempus frequenter & cum bona Fide confeſſum eſſe adhibendo *magnam Moralem* diligentiam ad accuſationem omni ex parte legitimam faciendam ec. Ponamus ergo ulterius per *multum tempus* non habuiſſe remorſum peccati mortalis, & per

(1) *Obſervemus cum P. Ulloa t. 4. de Sacram. diſp. 5. c. 1. n. 11. & 12. quod hic deſcripſerit Concilium normam, & exemplar noſtræ Pœnitentiæ „ Quoties, ait, Eccleſia docet conditiones, ſeu qualitates, ſeu attributa rei ſecundum ſe præſcindendo a* melius eſſe rei, item ab hoc, vel illo ſtatu, ab his, & illis perſonis, *illa ſunt neceſſaria ad* ſimpliciter eſſe rei, *& non tantum ad* melius eſſe, *alias nihil haberemus firmum ab Eccleſia circa res* Supernaturales *quoad* ſimpliciter eſſe ec. *At Eccleſia ſeſſ. illa 14. c. 4. docet nos conditiones, qualitates, & attributa Pœnitentiæ ſalutaris ſecundum ſe præſcindendo a* melius eſſe, *& a* ſimpliciter eſſe; *item ab hoc* vel illo ſtatu, ab his, & illis perſonis; *ut conſtat ex titulo ipſo capitis; & docet* magnitudinem, vehementiamque odii prædicti; *inquiens; & certe qui illos ſanctorum clamores conſideraverit ec. Ergo hac vehementia ( doloris ſi non quoad gradualem intenſionem, ſaltem quoad efficaciam excludendi peccatum grave actuale ) non tantum eſt requiſita ad* melius eſſe *Pœnitentiæ, ſed etiam ad* ſimpliciter eſſe ec. “



(1) *Hujuſmodi autem Venenum ( quidquid vulgus opinetur ) vix aliud eſſe poteſt, quam defectus doloris Supernaturalis ut oportet de peccatis commiſſis; ſiquidem is dolor neceſſario affert reliquas omnes partes, & requiſita ſalutaris Confeſſionis.* Ratio eſt ( *inquit Angelicus in ſuppl. 3. q. 7. ar. 3.* ) „ *Quia Contritio eſt prima pars Pœnitentiæ efficaciam aliis partibus præbens, ideo eodem modo judicatur de* tota Pœnitentia, *ſicut de* Contritione. “ *Nam, ut ipſe 3. p. q. 90. ar. 2. & 3. ait* „ *Contritio ſecundum eſſentiam quidem eſt in corde, & pertinet ad interiorem Pœnitentiam. Virtualiter autem pertinet ad exteriorem Pœnitentiam: in quantum ſcilicet implicat propoſitum confitendi, & ſatisfaciendi .... Una pars integralis poteſt continere totum, licet non ſecundum eſſentiam: fundamentum enim quodammodo virtute continet totum ædificium, & hoc modo* Contritio continet virtute totam Pœnitentiam. “ *Unde manifeſte ſequitur, quod nullus eliciens neceſſarium dolorem ſaltem Attritionis damnetur, maxime ſi in extremis a quovis Sacerdote abſolvatur.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

per illud idem tempus Sacramentum frequentaſſe cum eadem diligentia confitendo venialia cum *magno dolore* etiam mortalium, & deſiderio confitendi illa, ſi occurrerint, & cum varietate Miniſtrorum, aliiſque circumſtantiis propoſitis. Igitur poterit tandem aſſignari inſtans, vel tempus, in quo talis determinate credat cum eadem *Morali* ſecuritate ſe obtinuiſſe remiſſionem omnium præcedentium peccatorum mortalium, & ſimilis diſcurſus fieri poteſt de *Contritione*, quæ eſt altera cauſa interdum ſufficiens ad Juſtificationem, nam ſi ponamus hujuſmodi hominem ſæpius in vita, vel quotidie *per multum tempus iteraſſe Actus Contritionis* faciendo quantum eſt in ſe, & *quantum ipſe aſſequi poteſt* perſeverando diu ſine conſcientia mortalis peccati, non videtur poſſibile *quin aliquando veram Contritionem eliciat* ſuppoſitis Principiis certis de gratia, & promiſſionibus ejus, quas habemus. Semel autem accepta hac Morali Fide de Juſtificatione cum remiſſione omnium præcedentium peccatorum poterit illa perſeverare & creſcere decurſu temporis, tandem eadem cauſa gratiæ *frequentando Actus Contritionis toto conatu*, & cum eadem vel majori diligentia Confeſſionem, & addendo Euchariſtiæ Communionem, eamdem curam, & devotionem ec. Iiſque accedere poſſunt alii nobiliores effectus divini Spiritus, quos Bernardus attigit, qui ſunt magna devotio in Deum, contemptus rerum temporalium, animus præter Deum, vel non niſi propter Deum amans: *cui*, ait Bernardus, *vivere Chriſtus non tantum ſit*, ſed & diu fuerit ec. Ut omittam alia extraordinaria ſigna benevolentiæ, quam Deus erga *Sanctos* ſuos *ſingulariter* electos habet, quæ idem proſequitur. His ergo omnibus inſpectis non videtur dubium quin ad aliquem gradum *Moralis* certitudinis judicium de propria juſtitia pervenire poſſit. 2. dico quanta, ſeu in quo gradu poſſit eſſe hæc certitudo? Non poteſt a nobis omnino determinari, videtur autem neque in ſummo, neque in infimo, ſed *in medio quodam gradu* eſſe collocandam."

V. Nunc jam ſic. Poſſibile ne eſt quod tam frequens, tam vehemens, tamque emphaticus Scripturarum, Patrum, Conciliorum, Catechiſmorum, ac Theologorum modus, ac ratio inculcandi peccatorum Pœnitentiam, dolorem, ac deteſtationem, ac inſimul ſignificandi ejus *arduitatem*, aliud a Pœnitentibus ſe ſe ad ſacramentalem abſolutionem diſponentibus non exigat, quam Naturalem illum doloris ſenſum, quem *Naturaliter* in ipſis generat peccatum admiſſum? Vel quod ab iiſdem aliud non requirat, quam quamdam peccati ipſius *diſplicentiam* forte *Supernaturalem* veluti in *abſtracto*, atque omni Formali Motivo ad eam conſtituendam Contritionem, vel Attritionem, omnino neceſſario, *deſtitutam*? Poſſibile ne eſt quod eorumdem tam efficax & emphaticus modus, ac ratio inculcandi curam, ſollicitudinem, ac diligentiam ad concipiendam veram peccatorum Pœnitentiam a peccatoribus ſacramentaliter abſolvendis aliud non expoſcat, quam unicam, vel duplicem Formulæ Actus Contritionis quaſi recitationem?

# DISSERTATIO II.

Proponuntur *Rationes*, quæ nos dubitare cogunt de realitate, & ſufficientia Pœnitentiæ conſiſtentis in eo, quod a nobis unice apponatur unus, & aliter conatus ad eliciendam Contritionem.

## CAPUT I.

*Prima* Ratio, *quæ reddit dubium, quod Actus veræ Contritionis eliciatur a nobis ad primum vel ſecundum conatum appoſitum, ad illum eliciendum eſt* Ratio Generica Supernaturalitatis.

I. UT Actus Contritionis, vel Attritionis ſint, quales requiruntur ad noſtram Juſtificationem, præter alia requiſita debent eſſe in ſe ipſis eſſentialiter *Supernaturales*, pariter ac *Supernaturales* in ſe eſſe debent Actus Fidei, Spei, & Charitatis; conſequenterque eſſe debent nobiliſſimi effectus noſtri Intellectus, & Voluntatis *Supernaturaliter* elevatorum ad productionem eorumdem. Iſtarum ergo potentiarum proportionate concurrentium profecto effectus eſſe debent, & inſimul & quidem principaliſſime divinæ gratiæ auxiliantis, prævenientis ſcil. & concomitantis, ſive divinæ virtutis, & omnipotentiæ ad illorum productionem ſpecialiter applicatæ, & non ſolum, prout eſt cauſa prima, & per generalem concurſum ordinis *Supernaturalis*, ſed etiam ut cauſa *Particularis*, & principalis immediate productiva per ſe ipſam talium effectuum, aut ſaltem mediante aliquo *Supernaturali* principio proximo phyſico. „ Actus Fidei, & Theologalium virtutum (ait Suarez t. 1. de Deo tr. 2. l. 2. de Prædeſt. c. 8. n. 5. & 7.) ſunt *Supernaturales* per ſuam primam & eſſentialem entitatem. Et ratio omnium eſt, quia Formalia Motiva, in quibus hi Actus nituntur, ſuperant *ordinem Naturæ*, & *vires liberi arbitrii*. Infertur gratiam requiri ad hos Actus, ut Principium *per ſe & phyſicum illorum*, in quo eſt magna differentia inter hos Actus, & Naturales."

II. „ Nam ad *Naturales* gratia ſolum juvat Moraliter illuminando Intellectum, & excitando affectum, & tollendo impedimentum, ad hos autem Actus majus adjutorium neceſſarium eſt ec. Quia ad Actus *Naturales* habent potentiæ efficientes vires phyſicas, ad hos autem *minime*, & ideo indigent ſuperiori principio elevante illas, & dante vires ad eos eliciendos etiam *per ſe & phyſice*. Unde neceſſe eſt, ut ad hos Actus Deus *per ſe* concurrat, non tantum *primam cauſam* agens per concurſum generalem, ſed etiam ut cauſa *particularis*, & *principalis*, vel immediate, vel ſaltem infundendo aliquod principium proximum, & phyſicum talium Actuum ſimul cum Intellectu, & Voluntate. Per hoc autem non excluditur concurſus etiam Dei, ut *primæ* cauſæ ordinis etiam *Supernaturalis*, quia hic ſemper eſt neceſſarius propter dependentiam eſſentialem omnis entitatis creatæ a Deo. Denique non etiam excluduntur *Morales* concurſus gratiæ per illuminationem, & inſpirationem *Supernaturalis* ordinis, nam hic modus adjutorii gratiæ eſt, ut definiunt Concilia, & fundatur etiam in *Supernaturali* ſubſtantia talium Actuum; quia non poteſt Intellectus, & Voluntas ad illas conari, niſi per hujuſmodi auxilia divina excitetur, ut tradunt Concilia, præſertim Tridentinum ſeſſ. 6. c. 3. ec. Etiam nunc, licet cum gratiæ auxilio fiant, *non ſine magna* difficultate ſæpiſſime fiunt."

III. Nunc ſic: credibile ne eſt quod eo ipſo quod quis adponat unum, vel alterum conatum, & quidem ut plurimum ſatis frigide, omnes iſti concurſus ſtatim ac indubitate ponantur *in Actu ſecundo*, ita ut Actus ipſi evadant *Supernaturales*, ſeu ſupra totius Naturæ creatæ vires? Utinam ita ſe res haberet! Sed proh dolor! in quantis ignorantiæ, ac incertitudinis tenebris circa hæc omnia involvimur! Audiatur, quæſo, quid circa Charitatem, conſequenterque quid circa Contritionem, quæ ab ipſa naſci debet, ſentiant Theologi apud Suareſium de Gratia p. 1. l. 2. c. 14. n. 2. 9. 10. & ſeqq. qui ſic ait: „ Veritas Catholica in primis eſt non poſſe hominem diligere ſuper omnia Deum Auctorem gratiæ, & ſalutis amore amicitiæ, & propter ſe ipſum ſine Supernaturali auxilio gratiæ ec. Poteſt amor eſſe ſuper omnia ex vi Motivi, & excellentiæ objecti, & rationis diligendi illud, & ſic eſt ſuper omnia abſolutus, & efficax amor Charitatis Dei, idque habet ex vi ſuæ perfectionis eſſentialis, verumtamen hic etiam modus non eſt *ſpecificus*: nam convenire poteſt amori Naturali Dei intra ſuam latitudinem ec. Ultimo addenda eſt ratio a priori, quæ ſumenda eſt ex Motivo, & objecto Formali diligendi, ſimulque ſolvenda præcipua difficultas ec. Quæ conſiſtit in diſtinguendis Motivis Amoris *Naturalis*, & *Supernaturalis* Dei propter ſe ipſum, & ex ſola amicitia, ſeu benevolentia Dei, quod multi tam impoſſibile reputant, ut propterea quidam negent dari Naturalem dilectionem Dei ex pura benevolentia: alii vero concedentes illam, negent poſſe diſtingui ſpecie ab Amore Charitatis: alii denique diſtinctionem admittentes negant illam ſumendam eſſe ex objectis ſeu Motivis diligendi, ſed ex principiis, vel ex ſola entitatum varia perfectione ec. quas opiniones jam reprobavimus ec."

IV. „ Alii ergo, ut hanc diſtinctionem ex objectis aſſignant, dicunt Amorem naturalem tendere in Deum, ut cognitum per rationem *Naturalem*, Charitatem vero tendere in ipſum ut cognitum per *Fidem* ec. Hæc autem differentia per ſe ſola *non ſufficit*, niſi aliquid addatur ex parte objecti ad diligendum propoſiti, vel rationis Formalis diligendi illud ec. Unde ſola diverſitas cognitionis, ſi alioquin objectum propoſitum idem omnino ſit, & ſub eadem ratione proponatur, non ſufficit ad diſtinguendos Actus voluntatis, ſicut Actus Amoris Dei in via, & in patria ejuſdem rationis eſt, etiamſi per cognitiones ſpecie diverſas applicetur, & confirmatur; quia circa Deum conſideratum per *Fidem* ſolum ut Creatorem, poteſt Voluntas operari ſolo affectu *Naturali* eum diligendo, vel colendo, quia illud bonum cognitum *Naturale* eſt, & modus cognitionis *Supernaturalis* non poteſt impedire quin minus in ſuum objectum feratur, prætermiſſo modo cognitionis, circa quam nullo modo verſatur. Reſpondent vero alii ex illis diverſis cognitionibus reſultare in objecto diverſas rationes Formales, ſub quibus terminat duos Amores *Naturalem*, & *Supernaturalem*, etiamſi eadem res, & ex eodem Motivo bonitatis amanda proponatur ec. Sed hoc non ſatis rem declarat. Nam eadem eſt in objecto aptitudo ad terminandum affectum, quæ eſt ad amandum & attrahendum ec. Sed aptitudo ad movendum affectum non eſt bonitas ſic, vel ſic cognita, ſed eſt bonitas ipſa prout talis, vel talis eſt ec. Nec obſtat quod Amor *Supernaturalis*, natura ſua poſtulet præviam cognitionem *Supernaturalem* (qualis eſt illa *Fidei Supernaturalis*, vel viſionis *beatificæ*); quia hæc inprimis poſtulatur, ut ſit proportio connaturalis inter Actus, & principia eorum, non vero ut inde ſumenda ſit ſpecies, vel genus Amoris. Deinde per ſe requiritur *Supernaturalis* cognitio, ut in objecto poſſit oſtendere aliquam ſuperiorem rationem diligendi, quam ratio Naturalis non aſſequitur. Nihilominus tamen quia Fides etiam Naturalia Motiva contemplari poteſt, non repugnabit ex illis moveri Naturalem affectum ec. Addunt alii ec."

V. „ Dicitur ergo (pergit Suarez) aliter per *Fidem* cognoſci Deum ut majorem Benefactorem, noſtrum quam per ſolam rationem *Naturalem*, quia per *Fidem* plura beneficia cognoſcimus nobis a Deo provenire, quam per *lumen Naturale*; & inde diverſum amorem erga Deum oriri. Neque multum ab hac ratione diſcrepat communis modus diſtinguendi Deum, ut finem *Naturalem*, vel *Supernaturalem*; Auctorem *Naturæ*, vel *gratiæ*: & quod ſub his rationibus diligatur Amore *Naturali*, vel *Infuſo*, qui ex illis rationibus ſufficienter diſtinguuntur ſpecie: Quia licet bonitas Dei in ſe ſit eadem, apprehenditur ſub diverſis titulis ſeu gradibus bonitatis, & ſub communicationibus diverſarum rationum,

num, quas nobiſcum habet in bonis ſuis, quæ communicationes ſolent eſſe ſufficientes ad diſtinguendas amicitias. Quam rationem diſtinguendi hos Amores, & objecta videntur ſequuti antiqui Auctores ec. Senſus ergo eſt, bonitatem Dei ſpectatam ut *Supernaturaliter* communicabilem hominibus per gratiam, & per gloriam ſub quadam excellentiori ratione bonitatis apprehendi, quæ ad amorem ſui, & propter ſe ac ſuper omnia movet, qui amor inde habet ſpeciem excellentioris ordinis, ac vires Naturæ ſuperantis ec. Nam bonitas Dei præciſe ſpectata, ut Auctoris Naturæ, habet cum Natura vinculum quoddam Naturale, & quaſi neceſſariam connexionem ratione eſſentialis dependentiæ, quam habet Natura a Deo Auctore ſuo, tum in ratione primi principii, tum ratione ultimi finis proportionati Naturæ. Et ideo bonitas ſic conſiderata, licet alioquin in ſe ſit infinita, & longe altioris ordinis ab omni creata Natura, nihilominus in ratione objecti eſt *Naturalis* ratio amandi, & Deus eſt objectum *Naturale*, quia Naturali impetu tendit voluntas in Deum ſic ſpectatum. At vero eadem Dei bonitas ſpectata, ut communicabilis per gratiam, & Deus ipſe ut Auctor *gratiæ*, & *Supernaturalium* donorum non habet Naturale vinculum cum rationali Natura, quia Natura, ut ſit, & omnem Naturalem perfectionem habeat, non dependet a Deo ut Auctore gratiæ ec. Nam ipſa bonitas Dei ſecundum ſe ſpectata licet ſit altior & excellentior, quam omnis Natura creata, non eſt abſolute *Supernaturalis*: ideoque cenſetur contenta intra *ordinem Naturæ*, & *objectum Naturaliter diligibile*; verum ut eſt communicabilis homini aliis modis *ſuperantibus ordinem Naturæ*, eſt *Supernaturalis* quoad connexionem cum Natura, & conſequenter eſt etiam objectum excedens inclinationem, & vires Naturæ, & ideo fieri non poteſt, ut Amor Naturalis ſit æqualis in adhæſione ad Deum ſecundum appretiationem cum *Supernaturali*. Sed inſtant aliqui, homines ſimplices & rudes neſciunt has rationes diſcernere in Bonitate Dei, & nihilominus illum diligunt ex perfecto amore Charitatis, etiamſi bonitatem ejus vel ſimpliciter, & abſolute conſiderent, vel etiamſi ſub ratione Creatoris, Omnipotentis, aut alia ſimili Naturali ratione illum contemplentur. Reſpondetur; ſi rudes & ſimplices ex pura ratione procedant (adde, vel ex Fide more *acquiſita*) ſine dubio *non diligunt Deum ſicut oportet*, etiamſi per benevolentiam & propter ipſum eum diligere videantur. Si autem procedant ex Fide, quamvis neſciant illas rationes noſtro ſpeculativo modo diſtinguere, nihilominus in uſu ipſo, & exercitio apprehendunt Deum, ut bonum *quoddam excellentioris ordinis*, & hoc ſatis eſt, ut per gratiam ad *Supernaturalem* amorem eleventur."

VI. Ex quibus omnibus rite perpenſis quicumque Theologiam vel e limine ſalutaverit, jam videt, & quam maxima ſit difficultas in diſtinguendo *Naturales* Actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, & Attritionis omnino inſufficientes ad noſtram Juſtificationem, ab Actibus *Supernaturalibus* harum virtutum ad ipſam Juſtificationem abſolute neceſſariis: & quanta ſit arduitas in eliciendis ejuſmodi Actibus *Supernaturalibus*. Verum quidem eſt nos ſentire hac in re cum D. Eximio ſcil. quod aliquo modo; „ Ex vi Formalis objecti determinetur, quod Actus ſit *Naturalis*, vel *Supernaturalis*, & quod non pendeat, ut aliqui volunt, ex ſola Dei voluntate determinantis concurſum, vel auxilium ſuum ad talem, vel talem entitatem Actus, " quia aliter, ut ipſe animadvertit n. 18. & 19. „ Nunquam erit in poteſtate hominis ſalvari etiam poſita quacumque Gratia præveniente, & *cum illa faciendo quod in ſe eſt*, quod dici non poteſt, pendebit enim totum ex eo quod Deus voluit dare auxilium concomitans huic, & non illi, atque ita unus damnabitur, cum ex parte ſua nihil fecerit minus." Ex quo toto colligitur quantum ratio *Supernaturalis* reddat dubioſum, quod ad primum vel ſecundum conatum a nobis poſitum, revera perveniamus ad eliciendum verum Actum Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, vel Attritionis.

## CAPUT II.

*Secunda* Ratio, *ob quam redditur ſatis dubium, & arduum quod perveniatur ad eliciendum Actum veræ Contritionis ad primum vel ſecundum conatum poſitum ad illum eliciendum eſt ratio* ſpecifica *talis Actus* Supernaturalis.

I. QUia, ut ait Angelicus 1. 2. q. 55. ar. 4. Conſtitutivum Formale Actus *virtuoſi*, uti etiam *cujuſcumque* rei, non ſolum provenit ab illius *genere*, ſed etiam ab illius *differentia* ſpecifica, „ cauſa, inquit, Formalis virtutis, ſicut & cujuslibet rei accipitur ex ejus *genere*, & *differentia*." Ex quo ſequitur, quod in Pœnitentia præter dictam rationem *genericam* Actus *Supernaturalis*, ratio *differentialis* ſpecifica, ſive illa prædicata omnibus *aliis requiſitis* prædita, per quæ ipſe *Supernaturalis* Actus Pœnitentiæ conſtituitur in ſpecie *talis Pœnitentiæ*, ideſt veræ Contritionis, ſive Attritionis, eſt pluſquam ſufficiens ad illum reddendum valde dubioſum, operoſum: cum non ſufficiat quod Actus veri doloris ſit in ſe ipſo eſſentialiter *Supernaturalis*, ſed ulterius requiritur, quod ipſe inſimul ſit *vera illa deteſtatio* de admiſſo peccato orta (ſi ſit Attritio ex timore Dei æterna ſupplicia minantis), aſſociata vero emendationis propoſito, quod penitus ex corde eliminet omnem adhæſionem erga quodcunque objectum graviter peccaminoſum, ac inſuper nata ex *Supernaturali* Fide & Spe. Vel (ſi ſit perfecta Contritio) orta ex amore *Supernaturali* Dei reipſa ab ipſomet Pœnitenti ſuper omne aliud quodcumque bonum dilecti. „ Dolor Contritionis ex Charitate cauſatur, ait D. Thomas 3. p. q. 4. ar. 1. poſtquam q. 3. ar. 1. loquens de diſplicentia peccati præteriti dixerat. „ Talis dolor in Contritione excedit omnes alios dolores: quia quantum aliquid placet, tantum contrarium ejus diſplicet. Finis autem ultimus ſuper omnia placet, cum omnia propter ipſum deſiderentur: & ideo peccatum, quod a fine ultimo avertit, ſuper omnia diſplicere debet. Quia (ſuperaddit q. 15. ar. 5.) eſt contra Deum ſuper omnia *dilectum*, quod requiritur ad rationem veræ Pœnitentiæ ec. " Et ita communiter ſentiunt alii Theologi. P. Platelius de Sacram. n. 543. ait „ Ut contritio ſit perfecta, & ſufficiens ad remiſſionem peccatorum debet eſſe *appretiative* ſumma, ideſt talis, ut contritus vere peccatum ſuum deteſtetur *ſuper omnia*, & de eo admiſſo ſimiliter *ſuper omnia* doleat, & hoc propter bonitatem Dei *ſumme amatam* (ſi ſit perfecta contritio,) ita ut vi ipſius doloris ita ſit affectus, ut mallet quodvis aliud malum pati potius quam peccare: eſt communis, & certa ſententia ec. Quia contritio perfecta eſt dolor de peccatis propter Deum ſumme quoad appretiationem dilectum." Et ideo D. Auguſtinus ſer. 7. de temp. ait „ *odium peccati, & amorem Dei efficere veram, & perfectam Pœnitentiam.* "

II. Nihilominus hæc omnia adhuc non ſunt ſatis. Requiritur ulterius, quod *Supernaturalis* pœnitudo & deteſtatio peccati orta ex amore, vel timore *Supernaturali* Dei ſit, *ut oportet*, ut loquuntur Concilia. „ Quia diſpoſitio (ſeu contritio idem dicito de Fide, & Spe, ait Suarez de gratia p. 3. l. 9. c. 10. n. 10.) illa non eſt Actus v. g. amoris, vel doloris abſolute ſumptus, ſed cum hoc addito, *ſicut oportet*, ſicut Concilia loquuntur, in quo illud *ſicut oportet* poſitum ſit, vix a ſapientibus cognoſcitur, nam ipſi etiam erudiciſſimi Theologi in eo explicando non conveniunt, nec ſub experientia cadit, nec per effectum ſenſibilem evidenter manifeſtatur, ut ex dictis notum eſt: ergo ex vi ſanctificationis per Sacramentum nunquam poteſt recipiens certitudinem Theologicam ſuſceptæ gratiæ comparare. Neque obſtat quod Sacramentum poſſit gratiam cum ſola Attritione conferre; ſaltem in Baptiſmo, & Pœnitentia; tum quia, licet hoc ſit verum, non eſt de Fide certum, etiam in his Sacramentis; tum etiam quia ec. tum maxime quia etiam ipſa Attritio requirit *ſuum modum*, ut ſit *ſicut oportet*: qui modus nunquam eſt evidenter notus, ec. Quia non poteſt homo abſoluta certitudine etiam Naturali ac Phyſica, ſeu Metaphyſica cognoſcere ſe dilexiſſe, aut diligere Deum *ex vero, & puro amore Charitatis*, ſeu benevolentiæ propter ipſum, vel deteſtari peccatum propter Deum, *ſicut oportet* ec. Accedit, quod præter *Supernaturalitatem*, & *perfectionem eſſentialem talis Actus*, quæ ſatis occulta nobis eſt, ſunt inter Theologos opiniones de modis accidentalibus, ut de intentione, ac duratione ec. " Dicet tamen aliquis quod illud *ſicut oportet*, nihil aliud dicere velit, niſi quod hi Actus *Supernaturales* eſſe debeant effectus gratiæ: verum audiat ipſe iterum laudatum Suarez de gratia p. 1. l. 2. c. 6. n. 3. dicentem: „ Illud *ſicut oportet*, *ad qualitatem*, vel *perfectionem* ipſius Actus referendum eſt, non ad principium, a quo ſit Actus, tum quia alias eſſet petitio principii, ſeu identica repetitio, & inutilis definitio: nam ſenſus particulæ, *ſicut oportet*, eſſet, ideſt modo *Supernaturali* in fieri. Unde perinde eſſet ac ſi diceretur, eſſe neceſſariam gratiam ad credendum ex gratia, vel e contrario non poſſe Actum fieri ex gratia ſine gratia, quod profecto ridiculum eſt: tum etiam quia illa particula videtur addita contra Semipelagianos dicentes, Actus *Naturales* eſſe meritorios gratiæ, vel diſpoſitiones ad *illam*, & ideo Concilia dicunt Actus hos non poſſe fieri per vires Naturæ, *ſicut oportet*, ut gratiam mereantur, vel ad illam diſponant; hoc autem habent Actus ex eo quod *talis qualitatis*, vel *perfectionis ſint*, idem ergo ſignificat, *ſicut oportet*, ac dicere cum perfectione Actus, quæ neceſſaria eſt ad dictos gratiæ effectus."

III. Unde nullatenus idem eſt elicere Actum *Supernaturalem* doloris ac deteſtationis peccati ex Motivo divinæ bonitatis offenſæ, quamvis intenſum, ac conjunctum cum ſerio propoſito non peccandi de cetero, ac ipſo facto certo, vel probabiliter verum contritionis Actum elicere. Et ratio eſt evidens, quia non idem eſt elicere Actum contritionis in hunc modum, ac ipſum neceſſario habere *omnem* perfectionem in omni linea: ſiquidem accidere poteſt, quod aliquis doleat intenſe de ſuo peccato ob bonitatem divinam a ſe offenſam, & nihilominus non faciat verum Actum perfectæ Contritionis, v. g. ſi doleat ob divinam bonitatem a ſe vere amatam, ſed non appretiative ſuper omnia: aut quidem a ſe appretiative amatam, aſt non per ſe ipſam uti abſolute in ſe bonam (quamvis aliunde cum aliqua relatione ad nos: quandoquidem non videtur, quod penitus excludatur, uti plures volunt, ab amore perfecto Dei illud ineffabile illicium, quo divina bonitas, utpote omne noſtrum bonum, ac unica noſtra ſpes nos ad ſe trahit, ut nobis ſatis indicant verba illa Auguſtini l. 1. de Trinit. c. 1. *Cujus rei adipiſcendæ ſpem quiſque non gerit, aut tepide amat, aut omnino non amat, quamvis quam pulchra ſit, videat*: Ac illa etiam Angelici 1. 2. q. 26. ar. 13. ſcil. „ Quod unicuique erit Deus tota ratio diligendi, eo quod Deus eſt totum hominis bonum. Dato enim per impoſſibile, quod Deus *non eſſet hominis bonum, non eſſet ei ratio diligendi*." Quamvis forte, ut alii volunt, ſaltem in raro caſu poſſit dari Dei amor ſine ullo reſpectu ad noſtrum commodum) ſed tantum ut nobis bona, & uti finis noſter unicus: ſive amando bonitatem divinam amore appretiativo non quidem pratice, ſed ſolum ſpeculative.

IV. „ Nullus qui dolet de peccato propter divinam quidem bonitatem, ſed non dilectam appretiative ſuper omnia, vel appretiative, ſed

non propter illam ut in ſe abſolute bonam, ſed ut bonam nobis, ideſt, noſtrum ultimum finem; vel appretiando illam quidem in ſe ipſa non tamen pratice, ſed pure ſpeculative; nullus inquam, ſic amans Deum habet amorem ſufficientem ad contritionem; quia nullus ex his tribus amoribus ſufficit per ſe præciſe. Sed aliquis dolens de peccato propter divinam bonitatem poteſt aliquando dolere propter hanc, quin eam appretietur ſuper omnia, ut quando dolemus de offenſa irrogata Amicis, Parentibus, & Magiſtris propter ſuas bonas intrinſecas qualitates, vel appretiando illam quidem ſuper omnia, ut eſt noſter ultimus finis, ſeu nobis proficua, non autem præciſe, & pure quia in ſe eſt abſolute bona, vel appretiando illam mere ſpeculative, aut ſecundum ſe: ergo aliquis dolens de peccato propter divinam bonitatem non habet amorem neceſſarium ad perfectam contritionem: ergo hic amor non probatur ex eo tantum, quod aliquis doleat de peccato propter divinam bonitatem. " Hucuſque P. Ulloa de Pœnit. d. 1. c. 2. n. 13. & 14. Quod confirmat t. 5. d. 2. c. 1. n. 22. dicens " Si non diligit Deum ſuper omnia vel ſignate, vel exercite non habet Actum perfectæ Charitatis Theologicæ neceſſarium ad Juſtificationem, ſeu qui ſit virtualiter deteſtatio omnium peccatorum: ergo fieri poteſt, quod aliquis habeat Charitatis Theologicæ Actum, nempe diligendo Deum propter ſolam ſuam bonitatem, quin juſtificetur, quia non ſunt idem ſemper, ac univerſe diligere Deum propter ſuam bonitatem, aut diligere Deum ſuper omnia ſignate, vel exercite. Hoc eſt diligere Deum, *prout oportet*. " En tres ſpecies amoris divinæ bonitatis propter ſe amatæ, qui quamvis ſit intenſus ac conjunctus cum deteſtatione peccati admiſſi, & ſerio propoſito non peccandi de cetero, non ſufficit ad conſtituendam perfectam contritionem.

## CAPUT III.

*Tertia* Ratio, *quæ magnopere confirmat & auget prædictum dubium ſunt requiſita neceſſaria ad hoc, ut dolor de peccatis propter divinam bonitatem reipſa ſit perfecta contritio.*

I. UT dolor divinæ offenſæ propter ſummam Dei bonitatem ſit perfecta Contritio ultra *Supernaturalitatem* debet eſſe liber, & proxime & adæquate conceptus ex divina bonitate uti bona in ſeipſa, præſcindendo aliquo modo a noſtra utilitate. Et ulterius debet eſſe amor appretiativus ſummi Dei, non ſolum ſpeculative & ſecundum ſe, ſed pratice ac reduplicative ut in circumſtantiis ec. Et in hoc ſenſu intelligi debet, ait P. Ulloa d. 6. c. 2. n. 13. & 14. Illud quod communiter dicitur, quod ſufficiat dolor de peccatis elicitus ex Motivo divinæ bonitatis. „ Quapropter, inquit, frequens locutio, qua omnes utimur extra Scholam, nempe ſufficere dolorem de peccatis propter divinam bonitatem, intelligenda eſt in ſenſu, quem explicat ultima pars concluſionis n. 25. (diſp. 6. c. 3.) nempe debes intelligere amorem ornatum omnibus prædicatis. 1. Eſſe liberum libertate indifferentiæ. 2. Eſſe Supernaturalem. 3. Eſſe conceptum proxime adæquate ex divina bonitate ut in ſe ipſa bona, præſcindendo ab utilitate, & convenientia noſtra, ſaltem tanquam ab objecto Formali præſuppoſito neceſſario ad amorem illum. 4. Eſſe appretiativum illius non tantum ſpeculative, ac ſecundum ſe, ſed pratice, ac reduplicative ut in circumſtantiis tunc præſentibus ſuper omnia ſaltem, quæ juxta conſcientiam graviter obligantem ipſi poponi debent; quod addo propter peccatum veniale, cum quo conjungi valet perfecta Contritio de mortalibus. Quod ſi aliquod ex his abſit, ſcito Contritionem non eſſe perfectam, ideſt, imparem eſſe juſtificando per ſe præciſe peccatorem. "

II. „ Hæc tamen Contritio (ait ipſe P. Ulloa n. 14.) ultra eos tres Actus jam dictos diſ. 3. cum omnibus ſuis prædicatis importat eſſentialiter amorem Dei *Supernaturalem*, ac liberum appretiativum illius ſuper omnia ec. Sed non eſt amor appretiativus, qui remote ſolum, ac tamquam ex ultimo reſolutivo movetur ex divina bonitate etiam adæquate, & ut ſibi, & in ſe bona. Non enim qui proxime *utcumque*. Non qui proxime adæquate movetur ex divina bonitate *quomodolibet* ſumpta, non qui proxime adæquate movetur ex ea, ut in ſe bona, ſed qui proxime adæquate movetur ex Deo, ut in ſe bono pluris habendo pratice ipſum, ſive ſignate, ſive exercite quam cetera omnia, quæ juxta conſcientiam graviter obligantem eidem poſponenda ſunt. Confirmatur: omnis amor, qui non eſt appretiativus Dei ſuper omnia ſignate, ſive exercite, non eſt contritio perfecta, quoniam hæc intrinſece claudit illum amorem; ſed aliquis amor liber, & *Supernaturalis* Dei poteſt non eſſe appretiativus ejuſdem ſuper omnia, quia licet Deus dignus ſit, quem ſuper omnia æſtimemus, & licet hoc idem nos cognoſcamus, non ſemper facimus illud, quod cognoſcimus debere fieri. Unde ſicut ſolemus amare alia objecta, v. g. amicum, ſupellectilem, honorem propter intrinſecam bonitatem, qua pollent hæc objecta, quin tamen appretiemur illa ſuper cetera omnia; ita debilis noſtra voluntas poteſt amare Deum non propter aliud extrinſecum, ſed propter intrinſecam ipſius bonitatem, quin aſſurgat ad eum heroicum gradum dilectionis, ad quem aſſurgere debebat, nimirum appretiando Deum ſuper cetera omnia ec. Ergo ec. "

III. „ Dices (pergit Ulloa,) omnis Actus Charitatis Theologicæ eſt appretiativus Dei ſuper omnia: ſed omnis amor Dei propter ſolam intrinſecam ſui bonitatem eſt Charitatis Theologicæ; ergo ec. Major negari poteſt; quia de ratione Actus Charitatis Theol. ſolum eſt habere pro objecto proximo adæquato aliquid divinum in ſe bonum. Unde ſicut poteſt Actus habere hoc Motivum, quin vividus ſit intentione,





ne, aut duratione, aut arduitate, ita quin habeat appretiationem ſignatam, vel exercitam ſuper omnia; quia Actus habentes idem objectum Formale non ſemper ſunt pares quo ad omnia. Dicitur communiter Charitatem Theol. appretiare Deum *ſuper omnia*, quia communiter eſt ſermo de Actu *primario* Charitatis (quocum de Fide eſt non conſiſtere, nec ſimul compati reatum gravis culpæ, uti erronee intendebat Bajus Prop. 31. 70. & 71. a Gregorio XIII. proſcriptis,) *quo perficitur Contritio*. Poteſt item negari minor, quia Actus ille ſpectare poteſt ad amicitiam *Moralem* cum Deo, quæ amicitia non aſſurgat ad apicem Charitatis Theologicæ; ſicut enim amamus amicum amore benevolentiæ pure propter ipſius bonitatem, quin ad majora aſſurgamus, & tunc ille amor erit ſolius amicitiæ *Moralis*, & honeſtæ cum Deo; ſed non *excellentiſſimæ* illius amicitiæ, quam importat Charitas Theologica, & ad quam toties monemur a ſacra Scriptura. " Quod quidem ipſe jam animadverterat c. 1. d. 5. n. 18. dicens " tamerſi ſummitas illa bonitatis divinæ debeat præponi ceteris omnibus, ceterum, cum non ſemper faciamus, quod facere debemus, fieri poteſt, quod Intellectus agnoſcat illam divinæ bonitatis ſummitatem, & voluntas amet Deum propter illam, & tamen quod in propriam relabatur miſeriam, non appretiando illam ſuper omnes prorſus lætiſeras commoditates proprias: nam *video meliora, proboque, & deteriora ſequor*: ergo ſtat diligere Deum, quia eſt *ſumme bonus*, & *non diligere eum prout debetur ſummæ ejus bonitati*; nimirum illam præhabendo ceteris omnibus graviter illi oppoſitis: ſicut ſtat diligere Deum, quia bonum, & non diligere eum, quia ſumme bonum. Unde obiter habes ad Charitatem Theologicam juſtificando ſufficientem non ſufficere quod amor Dei *utcumque* habeat pro Motivo proximo adæquato divinam *bonitatem*, (& idem dicito de Fide, & Spe Theologicis,) ſed inſuper requiri talem *ſpecificam* proprietatem in amore ipſo, nempe quod ita tenaciter uniat voluntatem cum Deo, & hunc pluris æſtimet quam cetera omnia inſinuata. " Modo ſic. Si adeo timendum eſt, quando Actus ipſi Charitatis, & Contritionis ſupponuntur in ſe ipſis *Supernaturales* & *Infuſi*, quod reipſa non pertingant ad rationem *veræ* Charitatis, Fidei, Spei, & Contritionis, quanto magis timeri debet, ne ad eam rationem pertingat, tunc quando ipſimet ſupponuntur, ut ita dicam, *adhuc indifferentes*, ut ſint *Supernaturales*, & *Infuſi*, aut etiam mere *Naturales*, & *Acquiſiti*, de quibus merito ait Card. Cajetanus in 3. p. q. 85. ar. 5. & 6. „ Sciendum eſt, quod aliud eſt habere aliquem habitum electivum ſecundum rationem virtutis, v. g. aliud eſt habere *habitum amoris* acquiſitum ex frequentibus Actibus amandi Deum, & Proximum etiam ſecundum *regulas Fidei*; & aliud eſt habere *Virtutem Charitatis*. Habere virtutem charitatis eſt habere *Habitum Infuſum* dividentem Filios Dei a filiis perditionis: habere *Habitum Acquiſitæ Charitatis non* eſt habere hujuſmodi virtutem, quæ eſt donum Dei. "

## CAPUT IV.

*Roboratur prædicta Ratio quærendo*: Quid ſit Appretiatio Dei ſuper omnia?

I. LAudatus P. Ulloa cit. d. 5. c. 1. n. 20. & Card. de Lugo diſp. 5. de Pœnit. ſect. 2. n. 22. & 23. explicant Appretiationem Dei requiſitam ad veram noſtram Contritionem in hunc modum, „ Quid eſt entitative (quærit Ulloa) in ſeipſa atque ex parte rerum hæc *Appretiatio*? Sudant Theologi in explicatione hujuſmodi. Reſpondeo illam conſiſtere in Actu quodam, quo voluntas pluris æſtimet illud Formale objectum, quam reliqua omnia tunc occurrentia, & poſſibilia, confuſe ſaltem, atque in genere cognita formaliter, vel æquivalenter, & quæ juxta conſcientiam graviter obligantem poſponi debent illi objecto Formali, vel in Actu, in quo plus deteſtatur voluntas hoc objectum Formale (ſi ſit ex eis objectis, quæ movent per odium ſui) quam alia mala ſimilibus prædita qualitatibus, ita ut Actibus ipſis exiſtentibus prompta ſit voluntas ad carendum potius illis bonis, quam eo objecto Formali, vel ad ſubeundum potius hæc mala, quam illud objectum Formale. "

II. Card. vero de Lugo ait: „ Siquidem ad dilectionem Dei ſuper omnia, vel ad dolorem de ejus offenſa ſuper omnia non eſt neceſſaria comparatio expreſſa cum aliis objectis, quæritur, quid ſit illud, quod habet ille Actus, ratione cujus dicatur eſſe *ſuper omnia*, & habere Virtualem, & Implicitam comparationem? Reſpondeo hunc exceſſum, ſeu hanc Implicitam prælationem nihil aliud eſſe, quam *talem modum efficaciæ, & firmitatis*, qua voluntas fertur in ſuum objectum, qui modus optime declaratur exemplo Actuum Intellectus; nam in Actibus Intellectus invenimus hunc diverſum modum adhærendi magis vel minus firmiter ſuo objecto, quam firmitatem vocamus certitudinem judicii, hoc eſt firmam illam adhæſionem, qua Intellectus adhæret objecto per aſſenſum certum: nam licet per aſſenſum probabilem aſſentiatur etiam, & adhæreat abſolute illi objecto; non tamen firmiter, ſed cum formidine, hoc eſt taliter, ut ex ipſo modo aſſentiendi poſſit facile dimoveri ab aſſenſu. Quando aſſentitur certo, aſſentitur firmiter, & quaſi ex modo aſſentiendi immobiliter, & Virtualiter inſinuans ſe non poſse ab eo aſſenſu per contrarias rationes dimoveri. Nec tamen hæc certitudo, ſeu firma adhæſio eſt æqualis in omnibus Actibus, ſed major & minor; major enim eſt quando eſt evidentia metaphyſica, & major denique in aſſenſu Fidei, qui etiam poteſt ſuo modo dici ſuper omnia.

Habet enim Implicitam, & Virtualem prælationem, hoc eſt, talem modum aſſentiendi cum excellenti gradu adhæſionis, & firmitatis, ut oſtendat Intellectus nulla prorſus ratione ab eo aſſenſu ſe poſſe dimoveri. Hoc eodem modo ſe habet voluntas etiam ſic Actu abſoluto, quo vult aliquod objectum; aliqua enim objecta vult abſolute quidem, ſed infirma quadam, & debili adhæſione; ita ut ex ipſo modo adhærendi oſtendat ſuam formidinem, & quaſi promptitudinem ad diſcedendum facile ab eo objecto, ſi ſe offerat occaſio: alia vero amplectitur firmiter, ſed non omnia eodem gradu firmitatis, ſicut nec Intellectus aſſentitur eodem gradu certitudinis omnibus, quibus certo aſſentitur: quando ergo voluntas adhæret, & amplectitur objectum ſupremo illo gradu adhæſionis firmæ, & efficacis, qui reſpondet adhæſioni Intellectuali quo aſſentimur objectis Fidei, tunc ex ipſo modo firmiter omnino adhærendi oſtendit implicite ſe immobiliter adhærere illi objecto."

III. Ex quo ſequitur, quod *Appretiatio* Dei ſuper omnia in Actibus *Supernaturalibus* Charitatis, & Contritionis conſiſtit in illo *ſupremo gradu illius talis firmæ, & efficacis adhæſionis*, quarum noſtra voluntas per ejuſmodi ſuos Actus fertur in ſummam Dei bonitatem, implicite demonſtrans ſe immobiliter ei adhærere: & nullatenus, uti plures male putant, conſiſtit in majori *Intentione* prædictorum Actuum; quandoquidem, ut obſervat in ſignis hic Theologus cit. l. n. 13. dicens „ Conſtat poſſe eſſe amorem intenſum ſine exceſſu ( appretiativi ſuper omnia; ) quia ille amor, qui non erat appretiativus poteſt intendi circa idem objectum: Non ergo habebit per gradus ſuperadditos *Appretiationem*, quam non habebat per priores, immo ſimplex *complacentia* ſiſtens intra perfectionem complacentiæ ſimplicis poteſt eſſe intenſa; quia gradus ſuperadditi non faciunt eam eſſe amorem *abſolutum*, nec reſpiciunt objectum alio modo; ſic etiam amor abſolutus imperfectus poteſt intendi, & manere intra rationem amoris imperfecti.....in quo omnes conveniunt."

III. Confirmatur hucuſque dictum ex ratione a nobis alibi; & a cit. Ulloa t. 3. d. 2. c. 1. n. 23. & 24. indicata, dum ait „ Igitur Fidei, Spei, & Charitatis ( quod æque de Actu Contritionis dici debet ) Actus trifariam poſſunt eſſe perfecti. 1. Perfectione *objecti Formalis*, quatenus habeant pro objecto Formali id, quod revera eſt objectum Formale illius. 2. Perfectione *Motionis*, quatenus proxime, plene ac totaliter moveatur ex illo. 3. Perfectione *Univerſalitatis* quatenus ſignate vel exercite ob ſuum ardorem, efficaciamque appretiativam repellant omne graviter oppoſitum ei objecto ec. Ceterum illæ duæ ſpecies perfectionis, nimirum objecti Formalis, & Motionis ex illo per ſe præciſe non ſufficiunt, ut Actus Charitatis ſit Virtualiter deteſtatio omnium læthalium, neque ut aſſenſus Fidei Theologicæ ſit Virtualiter aſſenſus omnium articulorum; & peccator in ſenſu compoſito ſui peccati poteſt habere Actum perfectæ Charitatis perfectione ſolius Motivi, & Motionis ex illo ( quare, ait, ne blandiatur quis ſibi de Statu gratiæ, eo quod ſibi videatur diligere Deum pure, & præciſe propter ipſius abſolutam bonitatem, ſi non diligat eum ſuper omnia univerſalitate ſignata, vel exercita: hæc enim eſt perfectio illa, de qua Tridentinum loquitur; nempe, quæ ſignate, vel exercite excludit omnem voluntatem graviter peccaminoſam; non vero illa altera perfectio gracilis, tepida, & imperfecta; ) & ſimiliter Hæreticus poteſt in ſenſu compoſito hæreſis ſuæ credere Articulos alios Actu Fidei Theologicæ perfectæ perfectione *Solius Motivi, & Motionis* ex illo: quorum rationem ſæpe dedi. Nimirum ad hujuſmodi Actus non concurrere ſolum objectum Formale, & de hoc identidem monendi ſunt Adverſarii, ſed multa alia ec."

IV. Modo ſic: quis non videt in primis quanta falſitate poſſit unuſquiſque noſtrum deficere in ponendo aliquo ex prædictis requiſitis, & ſimilibus prædicatis conſtitutivis veræ Fidei, Spei, & maxime Charitatis, & Contritionis, utpote quæ vires *Naturales*, & *obtutus* noſtros omnino excedunt, fugiuntque ſicuti lect. 16. obſervat cit. Sotus dicens „ Quod ſi in re aliqua dubium eſſe poteſt, id maxime erit in *dilectione Dei*, utpote rei *tam longe a nobis diſtantis, & tam ſublimis*." Secundo quam facile nos decipi poſſe judicantes Deum ſuper omnia a nobis appretiative amari, & propter ſublime Motivum ejuſmodi amoris pœniteri, *ut oportet*, cum primum aut ſecundum conatum ponimus, ut eos Actus eliciamus, & tamen in rei veritate res longe aliter ſe habeat coram Deo. Tandem cuilibet patet, quo jure dixerimus plus arduum ac contingens eſſe quam vulgo opinantur homines elicere Actum veræ Contritionis ad 1. vel 2. conatum a nobis poſitum ( quamvis libenter fateamur, quod ſi detur; at *hoc opus, hic labor eſt!* debita cooperatio divinæ gratiæ eum elici ab omnibus poſſit; ) non ſolum ob *genericam* rationem *Supernaturalis*, ſed etiam *ſpecificam* ejuſmodi Actus, & maxime ob *requiſita*, ex quibus dependet, ut ſit, *ut oportet*.

## CAPUT V.

*Quarta Ratio a poſteriori quidem, ut ajunt, ſed quæ maxime dubium reddit, quod Actus Contritionis communiter eliciatur ad 1. vel 2. conatum a Pœnitentibus poſitum ad eum eliciendum, eſt raritas, qua elicitur ab eiſdem.*

I. VErus Charitatis, vel Contritionis Actus ab omnibus fidelibus cum divina gratia elici poteſt, ( 1 ) & poſita ſua ipſorum ſufficienti cooperatione ab eis profecto elicitur; & aliunde ab iiſdem fere omnibus ſæpius in vita, vel certe in morte præſtatur ſolita diligentia aliquorum conatuum ad ejuſmodi Actus rite concipiendos. Sed prædicti Actus a paucis eorum eliciuntur *ut oportet*. Ergo dicendum eſt, quod eoſdem elicere ſolita illa Fidelium diligentia unius, vel alterius conatus, *ut oportet*, ſit plus difficile & contingens, quam vulgo exiſtimatur. Hæc conſequentia videtur legitima, Major quoad 1. partem eſt certa; quia quamvis uti in de gratia p. 3. l. 12. c. 2. n. 21. ait Suarez „ Poteſtas liberi arbitrii indigeat auxilio efficaci, ut converſionem ſeu diſpoſitionem ſufficientem ad recuperandam Gratiam efficiat, & hæc gratia efficax ad reſurgendum a peccato non ſit promiſſa omnibus ſemel juſtificatis, qui gratiam perdiderunt, neque omnibus de lege ordinaria detur," nihilominus nulli, qui repentina morte non pereat, maxime ſi ille divina gratia adjutus *faciat, quod in ſe eſt*, Deus denegat gratiam ſufficientem ad veram Pœnitentiam agendam.

II. Id eſt, Deus non denegat gratiam ſufficientem, quæ quidem dat poſſe, & velle in Actu primo, ad hoc ut cooperatio voluntatis elevatæ per gratiam adjuvantem, illam reddat efficacem etiam in Actu ſecundo, uti cum ſchola Jeſuitarum v. g. n. 21. ait vel ipſe doctiſſimus Ferraris „ Juxta illud, quod colligitur ex 2. ad cor. 6. ubi Apoſtolus clamat nobis, ne in vacuum Gratiam Dei recipiamus ibi: *Exhortamur vos ne in vacuum Gratiam Dei recipiatis*: quibus verbis videtur clare monere, ut demus ( in actu ſcil. ſecundo, ſiquidem in Actu primo gratia illam habet ex ſe ipſa ) efficaciam gratiæ, adeoque pendet a *cooperatione noſtra*, non quidem nuda, ſed elevata per gratiam adjuvantem, & hoc eſt conforme Concilio Tridentino, ſeſſ. 6. c. 4. ubi aſſeritur eſſe in poteſtate liberi arbitrii *conſentire*, vel *diſſentire* vocationi: ſic enim liberi arbitrii cooperatio reddit gratiam efficacem; & concordat ratio, quia non alia ratione gratia in actu ſecundo dicitur *efficax, niſi quia voluntas conſentit*: & non aliunde eſt *inefficax, niſi quia voluntas diſſentit*." Et uti tr. 4. in Joan. ſupponit D. Auguſtinus dicens: „ Quia agis aliquid voluntate, ideo & tibi aliquid tributum eſt, ut dicas ſicut in Pſalmo, *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me: ſi dicis, Adjutor meus eſto, aliquid agis, nam ſi nihil agis, quomodo ille adjuvat?*" Nemini igitur in hoc ſenſu Deus denegat gratiam ſufficientem. Cum verum ſit illud Apoſtoli Petri ep. 2. c. 3. quod Deus „ *non vult aliquos perire, ſed omnes ad Pœnitentiam converti*." Et hæc eſt communis TT. Sententia apud Suareſium de Triplici Virt. Theol. diſp. 12. ſect. 4. n. 13. ubi ait „ Sicut Deus propter bonitatem ſuam non poteſt eſſe Auctor peccati, nec denegare auxilium neceſſarium ad non committendum peccatum, ita non poteſt eſſe Auctor ut homo pro aliquo tempore maneat in ſtatu peccati, nec de ſe negare auxilium ad mutandum talem ſtatum, *ſi per hominem non ſteterit*: ut eſt communis doctrina." Et quia aliter inquit Angelicus 3. p. q. 86. ar. 1. „ Vinceretur enim quodam modo Deus ab homine, ſi homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet." Unde ex parte Dei non provenit quod noſtram ſalutem non obtineamus. Quoad 2. vero partem prædictæ majoris, quod ſcilicet ab omnibus fere Catholicis præſtetur ſolita quædam diligentia paucorum conatuum ad veram Contritionem concipiendam, patet ab experientia quotidiana.

III. Jam vero 1. pars minoris, quod ſcil. prædicti Actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis maxime a paucis in vita *ut oportet* eliciantur, ſatis manifeſte evincitur ex eo, quod in Fide, Contritionibus, ſeu Converſionibus maximæ partis Fidelium ad meliorem frugem, minime conſpiciuntur effectus illi, qui in ſeqq. textibus deſcribuntur. „ *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas* ec. *Qui ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum concupiſcentiis ſuis. Declarat S. Synodus Contritionem non ſolum ceſſationem a peccato continere, ſed etiam veteris vitæ odium, & novæ vitæ propoſitum, & inchoationem juxta illud Ezechielis 10. Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum* ec. *Juſtificati, & amici Dei facti renovantur de die in diem de virtute in virtutem euntes; mortificando membra carnis, & exhibendo ea arma juſtitiæ in ſanctificationem*." Quod autem Actus veræ Contritionis a pauciſſimis in morte eliciatur ( quæ eſt 2. pars ejuſdem minoris ) eſt legitima conſequentia communiſſimæ ſententiæ Patrum, Interpretum, ac Theologorum ad textum Matt. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*, loquentem ut ex contextu patet, de Chriſtianis adultis. „ Sententia communior eſt ex Chriſtianis plures eſſe reprobos, quam prædeſtinatos. Quod aperte affirmat D. Gregorius... D. Auguſtinus ec. & expoſitores communiter circa illa verba: *Multi ſunt vocati* ec. & circa Parabolam de ſemente, cujus tantum quarta pars fructum attulit Luc. 8. Rationes ſeu ſigna hujus exceſſus ſumuntur ab experientia, & uſu quotidiano, & propenſione ad pravos mores. Nam ſine dubio plures ex Chriſtianis male vivunt, & raro perſeverant in ſtatu gratiæ, & veriſimile valde eſt, ita mori, ſicut vivunt."

IV. Huic teſtimonio Eximii Doctoris de Deo l. 6. c. 3. & de prædeſt c. ult. addito illud do-

( 1 ) *Nam, ut ait Auguſtinus*, " Nihil eſt tam arduum, quod Deo adjuvante planiſſimum non fiat."

doctiſſimi Interpretis A Lapide ad c. 2. v. 15. ep. Jacobi „ Plures, ait, ex Chriſtianis adultis damnari quam ſalvari, ſuadere videntur & *Ratio*, & *Auctoritas*. Ratio 1. eſt; quia longe plures fuere damnati tam in ſtatu Legis *Naturæ* .....quam in ſtatu Legis *Moyſaicæ* ec. 2. quia longe major pars Chriſtianorum vivit in ſtatu peccati mortalis, & juxta regulam *S.* Auguſtini, *ſicut quis vivit, ita & moritur, & vice verſa*. Dices; omnes ſuſcipiunt Sacramenta in fine vitæ. Reſp.... Ex iis, qui ea ſuſcipiunt, *multi ea male ſuſcipiunt*, ac proinde peccata non expiant: multi enim laborant ignorantia craſſa Articulorum Fidei, quos *Explicite, & credere tenentur* æque ac Sacramentorum. Ac præſertim ignorant efficax Propoſitum abſtinendi a peccatis requiri, ut quis ſit capax abſolutionis, & neſciunt quam fortis, & conſtans reſolutio animi requiratur, ut propoſitum cenſeatur eſſe abſolutum & efficax ec. Denique multi, eſto, ſciant Propoſitum efficax requiri ad abſolutionem tamen illud procurare, & habere non ſatagunt, ſed habere ſe ſimulant, immo ſibi ipſis falſo perſuadent. Eſt enim Propoſitum hoc ſerium *res ardua, ſublimis, & difficilis*. Multi autem nolunt vim ſibi adhibere, & ad rem tam arduam totis viribus commiti ec. Porro multos carere hoc ſerio propoſito colligitur ex variis indiciis. 1. Eſt, quod propoſitum *obiter ſemel eliciunt* ec. Atque concionatores ſæpe *hoc non docent, non explicant, non inculcant*; ſed communem tramitem explicandi Evangelia ſequuntur, peccatoribus commendant Paſſionem, Miſericordiam Dei ec. “

V. Et idcirco jure optimo Sanctiſſimus ac Sapientiſſimus Ven. Card. Bellarminus controv. de Pœnit. l. 2. c. 11. ait „ Utiliſſimum eſt peccata ſingula amariſſime, & longo tempore ita deflere, ut contritio non ſolum *Appretiative*, ſed etiam *Intenſive*, & *Extenſive*. ut ſic loquamur, *ſumma* dici poſſit. Hanc propoſitionem ſatis nobis perſuadent exempla, & cohortationes Sanctorum ec. Quæ quidem non eo ſolum toto animo amplectenda ſunt, quod, uti diximus, Contritio eo ſit utilior, quo eſt major: ſed etiam quia periculum eſt, ne homo ſe ipſe fallat; & dum ſe ad acrem, & intenſam Contritionem excitare non ſatagit, revera ne appretiative quidem toto corde crimina deteſtatur. “ Et Angelicus 3. p. qu. 3. art. 1. ait: „ Contritio ex parte doloris, qui eſt in ratione ſcilicet, quo peccatum diſplicet, in quantum eſt offenſa Dei, non poteſt eſſe nimia; ſicut nec amor Charitatis, quo intenſo talis diſplicentia intenditur, poteſt eſſe nimius: “ Et q. 89. ar. 2. adjungit: “ ſecundum quod motus liberi arbitrii in Pœnitentia eſt intenſior, vel remiſſior, ſecundum hoc Pœnitens conſequitur majorem, vel minorem gratiam. Contingit autem intenſionem motus Pœnitentibus quandoque proportionatam eſſe majori gratiæ, quam fuerit illa, a qua ciciderat per peccatum, quandoque autem æquali, quandoque vero minori. “

# DISSERTATIO III.

Senſus celebriorum Confeſſariorum, Aſcetarum, & ſacrorum Oratorum ſatis indicat nulla probabilitate dici poſſe Actum Contritionis, *ut oportet* elici ſolere ad primum, vel ſecundum conatum a Pœnitente poſitum ad eum concipiendum. Et deducuntur aliqua ex dictis.

## CAPUT I.

*Adferuntur aliquot textus ad rem facientes.*

I. P. Bourdalove cogit. ſuper div. puncta, punct. 1. de Sacr. Pœnit. loquens de innumerabili multitudine Pœnitentium, ait: „ Nos Confeſſarii ipſos interrogamus, utrum ſint diſpoſiti; hoc eſt, ſi ſint inprimis vere contriti? Si habeant ſincerum dolorem de peccatis, de quibus ſe ſe accuſant? Ipſi indubitanter reſpondent, quod ita credant; aſt ingenue loquendo ita ne rationabiliter credunt? Et quomodo de hac re ſibi perſuadere poſſunt? Quandoquidem in quo ſtat hic ſincerus dolor? In eo certe conſiſtit, quod ſit quædam *plena cordis mutatio*: ita ut cor reipſa abſtrahatur ab illorum objectorum amore, quæ ipſi antea in deliciis erant. Neceſſum eſt, quod ex vi *ſupernaturalis Doloris* odio ſumme habeatur illud idem, quod antea *vehementer amabatur*: neceſſum eſt, quod *cor in novum cor immutetur*. Aſt quid heroici non ſupponit ejuſmodi mutatio? Quale Sacrificium? Quam victoriam? At hæc victoria poterit ne eſſe fructus cujuſdam *ſuperficialis momentaneæ reflexionis*, vel *paucorum verborum frigide, & veluti caſu prolatorum* (quod nos dicimus ponere unum, vel alterum conatum ad Contritionem) &c.? Hoc poſito, dicet aliquis, ergo multæ Confeſſiones ſunt *nullæ*. Reſpondeo, *ita eſſe, & in hac re vix auſim dicere totum id, quod ſentio &c.* Inſumendum ne erit longum temporis ſpatium a Pœnitente in ſe diſponendo ad abſolutionem? Reſp. inſumendum eſſe tantum, quantum opportunum fuerit, ut Pœnitens de hoc melius edoctus judicet moraliter ſe eſſe contritum ac diſpoſitum “.

II. P. Pinamontius Lect. ad 1. Exercit. Spirit. diem inquit: „ In primis qui peccant in confidentiam Confeſſionis futuræ communiter ignorant, quid ſit Confeſſio. Videtur quod exi-





ſtiment, quod Confeſſio aliud non ſit, quam peccata Confeſſario patefacere abſque eo quod nihil celent, omittantve. Hinc eſt, quod ipſorum, aliorumque plurium diſpoſitio ad Confeſſionem in alio non conſiſtit, quam in redigendo in memoriam exactiſſime numerum peccatorum. Verum enim vero ſi ejuſmodi diligentia ſatis eſſet, ut reconciliatio cum Deo obtineretur, *Cœli via arcta minime eſſet*, ut dicit Evangelium, *ſed foro ipſo latior illa eſſet*. Nam ubi eſt, quæſo, decantatus labor in accurate referendis propriis peccatis Confeſſario, dum teneris ab unguilis ad hoc aſſuefacti ſumus? Certe, ſi hoc ſufficeret, imprudentiores inter peccatores illi ſcilicet, qui in circulis ſociis, & amicis ea libentiſſime narrant, reputandi erunt melius diſpoſiti ad veram Confeſſionem faciendam. Non ſufficit ergo ad perfectam Confeſſionem omnia peccata ſcrupoloſiſſima ſollicitudine fideliſſime enarrare, ſed requiritur, quod totum hoc negotium ex Contrito corde oriatur. Confeſſio igitur proprie accepta vult dicere ad Deum converti, & ideo quamvis requiratur peccatorum manifeſtatio, ut Confeſſarius Pœnitentem abſolvere poſſit, hæc tamen ſola minime ſufficit, ſed requiritur inſuper verus peccatorum dolor, qui ſequentes habeat conditiones. 1. Quod ſit *ſupernaturalis*. 2. Quod ſit *ſummus*. 3. Quod ſit *efficax &c.* Inſuper hic adnotandum eſt, quod hæc vera Contritio provenire debet ex divina Gratia, & eſt donum Dei gratuitum, & ſpecialiſſimum, quod omnibus non datur; eſt donum omnium, quæ nobis divina bonitas impertiri poſſit pretioſiſſimum, opus divinæ Omnipotentiæ maximum. Igitur probabilene erit, quod Deus ſubito illum dolorem, & quidem toties quoties utcumque illum vultis, vobis (ad primum ſcilicet, vel ſecundum ſimplicem conatum ad eum eliciendum poſitum) concedere debeat? Probabile ne erit, quod vobis ſubito, & quidem ad *nullam*, vel *fere nullam* veſtram diligentiam concedat hanc ſummam Gratiam, ac pretioſiſſimum donum, quod ipſemet quotidie denegat innumeris a ſe in impœnitentia (vel, quod idem eſt, in falſa pœnitentia) miſere relictis? Donum pro quo obtinendo ſancti tot corporis afflictationibus, tot lacrymis, tot meditationibus, tot repetitis conatibus, tot precibus ſe diſpoſuerunt. Donum pro quo obtinendo ad annuam ſuam generalem Confeſſionem S. Carolus Borromæus ultra plures hebdomadas in Exercitiorum Spirit. S. Ignatii meditationibus expenſis, ante Confeſſionem ipſam ſpatium *octo horarum in eliciendis* actibus Contritionis impendebat “.

III. P. Segneri in Introd. Pœnitentis Inſtr. ait „ Mirum eſt, quam apertum bellum dæmon indixerit adverſus hoc principaliſſimum Sacramentum, ut peccatoribus ſcilicet perſuadeat illo non tantum uti, quam abuti. Certum enim eſt, quod S. Thereſia dicere ſolebat: *Infernum perpetuo repleri animabus ob ſacrilegas Confeſſiones*; & ſcribens ad quemdam ſacrum Oratorem, ei præbuit hoc monitum: *Pater, ſæpe prædicato adverſus Confeſſiones ſacrilege factas, quia nullus alius diabolo eſt commodior laqueus ad animas frequentiſſime irretiendas quam hic ſolus*: Fateor hoc dictum hujus ſapientiſſimæ virginis olim in me admirationem ingentem excitaſſe. Sed diuturna experientia in Miſſionibus acquiſita me poſtea clare edocuit nihil illam per exaggerationem dixiſſe. Quamplures peccatores ſibi maxime blandiuntur in eo ſcilicet, quod ſæpius peccatorum Confeſſiones inſtituerint, minime advertentes, forſan nullam ex illis validam fuiſſe. Unde huic fallaci ſuppoſito innixi miſere pereunt &c. Non diſſuadet dæmon omnino hominibus Confeſſionem (immo addi poteſt ipſum quandoque curare, ne ſceleratiſſimi quidam ſine illa diſcedant, ut ſic melius alios ad peccandum alliciat ſpe ſimilis fallacis converſionis ſub finem): ſed operam dat, ut nunquam eam bene ſeu valide faciant, ut nunc neceſſarium examen omittatur, nunc de vero dolore, ac propoſito parum curetur, nunc denique, quod alia requiſita (puta prævii Actus Fidei, & Spei) parvi fiant. Quiſquis iſtis Confeſſionibus innitetur illius ruina irreparabilis eſt &c. “ Et c. 6. illius opuſc. addit: „ Intolerabilis eſt ille peſſimus fidelium mos, qui totam in examinanda conſcientia curam apponunt, & poſtea circa dolorem de propriis peccatis *incurioſiſſimi*, ad Confeſſionis Sacramentum tanquam optime diſpoſiti ſecuri accedunt. Quid prodeſt commiſſa delicta Confeſſario fideliter exponere, ſi deſit ille dolor, qui ea deſtruat, ac diluat? ſeu, quod idem eſt, ad quid ſervit illa Confeſſio, cui certo deeſt eſſentialior pars, qualis eſt verus dolor ſupernaturalis de peccatis? &c. O te beatum, ſi talem elicueris Contritionem in vita! Sed multo magis beatum, ſi in mortis puncto ejuſmodi dono præventus fueris ec. “ Tandem c. 8. adjungit. „ Narrat Carthuſianus cuidam pio Religioſo Purgatorium inviſenti, ſecumque miranti, cur adeo pauci Sacerdotes præ illis, qui eas admittunt, impudicitias illis flammis expiarent, reſponſum fuiſſe: *Ne mireris, fili, quia vix eſt ex iſtis* (& idem eſt de aliis ejuſmodi vitio deditis), *qui eliciat veram Contritionem. Unde defectus doloris, ut oportet, & propoſiti in ſuis Confeſſionibus non veniunt in Purgatorium, ſed recta ad inferos pergunt*: “ Addit Carthuſianus „ *Ideo ibi erant pauciſſimi, quia vix aliquis talium habet veram Contritionem; & idcirco pene omnes hujuſmodi æternaliter damnantur* “.

IV. Piiſſimus Claus in Spicilegio Catech. p. 3. concept. 9. §. 3. n. 11. ait: „ Sciendum eſt, quod ſicut nullus peccator vere pœnitens unquam a miſericordia Dei rejicitur; ſic nullum peccatorem ex toto corde (*ſupernaturaliter* ſcilicet & *ut oportet*) converti poſſe, niſi Deus illum ad ejuſmodi converſionem ſua miſericordia adjuvet. Contrarium aſſerere eſt manifeſta hæreſis contra illud, quod clariſſime ſacræ innixa Scripturæ tradunt Concilia: ratio eſt, quia vera Pœnitentia quoad ſubſtantiam, & quoad Motivum ſuum debet eſſe *Supernaturalis* ec. Unde ſequitur neminem poſſe pœnitere, compungi, & ex ani-

mo converti, niſi Deus ex ſua liberalitate hoc ei largiatur. Atque hoc eſt, in quo potiſſimum allucinantur peccatores, qui non aliter de Pœnitentia ſub mortis tempus exercenda loquuntur, tamquam ſi hæc ex ſolo illorum arbitrio penderet. Non eſt ita ec. Id quod efficit bonum velle non eſt ſola voluntas noſtra, ſed ſimul voluntas, & Deus, quin potius Deus, quam voluntas ec. Audiamus Auguſtinum in Pſ. 128. *Homo eſt idoneus ad caſum ſuum, non eſt idoneus ad reſurrectionem ſuam: ſemper in profundo eſt, niſi liberetur* ec. Duo inſuper notanda ſunt: primum eſt, quod Deus citra injuriam poſſit gratiam in articulo Mortis neceſſariam ad rite pœnitendum negare: alterum eſt, quod eam communiter iis neget, qui extremam mortis horam expectant. Prima veritas, quod Deus gratiam ad pœnitendum *efficacem* negare poſſit, eſt manifeſta; quia gratia eſt, prout loquuntur Scholaſtici, *prorſus gratuita*, quam nemo hominum de *condigno* mereri poteſt, & conſequenter quam peccator nec de *congruo* meretur, utpote cui Deus nihil aliud debet niſi pœnam. Alteram veritas, quod Deus hanc gratiam communiter iis neget, qui Pœnitentiam ad ultimum mortis tempus rejiciunt, colligitur ex Scriptura, in qua invenitur quidem, quod Deus invitet ad Pœnitentiam, & veniam offerat, ſed nunc in præſenti, *Nunc tempus acceptabile*, *nunc dies ſalutis*, ait Apoſtolus 2. ad cor. 5. Non autem legitur, quod eamdem offerat poſt moram dierum, menſium, & annorum; quin immo in procraſtinatores fulminat terribiles minas. Audiamus quomodo loquatur in Prov. c. 1. " *Tunc invocabunt me, & ego non exaudiam: mane conſurgent, & non invenient me, ec.* „ Similia habentur apud Michæam, Sophoniam, Ezechielem & alibi. Neque putes has minas rariſſime ad effectum deduci toties enim & toties effectui dantur, ut inde commotus S. Auguſtinus apud Segneri p. 3. diſ. 1. n. 13. exclamet: *Magnum eſt, cui Deus tunc inſpirat, ſiquis eſt, Pœnitentiæ remedium.* "

V. Tandem duo Apoſtolorum Principes, Petrus, dum peccatum ſuum licet remiſſum adeo amare quotidie deflet, ut dicere potuerit cum Davide, *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: per ſingulas noctes lacrymis ſtratum meum rigavi. Anni mei in gemitibus*: & dum ait " *Fratres, magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*. Et Paulus, dum ſcribit: *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini. Timeamus, Fratres, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus ec. Sic currite, ut comprehendatis. Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*, & ſimilia, Fidelibus inculcat ſollicitudines, diligentias, timores, & tremores pro ſua ipſorum ſalute obtinenda, & pro reprobatione evadenda. Quæ omnia ſane vana, immo & ridicula profecto eſſent, ſi ea facilitate, & ſecuritate, de quibus ſibi ad eo blanditur Adverſariorum Theologia, ipſi Fideles elicerent Actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis *Supernaturales, ut oportet*. Quibus nullo negotio propriam ſalutem in tuto collocarent. Proh quale dictum! Bone Deus! Vas electionis Paulus ſibi tantopere timet, de æterna ſua ſalute adeo ſollicitus ac tremebundus ait: *Ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*. Et quidem tunc cum ſe ſe omnis generis perſecutionis, & periculi exponens Evangelium Dei nationibus annuntiat, & nomen Jeſu coram gentibus & Regibus portat; & e contra maxima Chriſtianorum pars mundanis negotiis unice occupata, deliciis ingenioque liberaliter indulgens, & quod pejus eſt, graviſſimis, vixque interruptis ſceleribus ad mortem uſque immerſa, de propria ſalute vivit *ſecuriſſima*, fruiturque imperturbabili pace, quam a nullo abſque nota ſummæ imprudentiæ aliquantulum exturbari patitur.

VI. Unde, quæſo, tam diverſa cogitandi, atque agendi ratio emerſit? Ignorabat ne Gentium Doctor infinitam eſſe Dei Miſericordiam, atque ad delenda quæcumque peccata, obtinendamque beatam æternitatem, abſque tot angoribus, ac incommodis ſatis, ſuperque eſſe Actum Charitatis, vel Contritionis perfectæ, vel ſaltem imperfectæ cum Sacramento Pœnitentiæ elicere? Aut forte vehementiori imaginationis vi abreptus in vanum ac excedentem metum tranſiliit? Aſt blaſphemia eſſet horribilis tantum Doctorem ſpiritu Dei plenum (& quidem poſtquam raptus in paradiſum *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*) ſuſpicari veræ Theologiæ ignarum, aut in ejuſmodi illuſione incurſum. Quapropter concludendum videtur ſummum hunc Theologum atque Aſcetam non ſatis perſuaſum fuiſſe de veritate Theologiæ de *ſufficientia Fidei, & Spei Virtualis Exercitæ & Implicitæ*; ac de *ſumma illa facilitate, atque ſecuritate eliciendi Actum Charitatis, aut Contritionis ad unum, vel alterum, vel certe ad paucos conatus a Pœnitente poſitos ad ejuſmodi Actus eliciendos*. De qua facilitate, ac ſecuritate tantopere ſibi ad ſuam ipſorum ruinam blandiuntur impii. Nec mirum, cum ut dicitur Prov. 2. *Doctrina ſtultorum fatuitas*. Quod tandem confirmari poſſet ex eo ſcilicet, quod narratur accidiſſe illi ſervo Dei, qui dum, ut erat ſolitus, quadam die peccata ſuæ prioris ætatis amariſſime deflens quadraginta Actus Contritionis elicuiſſet, reputans omnes, & ſingulos *Supernaturales*, ac extimo corde profectos, divina revelatione poſtea comperit ex ipſis quadraginta Contritionis Actibus *unum* tantum verum, ac *ut oportet* extitiſſe. Certe vere pœnitentes, ſi cum turba falſorum conferantur, adeo pauci videntur, ut a Propheta vix inter eos invenirentur. „ Attendi, & auſcultavi: *Nullus eſt, qui agat Pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci?* "





## CAPUT II.

*Deducitur I. quam ſit diſtorta ac perverſa, inſimulque perniciosa Pœnitentiæ idea, quam ſibi formare ſolent plurimi e Fidelibus, dum ſibi dicere audiunt* „ Neceſſum eſt unum Contritionis Actum elicere; ac peccata Confeſſario aperire, ut ſalus æterna in tuto collocetur ".

I. HI nimirum cum ejuſmodi vel ſimilibus verbis a concionatoribus ſibi inculcare audiunt peccatorum *Pœnitentiam*, & veram ad Deum *Converſionem* nihil aliud ſane intelligunt, quam quod ſibi neceſſarium ſit recitare ſemel, aut iterum aliquam Formulam Actus Contritionis cum illa *Naturali* diſplicentia ac dolore, quem ſecum neceſſario affert peccaviſſe, & inſimul peccata omnia minutiſſime Confeſſario aperire. Unde ſibi perſuadent, & quidem non inconſequenter (nam quis eſt qui facillime, immo neceſſario *ejuſmodi Pœnitentiam* non agat ſaltem in morte?) quod verus Actus Contritionis eadem *ſecuritate*, ac *facilitate*, qua cum recitatur *Oratio Dominica*, vel *Salve Regina*, eliciatur. Ex hiſce tam falſa perſuaſione, tamque perverſa idea de Pœnitentia juſtificante fit. 1. Ut contenti vivant, & moriantur *Pœnitentia minime juſtificante*. Et ex iiſdem deducant pernicioſiſſima Effata ſuorum morum regulatricia. Quorum 1. hoc eſt „ Quod cum Deus ſit adeo Miſericors, quod ad primam pectoris percutionem, qua vel ſceleſtiſſimus quiſque ſe peccatorem confitens, ſibi veniam oret, eidem peccata illico ſecure condonet, Chriſtianus, abſque gravi periculo amittendi paradiſum, poſſit ingenio indulgere, cupiditates ſuas explere ". Ac ſi Deus ob id quod eſt miſericors, non ſit æque juſtus, aut debeat immutare immutabilia ſua decreta non condonandi niſi peccata vere, &, *ut oportet*, pœnitentium. Et ac ſi non obſtante ſua ipſius Dei infinita miſericordia quotidie ſuppliciis æternis juſtiſſime non adjudicet tot millia animarum Fidelium, & infidelium eodem pretioſo ſanguine redemptarum.

II. Et quorum 2. eſt hoc aliud „ Non multum curandum eſſe, ut peccata, vel graviſſima ſcelera evitentur, & ut poſt admiſſa deleantur, intra ſe dicentes: ſi peccata committo, ſufficit mihi de eis Pœnitentiam agere; id eſt, Confeſſionem facere vel Actum Contritionis elicere ". Unde fit, ut nullus ex his aſſequatur emphaticam energiam, qua Deus ipſos admonet dicens: „ *Fili, peccaſti? Ne adjicias iterum, ſed de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur* (quamvis, ut animadvertit, Suarez de gratia par. 3. lib. 9. cap. 9. num. 19. „ Spiritus Sanctus in his ultimis verbis nobis ſignificet, eum, qui peccavit, ſemper eſſe debere ſollicitum obtinendæ remiſſionis ". *Fratres, magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*. Et maxime per replicatam Contritionem de peccatis, quæ ſemper eſt Deo grata, ut ait Catechiſmus Rom. loc. cit. „ Nam cum pleraque alia pietatis ſtudia . . . . hominum culpa, a quibus proficiſcuntur a Deo interdum repudientur, ipſa Contritio numquam illi grata, & accepta eſſe non poteſt ". Præterquam quod hæc eadem Contritionis repetitio, cum ſit unum replicatum odium, & quaſi continuata deteſtatio peccati admiſſi, cuilibet ſummam utilitatem afferret ad evitandum in poſterum peccata, non ſolum quia, ut ait Ambroſius lib. 1. de Pœnit. cap. 10. „ *Dum dolemus admiſſa, admittenda excludimus, & ſit quædam de condemnatione culpæ diſciplina innocentiæ* "; ſed etiam quia ſecurius ſic quiſque recuperabit, & multiplicabit in ſe gratiam ſanctificantem, & cum ipſa ſibi majora auxiliantis gratiæ acquireret præſidia.

III. Unde ſit etiam, quod terribiliores Catholicæ Fidei veritates in ſe validiſſimæ ad continendum in officio vel audaciores ſummo animarum damno careant hoc ſalutari effectu. Nam invehat ſacer Orator omni vocis, animique contentione contra omnium ſcelerum reos, eis poſt mortem vel immaturam, vel ſubitaneam æterna, niſi reſipiſcant, terribiliſſima annuntians ſupplicia, & ecce tibi ex iſtis alius intra ſe ait: „ *Illorum ſuppliciorum ac ſcelerum reus revera fui & ego, aſt non eſt cur amplius Dei gratia timeam; ea ſcelera jam confeſſus ſum, juſtus ſum* ". Alius vero inquit „ *Omnium horum reus ſum, ſed non eſt cur tantopere bonus hic mihi, meique ſimilibus ſuccenſeat, adeoque graviter in nos commoveatur: ac ſi omnes catholici non eſſemus perſuaſiſſimi de neceſſitate Pœnitentiæ* (1) *ante mortem. Nec eſt cur timere debeam. Cum ea confiteri velim ſaltem in morte*, neque iſta ſolet eſſe adeo ſubitanea, ut locus non ſit ad obtinendam Abſolutionem conditionatam, vel ſaltem, quod ſufficit, ad ſemel dicendum cum Davide „ *Peccavi Domino* „. Ac ſi illud, *peccavi Domino*, Davidis pœnitentis fuiſſet tantum oretenus prolatum, & non potius, ut optime advertit A Lapide „ intimo cordis ſinu profectum, ac profundo *humilitatis, compunctionis, Pœnitentiæ, Religionis*

(1) Sane Auguſtinus lib. de duabus animam. cap. 14. ait „ Poteſt aliquis dicere ſe non peccare, non autem non eſſe, ſi peccaverit, pœnitendum, *nulla barbaries hoc dicere audebit* ".

*nis*, & *Charitatis ſenſu refertum* &c. Unde liquet, pergit inquiens, Davidem ex vehementia doloris prorupiſſe in profuſas lacrymas, gemitus, & ſingultus, qui vocem illi interceperant ita, ut non aliud effari poſſet, quam to *peccavi Domino* ". In quo, uti ſentit D. Ambroſius in Apolog. David 1. cap. 1. continetur *immenſus dolor*, & *profunda Pœnitentia*. Adde quod quamvis veriſſimum ſit, quod David veram Contritionem elicuerat, cum ipſi Propheta reſpondit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*: non eſt tamen certum, ut plures prætendunt eruere ex phraſi textus, quod eam talem elicuerit ad 1. vel ſecundum conatum. Comphraſis ſimilis textus Lucæ 14. C. Tunc iratus Paterfamilias dixit ſervo ſuo: Exi cito *in plateas*, & *vicos civitatis*: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos *introduc huc*. Et ait ſervus: *Domine factum eſt ut imperaſti*: non ſignificet adeo inſtantaneam executionem mandati Patris familias, quæ certe plures horas exigebat.

## CAPUT III.

*Deducitur 2. Quod neque Sacramenti reverentia, neque Animarum ſalus prudenter, ac per conſequens neque abſque gravi ſacrilegio committi poſſunt huic adeo* tenui, & fere nulli *diligentiæ ad ponendum, eſſentialiorem ejuſdem Sacramenti partem.*

I. PRudenter caveat Confeſſarius ab illis duobus extremis maxime noxiis. 1. Scilicet eſt credere, quod omnes ſui Pœnitentes quoties præmiſſa peccatorum narratione, & ſolito Contritionis Actu, dicunt *ſe nimis pœnitere*, ſufficienter ſint diſpoſiti ad Abſolutionem. Hincque nimis ſollicitus ne forte deficiat, quæ ſemper adeſt, materia hujus Sacramenti remota, minime curans de proxima, quæ plerumque deeſt, omnes indiſcriminatim abſolvit. 2. Extremum eſt vix ullum credere diſpoſitum, niſi cernatur profuſis lacrymis peccata deplorare. Manifeſtum eſt enim, quod ad miniſtrandum Pœnitentiæ Sacramentum neceſſarium non ſit judicium metaphyſice certum de vera Pœnitentis diſpoſitione, nec talis criſis quæ nullatenus acquieſcat. Sicut nec e converſo ſufficit ſimplex apprehenſio aut imprudens judicium de eo, quod reipſa detur ejuſmodi vera diſpoſitio. „ Sufficit ( inquit Ligorius in Oper. Homo Apoſt. tract. 16. cap. 6. num. 17, & tract. ult. par. 1. num. 13. ) certitudo Moralis juxta regulam Sancti Thomæ 1. 2. quæſt. 48. artic. 6. &c. Unde ſufficit Confeſſario pro Abſolutione impertienda, ut prudens judicium probabile de Pœnitentis diſpoſitione habeat . . . ſine aliqua prudenti ſuſpicione in oppoſitum &c. " Et quidem vere dictum, nam ſi ad ponendam integritatem Materiæ remotæ hujus Sacramenti, quod aliunde eſt tantum de præcepto requiritur, ut docet Suarez de Pœnit. diſp. 21. Sect. 11. *Moralis diligentia* in diſquirenda propria conſcientia „ Certum eſt, inquit, eſſe de neceſſitate Confeſſionis, ut Pœnitens Moralem faciat diligentiam, ut integre confiteri valeat; quando quis habet conſcientiam peccatorum mortalium " ; a fortiori requiretur eadem Moralis diligentia ad effectum ponendi Materiam proximam, quæ eſt de *neceſſitate Medii*, maxime cum hic dolor verus ſit difficilior, & contingentius concipiatur *ut oportet*. P. Lacroix lib. 6. par. 2. nu. 670. ait: „ Confeſſio omnium mortalium eſt tantum præcepti, & ( ex juſta cauſa ) omitti poteſt quandoque ſcienter: e contra aliquis dolor ſive retractatio omnium mortalium eſt ſecundum præſentem Dei ordinationem de *neceſſitate Medii*, ad hoc ut aliquod demittatur ". Cum veriſſimum ſit ſufficere integritatem *Formalem*, juxta illud Tridentini ſeſſ. 14. cap. 5. „ *Reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in univerſum, eadem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur* ".

II. Modo ſic: ſi nullo modo reputanda eſſet Moralis diligentia ad ponendam integritatem Materialem Confeſſionis conſcientiæ plurimis facinoribus irritiæ quædam levis, perquiſitio, cum fieri poteſt ſaltem mediocris, quomodo prudenter reputanda erit Moralis diligentia ad concipiendum dolorem diligentia illa recitandi velut obiter ſemel, aut bis Formulam Actus Contritionis cum aliqua diſplicentia veluti in abſtracto, & quin proveniat a ſuis propriis Motivis debito modo propoſitis, ſecure ac tuto haberi debeat in re ſummi momenti, & contingentiæ? Eritne illa diligentia, quam nobis Sancta Romana Eccleſia, quam Sancti Patres, quam Concilia inculcant, & per conſequens, quam Deus nobis in Scripturis SS. præcipit, ac præſcribit? Et quæ ſatisfacere poſſit Conſcientiæ prudentis, ac ſapientis Confeſſarii, qui quidem ſcire debet, quod juxta omnes Theologos apud Sporerium par. 3. cap. 3. ſect. 4. quæſt. 1. num. 789. „ Regula generalis eſt, Confeſſarium teneri examinare Pœnitentem, quando probabiliter credit, aut ſuſpicatur eum omittere aliquid, quod ex parte ejus eſt neceſſarium ad validam, & licitam adminiſtrationem, ſimulque fructuoſam ſuſceptionem Sacramenti &c. Adeoque ſi ex ignorantia, vel negligentia gravi de ejuſmodi Requiſito non examinet Pœnitentem, peccabit mortaliter ſecundum omnes, quia, quantum rationabiliter poteſt, tenetur procurare, ac providere, ut judicium ſuum ſit validum ex parte ſui, & Pœnitentis ". Et quod, ut Sotus lect. 10. de integr. Confeſſ. ait „ Cum duo hæc examinatio, & dolor præcipua ſint, de quibus judicare debet Sacerdos ſine ulla cura, & diſcretione horum abſolvere, cum non ſunt manifeſta, grave periculum eſt, nec videmus quomodo excuſari poſſit Sacerdos ipſe a gravi peccato, & Pœnitens etiam a gravi negligentia ". Et tandem quod, ut lib. 1. de Bapt. cap. 3. Auguſtinus ait „ *Unuſquiſque graviter peccaret in rebus ( neceſſitate Medii ) ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo, quod certis incerta præponeret* ".



## CAPUT IV.

*Deducitur tandem ex dictis, ſed ab imperitis tantum, nos ſcil. docere ea, quæ non docemus.*

I. DEducitur 1. Nos docere neceſſarium eſſe præmittere ad bonam Confeſſionem, plurimos Actus Contritionis, & Attritionis; ſed male; cum nos unico contenti ſimus. Quantumvis tamen perſuaderi non poſſimus, quod hi Actus Contritionis communiter loquendo eliciantur, *ut oportet*, quotieſcunque quis apponit vel minimum conatum ad eos eliciendum: aut quod ſemper a prætenſis Pœnitentibus præſtetur competens diligentia, & debitus conatus, ut, prout requiritur, eliciantur: aut etiam quod talis diligentia in ipſis Actibus eliciendis conſiſtat in uno, vel duplici conatu ( quamvis forſan licet rariſſime ad 1. vel 2. eliciantur ), quia, ut ſapienter decidit Ulpianus Reg. 65. ff. lib. 29. „ *Ea quæ raro accidunt non niſi temere in agendis negotiis comparantur* ". Et ut ait Div. Thomas lib. 1. quæſt. 20. artic. 5. „ *Non enim datur judicium de re aliqua ſecundum illud, quod eſt per accidens ( & in paucioribus ), ſed ſolum ſecundum illud, quod eſt per ſe ( & in pluribus )* ". Deducitur 2. nos ſaltem docere neceſſarium eſſe elicere multos Actus Contritionis ad eliciendum unum Actum Contritionis; ſed quidem male. Nam omiſſo quod ſecundum Cap. *Veniens* de Preſbytero non bapt. „ *Non intelligitur iteratum quod ambigitur factum*: " nos nunquam docuimus, quod ad eliciendum unum Actum Contritionis neceſſarium ſit plures elicere, ac ſi ad eum eliciendum non ſufficeret eum elicuiſſe. Quod ergo unice contendimus, & eſt quid diverſum, eſt quod non ſit idem aliquem vel aliquos conatus apponere, vel Actum Contritionis ſemel, vel aliquoties recitare aliquo doloris ſenſu, ac illum ſecure elicere, *ut oportet*. Nam, cum ex una parte vix appareat, præterquam in pauciſſimis, aliquis ex illis effectibus veræ Converſionis ſeu Contritionis, quos obſervamus vel in illis, quos probabiliter credimus ſalvandos, vel in eis, quos certo credimus ſalvatos; & ex alia parte adeo *tenuis*, vel potius *nulla* diligentia communiter apponatur ad verum Contritionis Actum eliciendum, ſatis prudens fundamentum habemus dubitandi, *An tot prætenſæ Contritiones legitimæ ne ſint, an potius ſuppoſititiæ?* Cum et. Petrus Sotus ſapienter lect. 17. notet quod " ſubita illa converſio ( qua aliquando aliqui Pœnitentes ad primos conatus per veram Contritionem ad Deum convertuntur ) non reddit eos ſecuros in poſterum, & otioſos, ſed ſollicitos ad ipſam Pœnitentiam non intermittendam. *Peccatum meum contra me eſt ſemper*, inquit David, *& lavabo per ſingulas noctes ſtratum meum &c.* "

II. Et quia, ut advertit Angelicus 3. par. quæſt. 84. artic. 4. „ *Vera Pœnitentia non ſolum removet peccata præterita, ſed etiam præſervat hominem a peccatis futuris* ". Non quia ipſa nos reddat penitus impeccabiles; aut quod peccatum ſubſequens ſit infallibile ſignum, quod ea non fuerit vera. Cum vera Pœnitentia a nobis non tollat liberum arbitrium, nec humanam defectibilitatem ac infirmitatem. Sed illud tantum dicimus, quod totalis carentia illorum effectuum, quos vera Pœnitentia parere ſolet, & illa nimis ſuperficialis, & fere nulla diligentia, quæ ſolet communiter a Fidelibus poni ad eam concipiendam, nobis fundamentum præbet ſuſpicandi maximam partem talium Contritionum eſſe inſufficientem ad paradiſum obtinendum. Quapropter ſummopere vellemus unumquemque noſtrum majorem diligentiam adhibere ad Contritionem veram concipiendam, ſeſeque periculo damnationis ſubtrahendum. Vellemus etiam illos, quibus aliqua ratione animarum ſalus incumbit, nullis difficultatibus, quas malus dæmon objiciet, cedentes, populis hanc neceſſitatem majoris diligentiæ prudenter inculcare, ſibi a Spiritu Sancto dictum reputantes Prov. 24. „ *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare non ceſſes* ". Nam, ut ait lect. 17. de Perfecta Contr. Sotus „ Timendum eſt Populo chriſtiano, & rudi, ne ex facilitate remiſſionis peccati, quam ille putat &c. per hæc minoris eam, quam opus eſt, faciat, quaſi quotidiana: quomodo vero credere poterimus hanc tantam ſuam gratiam Deum conferre contemnentibus &c.? Quare nullam popularem opinionem putamus diligentius *eximendam* ab animis Chriſtianorum, quam hanc tam minimam æſtimationem ". Et ne tot Fideles dum ad cæleſtem patriam appellere prætentant funeſto *æquivoco*, & falſa Pœnitentiæ *idea* decepti ad tartara deveniant, ubi in æternum inutilem *Pœnitentiam agentes* doleant non de eo, quod ignorarint ſibi neceſſe fuiſſe hic Pœnitentiam & quidem veram egiſſe; ſed de eo quod irreparabili errore non ſatis intellexerint quantam qualemve diligentiam, ſollicitudinemque ſibi neceſſariam fuiſſe ad eamdem Pœnitentiam agendam, *ut oportet*: *Ergo erravimus a via veritatis, & ſol intelligentiæ ortus non eſt nobis.*

III. Deducitur 4. ab eiſdem imperitis, quod nos tacite redarguamus zelum, quo Concionatores vehementer invehunt contra vitia populorum inculcando peccatoribus converſionem, & veram Pœnitentiam quaſi in abſtracto, quin curent de efficaci modo, quo ipſi hanc

veram Pœnitentiam & Converſionem a ſe prædicatam, eliciant ac exequantur, *ut oportet* Sed male hoc inferunt. Cum numquam zelum, quo Dei Miniſtri vitia reprehendunt, & Pœnitentiam inculcant, impugnaverimus. Hoc unum tantum dicimus, quod ſublato hoc perniciosſimo *æquivoco*, & prudenter ac efficaciter perſuaſo Chriſtiano populo de vera idea Pœnitentiæ, & *veræ Converſionis* in Deum, plurima peccata impedienda forent, & plura alia delenda eſſent. Tum quia innocentes ob juſtum timorem incerti dubioſique exitus illorum, qui peccant, non adeo faciles viam iniquitatis ingrederentur. Cum ob id, ut apte animadvertit Ven. Card. Bellarminus Controv. de Pœnit. lib. 2. cap. 16. „ Apoſtolus exemplo Eſau admonere voluit Fideles, ne facile ſe in peccata pertrahi finerent, tum quia damnum irreparabile incurrunt, qui innocentiam, & Virginitatem peccando amittunt, tum etiam quia nonnulli *gemunt, & plorant, nec tamen veram Pœnitentiam habent*. atque ita valde *dubius* atque *incertus eſt peccantium exitus* ", tum quia peccatores ſalubriter perſuaſi de *incertitudine* recuperandi illam gratiam, de qua adeo facilem jacturam faciunt, quin animadvertant ad illud Prophetarum: „ *Quis ſcit ſi convertatur, & ignoſcat Deus?* " ſuper quod ſapienter notat idem Ven. Cardinalis Controv. de Juſtific. lib. 3. cap. 16. quod „ Hæc, & ſimilia quæ ſignificant incertitudinem remiſſionis non faciunt dubias promiſſiones Dei, quibus promiſit vere pœnitentibus indulgentiam, illæ certiſſimæ ſunt, ſed reſpiciunt incertitudinem noſtræ diſpoſitionis: ) ", utiliter timerent, & non ſolum peccata data opera non ingeminarent, ſed feſtinato infeliciſſimum ipſorum ſtatum pro viribus mutare niterentur, facientes *fructus dignos Pœnitentiæ*, cum ut concludit ipſe Ven. Doctor „ Undecunque veniat incertitudo, ſemper probant hæc teſtimonia non debere hominem ita eſſe ſecurum, ut non ſemper a Deo petat ſeriam Pœnitentiam, & peccati remiſſionem ". Et neceſſe eſt fateri, quod ſi raritas ſeu difficultas inveniendi Confeſſarium in gratia *Reſervationis* quorumdam ſcelerum ab Eccleſia judicatur quoddam frænum ad continendam hominum temeritatem aptum, multo magis aptum eſſet ad frænandam nimiam licentiam illorum, qui peccant, ut peccent, & *quaſi aquam* bibunt iniquitatem, dicentes: " *Poſtea confitebor ei: eſt Confeſſio: eſt Pœnitentia*, ſcire bonas illas Pœnitentias, & validas Confeſſiones non elici, neque effici in illo numero, & quantitate, quam ipſi ſibi imaginantur & fingunt. Et hoc ideo, quia ipſæ non conſiſtunt unice in recitandis aliquali *Naturali* diſplicentia, vel forte *Supernaturali quaſi in abſtracto*, vel ex aliquo alio capite inſufficientibus ſemel, & iterum Formulis Actus Contritionis, vel in mera patefactione, & recognitione peccatorum, ſeu in eo, quod ſe rei culparum fateantur, ut ipſi nimis perperam putant.





# DISSERTATIO II.

## Fit ſatis Objectionibus.

### CAPUT PRIMUM.

*Fit ſatis Objectioni deducta a* Precatione.

I. NObis objicitur, quod quotieſcunque Pœnitens aliquid precationis præmittat ad ſuum talem qualem conatum in ordine ad Pœnitentiam ipſe ſecure eliciat ſuum Actum Contritionis, *ut oportet*; cum in Evangelio legatur illud perbellum, *Petite, & accipietis*, Ergo &c. Nos concedimus Adverſariis in Evangelio legi illud „ *Petite, & accipietis, petite, & dabitur vobis, pulſate, & aperietur vobis* ". Sed quid inde? Significat forſan hoc, quod eo ipſo quod aliquis vel frigide dicat „ *Parce mihi, Domine: Deus mi, concede mihi verum dolorem meorum peccatorum*; infallibiliter obtineat a Deo gratiam efficacem, qua ad primum & quidem debiliſſimum conatum orbatum Fide, & Spe *Supernaturalibus*, & aliis requiſitis, ſibi conceſſum ſit elicere ejuſmodi Dolorem? Ah! capiamus, ne nimis pernicioſe erremus, ſenſum, & conditiones, ſub quibus Deus promiſit exaudire noſtras deprecationes. Certe doctiſſimus A Lapide ait „ Hæc tria ( *Petite & accipietis, petite &c.* ) idem ſignificant, ſcilicet *Inſtantiſſimam petitionem* &c. ſignificant ergo orandum *confidenter, diligenter, ardenter, & perſeveranter &c. Omnis qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur*; hoc enim meretur orationis *inſtantia, & perſeverantia*. Intellige, ſi petat *quod oportet*, & *prout oportet* ". Pater Suarez de gratia p. 1. l. 1. & c. 8. c. 26. ait: „ Nemo enim negare poteſt, quin orare *ſicut oportet*, ſit res magni momenti &c. quatenus in firma, & infallibili Fide fundari debet, & niſi etiam in Spe certa ex promiſſione divina ſic plane eſt Actus *Supernaturalis* &c. Et niſi has conditiones habeat, non *eſt qualis oportet*. Hæc conditio ( *Perſeverantiæ* in oratione ) eſt in Scriptura multum commendata, & replicata, & ad explicandum non facilis; ad exequendum vero difficilis &c. Videtur enim ex dictis ſequi nunquam deſiſtendum ab inchoata petitione, quia neque eſt certum tempus deſignatum, nec certus orationum numerus, cui impetratio infallibiliter promiſſa ſit ".

II. Ven. Card. Bellarminus controv. de bonis oper. l. 1. c. 9. ait „ Ut Oratio ſit infallibiliter impetratoria *multæ* conditiones requiruntur, quamvis Scriptura videatur abſolute promittere orantibus impetrationem earum rerum, quas poſtulant, ut Matth. 7. Luc. 11. *Petite, & accipietis, & omnis, qui petit, accipit*; attamen promiſſiones iſtæ conditionem includunt, quam expreſſit Jacobus c. 4. cum ait: *Petitis, & non accipietis, eo quod male petatis*: ec. ſunt tamen aliqua loca, quibus probari videtur etiam peccatores a Deo exaudiri Matt. 7. *Omnis, qui petit, accipit*. 3. modo peccatores orant, cum Pœnitentiam agere incipiunt, quomodo Ninivitæ, & Publicanus orabant, & hi ſæpe impetrant non ex juſtitia quaſi digni, ſed ex Miſericordia Dei, & non omnino infallibiliter. Nam ideo Scripturæ addere ſolent particulam *Forte*, vel *quis ſcit* ut Joel. 2. Joan. 3. Dan. 4. & Actor. 8. quando de Orationibus peccatorum loquuntur. Lucæ 11. *Dico vobis, & ſi non dabit illi, eo quod Amicus ejus ſit, propter improbitatem ejus ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios*. Ex quo loco S. Baſilius colligit peccatores quoque impetrare quod petunt; quando *perſeveranter* petunt. " Precemur igitur clementiſſimum Deum *ut oportet*, & *quantum oportet*, ut nobis concedat *quod nobis oportet*, divinum ſpiritum exorantes, ut ait Apoſtolus, ut *adjuvet infirmitatem noſtram, nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*. " Et minime dubitemus, quod obtinebimus, & ſic in nobis adimplebitur illud perbellum, *accipietis* ec. Tandem Deum etiam atque etiam obteſtemur, ut nobis verum peccatorum dolorem concedat, eumque maxime obteſtemur frequenti multiplicatione conatuum ad Actus Contritionis, & Attritionis poſt elicitos plures Actus Fidei, & Spei, concipiendos, tum maxime, cum nos ad ſacramentalem abſolutionem diſponimus. Siquidem hic, hic meo videri eſt efficacior modus precandi Deum, ut nobis veram Contritionem, & peccatorum veniam concedat; non vero ille alius, uſitatiſſimus tamen, quo quis quaſi in abſtracto frigide dicat: *Domine, da mihi verum dolorem peccatorum meorum*, quin ceteroquin, quantum in ſe eſt, ad eumdem concipiendum adnitatur. Sicut efficacior modus, quo Pictor, cui cordi vehementer eſſet exprimere perfectiſſimam effigiem aliter graviſſime plectendus, ut optatum ferret, non eſſet is unice Deum exorandi, ut ſe adjuvaret ad eamdem ad vivum exprimendam, niſi inſimul omni animi contentione opus aggrediatur, ductuſque pennicilli neceſſarios, ceteraque omnia diligenter adhibeat.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## CAPUT II.

*Fit ſatis objectioni deductæ ex eo, quod vera Contritio a Deo dumtaxat nobis provenire debet.*

I. EXoretur Deus, inquiunt Adverſarii, ut nobis gratiam eliciendi *Supernaturales* Actus Contritionis impertiatur. Sed ad quid tot conatus, ſeu tot Actuum Contritionis repetitiones, ſi tandem Actus Contritionis ab uno Deo expectandus eſt juxta celebrem Auguſtini deprecationem: *Da Domine, quod jubes, & jube quod vis?* Reſp. Actum Contritionis a Deo uno expectandum eſſe, ſed cum addito noſtræ *cooperationis*, ut ipſemet S. D. ſe ſe explicat 1. de gratia, & lib. arb. c. 5. dicens: „ *Quare jubet, ſi ipſe daturus eſt? Quare dat, ſi homo facturus eſt? Niſi quia dat, quod jubet, cum adjuvat, ut faciat, cui jubet ec.* " Et c. 17. „ *Ut velimus ſine nobis operatur* (per gratiam prævenientem,) *cum autem volumus ut faciamus, nobiſcum* (per gratiam cooperantem) *cooperatur: tamen ſine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* " Et l. de peccat. merit. & remiſſ. c. 5. ait: „ *Adjutor enim noſter Deus dicitur, nec adjuvari poteſt, niſi qui etiam aliquid ſponte conatur* ec. " Hoc igitur eſt Myſterioſum illud ſignificatum verborum Auguſtini: *Da quod jubes*, & ſimilium; maxime ſi ſermo ſit non de gratia efficaci in Actu primo, ſed de eadem in Actu ſecundo conjuncta cum ſuo effectu, v. g. Actu Contritionis, in quo eliciendo ipſa non operatur ſola, ſed operatur inſimul cum noſtra libera voluntate. Quod optime cohæret, cum definitione can. 32. ſeſſ. 6. Tridentini „ *ſiquis dixerit hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita; Anathema ſit* " Et inſimul recedit a 3. Prop. Queſnelli „ *In vanum, Domine, præcipis, ſi tu ipſe non das, quod præcipis.* " Et tandem ſi verum eſſet, quod prævenienti gratia excitanti expectare otioſi debuiſſemus *Supernaturalis* Contritionis infuſionem abſque noſtra competenti cooperatione gratiæ concomitanti, non adſtringeremur nequidem ad ponendum unum vel leviſſimum conatum ad concipiendos Actus Contritionis, Fidei, Spei, & Charitatis, nec eſſemus a Deo puniendi, quia non credidimus, non ſperavimus, non amavimus, nos non pænituit, *ut oportet* ec. quod falſiſſimum eſt, & Janſeniſtico fermento plenum.

II. Faciamus igitur divina gratia adjuti quantum in nobis eſt ad veram Contritionem concipiendam. Hoc enim & nos docet Auguſtinus, & nobis præcipit Deus. Inſervietque hæc conatuum, (vel ſi cum vulgo loqui vis) hæc Contritionis Actuum repetitio a Chriſtiana prudentia directa, 1. ad nos liberandum a temerario, & peccaminoſo periculo exponendi abſque neceſſitate Sacramentum evidenti nullitatis, & animas æternæ damnationis periculo. Nam qualem, quæſo, excuſationem, ſi tandem pœnam lueret, mereretur debitor ille ingentis aureorum ſummæ, quam propoſita capitis pœna perſolvere debuiſſet ex nummis aleatoria (quam Italice *lotto* vocamus) ſortitione partis, qui cum facile & quidem copioſe pluries in anno ejuſmodi ludum ludere poſſet, vix ſemel, aut iterum & tunc ſatis parce eum luderet. 2. Ad conteſtandam offenſo a nobis Deo ſinceram ſuarum offenſarum deteſtationem, deſideriumque recuperandi illius gratiam (ſiquidem hic nobis videtur opportuniſſimus modus implorandi a Domino peccatorum veniam; & præbendi Confeſſario aliquod noſtræ ſollicitudinis in cooperando Prævenienti gratiæ atque noſtræ pœnitudinis ſignum.) 3. Inſerviet ad movendum Deum, ut nobis deſideratam Juſtificationem concedat, utpote qui, ut ait Angelicus „ nulli gratiam denegat, qui *quod in ſe eſt, facit, ut ſe ad gratiam præparet.* " Aut, ut explicat Eximius D. „ *Facienti quod in ſe eſt, per priorem vocationem, non denegat auxilium ad cetera neceſſaria.* "

III. Et quamvis primi præfati Actus ſeu conatus non ſint ita perfecti, ut nos ad Juſtificationem proxime diſponant, nihilominus erunt tot aliæ remotæ diſpoſitiones, quæ nos ad proximam, hoc eſt verum dolorem diſponant. „ Eſt enim Naturale homini ab imperfecto ad perfectum procedere, & ideo priuſquam ad veram converſionem perveniat, paulatim per imperfectos Actus procedit. Et hic eſt ordinarius modus procedendi in tota ſerie diſpoſitionum ad Juſtificationem ec. quamvis Deus ſubito poſſit juſtificare hominem. Peccator per unum Actum ex gratia factum, vel nimis perfectum, vel magis remotum ab ultima diſpoſitione ad gratiam meretur de *Congruo*, ac immediate novum aliquod auxilium, quo per alium Actum perfectiorem, vel propinquiorem efficiat ... & ſic procedendo, donec ad terminum Juſtificationis perveniatur ec. " Ita Suarez de gratia p. 3. lib. 1. c. 16. n. 13. Quod quidem prius docuerat Angelicus 1. 2. q. 113. ar. 10. „ Eſt enim, inquit, iſte communis, & conſuetus curſus Juſtificationis, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem converſione imperfecta, ut poſtmodum ad perfectam deveniat; quia Charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, ſicut dicit Auguſtinus. Quandoque vero tam vehementer movet Deus animam, ut ſtatim quamdam perfectionem juſtitiæ aſſequatur; ſicut fuit in converſione Pauli ec. Et ideo converſio Pauli tanquam miraculoſa ec. " Idem docere videtur Chriſtus Dominus Marci 4. dicens „ *Sic eſt Regnum Dei quemadmodum ſi homo faciat ſementem in terram .... ultro enim terra fructificat primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum fructum in ſpica.* " Concludamus ergo, quod noſtra Juſtificatio ita tota ſit opus Dei, & gra-

tiæ



tiæ ejus, ut inſimul ſit opus noſtræ liberæ cooperationis, ut hac deficiente nunquam per Pœnitentiam juſtificabimur, ut optime inquit Auguſtinus ſer. 15. de verbis Apoſt. „ *Totum eſt ex Deo, non tamen nos quaſi dormientes, non quaſi ut non conemur, non quaſi ut non velimus. Sine voluntate tua non erit in te juſtitia Dei; qui fecit te ſine te, non te juſtificabit ſine te.* "

### §. Un.

Inſtant Adverſarii dicentes: Sicut contingere poteſt, quod poſito a nobis primo, vel ſecundo conatu ad eliciendum Actum Contritionis, ipſum revera non eliciamus *ut oportet*, ita accidere poteſt, dum in ſequentibus conatibus nitimur ad eum eliciendum, ut eumdem nec tunc eliciamus. Ergo ad nihilum nobis proficere poterunt tot præfatæ iterationes ejuſmodi Actuum. Reſp. neg. antec. Quia iterando ejuſmodi conatus ſeu Actus debitum noſtrum faciendi, quod in nobis eſt, aliquo modo adimplemus: ac per conſequens magis diſpoſiti & digniores evadimus, ut copioſiora auxilia accipiamus, & ille perfectus Actus, qui a nobis in primis conatibus elicitus non fuit, in uno aliquo ex ſubſequentibus talis eliciatur ſecurius. Nam duriſſima illa cautes, quæ ad primam percutionem virgæ Moyſis nequidem maduit, ad ſecundam abundatiſſimas aquas emiſit. *Egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ*. Num. 20. & illam pluviam, quam Elias orando non obtinuerat ad primas ſex, obtinuit *in ſeptima vice... & facta eſt pluvia grandis*. Reg. 3. c. 18. Eamque perfectam lepræ ſanationem, quam Nahaman Syrus ſe lavans juxta monitum Prophetæ Eliſæi „ *Lavare ſepties in Jordane*, non obtinuerat in 1. & ſequentibus lotionibus, obtinuit tandem in ſeptima " *Reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri.* Et ſane ſi Joas Rex Iſrael, cui ab eodem Propheta dictum fuerat 4. Reg. 5. 13. „ *Percute jaculo terram*, tertiæ percutioni adjunxiſſet 5. vel 6. vel 7. ſine dubio deleviſſet e terra omnino illum hoſtem, qui ſibi ſuiſque tot clades, ac damna inferebat, ut juſte indignabundus ei exprobravit Propheta. „ *Si percuſſiſſet quinquies, aut ſexies, aut ſepties, percuſſiſſet Syriam uſque ad conſumationem.* " Tandem, ſi legitima eſſet Adverſariorum conſeq. legitimæ etiam eſſent hæ aliæ; Ergo *ad nihilum nobis proficere poterunt primi conatus ad concipiendos Actus Supernaturales Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis; ergo neceſſum non eſt, quod apponamus ne quidem hos primos conatus ad eos eliciendos.* Quod quam abſurdum & hæreticale ſit, nullus eſt, qui non videat.

II. Replicant demum dicentes: Ideo plures ad 1. vel 2. conatum revera non eliciunt verum *Supernaturalem* Actum Contritionis, vel Attritionis, quia vel nolunt ſe peccatorum reos fateri, vel ſeriam proponere emendationem, vel certe nolunt pœnitere ſe eorumdem, niſi ob Motiva mere *Naturalia*. Ergo falſum eſt, quod verum Actum Contritionis non eliciant ob defectum ſufficientis Fidei, vel Spei *Supernaturalis* proprie *Virtualis*, vel ſufficientis conatus, & diligentiæ ad eum eliciendum, ut nos ſupponimus. Reſp. negando ant. & conſeq. utpote omnino falſa, ut jam innuimus, & in ſenſu Adverſariorum incredibilia. Nam qui fieri poteſt, ut major Chriſtianorum pars credens, ac ſperans, *ut oportet*, uti mordicus tenent noſtri Adverſarii, non cognoſcat evidenter ſuas divinæ Legis graves tranſgreſſiones, illaſque, dum Sacramenta ſuſcipit, nolit coram Deo, ejuſque Miniſtris recognoſcere, earumdemque nolit ſeriam emendationem proponere, Deoque ipſi ſerio dicere, ſe earumdem vere pœnitere tum ſaltem, cum jam Actu terribilem mortem in ſe tot doloribus, anguſtiis, & ſtragibus immaniter ſævientem experitur: tum ſaltem, cum jam clariſſime ſe ſe æternis gaudiis privandam, & jam jam ſempiternis ſuppliciis addicendam prævidet? Hoſce credemus emori omnes adeo *amentes*, ut tempus jocandi, ſeu non ſerio agendi cum Deo, tempus illud tot horroribus, ac terroribus plenum reputent? Et quod ſolum eos pœniteat ob Motiva *temporalia*, tum cum per Fidem vividius ipſis ante oculos proponuntur *ſolum æterna*, prudenter exiſtimabimus? Vah ridiculum commentum! Ad populum phaleras.

## CAPUT III.

*Fit ſatis objectioni deductæ ex Conſolationibus, quas experiuntur quamplures ex eis, qui peccata ſua confitentes tenuem dumtaxat diligentiam, vel conatum ad concipiendum verum dolorem adponunt.*

I. MAxima Pœnitentium pars (dicunt Adverſarii) nulla alia præparatione adhibita, quam ea ipſa quæ a nobis nuncupatur *tenuiſſima, & fere nulla*, & alii ſola peccatorum *narratione* apud Confeſſarium contenti, domum quieti ac ſolatio pleni revertuntur, atque iſtorum aliquis a vitiis reſipiſcit, variiſque pietatis operibus ſe ſe poſtea exercet. Atqui hoc eſt argumentum, quod ad effectum veræ Juſtificationis non requiratur illa *repetitio conatuum* in ordine ad veram Contritionem, quam nos requirimus concipiendam. Ergo ec. Reſp. conced. majorem, ſi loquamur de quodam falſo ſolatio (quod quidem in alio non conſiſtit quam in illa *exoneratione* obligationis, ac difficultatis, quam experiebantur in patefaciendo propria ſcelera Confeſſario. Secus dicendum, ſi loquamur de vera & *Supernaturali* conſolatione, qualis fuit illa Pœnitentis David indicata in Pſal. 92. „ *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam*:) & negando min. & conſeq. Siquidem nullus ex ipſis niſi forſan rariſſimus non ſolum tuto, ſed nec *probabiliter* amiſſam gratiam recuperat ex

vi

vi talium Contritionum, & Confeſſionum. Nec falſa conſolatio, & pax, quam hi infelices experiuntur, eſt fundamentum hoc credendi; aliter credere etiam debebimus vere juſtificatos quotquot domum regrediuntur valde conſolati ob hoc ſolum, quod ſcelera Confeſſario fideliter expoſuerunt. Quod quidem falſiſſimum eſt. Quapropter optime ait Card. Gottius Theol. t. 9. q. 3. dub. 9. §. 4. „ Signa, quæ *Supernaturalia* exiſtimantur, poſſunt eſſe *mere Naturalia*. Pax item & conſcientiæ tranquillitas *ſolam* cognitionem conjecturalem parere poſſunt, ( cum cetera ponuntur; ) cum etiam peccatores hanc aliquando habeant ex ignorantia eorum culpæ ec. Experientia dulcedinis, & promptitudinis ad pietatis opera eſt medium *valde fallibile*: “ Et Suarez de Grat. p. 3. l. 9. c. 10. n. 12. de talibus indiciis ait „ Reliqua indicia *incerta*, & *lubrica ſunt*, quia poſſunt ex aliis cauſis provenire, & Angelus Satanæ transfigurat ſe in Angelum lucis, & aliquid ſimile interdum procurat, ut hominem in peccato jacentem *ſecurum* reddat; Deus etiam interdum talia beneficia confert peccatori, ut illum a peccatis multiplicandis contineat, & ſic illum ad meliorem mentem convertat. “ demum maxime curæ dæmoni eſt falſam, & ementitam hanc conſcientiæ ſecuritatem in hominibus fovere: ait enim D. Gregorius „ *Diabolus, quos vult perdere, ſecuros facit.* “

II. Verum quidem eſt, quod novam vivendi rationem inſtituiſſe, moreſque in melius commutaſſe, ſi infimul debita cura, diligentiaque apponatur, ut vera de peccatis commiſſis Pœnitudo concipiatur, licet non ſit infallibile indicium, eſt tamen optimum Juſtificationis argumentum. Tale tamen nunquam erit, quoties prædicta diligentia, curave deficiat, cum Pœnitentia, quæ ſecum infallibiliter non afferat verum, & Supernaturalem vivum dolorem, & odium de commiſſis peccatis, non ſit approbata a PP. nec a Tridentino ſeſſ. 6. c. 14. ubi dicitur „ *Docendum eſt Chriſtiani hominis Pœnitentiam, poſt lapſum, continere ceſſationem a peccatis, eorum deteſtationem, cor contritum, & humiliatum, eorumdem ſacramentalem Confeſſionem, itemque ſatisfactionem* ec. “ ſed ab uno tantum Luthero, qui an. 1518. ſcribens ad Vicarium Auguſtinianorum ait „ Tandem didici vocem *Pœnitentiæ* non ſignificare *odium*, vel *Dolorem* de vita præterita, ut olim dicebatur, ſed ſignificare *amorem juſtitiæ*, & *novæ vitæ*, & hoc nomen nihil habet amarum, vel acerbum, ſed *omnia grata*, & *dulciſſima*. “ Quapropter Magnus Gregorius 3. p. Paſtoralis c. 15. ait „ *Admonendi ſunt, qui admiſſa deſerunt, nec tamen plangunt, ne jam relaxatas æſtiment culpas, quas etſi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant.* “ Et hom. 34. in Evang. nos docet non minus dubiam eſſe Pœnitentiam illius „ *Qui ſic alia deplorat peccata, ut tamen* „ *alia committat* ( *utpote qui adhuc Pœnitentiam agere aut diſſimulat, aut ignorat* ) “ quam illius „ *qui admiſſa deſerit, nec tamen plangit.* “ Quandoquidem, ut notat Suarez l. cit. c. 12. „ Licet ſit certum ad evitandum peccatum mortale longo tempore eſſe neceſſariam gratiam *Auxiliantem*, quod autem neceſſaria ſit gratia *Habitualis* non eſt certum, ſed tantum eſt probabilior opinio Theologica. “ Et S. Thomas 1. 2. q. 115. ar. 3. ait „ Dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit in l. 1. de Nupt. & Concup. c. 26. ſi a peccato deſiſtere hoc eſſet non habere peccatum, ſufficeret ut hoc moneret Scriptura, *Fili, peccaſti; non adjicias iterum*: hoc autem non ſufficit, ſed additur, & *de priſtinis deprecare, ut tibi remittantur*. Tranſit enim peccatum Actu, ſed remanet reatu. “

## CAPUT IV.

*Fit ſatis objectioni ex* Perturbatione pacis *conſcientiarum deductæ.*

I. Poſtulare ( ajunt Adverſarii ) majorem diligentiam ad Juſtificationem quam humiliter recognoſcere propria peccata, eaque fideliter narrare Confeſſario, addito ſolito niſu ad Contritionem, eſſet conſcientiarum *pacem perturbare*. Ergo neque præmiſſio Actus Fidei, & Spei Contritioni, neque repetitio conatuum ad concipiendum eumdem Actum Contritionis Fidelibus inculcari debent. Reſp. quærendo ab Adverſariis „ æquum ne ſit, ne forte utiliter turbetur aliquantulum *falſa* pax conſcientiæ paucorum ſinere innumeros Fidelium quotidie deſcendere *in pace ad inferna*? Reputandum ne erit grave inconveniens ſalutariter perturbare falſam illam pacem conſcientiæ, quæ profecto aliud non eſt quam periculoſiſſimum bellum? De qua merito D. Cyprianus ſer. de Lapſis æque diceret „ *Irrita & falſa pax periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profectura.... ante offenſam placatam indignantis Domini, & minantis, pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant; non eſt pax illa, ſed bellum.* “ Et doctiſſimus Suarez de Sacr. Pœnit. diſp. 1. ſect. 4. n. 15. Similiter diceret „ Quod enim alii Auctores ajunt *hoc deſervire ad pacificandas conſcientias* nullius momenti eſt, tum quia non eſt *bona* pax, quæ in errore fundatur, tum etiam quia potius poteſt eſſe occaſio negligentiæ in præparanda conſcientia ad Confeſſionem debito modo ec. Deus enim non exigit ab homine *exiſtimatam* Pœnitentiam, ſed veram ec. Nec hoc eſt contra quietem, ſed potius ad generandam *veram* conſcientiæ pacem confert. “ Minime igitur diſturbanda eſt 1. illa pax, quæ nobis provenit ex probabili conjectura noſtræ juſtificationis, orta ex Morali diligentia a nobis poſita ad verum dolorem concipiendum, quæ omnibus Deo adjuvante poſſibilis eſt, ut notat idem Eximius de Grat. p. 3. t. 8. l. 9. c. 9. n. 29. „ Hæc enim probabilis conjectura, & exiſtimatio, qua abſolute poſſit quis humano modo credere ſe eſſe in ſtatu gratiæ, omnibus poſſibilis eſt: *Si Moralem* diligentiam adhibeant ad conſequendam veniam præteritorum peccatorum, & poſtea ad vitanda futura, ita ut licet formident, & timent, nihilominus ec. 2. Illa pax conſcientiæ, quæ provenit nobis ex Morali certitudine gratiæ recuperatæ, orta ex eadem *Morali diligentia* ad verum dolorem concipiendum a nobis ſæpe ſæpius *renovata*, cum totali peccatorum gravium emendatione aſſociata, & cum aliis circumſtantiis ibidem a laudato D. indicatis his verbis: „ At ſi peccatori quis dicat, ſatage, ut per tuam Pœnitentiam certam juſtificationem tuam facias; eam certitudinem cenſeretur conſequi, quæ ex diligentia, quæ adhiberetur ad veram Contritionem, & optimam Confeſſionem faciendam conſurgere poteſt. “ Quapropter nos monet Spiritus S. Cap. 18. Eccl. proſequi uſque ad mortem hanc utiliſſimam, & perneceſſariam diligentiam „ *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari.* “

II. Neque ex his inferendum eſt, quod Pœnitens priuſquam ad Confeſſarii pedes accedat adſtrictus ſit per plures menſes pectus Hieronymi ſaxo tundere; non ita quidem; non enim idem eſt reprobare *parciſſimam* illam, aut, ut melius dicamus, *nullam* unius, aut alterius conatus diligentiam, ac conatuum ad Contritionem multitudinem interminatam requirere: ſicut non eſt idem reprobare incurioſum, ac negligens examen conſcientiæ plurimis ſceleribus illaqueatæ, ac ipſi onus imponere, ut per plures menſes præfato accuratiſſimo examini continuo incumbat. *Eſt modus in rebus.* Illud tantum contendimus, quod in repetitione prædictorum conatuum apponi debeat, requiraturque illa diligentia, quam prudens ſollicitudo, curaque, ut propriam ſalutem in tuto ponat, unicuique dictabit. Quod totum prudentum judicio relinquimus, committimuſque deſiniendum, ita tamen, ut ſemper vitentur quidam ſpeculativi timores, anxietates, & inquietudines, quibus multi ſtultiſſime ac inutiliter conficiuntur, quin interim in praxim redigant id, quod eos ſecuros reddere vere poſſet. Quandoquidem res nobis eſt cum Deo infinitæ benignitatis, & Miſericordiæ, qui quidem, ſi ſuæ gratiæ cooperantes debitam ſollicitudinem apponamus, nos adjuvabit, ut in priſtinam illius amicitiam reſtituamur. Eſt enim paratiſſimus ad concurrendum ad peccatorum noſtrorum deſtructionem per veram noſtram Contritionem, nec poteſt nos non adjuvare, *ſi faciamus quod in nobis eſt* ( in quo quidem vertitur cardo rei ) neceſſariis auxiliis, uti docet D. Thomas 3. p. dicens q. 85. ar. 10. „ *Secundum Auguſtinum l. de Pœnit. Conſtat Deo multum diſplicere peccata, qui ſemper præſto eſt ea deſtruere, ne ſolvatur quod creavit, ne corrumpatur quod amavit:* “ & q. 86. ar. 1. „ *Vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, ſi homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet.* “ Et in q. diſp. q. 24. de verit. ar. 11. ait „ *Si nos fecerimus* ( cum auxilio gratiæ ) *quod in nobis eſt, Deus non deficiet in eo, quod eſt nobis neceſſarium.* “



III. Vera igitur conſcientiæ pax perturbari non debet a prudentiſſimo quoque, maxime autem falſa, & periculoſa ab eodem perturbari oportet in noſtro caſu. Siquidem, ut optime diſcurrit P. Bourdalouve p. 1. de diverſis cogit. de Pœnit. hæc falſa pax eſt Fidelium ſaluti omnium *pernicioſiſſima*. „ Vos, inquit, mihi dicitis, quot homines in hoc mundo videmus *tranquillos* circa præteritas Confeſſiones, quantumvis hæ fuerint ſuperficiales, & imperfectæ! Non nego, quod multi hujus generis Pœnitentes reperiantur, qui vitam agunt abſque anxietate, & ſcrupulis: *Sed hæc pax, in qua ipſi vivunt reipſa eſt illorum ſumma infelicitas*; ſic enim vivunt, & ſic moriuntur. *Pax in peccatis* eſt grave *malum*, ſed *malum plus formidandum eſt pax in falſa Pœnitentia*; ſiquidem pax habita in peccatis nobis non aufert ſaltem peccatorum cognitionem. Peccator quamvis pertinax non ignorat ſe amiſiſſe Dei gratiam, ſe eſſe extra cœli viam, actualiter Dei inimicum exiſtere, & ab ipſo Deo æternis flammis deſtinari. Et hæc ſola cognitio ipſi erit quoddam remedium, quamvis remotum, quod illum poterit ad meliorem vitam conducere. E contra vero *pax habita ex falſa Pœnitentia, eſt quædam periculoſiſſima illuſio*, quæ commiſſa ſcelera *abſcondit*; nobiſque perſuadet, quod peccatum *ſit extinctum* tum quando reipſa in nobis *permanet, operatur, & imperat*, noſque inconſiderate ad æternam damnationem *ſecure pertrahit*. Quandoquidem *illa pace deceptus* peccator, quo pacto poterit gehennam effugere? Si recordatur aliquando antiquorum ſcelerum præſto ſibi reſpondet: *Peccavi, verum eſt, & apud Deum pudore ſuffundor; ſed Pœnitentia extinguit omne peccatum; veniam jam petii, mea peccata jam confeſſus ſum; pro Pœnitentia impoſitæ mihi fuerunt & orationes, & eleemoſinæ; hæc omnia adimplevi. Quid amplius fieri debeo poſtquam peccatorum abſolutionem jam obtinui* ec. En quomodo falſa Pœnitentia alium effectum non præſtat, quam peccatorem confirmare in vera *finali Impœnitentia*. Quo quid terribilius, quid funeſtius in vita excogitari aut accidere poteſt, quam ibi certam mortem obire ubi vita & ſalus inveniendæ erant? Quid inſanius, quam damnationem æternam incurrere *ſecurius per viam ipſiuſmet Pœnitentiæ?*

## CAPUT V.

*Fit ſatis aliquibus aliis objectionibus.*

I. Adverſarii opponunt 1. Quod nos revocando in dubium ſuam ipſorum *facilitatem, ſecuritatem*, & realitatem veræ ſufficientis Fidei, Spei, & Contritionis in caſu noſtro, perturbamus bonam fidem tot fidelium,

um, & opponimur nimis præſumptuoſe praxi atque perſuaſioni plurium Aſcetarum, & aliquorum Scholaſticorum. Quod certe non eſt ferendum.

At nos reſp. quærendo ab Adverſariis in primis, qua nova Theologia *bona fides* Pœnitentium, quæ hucuſque ob *invincibilem ignorantiam* ejus ſociam, ſufficiens tantummodo reputabatur ad impediendum, ne iſti incurrerent malitiam *Formalem* Actus peccaminoſi, nunc ab ipſis Adverſariis reputetur quaſi elevata ad novum Sacramentum, vi cujus deleri poſſint peccata jam commiſſa? Secundo, qua nova Theologia huic Pœnitentium *bonæ fidei*, ſeu potius *negligentiæ* adſcribant inauditum privilegium juſtificandi eos abſque *Supernaturali Fide, Spe, & Contritione*, aut ſaltem *Attritione*; quod quidem privilegium cæteroquin nullus Theologorum concedit ne quidem ipſis *Pœnitentiæ*, aut Baptiſmi Sacramentis circa peccata Actualia? Tertio, ab ipſis quærimus, an ſua ipſorum blandimenta, ac dulciſſima judicia huic noſtræ Doctrinæ oppoſita, caſu quo revera coram Deo ſint falſa, ut nobis videntur, poſſint poſtea *ab inferis revocare* innumeras illas animas, quæ illorum gratia ſine vera Pœnitentia decedentes æternis ſuppliciis addicentur?

II. De cetero veneramur & nos magnorum hominum, Theologorumque omnium auctoritatem, at ſi res bene perpendantur, ipſa noſtram ſententiam nonſolum non expugnat, at nequidem oppugnat. 1. Quia ex ipſis multi ſupponunt, quod eorum Pœnitentes ad praxim reducant quidquid hac in re facere debent, alii vero omnem diligentiam apponunt, ut Pœnitentes vere conterantur. 2. Quia quamvis aliqui ſapientes bona fide faveant diſtortæ vulgi ideæ circa Pœnitentiam ob id, quod noſtras rationes in oppoſitum maturius non perpenderint, hoc non ſatis eſt, ut talis idea pro vera haberi debeat ab eiſdem, poſteaquam eas perpenderint, ſicut pro tali non amplius habita fuit a prudentibus & acrioris judicii hominibus, quibus Forolivii nobiliſſima hac Civitate eas rationes primum propoſuimus. Nec mirum, cum, ut ait P. Cardenas p. 4. Criſis tr. 1. d. 11. c. 2. ar. 4. n. 61. „ Per argumenta ultro citroque diſcuſſa, multa, quæ prius reputabantur *certa*, inveniuntur *dumtaxat probabilia*, *multa*, quæ *probabilia* videbantur, reperiuntur *certo falſa*, “ & ut in p. 2. tr. 6. diſp. 46. n. 24. obſervat „ ſæpe enim accidit, quod continua hominum diſputatione *aliqua effulgeant*, quæ antiquis latuerant. “ Maxime cum hæc, quæ dicimus, non nova, ſed vetuſtiſſima ſint. Notetur tandem ad rem noſtram, quod ipſemet ſcribit in tr. de Prob. d. 12. c. 25. ar. 3. n. 337. „ Eſſe Profeſſorem Theologiæ Scholaſticæ ſicut non ſufficit ad eminentiam Doctrinæ *Moralis*; ita neque ad probabilitatem in eo genere conferendam ec. “ Et ad Prop. 58. n. 27. addit: „ Conſtat eſſe aliquos viros doctos, qui admittunt opiniones *Improbabiles*, & quæ conſcientiam non relinquant *ſecuram*. “ Sed quid quid ſit de eo, ſcriptura Exodi 23. habet. „ *Nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut vero devies*. “ Et Hieronymus Apolog. ad Ruſtic. ait „ *Peccantium multitudo non parit errori patrocinium*. “ Unde l. 1. ff. §. 6. c. de ver. jure enucleando ait Imp. Juſtinianus: „ Sed neque ex *multitudine Auctorum*, quod melius, & æquius eſt, judicatote, cum poſſit unus forſan & deterioris ſententiæ & multos, & majores aliqua in parte ſuperare. “ Et L. Nemo Judex c. de ſent. inquit „ *Non tam ſpectandum quid factum ſit, quam quid fieri debuerit*. “

III. Inſtant Adverſarii dicentes „ Hæc doctrina multis Fidelibus *denegat* Paradiſi ingreſſum: eoſdemque *retrahit* a frequenti Confeſſione, quod non eſt ferendum. Ergo ec. Reſp. 1. Noſtram Doctrinam nullis aliis *negare* Paradiſi ingreſſum, niſi illis ipſis, quibus eum denegat Evangelium, non juſtificatis ſcilicet; Deumque nobis claves Regni cælorum tradidiſſe, ut ipſius portas vere *pœnitentibus* tantum, & non aliis ad libitum reſeremus: addimuſque ſummam injuriam irrogare Miſericordiæ Dei, & irreparabile damnum inferre hominibus omnes illos, qui inſtar falſorum Prophetarum illorum, qui c. 23. Jeremiæ „ *Omni qui ambulat in pravitate cordis ſui dixerunt: Non veniet ſuper vos malum: non veniet ſuper vos malum*, “ homines ipſos miſere decipiunt, ne veram Pœnitentiam agentes, effectus Miſericordiæ conſequantur, & inter cælites adnumerentur. Inter quos magnus Præſul D. Thomas a Villanova numerat illos Confeſſarios, qui ut ait „ *Dicunt Pœnitentibus: Confeſſus es? Abſolutus es? Vade ſecurus; & animas mittunt ſecuras in infernum. Oh deſtructores Eccleſiæ Dei!*

II. Reſp. 2. Sapientiſſimum quemque negare non poſſe noſtram, ſeu Eccleſiæ doctrinam, maxime præ oppoſita promovere frequentem Confeſſionem; cum manifeſte videat 1. quod ex duobus Pœnitentibus ille, qui perſuaſus eſt de veritate noſtræ doctrinæ magis ſollicitus eſſe debeat tum in *reiteratione* Conatuum, ſeu Actuum Pœnitudinis, tum in *repetitione* Confeſſionum, ut ſic conſequatur illam *certitudinem* ſuæ juſtificationis, quam ille alius, qui eam ſine his ſibi promittit, & de qua ſibi ſecurus blanditur. In quorum certe numero non erat celeberrimus ille Theologus Suarez. „ Narratur ( a P. Ardia, ait ſpicileg. catech. p. 3. conc. 17. n. 4. Claus ) de Eximio D. Franciſco Suarez Soc. Jeſu, quod licet immenſo ſtudiorum labore diu, noctuque occupatus fuerit, & ingentia neſcio quot, ac quanta volumina in litterati orbis admirationem ediderit, tamen ſingulis diebus ad minimum centies Actum Contritionis elicuerit. “

III. Quod vera ratio, cur magna Fidelium pars ſciens, & volens contra Spiritus S. monitum c. 17. Eccleſ. *demoretur in errore impiorum*, vitam ſcilicet agens ſceleſtiſſimam, nec de



de Pœnitentia, niſi cum de morte jam jam vicina admonetur, cogitans, ſeu cum verſetur in eo errore, „ *quo*, ut explicat Alapide, *impii, dum vivunt indulgentes ſuis voluptatibus, & concupiſcentiis perſuadent ſibi ſe in morte, & in morbo lethali converſuros ad Deum, cumque laudaturos cum anima ſoluta a corpore nihil terrenum amplius appetere poterit*, “ alia non ſit, niſi *infirma, & ſuperficialis* eorumdem *Fides, & falſa Spes* fundata in *fictitia illa ſecuritate*, qua ſibi blandiuntur de Juſtificatione ſimplicis Confeſſionis, ac doloris ore tenus præſidio, ac ſi vere pœnitentes evadant mera recitatione Actus Contritionis, quaſi *Formula* hujuſce Actus *Forma eſſet alicujus Sacramenti*, quæ ſemel prolata operetur independenter a merito eam proferentis. Hinc videre eſt, neque ſine maximo animi mœrore, ex tot Pœnitentibus plurimos, dum per integras horas S. Pœnitentiæ Tribunalia expectantes circumdant, omnino incogitanter oſcitantes, plures B. Virg. precarios globulos percurrentes, alios vero peccata minutiſſima nimis ſcrupuloſe recogitantes, omneſque, vel fere omnes nihil minus quam illud, quod præcipuum eſt, veram ſcil. *Contritionem*, illiuſque neceſſarias diſpoſitiones *Fidem, & Spem curantes*. Efficit enim vero vaferrimus dæmon eis tunc talia ſuggerendo, ut miſeri ſic tempus illud pretioſiſſimum *inutiliter* terant, ceteraque omnia curent præter illud, quod eos juſtificare poſſit. Unde, ut ait D. Ambroſius l. 2. de Pœnit. c. 12. „ *Remedium noſtrum ſit ipſi diabolo triumphus*. “

## CAPUT VI.

*Fit ſatis objectioni deductæ ex* Novitate *iſtius Doctrinæ, aptæ ad adducendum Fideles in deſperationem.*

I. Ulterius nobis objicitur, quod inculcare majorem diligentiam quam ſolitam, ſit promovere Doctrinam *Novam*, eamque aptam ad adigendum Fideles ad deſperationem. Reſp. tamen negando aſſumptum. Nam quod ad Contritionem præmitti debeat *Fides, & Spes Formalis Actualis*, vel ſaltem *Virtualis*, & ad Sacramentalem Abſolutionem *ea repetitio conatuum* ad concipiendum *verum* dolorem neceſſariorum; ſeu quod idem eſt, quod præmitti debeat *neceſſaria diligentia*, qualiſcumque ea ſit, ut validus, ac fructuoſus evadat Sacramenti Pœnitentiæ uſus, ſit perpetua Cat. Eccleſiæ Doctrina, minime vero ea, quæ contrarium docet, evidens erit cuicumque præjudiciis vacuo hucuſque dicta ponderabit. Ex quo evidenter ſequitur 1. Quod falſiſſime dicenda ſit doctrina *Nova*, cum in primis ea unice ſit antiqua; & ſecundario, veriſſimum ſit illud, quod in Synopſi totius Oper. de Servorum Dei Beatificatione l. 2. c. 28. ſcribit Sapientiſſimus Papa Benedictus XIV. „ Quo ad Novitatis cenſuram ſpectat, *neque Nova, neque damnabilis eſt Doctrina*, quæ licet aliquid *noviter dicat, Nova tamen non docet ec.* Quare Doctrina *Nova erit, quæ vana, & inutilia* Scripturis, & Patribus adverſantia exhibet, aut quæ ſtudio novitatis velut novum aliquid adverſus Eccleſiæ regulas tradat, novas exhibet voces, ut jam innuimus. 2. Quod perperam reputetur apta ad adducendum Fideles in deſperationem, quandoquidem illa ſola eſt, quæ *veram* Spem nutrit, & ſemper quoad ſubſtantiam, ut ita dicam, praticata fuit ab omnibus illis, qui poſt peccatum nobis reliquerunt bene fundatam Spem de ipſorum æterna ſalute. Et etiam quia per plura luſtra Forolivii in hac nobiliſſima Civitate, & alibi a nobis ad praxim redacta cum numeroſo concurſu Pœnitentium omnis ſtatus perſonarum, & quampluribus aliis indicata *nunquam prætenſum* deſperationis effectum in aliquo ex his produxit. Ah! quod non *uſus* Catholicæ doctrinæ, qualis hæc eſt, ſed ſolum ejus *non uſus* occaſio poteſt impiis deſperationis eſſe. Nec ob evitandum deſperationem *prætenſam alicujus* & *veram nullius*, fovere debemus *perverſam* multorum ſpem. Cum verum ſit, ut notat Auguſtinus ſer. 87. de Verb. Evang. quod „ *Iſta duo occidunt animas, aut deſperatio, aut perverſa Spes*; “ & tr. 33. in Joan. „ *Ex utroque homines periclitantur, ſperando* ( male ), *& deſperando*. “ Quia, ut advertit Sorbon. D. Habert Th. Dogm. t. 1. tr. de Deo uno c. 20. §. 5. q. 5. „ Quæ remedia quæret, vel admittet, qui ſanum ſe exiſtimat? An opus retractabit, puta *falſam Pœnitentiam*, qua pro more identidem defungitur, qui in ea *nullum defectum* deprehendit? Vix aliter pereunt, quotquot pereunt, quam hac *pœnali cæcitate*; nullus quippe tam dura cervice eſt, ut apertis oculis det ſe præcipitem in ſtagnum ignis ardentis. Si eos interrogare liceret, qui jam in illis tormentis cruciantur, quomodo ad tantam miſeriam devenerint, ſinguli ( paucis deſperabundis exceptis ) reſponderent *ſperaſſe* ſe ſalvandos, vel ex teſtimonio propriæ conſcientiæ, vel *Pœnitentiæ beneficio, cujus inanitatem non adverterant*. “ Nec ſub prætextu non diſturbandi ſuam falſam ſpem a nobis conſervanda eſt in ſuo pernicioſiſſimo errore infelix illa generatio, „ *quæ* ( ut ait Spiritus S. Prov. 30. ) *ſibi videtur munda, & tamen non eſt lota a ſordibus ſuis*. “

II. Verum quidem eſt, quod lumina, quæ nobis ab hac doctrina proveniunt, apta ſunt, fatemur, ad nos non parum terrendos, atque ad nutriendum in cordibus noſtris ſanctum Dei *timorem*; verum hæc erit ſumma noſtra felicitas, nam, ut ait Chryſoſtomus hom. 15. ad Pop. „ *Nihil enim tam peccata conſumit, & Virtutem germinare, & creſcere facit, quam timor; propterea qui non vivit in timore recte illum agere non eſt facile, ſicut impoſſibile eſt illum peccare, qui cum timore vivit*. “ Quod confirmat D. Bernardus ſer. ad cler. c. 4. dicens „ *Qui pavet, cavet: qui negligit, in ea incidit ec.* Et Tertullianus l. de cultu fam. c. 2. inquiens “ *Non timendo, neque ca-*

vendo difficile ſalvi erimus . „ Ideoque Mag. Baſilius ad Pſal. 33. hunc timorem vocat „ *Sanctitatis operarium , quem Pater Cæleſtis non qualeſcumque , ſed Filios de propria ſalute ſollicitos promiſit ſe docturum* . “ Sed quid ? Stultorum hominum eſt , ſemperque fuit , quod *illic trepidaverunt timore , ubi non erat timor* , & e contra quod illic non trepidaverint timore , ubi erat timor omnium maximus , ſeu ubi maxime timendum erat , hoc eſt , quod trepident , dum has ſimileſque veritates legunt , vel audiunt , & quod non trepident , & ſummo horrore concutiantur , dum peccant , & poſt peccatum veram Pœnitentiam parum curant , trepidantes ad depicti , & non ad veri præcipitii conſpectum : oculos claudentes lucidæ fulgurationi , quæ illos admonet de periculo , & fulminis ictum non paventes , qui ſolus pavendus erat . Uno verbo , non timentes perire , timent hoc timere .

III. Inermes , & ignorantiæ , ac inconſiderantiæ tenebris involuti certare volunt cum inimicis ſagaciſſimis ad illorum perniciem fortiter armatis , confidenter , & uti 24. Job dicitur . „ Sic *in tenebris quaſi in luce ambulant* . “ More Barbarorum illorum Mexicanorum , qui gladiis ligneis olim pugnantes cum ad radiorum Solis in Hiſpanorum gladiis ex chalybe repercuſſorum fulgorem perterriti terga verterent , conſilio communi & ſtulto ſuorum ſapientum in denſiſſimis dumtaxat tenebris manus cum hoſtibus conferentes abſque ullo effugio ab iiſdem ad internecionem delebantur . Haud aliter plures ex Adverſariis , dum propriam & aliorum Juſtificationem nimis confidenter committunt perfunctoriæ diligentiæ quaſi certam ſuam damnationem incurrere non timentes , dumtaxat timere videntur , ne ſibi congruum aliquod lumen affulgeat , quo eam evadere poſſint . Vel ne in eorum oculis infundatur guttula illius , quod Auguſtinus tr. 34. in Joan. vocat , *Collyrium Fidei* , quo cum illuminati videre poſſint ſummam ſtultitiam , & ſtupiditatem eſſe , ſi ubi agitur de ſumma rerum in tuto collocanda , de reddendo tuto bono infinito , atque de cavendo maximo malo , non adhibeatur , ſi non ſumma diligentia , quæ ab homine apponi poſſit , illa ſaltem mediocris , quam innuimus , non adhibeatur . Neque ullo pacto adeo tenuis diligentia in tanto negotio conſcientiam , & humanam ſinderεſim pacificare poſſet , niſi ope propriæ *ignorantiæ* , & *nimiæ* facilitatis , qua a pluribus Confeſſariis ſecuri redduntur Pœnitentes de obtenta vi illius peccatorum venia . De qua facilitate nimis perniciosa merito queritur Petrus Soto cit. Inſtit. Sacerd. de Sacr. Pœnit. lect. 5. dicens : „ Proponenda eſt ( in morte pœnitentibus ) immenſitas divinæ Miſericordiæ , danda eſt Spes ; ſed ita agendum eſt , ut quantum fieri poteſt , excitentur ad verum propter Deum dolorem peccatorum . Cavendum vero eſt , quod hic multi videntur præpropere conſolari Pœnitentes . Jubent *ſtatim certam habere remiſſionem* , quaſi nihil aliud opus ſit . . . . Igitur in extremis addenda calcaria ad verum dolorem , quantum fieri poterit , ita ut ipſa conſolatio ad id inducat . Poteſt namque prudenter agi , ut nonnunquam , cum nihil minus agere videatur is , qui exhortatur , tunc maxime accendat ad verum dolorem . “ Et ne ullus unquam deſperet de Miſericordia Dei , omnes meminerint de illo , quod apud Bloſium Monit. Spir. c. 1. Chriſtus Dominus dixit S. Catherinæ Senenſi , ſcilicet „ Peccatores qui in mortis extremitate deſperant de Miſericordia mea , multo gravius me offendunt , & magis mihi diſplicent hoc uno peccato , quam omnibus aliis iniquitatibus , quas unquam commiſerunt . “

## CAPUT VII.

*Quæ , quantaque Spes in Fidelium cordibus fovenda ſit .*

I. FOvenda eſt in cordibus Fidelium divina illa Spes , quæ , ut 2. 2. q. 17. ar. 6. ait Angelicus . „ Nos facit Deo adhærere : prout eſt in nobis principium perfectæ bonitatis , in quantum ſcilicet per Spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam . “ Fovenda eſt in cordibus Fidelium *Supernaturalis* illa Spes , quæ conſiſtit & in firmiſſima *attentione* ad Motiva hujuſce virtutis , & in *præſenti* cooperatione noſtra auxiliis gratiæ unicuique ſuppeditatis . Hæc , hæc Spes fovenda eſt , non vero fallax illa fiducia , quæ conſiſtit in *negatione* attentionis ad prædicta Motiva , & *in mere poſſibili* ( proindeque vix apto requiſito ad præſentem veram Spem ) *cooperatione* ad auxilia gratiæ ; & quæ impios ſeparat a viis Domini , & in profundum omnium ſcelerum immergit . Hæc igitur divina virtus fovenda eſt , at non foveatur , quæſo , ejus loco quædam ſtulta temeritas fundata in craſſa ignorantia juxta illud obſervatum ab Ariſtotile 2. Rhetor. c. 5. dum ait „ *Cauſa audaciæ eſt , cum in phantaſia Spes fuerit* ſalutarium , *ut prope exiſtentium , timendorum autem , ut non entium , aut longe exiſtentium* ; “ quæ homines allicit ad demorandum in *errore impiorum* , ſeu *quo* , ut explicat Alapide : „ impii , dum vivunt indulgentes ſuis voluptatibus , & concupiſcentiis , perſuadent ſibi , ſe in morte , & in morbo læthali converſuros ad Deum , eumque laudaturos , cum anima ſoluta a corpore nihil terrenum amplius appetere poterit . “ Cum talis præſumptuoſa Spes male audiat apud TT. cum Reinffenſtuele de Spe q. 2. n. 22. dicente : „ Spes Theologica includit judicium , & deſiderium conſequendi æternam beatitudinem *modo debito* , ideſt ex meritis Chriſti , & *accedente propria cooperatione* . . . Præſumptio vero includit judicium ac deſiderium conſequendi æternam beatitudinem modo aliquo *indebito* , v. g. per ſolam Fidem , vel ex puris Naturalibus , aut *vivendo ſcelerate* . “ Et etiam apud Pa-

trea



tres , dum , ut alios taceamus , D. Bernardus ſer. 3. de An. inquit „ *Eſt infidelis fiducia utique maledictionis capax , cum videlicet in Spe peccamus* , “ & D. Auguſtinus ſer. 1. de Pœnit. ait „ *Male ſperat , qui ſe poſt multa tempora ad Pœnitentiæ medicamenta reſervat* . “ Verum quidem eſt , quod hæc *Pſeudo-Spes* a multis Adverſariis reputatur ſufficiens ad Sacramenta ſuſcipienda , & ad reliqua ; dum aliam ad hæc non requirunt .

II. Utque noſtra *Supernaturalis* & vera Spes ſemper firmior evadat ultra prædicta longe amandetur nimius zelus , neque ſecundum ſcientiam , & quo plures veram Pœnitentiam nimis facilem , & obviam deprædicant , ac ſi ea unice dependeret a viribus liberi arbitrii hominis , & non potius ab auxiliis congruis Gratiæ Dei ; eis addita noſtra competenti cooperatione , in quo ſtat ſumma rerum ; & quo e converſo alii ipſam depingunt nimis difficilem , & quaſi imperviam , ac ſi Deus , *qui* ( ut ait Apoſtolus ad Rom. 8. ) *etiam proprio Filio ſuo non pepercit , ſed pro nobis omnibus tradidit illum , non etiam cum illo omnia nobis donare* paratus ſit ? Aut illius *proprium non ſit miſereri ſemper & parcere* . Abſint quoque , longeque abſint a Catholico viro quædam puſillanimitas , diffidentia , & forſam quædam averſio , quam malus dæmon ſæpius homini erga benigniſſimum Deum inſpirare ſatagit , dum illum depingere tentat tamquam auſterum , trucem , & velut inexorabilem Dominum , qui in ſuis beneficiis erga hominem præſertim peccatorem prorſus illiberalis , ac tenax ſit , atque ad rigorem potius , quam ad beneficientiam propendat . Ac ſi Deus non ſit *ſuavis Dominus univerſis , & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus* , ut dicitur Pſalm. 144. & *dives in Miſericordia* , ut ait Paulus : Et qui *peccatores recipit , & manducat cum illis* , ut murmurabant Judæi apud Lucam 15. Ac ſi tandem ipſe non dixerit apud Ezechielem 18. „ *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii , & non ut convertatur a viis ſuis , & vivat* “ ; Et Exodi 22. „ *Si clamaverit ad me , exaudiam eum , quia miſericors ſum* “ . Unde nervoſe argumentatur Auguſtinus dicens „ *Quare Deus toties nos ad innitendum ſibi moneret , ſi ſupportare nos nollet ?* “ Ah ! „ *Non eſt* ( pergit Mag. Doctor ) *illuſor Deus , ut ſe ad ſupportandum nos offerat , & nobis innitentibus ei , in ruinam noſtram ſe ſubtrahat* “ . Non eſt illuſor Deus , non eſt illuſor , maxime ſi illum *ut oportet* , & humiliter exoremus , clamantes : *Domine , adjuva me . Converte me , Domine* , & *convertar* . Et cum pœnitente Auguſtino ſer. 7. Nativ. eidem dicamus „ . *Da , Domine , miſericordiam miſero , qui tandiu pepercisti criminoſo . Inclinet ad remedium humilitas pœnitentis , quem permovere non potuit diuturnitas peccatoris* “ . Et ſimilia . Fovenda eſt ergo in omni caſu prædicta vera Spes , *ut oportet* ad ſalutem in cordibus Fidelium . Ad quam in ipſis magis , magiſque ſtabiliendam has præſentes quæſtiones fuſiori calamo pertractavimus , in quibus , ſi alicui videatur , quod vi alicujus expreſſionis omnino præter intentionem noſtram in oppoſitum impegerimus , meminerit ipſe illius , quod Mag. D. Auguſtinus l. de Grat. Chr. c. 47. ſcripſit „ *Iſta quæſtio , ubi de arbitrio voluntatis , & Dei Gratia diſputatur , ita eſt ad diſcernendum difficilis , ut quando defenditur liberum arbitrium , negari Gratia Dei videatur : quando autem Dei Gratia aſſeritur , liberum arbitrium putetur auferri* “ .

## CAPUT VIII.

*Sive Appendix . Fit ſatis objectioni deductæ ex* Rigoriſmo , *qui noſtro diſcurrendi modo attribuitur .*

I. POſtremo , ut nobis relatum fuit , quidam Anonymus obſtinate has noſtras Aſſertiones rejecit non aliam ob rationem , niſi *quia* , ut ipſe ajebat , *Rigoriſmum ſapiunt , & in Janſeniſmum vergunt* . Aſt ipſi in primis reſpondemus nullum delictum eſſe agere *Tutioriſtam* , vel *Rigoriſtam* in eo , in quo omnes Catholici ex eccleſiaſtico , & divino præcepto tales eſſe adſtringimur : e converſo autem grave Sacrilegium eſſe in praxi amplecti *Laxioriſmum* , ubi adeo ſtricte nobis præcipitur ſequi *Tutioriſmum* . Non pavendus , ſed amplectendus eſt Rigoriſmus , quo diſcretam ac prudentem diligentiam apponamus , ut quantum fieri poteſt , in tuto ponamus Materiam , & valorem Sacramentorum , ut ſaluti æternæ Animarum conſulamus . Hæc enim ad amuſſim eſt Eccleſiæ C. doctrina .

II. Eſt *Tutioriſmus* ab Eccleſia proſcriptus docere cum Janſeniſtis , quod etiam , ubi tantum agitur de *licito* , vel *illicito actionis* , nulla Probabilitas praticari poſſit ; ſed eſt *Laxioriſmus* ab ipſa pariter damnatus docere *non eſſe illicitum in Sacramentis conferendis ſequi ullam probabilitatem de valore Sacramenti , relicta Tutioritate* . Unde ſapientes ſicut non attendunt eos , qui *Laxiſmum* vocant omnem veram *probabilitatem* circa licitudinem Actionis ( ac ſi eſſe poſſet vere *probabile* , ſeu a prudentibus approbabile aliquod ſecum *afferens relaxationem* ) , ita neque ab oppoſito eos attendunt , qui *Rigoriſmum* appellant vel moderatam diligentiam in Sacramentorum adminiſtratione , ac ſi eſſet intolerabilis *Rigoriſmus* aliqualem diligentiam adhibere ad ponendum in tuto animarum ſalutem , Sacramentorum reverentiam , ac valorem . „ Colliges 2. eos immerito dici *Rigoriſtas* ( ait Pater Lacroix lib. 6. par. 2. num. 1710. ) qui in adminiſtrandis Sacramentis , quantum poſſunt , *Tutiora , & Pœnitentibus utiliora ſequuntur , quamvis difficiliora ſint* , id enim reprehendendum *non eſt* . Unde ſicuti eſt dicacitas *popularis* eos vocare *ſcrupuloſos* , qui conantur exacte , & perfecte vivere , ita dicacitas *maligna* eſt eos vocare *Janſeni-*

*Janſeni-*

ſeniſtas, & Rigoriſtas, qui meliora, & ſecuriora ſuadent, dummodo diſcrete fiat, & Sacramenta per hoc non reddantur Fidelibus odioſa ".

III. At quonam jure, quæſo, dici poteſt Rigoriſmus, qui Sacramentum Pœnitentiæ Fidelibus reddat odioſum, docere cum graviſſimis TT. PP. & Tridentino, quod Actus Fidei, & Spei ad Supernaturalem Contritionem, & ad hanc eliciendam eos conatus, quos prudens ac diſcreta ſollicitudo propriæ ſalutis unicuique ſuggerat, præmitti debeant? Neque ſumus ita hebetes, ut hoc negotium toto animo urgeremus, ſi vel Probabiliſtæ dicenti: „ Pars negativa eſt vere probabilis: hanc ergo tenere poſſum "; vel probabilioriſtæ reſpondenti: „ Pars negativa licet contraria Tridentino mihi probabilior eſt: illam ergo ſequi teneor: „ licitum foret ullo prætextu noſtræ ſententiæ praxim effugere. Dicet forſan Anonymus noſtram Sententiam veram eſſe, & unice in praxi tenendam. Aſt ob quaſdam rationes divulgari non debere. Sed ah! In primis bonus Anonymus rem difficilem poſtulat, dum ſemper occultandum putat, quod plurimorum oculis pervium ac expoſitum eſt. Neque tam perniciosa Politica Sacramentorum reverentiæ, & animarum ſaluti e diametro oppoſita poteſt non eſſe graviſſimi reatus, & tractu temporis ſummæ ignominiæ cuicumque eam ex compoſito adhibeat. Secundo, nulla catholica veritas diſſimulari debet ſub velo falſitatis, ut ſic inimicorum jacula vitare poſſit. Nec Tridentinum ob id, quod Hæretici calumniis oneraverint Sacramentalem Confeſſionem, eam vocantes conſcientiarum carnificinam, docere deſtitit neceſſitatem doloris ac diligentis examinis ad eamdem requiſitorum.

IV. Quamobrem licet verum eſſet (quod certo falſum eſt, deteſtantur enim ipſi veram Fidem, & Spem) Janſeniſtas, ceteroſque Hæreticos docuiſſe quod requirerentur mille Fidei, Spei, & Contritionis Actus ad Confeſſionem, non tamen idcirco nos dicere deberemus, quod præcedere non debeat Actus Fidei, & Spei ſaltem proprie Virtualiter Contritionem, aut quod hæc certo eliciatur, ut oportet ad primum, vel ſecundum conatum ad eam eliciendam a nobis adhibitum. Noſtro judicio male profecto ſe gereret, qui ut evitaret errorem proſcriptum in Prop. ver. gr. „ Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam, circa licitudinem præciſe Actionis humanæ, nihil curans de vera probabilitate alium amplecteretur proſcriptum in Prop. „ Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, aliquid agimus, ſemper prudenter agimus "; vel qui ad fugiendum hæreticalem errorem Novati a Tridentino c. 14. & can. 29. ſeſſ. 6. indicatum „ ſemel lapſi in peccatum, quantumlibet pœnituerint, nunquam veniam ſunt conſecuturi „; illum alium oppoſitum Lutheri adoptaſſet artic. 11. „ Si Sacerdotis obtineris Abſolutionem, & crede fortiter te abſolutum, & abſolutus eris, quidquid ſit de Contritione "; cum unum, & alterum errorem evitare deberet.

V. Ceteroquin inhærendo D. Hieronymi monito „ In accuſatione Hereſeos nolo quemquam eſſe patientem " reaſſumendo Anonymi objectionem inquiro „ nunquid Div. Thomam, Suarium, Vaſquium, Bannex, Reinſenſt. Dianam, Sporerium, Tamburinum, alioſque ſimiles, dum tradunt noſtram doctrinam, Rigoriſtas appellabimus, Fautoreſque Janſeniſtarum? " Atque denuo a bono Anonymo quærimus „ An contendere quod præmitti debeant Actus Supernaturales Fidei, & Spei ad Contritionem; & quod ad Contritionem ipſam in ordine ad Sacramentalem Abſolutionem probabiliter concipiendam, ea diligentia, quam prudens cura ſalutis unicuique dictabit, ſit forraſſe idem ac docere in primis cum Janſeniſtarum „ Patriarcha Vergerio Quod peccata venialia non ſint Materia ſufficiens Sacramentalis Abſolutionis: „ Quod opus non ſit confiteri numerum peccatorum mortalium: neque circumſtantias peccatorum ſpeciem mutantes? 2. Quod Contritio ſit abſolute neceſſaria in Sacramento Pœnitentiæ ad obtinendam veniam peccatorum, & quod non ſufficiat Attritio ad obtinendam veniam; quod verba Conc. Tridentini circa hanc Materiam intelligi debeant de Contritione, vel aliter opus ſit dicere, quod concilium in hoc puncto erraverit? 3. Quod illi, qui voluntarie contrahunt aliqualem defectum, aut imperfectionem, indigni ſint Sacramento Eucharistiæ ", uti legitur in ſuis Theol. Familiaris lect. 15. & Explic. ritus Miſſæ ad art. Lavabo.

VI. Secundo. Ab eodem quærimus: idem ſit nec ne docere, quod ad Contritionem præmitti debeant illi Actus Fidei, & Spei; & ad Sacramentalem abſolutionem conatus illi ad concipiendam præfatam Contritionem, quos Chriſtiana prudentia ſuggeret, ac cum Janſeniſtis (in damn. Prop. 22. & 23. Decr. Alex. VIII.) docere: 1. Quod Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis Pœnitentiam egerint; & ſimiliter arcendi ſunt a Sacra Communione, quibus nondum ineſt Amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers? 2. Quod non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam, ut ſic non ſolum promoverent probabilioriſmum, ſed etiam Tutioriſmum, anſamque arriperent liberius traducendi apud imperitos velut antievangelicam Doctrinam, & originem omnium ſcelerum largiſſimis declamationibus jam pungentibus verbis, jam devotiſſima unctione plenis communem Moralem, & Eccleſiæ univerſalem Doctrinam, ut confitetur vel ipſe Opſtraedt dicens „ Communis ergo & univerſalis per Eccleſiam erat probabilitatis Doctrina „. Idque eo peſſimo Conſilio, ut ſcilicet Populis facilius poſtea perſuaderent 1. Hæreticam impietatem prædicti eorum Patriarchæ Ab. Sanciorani, videlicet, quod „ Ab hinc ſex aut ſeptem ſæculis Eccleſia Dei amplius non ſit; & quod Eccleſia Rom. Catholica jam non ſit illa incorruptiſſima (in ejus ſcil. Doctrina) Chriſti Sponſa, ſed adultera & proſtituta ". 2. Illam aliam blaſphemiam eorumdem Coriphæi Janſenii, ſcil. quod „ aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis Gratia, qua fiant poſſibilia ". Conantur enim tot fallacibus Declamationibus, ac Sophiſmatibus hominum humeris imponere uti certum onus, incertiſſimam obligationem tot millium prætenſorum præceptorum, ut eoſdem ſic deſperantes de propria ſalute ad libertinorum perverſiſſimam viam capeſſendam adigerent. Ac demum eoſdemmet ſub ſpecioſo prætextu reformationis, ac legum obſervationis perfectæ, ſecum ipſis eximere conantur non ſolum ab obſervatione omnium legum Humanarum, ſed etiam divinarum certarum, nec ulli incertitudini probabilitatis ſubjectarum (quandoquidem has Deus condidit propter hominis utilitatem), ut innuitur in Prop. 71. in Bulla, Unigenitus, damnata „ Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem ".

VII. Demum operi finem imponamus verbis illuſtris T. Petri Soto loc. cit. lect. 8. de Confeſſ. informi „ Hæc autem quam potuimus diligentiſſime conati ſumus explicare, ut admoneamus & Pœnitentes ipſos, & ſpirituales judices, ut non leviter hæc pertranſeant: Eſt totius ſalutis cardo in vera (per Supernaturalem Contritionem) mutatione animæ. Cum igitur hoc oſcitanter facimus, & negligenter, tam Medici ſpirituales, quam infirmi, certe graviſſime timendum eſt, ne ſocordia noſtra omnia Dei beneficia convertantur nobis in perniciem, & ex quibus conſecuturi eramus ſalutem, perveniat perditio &c. Eſt igitur Confeſſario (ut Chryſoſtomum ſuperius audivimus dicentem) opus ſexcentis oculis, ut habitum mentis ejus, qui confitetur, agnoſcat; ut excitet ad Pœnitentiam; ut ab admonitione, & oratione non deſiſtat quoaduſque, quantum dabitur, agnoſcat Pœnitentiam aſcendiſſe ad perfectum Contritionis, & Charitatis Actum. Et Pœnitenti ſimiliter opus eſt, ut ſeipſum diligenter diſcutiat, ſicut Paulus inquit: & nosmet ipſos dijudicaremus: & non putet leviter, aut obiter curandum eſſe tantum negotium, in quo agitur de conſequenda venia mortalium peccatorum. Et cum ambo probe fuerint functi ſuo officio, dicant: Domine, ſervi inutiles ſumus: & timeant. Quod ſi hoc illi: quid acturi ſunt, qui nihil hæc omnia curant? "

El Indice esta en la pag. 67

FINIS.

Laus Deo, Virginique Matri, ac D. Ignatio, & omnibus Sanctis.

D. GIOVANNI ALLEGRINI CORRETTORE.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UAN
IDAD AUTÓNOMA DE NUEV
CCIÓN GENERAL DE BIBLIOTEC